TRACTATUS

DE

ROMANO PONTIFICE

CUM PROLEGOMENO DE ECCLESIA

AUCTORE

DOMINICO PALMIERI

SOCIETATIS IESU

EDITIO TERTIA

IN NONNULLIS EMENDATA

ALMA COLLEGE
213
LIBRARY
P185
Alma, California

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1902

4011

AUGUSTUS FERRETTI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU

Cum operis, cui titulus *Tractatus de Romano Pontifice* etc., conscripti a P. DOMINICO PALMIERI sacerdote nostrae Societatis tertiam editionem aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint: facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die Paschatis. Anno 1902.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Prati, die 15 Iulii 1902. Can. Archid. IOACHIM GORI, Vic. Gen.

BENEVOLO LECTORI

AUCTOR

Etsi generatim in more positum sit praefationibus legendis minime immorari, ut idcirco satius esse videatur, nihil ab initio dicere, quo lectoris benevolentia comparetur, si tamen quaedam specialis ratio subsit monendi lectorem quis sit finis operis et intentio scriptoris, ne perperam accipiantur quae sequuntur, non erit abs re aliquid praefari, quod deinceps legat qui volet. Et de parte quidem huius, qualecumque sit, operis principaliore, quae est de Romano Pontifice nihil dicere occurrit: pauca vero de Prolegomeno, quod est de Ecclesia. Tractationem enim de Ecclesia dupliciter fieri posse video, vel historice vel theoretice. Quaerere enim licet, unde sit Ecclesia, quo pacto orta sit, quomodo ab initio constituta, quantûm propagata, quemadmodum se habuerit ad societates civiles, quas pervasit et si qua sunt huiusmodi: dum his porro quaestionibus fit satis, tractatio agitur historice atque tractatio est apprime utilis, imo necessaria his praesertim temporibus, quando adeo florent historica studia, et paene omnibus in rebus alicuius momenti fungitur vice cotis historica demonstratio. Iam vero si quis ingredi desiderat propositas quaestiones, cum fructu leget eximium opus E.mi viri Francisci Segna (De Ecclesiae Christi Constitutione et Regimine Romae Forzani 1900), ubi eas accurate, ut auctoris mos est, atque amplissime pertractatas videbit. Nobis sumpsimus quod fert theologorum consuetudo, ut ab ipsa historia obiectum considerationis accipientes, eiusdem specularemur naturam, elementa, proprietates: haec autem est quam appellamus tractationem theoreticam. Profecto haec nostra tractatio non plene respondet dignitati rei et angustis limitibus

inclusa Prolegomeni nomen vix audet sibi asserere: attamen confidimus potiora capita ibi contineri atque explicari satis, quibus Ecclesiae notio clara et distincta animo informetur. Quod praecipue intendimus est tractatio de Primatu Romanae Sedis, cui tanquam praeparationem praemittimus hanc de Ecclesia. Cum nonnullos viderim hac nostra opella profecisse eiusque exemplaria modo desiderentur, tertio, si Deo placet, recuditur opus. Pluribus non opus est, ut te detineam, benevole lector.

PROLEGOMENON

DE ECCLESIA

§. I.

Definitione petita ex ipso nomine, quae definitio realis quidem est, licet inadaequata, definiri sic potest Ecclesia, ut dicatur : coetus divinitus evocatorum ad colendum Deum.

I. Definitio nominalis praemittenda est tractationi, qua significetur quid sit de quo agitur. Cum vero nomen ipsum etymologice spectatum quandam certam praefert significationem et constat pro aliqua re significanda usurpatum esse ab iis, qui et vim nominis et eandem rem plane noverant, definitio, ex ipsa vi nominis petita, habenda est ut realis; exhibet enim verum conceptum obiectivum rei: licet, quia non primas essentialesque omnes notas rei exhibet, non sit adaequata definitio.

II. *Ecclesiae* nomine in Testamento novo frequenter censentur illi, qui Christi fidem professi sunt, tum universim omnes, tum plus minus ampla eorum portio 1. Cor. VI. 4. X. 32. XII. 28. Ephes. I. 22. Matth. XVI. 18. Act. IX. 31. Coloss. IV. 15. Idem in omnibus subsequentibus ecclesiasticis monumentis apparet.

Iam vero, si ratio habeatur usus profani, ἐκκλησία (ἐκ καλέω) est coetus hominum vocatione collectus. Cum enim multipliciter homines in unum convenire possint, natura, pactis, iussu vel vocatione, conventus seu coetus populi tertio hoc modo collectus *ecclesia* dicebatur. Item usu sacro קָהַל (verbum קָהַל perinde est ac καλέω) est in primis coetus Israelitici populi, qui Deo vocante adunatus est redditurque a LXX. tum συναγωγὴ tum non infrequenter ἐκκλησία Deut. XVIII. 16. XXIII. 2. XXXI. 30. Nehm. XIII. 1. 1° Reg. XIX. 20. ac. קְהִלָּה גְּדוֹלָה Nehm. V. 7. est concio iudicatura; sic et 1° Machab. V. 16. ἐκκλησία μεγάλη est coetus eorum qui deliberaturi de re publica conveniunt. In Testamento quoque novo accipitur ecclesiae

nomen sensu profano Act. XIX. 32. 39. et de coetu Israelitici populi Act. VII. 38. Semper tamen de hominibus collectis usurpatur, saltem oppositum haud constat: neque enim opponere licet 1. Cor. XI. 18., si conferatur v. sequens 20. « Domum vestram non parvam Christi Ecclesiam deputamus » aiebant Alypius et Augustinus ad Iulianam matrem Demetriadis epistola 188. n. 3.

III. Ergo subiectum illud, cui nomen Ecclesiae saepe a Scriptoribus T. N. factum est, coetus est vocatione collectus. Sane qui ad eum spectant, frequenter dicuntur *vocati*, *vocati Christi* Rom. I. 6.-7. 1. Cor. I. 2. Quia vero qui vocantur, ad aliquid vocantur, iam implicite hoc nomen *Ecclesia* dicit id quod explicite exprimunt formulae huiusmodi: *vocati in societatem Filii Dei*, *in gratiam Christi*, *in admirabile Dei lumen* etc. Cf. 1. Cor. I. 2. 9. Rom. I. 6. Gal. I. 6. Sunt porro a Deo vocati Ephes. I. 18. Gal. I. 6. 1. Petri II. 9. 10. 1. Thessal. II. 12. Vocati nempe sunt ad Deum colendum professione Christianae Fidei, ut ex citatis locis constat. Quocirca huiusmodi coetus a coetu Israelitici populi discernitur ipso quoque usu nominis, coetus enim Israeliticus *synagoga* communiter appellatur, coetus vero Christi fidem profitentium *ecclesia*. Cf. Gal. I. 13., cuius discriminis rationem reddit Augustinus in inchoata expositione epistolae ad Romanos n. 2. (cf. §. VI.).

Itaque res hoc nomine *Ecclesia* significata 1° est coetus h. e. non solum aliqua hominum multitudo, sed multitudo in unum collecta: 2° est coetus vocatione collectus: 3° coetus vocatorum divinitus ad Deum colendum professione Christianae Fidei.

§. II.

Christus instituens ministerium apostolicum instituit eo ipso Ecclesiam suam eique certam formam tribuit societatis.

I. Promisit Christus se aedificaturum Ecclesiam suam (Matthae XVIII. 18.), quae non multiplex futura erat sed unica in terris; unius enim tantum Ecclesiae suae Christus meminit; id porro exigebat tum unitas Dei mediatorisque Deum inter et homines (1. Tim. II. 5.), tum universalitas redemptionis, cuius applicationis medium est Ecclesia: idque praeterea docemur ex eo quod Ecclesia est corpus Christi (1. Cor. XIV. 13.) et sponsa Christi (Ephes. V. 23. seqq.), neque hanc singularem unitatem sub aliqua saltem confusa notione Protestantes neganti Ecclesiae a Christo institutae.

Porro cum Christus Apostolos misit (Ioan. XX. 21.) deditque eis potestatem ligandi et solvendi (Matth. XVI. 19. XVIII. 18.), remittendi

et retinendi peccata (Ioan. XX. 23.) iussitque eos docere omnes gentes, discipulos ex eis facere eosque initiare baptismo eisque tradere servanda quae ipse mandavit (Marc. XVI. 15. 16. Matth. XXVIII. 18.-20.), ministerium instituit apostolicum. Liquet heic nos sumere auctoritatem apostolicam sub aliquo vero quidem sed generali conceptu, praecisione facta a quaestione heic inopportuna circa perfectionem et modum, quo a singulis Apostolis participata fuerit.

Iam vero eo ipso quod eam auctoritatem Christus instituit, coetum quendam religiosum instituit; etenim ex Apostolis docentibus, ligantibus et solventibus atque sanctificantibus et ex hominibus, qui eorum sint discipuli eorumque obnoxii auctoritati atque ab iis sint sanctificandi, coetus aliquis coalescit. Is vero coetus coalescit, qui est credentium veritatem a Patre per Christum et a Christo per Apostolos manifestatam (Ioan. I. 18. III. 11. VII. 16. XVI. 13. 1. Ioan. I. 1.-3. Gal. I. 8. 2. Tim. II. 2.) atque colentium Deum eo modo quo Christus praescripsit. Porro talis coetus dicendus est Ecclesia Christi; quia ipse coetus est vocatorum ad credendum et colendum Deum a Christo institutus. Cum ergo constet Christum Ecclesiam instituisse atque unicam tantum instituisse; istitutione vero ministerii apostolici Ecclesiam aliquam certe instituerit: haec est reapse Ecclesia ab eo instituta, quam ipse appellat suam.

Neque aliter Christus Ecclesiam suam instituit quam instituendo potestatem ligandi et solvendi, docendi et sanctificandi, quam primum in Apostolis collocavit. Hac enim institutione habentur omnia elementa necessaria coetus religiosi, qualis est Ecclesia. Coetus enim religiosus per se constituitur unitate doctrinae salutaris, rituum sacrorum et mutuae communionis; atqui haec omnia obtinent per eam triplicem potestatem debitamque illi subordinationem. Quocirca si qua alia institutio Ecclesiae excogitatur a Christo profecta, vel ea est prorsus ab hac distincta, vel est veluti pars et complementum eius. Prior hypothesis reiicienda est; secus enim duas Ecclesias suas instituisset Christus, quod nec Protestantes somniarunt. Si alterum defendis, vel id quod veluti pars et complementum dicitur huius institutionis quam tuemur, nempe ministerii apostolici, ita nexum est cum eodem ministerio ut necessario sit simul cum illo, vel est ab eodem ministerio independens ut seorsim ab eo esse queat. Si hoc alterum supponitur, relabimur in hypothesim duplicis Ecclesiae iam reiectam. Si primum vero defenditur, adhuc quidem reliqua foret quaestio, qua ratione partis se habeat ad institutionem ministerii haec altera institutio, quae supponitur: sed ne praeoccupemus quaestiones, illud profecto nunc praestituere possumus, quod si quod aliud elementum Ecclesiae ex Christi institutione necessarium in

Ecclesia excogitare licet, id sit interior sanctitas et fides; atqui ex eadem Christi institutione haec ita nexa sunt cum ministerio, ut per ipsum ea obtineantur sintque veluti effectus eius. Docente enim ministerio gignitur fides eodemque ritus sacros administrante gignitur sanctitas eoque regente et gubernante norma morum praestituitur, ad quam actualis sanctitas exigatur. Ergo reapse instituto ministerio apostolico Christus instituit Ecclesiam suam. Hinc cum primum promissionem facit Christus aedificandae a se Ecclesiae, sub imagine regni illam exhibet promittitque potestatem clavium, ligandi et solvendi, qua regnum istud regatur (Matth. XVI. 19. Cf. dicenda in th. 1.).

Testes huius veritatis omnes ii sunt, qui quaecunque in Ecclesia obtinent, ab auctoritate apostolica iugiter in ea perseverante repetunt. Si enim ita est, auctoritas apostolica principium est virtute continens Ecclesiam Christi et praecisione ab ea facta, nulla est Ecclesia Christi; ideoque instituta illa auctoritate, et solum cum ipsa est instituta, fuit quoque instituta Ecclesia Christi. Iam vero communis est Patrum doctrina, quaecumque in Ecclesia sunt ab auctoritate apostolica in ipsa vigente dimanare et per eam conservari, ut in tractationis progressu liquido apparebit. Sane huc facit quod praecipit Ignatius Martyr ad Trallianos n. 3., *sine Episcopo Presbyteris et Diaconis Ecclesiam Dei non vocari, nihilque licere fieri quod ad Ecclesiam spectat sine Episcopo*, ut ait ad Smyrnaeos n. 8. Huc spectat quod ait Cyprianus epist. 69., *Ecclesiam esse in Episcopo et Episcopum in Ecclesia, et qui cum Episcopo non est, in Ecclesia non esse.*

Et sane ex universa historia Apostolicae praedicationis, quae colligi potest ex Actibus et Epistolis Apostolorum, liquet Apostolos eatenus fundasse ecclesias, quatenus in singulis locis certam hierarchiam instituerunt, quae regendo, docendo, sanctificando aliis praeesset. Act. XVI. 22. 2. Tim. II. 1. 2. Tit. 1. 5.

II. Haec est veritas fundamentalis in tractatione de Ecclesia, nimirum Christum Ecclesiam instituisse quatenus instituit in Apostolis potestatem regendi, docendi et sanctificandi. Ab ea veritate abludunt prorsus Sociniani et Protestantes (Faustus Socinus in *Tractatu de Ecclesia.* Bibliotheca FF. Polonorum Tom. 1. Franciscus Turretinus *loc.* XVIII. *de Ecclesia* q. II. n. 12.) secuti Waldenses haereticos sec. XII., qui auctoritatem praepositorum in Ecclesia reiiciebant omnibusque fidelibus potestatem praedicandi verbi faciebant (Conc. Later. IV. c. 3. cf. Bernardi Abbatis Fontis calidi *Tractatum contra Waldenses* penes Gallandi Tom. XIV.). Talem enim illi concipiunt Ecclesiam, quae sit coetus hominum adunatorum non quidem ad modum societatis, quae auctoritate regiminis informetur et constituatur, cuiusmodi sunt politicae

societates, sed adunatorum Deo per fidem et iustitiam, iuxta promissionem novi foederis factam Ierem. XXX. 33. 34.: ut proinde is sit in Ecclesia, qui Dei doctrinam sequitur, sive alios fideles noscat sive secus; invicem enim colligantur fide Deo cognita. Ex quo consequitur, dicendum esse quod Christus Ecclesiam instituit, quatenus revelationem proposuit suaque redemptione meruit omnibus fidem et iustificationem.

At in hac sententia non est nisi pars veritatis et si ea exclusive accipiatur, falsa est. Nam instituit quidem Christus Ecclesiam, quatenus revelationem proponens voluit esse fidelium coetum, sed fidelium qui fidei doctrinam acciperent a magisterio a se instituto, cui depositum revelationis commendavit (cuius rei ampla demonstratio paulo post dabitur) et instituit quidem Ecclesiam quatenus auctor est quoque nostrae iustificationis suisque meritis eam nobis promeruit, secundum quam rationem Ecclesia dicitur e latere suo exiisse; sed auctor est iustificationis obtinendae per ritus sacros, quibus meruit vim sanctificandi et quorum administrationem ac curam certis pastoribus commisit, in quorum communione sacramenta essent suscipienda ut utilia forent (quemadmodum in tractatione de sacramentis domonstratur). Ecclesia scilicet a Christo instituta non est tantum coetus hominum adunatorum Deo, sed adunatorum Deo certo modo, qui modus situs est in ipso ministerio a Christo instituto. Huius quidem coetus propria sunt interiora dona gratiae et sanctitatis, ut ex loco citato Ieremiae patet: verum aliud est huiusmodi bona propria esse huius coetus, quod Ieremias dicit, aliud his solis bonis homines in Ecclesiam Christi vinciri et adunari, quod Ieremias non dicit.

Ex Protestantium systemate haec quoqne sententia efflorescit: institutam esse a Deo Ecclesiam, quatenus divinitus datus est hominibus codex, qui Scriptura Sacra vocatur, a quo omnen doctrinam credendam et legem servandam sub divina illustratione haurirent, ita ut ministerium opportunum quidem sit pro forma visibili Ecclesiae, non vero essentiale Ecclesiae, quae per se est invisibilis. Verum omissa nunc disputatione de visibilitate Ecclesiae; si ita est, praeter absurdum quod Deus postulaverit ab hominibus id quod eorum universalitati est impossibile ac dimiserit eos circumferri omni vento doctrinae, sequitur Christum non esse auctorem Ecclesiae, quam appellat suam, nisi quatenus doctrinam communicavit Apostolis qui eam scriptis postea consignarunt. Atqui primo Christus hoc modo fuisset auctor Ecclesiae suae non immediatus sed mediatus tantum; Ecclesia enim immediate per scripta Apostolorum colligèretur: porro christianus intellectus Christum exhibet auctorem immediatum Ecclesiae suae, Matth. XVI. 18. Deinde in hac hypothesi non esset ratio cur potius Apostolis a Christo missis,

quam Moysi aliisque auctoribus librorum sacrorum, a quibus pariter doctrina revelata accipitur, Ecclesiae origo accepta referretur. Tandem in hac hypothesi Christus reapse nullam instituisset Ecclesiam. Nam etsi eam velis esse coetum tantummodo fidelium interiore fide, ut tamen aliquis sit institutor huiusmodi coetus, oportet ut auctor sit eius medii, quo per se valeat hic coetus colligi, quo scilicet obtineatur consensus plurium vel interior in eandem veritatem. Atqui Scriptura certe non est hoc medium : ineptus vero est recursus ad interiorem Dei illustrationem, quae singulos immediate doceat quid in Scripturis contineatur; nullibi enim promissio divina exstat talis illustrationis, eique tot dissensiones protestantium in interpretandis Scripturis manifeste refragantur (qua de re paulo post, cum de Magisterio agemus) : ergo in hac hypothesi nihil Christus instituisset. Igitur vel Christus Ecclesiam non instituit, vel eam instituit institutione facta ministerii apostolici.

III. Quemadmodum vero Christus Ecclesiam suam instituit instituendo ministerium apostolicum, ita huius institutione formam certam societatis ei attribuit, quod Protestantes negant. Nam ut ipsi disputant (Boehmerus *Iur. eccl. ant.* d. VIII. c. 2. Grotius de *Imp. sum. potest.* c. 11. Franciscus Burmann *Disp. theol. de Synagoga* §§. 86. seq.), Christus nullos coetus separatos instituit; quippe qui ubique locorum docebat, synagogis Iudaeorum intererat et pariter cum ipso ad eas conveniebant quotquot ipsum sequebantur, qui non se separaverunt a coetu Iudaeorum nec distinctam constituerunt Ecclesiam. Neque Apostoli post Christum se separarunt a Iudaeorum coetibus et synagogis, sed cum Iudaeis in synagogam et in templum conveniebant ibique verbum Dei praedicabant sacrisque iudaicis vacabant; adeo ut etiam fideles ex gentibus ad eorum observantiam vellent adstringere. Occasione persecutionum, quibus a synagoga fideles premebantur et conversione gentilium qui iugo legis mosaicae se subdere nolebant, factum est ut paulatim fideles separarentur a Iudaeorum coetibus suosque coetus agerent. Tunc demum Apostoli his fidelium coetibus presbyteros dederunt, qui eosdem regerent. Porro norma ad quam horum separatorum coetuum regimen exegerunt Apostoli, non fuit norma quaedam a Christo tradita, sed fuit ipsa forma iudaicarum synagogarum, seu potius ecclesiarum quae post servitutem babylonicam exstiterunt, quae suam originem institutioni humanae debebant et rationem universitatum independentium praeseferebant, invicem quidem confoederatae, sed nullis aliis legibus adstrictae quam quae a se ipsis latae essent. Defuissent autem sibi ipsis ecclesiae primaevi saeculi, si non eandem regiminis libertatem assumpsissent sibi, qua per Romanos uti licuit synagogis iudaicis. Quocirca totum regimen ecclesiarum christianarum conformatum fuit ad synago-

garum exempla. Sicut enim ipse Christianismus nihil aliud est nisi reformatus Iudaismus, ita quoque ecclesiarum christianarum administratio nihil aliud fuit nisi continuatio munerum synagogarum. Tandem recens incredulorum schola, quae ob sollemnen abusum criticae vocatur *critica*, distinguit inter formam, quam Petrus ab initio indidit Ecclesiae et formam quam deinde indidit Paulus, quae quidem praevaluit. Petrus scilicet formam illi dedit iudaicam atque ecclesiae particularis; at Paulus formam illi tribuit gentibus omnibus accommodatam, ecclesiae scilicet universalis, qua exempta est a iudaica societate et in libertatem asserta (Edgar Quinet, le Christianisme et la revolution francaise, pag. 67.).

Haec Protestantium figmenta consona sunt quidem supremae eorum notioni Ecclesiae, quam concipiunt tanquam fidelium coetum adhaerentium immediate Deo per interiorem fidem ac per se invisibilem atque opportune excogitata sunt ab ipsis ut suorum coetuum legitimitatem vindicarent. Verum 1° certum est Christum determinatam formam socialem suae Ecclesiae constituisse. Auctor enim societatis, qui potestatem determinatam in ea constituit, potestatem scilicet regendi eamque amplissimam (quaecumque solveritis... quaecumque ligaveritis...) potestatem docendi omnes veritates revelatas, potestatem sanctificandi certis ritibus sacris quique a se auctos potestate uni subordinat (id in tractatu seq. abunde demonstrabitur), is profecto formam determinatam socialem tribuit coetui a se instituto: Christus autem ita se gessit; ergo.

2° Quae a Protestantibus proferuntur vel nihil concludunt, vel falsa sunt. Nihil concludunt quae de Christo dicuntur, qui se a synagoga non separavit et de legalibus usurpatis aliquando ab Apostolis, quaeque dicuntur de similitudine inter regimen synagogarum et ecclesiarum. Nam Christus in his terris peregrinus adhuc non dixit se aedificasse Ecclesiam, sed aedificaturum, quam reapse aedificavit cum Petro pascendas oves suas commisit. Protestantes vero non satis adverterunt verba Apostoli ad Gal. IV. 4. 5. de Christo: *factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret* (nempe e iugo legis: cf. nostrum, sis, commentarium in h. l.): ex quibus patet, quam pessime arguant, qui negant Ecclesiam distinctam a synagoga; quia ab hac Christus non se separavit: cum e contrario ipsa subiectio a Christo libere praestita legi causa fuerit abolitionis legis, ut nempe eo temporario foedere abolito Ecclesia succederet, quae idcirco, ab illo prorsus distincta et separata esse debebat. Apostoli quidem legalia identidem usurparunt, at citra obligationem et ex oeconomia quadam prudentiae et caritatis; unde non sequitur, eos coetum simul cum Iudaeis constituisse: cum autem

synagoga typus fuerit Ecclesiae, quid mirum si aliqua similitudo regiminis inter eas intercederet, etsi propriam formam socialem a Christo Ecclesia acceperit? Falsum vero est, quod ab initio fideles etiam ex Iudaeis coetus separatos non agerent a Iudaeis: conferantur sane ex Actis c. II. 42. 46. c. IV. 32. 34. c. V. 12. 13. ubi disserte affirmatur, quod ceterorum nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Quid sane significabat Apostolus, cum narraret, se, tum cum proficeret in Iudaismo, expugnasse Ecclesiam Dei (Gal. I. 13. 14.), si Ecclesia non erat a Iudaismo distincta?

Et re quidem vera in Conc. hierosolym. (Act. XV.) statutum est lege mosaica non obligari discipulos (v. 10.); quod decretum licet directe pro gentibus conversis editum sit, tamen pro omnibus fidelibus valere significarunt satis Apostoli tum adhibentes commune nomen *discipulorum*, tum de iugo mosaicae legis loquentes veluti re iam transacta (quod neque patres nostri neque nos portare *potuimus*): tum rationem reddentes sui decreti, quae pro omnibus fidelibus ex aequo valebat, scilicet quia *per gratiam Iesu Christi credimus salvari* (cf. epist. ad Rom.). Porro in hoc concilio non Pauli, ut vult Quinet, sed Petri, si ita loqui fas est, sententia praevaluit eaque iis argumentis stabilita est, quae hausta sunt ab ipsa institutione christiana. Atqui absurdum est, coetum, qui legibus mosaicis non tenebatur, non fuisse separatum a coetu Iudaeorum: ergo. Falsum est proinde occasione persecutionum se separasse christianos a Iudaeis; nam e contrario separatio fuit occasio persecutionum. Ut enim Stephanum comprehendi facerent et damnari, hanc causam producebant Iudaei, quia scilicet, ut ipsi aiebant, diceret Stephanus, quod Iesus Nazarenus destruet locum istum h. e. templum et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses (Act. VI. 14.): sentiebant nempe Iudaei aliam prorsus societatem religiosam incipere et hinc orta persecutio.

Falsum est, quod exegerint Apostoli regimen ecclesiarum, quas fundabant, ad normam regiminis synagogarum. Nam 1. falsum est hoc sensu, quod normam ab iis mutuati fuerint veluti destituti propria norma a Christo accepta, ut iam probavimus: 2. falsum est hoc sensu, quod par fuerit utrarumque regimen. Cum enim Protestantes velint huiusmodi synagogas communi plurium auctoritate rectas fuisse et caruisse vero imperio ac singulas fuisse independentes, e contrario Apostoli singulis ecclesiis unum praefecerunt cum potestate iurisdictionis, cui omnes subessent (cf. quae de Episcopis dicemus §§. XIV. et XVII.) omnesque singulares ecclesias ad unitatem regiminis revocarunt subordinantes uni, ex Christi institutione, ut in tractatu seq. demonstrabitur.

§. III.

Etsi Ecclesia Christi certa quadam veraque ratione exstiterit semper, specialem tamen constitutionem et formam Christo auctore obtinuit; qua factum est, ut post Christum nemo ad Ecclesiam veram spectet, qui non spectat ad hanc Ecclesiam Christo auctore institutam.

I. Ecclesia Dei lato sensu accepta est coetus fidelium colentium Deum: ut autem Ecclesia Christi vero quodam sensu dici possit, haec sufficiunt, scilicet quod propter Christi merita exsistat et quod obiectum eius fidei, ideoque cultus, sit Christus; hoc pacto et quatenus est et quatenus agit, ad Christum referatur. Iam vero talis Ecclesia exstitit inter homines a promissione facta a Deo protoparentibus futuri Reparatoris. Sane quaestio triplex fieri potest: 1ª an ex divina institutione potuerint semper inter homines esse ii, qui fide in Christum sive explicita sive saltem implicita colerent Deum: 2ª an actu semper fuerint: 3ª an debuerint semper esse. Primae quaestioni responsio affirmativa patet ex universalitate voluntatis salvificae, supposita necessitate fidei ad salutem. Nec unquam iis Deus defuit tum interioribus ac supernaturalibus auxiliis tum exterioribus (Act. XIV. 16. Rom. I. 20. cf. Clem. Ales. Strom. l. VI.) singolorumque hominum providentiam Deus habuit; singula enim entia rationalia subsunt per se divinae providentiae: quocirca cum Augustino (*De vera Relig.* c. 25.) admittenda est praeter universalem providentia particularis, quae singulis providet.

Alteri quoque quaestioni respondendum esse affirmative docet historia sacra. Patet enim, a Christo ad Moysem atque Abrahamum ascendendo, exstitisse semper, saltem inter huius posteros, aliquos qui credentes exspectarent Redemptorem Deumque colerent: idem liquet ex Abrahamo ad Noe, qui Abrahami aetatem attigit, quique fidelis fuit filiosque fideles habuit: idem tandem constat a Noe ad Adamum, inter quos intercesserunt filii Dei distincti a filiis hominum, quos filios Dei Adam ipse excolere potuit, qui aetate Lamec parentis Noe defunctus est. Porro advertendum, huiusmodi fideles constituisse tum quoque quendam coetum h. e. ecclesiam. Id satis evidens est pro iis, qui sub lege veteri a Moyse lata vivebant; pluribus enim ritibus fidem profitentibus vinciebantur in societatem religiosam, quae praeparabat homines ad Christum. Ante legem vero etsi minor esset unio; tamen 1º singulae familiae patriarcham suum reverentes et ab eo traditam accipientes doctrinam et cum eo sacra Deo facientes, certos quosdam coetus constituebant: 2º particulares hi coetus realiter uniebantur professione

extrinseca eiusdem fidei verique cultus exercitio: quae animadversio valet et pro iis qui, lege vigente mosaica, inter gentes exstiterunt fideles.

Quod historice asseruimus confirmat Eusebius (H. E. l. 1. c. 4.). Ostensurus enim christianum institutum non esse novum, probat historice ante Christum semper exstitisse qui rationem vivendi ab eo praescriptam sequerentur. Quo effecto quoad Hebraeos, pergit: « Quod si quis omnes illos, quorum iustitia tam illustri testimonio comprobata est, ab Abrahamo initio sumpto ad primum usque hominem recurrens, christianos non quidem nomine sed re ipsa fuisse affirmet, is certe non procul a veritate aberrabit. Nam cum christiani nomine nihil aliud significetur quam vir qui per Christi cognitionem atque doctrinam modestia, iustitia, tolerantia, fortitudine et pietatis cultusque unius, qui super omnia est, Dei professione ornatus sit, haec omnia veteres illi non minus studiose ac nos excoluerant ». Quocirca Gregorius M. (hom. XIX. in Evang.) vineam Dei universalem Ecclesiam vocat, « quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit ». Idemque testatur Augustinus (*Retract.* l. I. c. 13.) « Res ipsa, quae nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari christiana ». « Tempora scilicet variata sunt, non fides », ut idem ait (*Tract. in Ioan.* 45. n. 9.).

Tertia quaestio huc redit: an Deus Ecclesiam suam inter homines ante Christum voluerit efficaci decreto esse perpetuam, an solum id voluerit voluntate antecedente, cui refragari homines valerent, ita ut proinde contingere posset, nullam esse inter homines Ecclesiam. Iam vero vocatio Abrahami eiusque posteritatis electio ac praedictio eum futurum patrem multarum gentium, ac mosaica institutio, quae usque ad Christum perseverare debebat, satis evincit exstitisse illud efficax decretum ab Abrahamo saltem ad Christum, efficax nempe decretun, ut aliqua vera ecclesia in orbe semper foret. Quoad aetatem vero legis naturae idem colligere licet ex analogia subsequentis institutionis.

II. Nunc est demonstrandum Ecclesiam Christo auctore specialem formam prae vetere et constitutionem accepisse. Sane eadem quodammodo est Ecclesia ante et post Christum; nam idem est finis h. e. supernaturalis sanctitas in hac vita et salus aeterna in altera, idem interius principium formale, nempe fides, eadem subordinatio uni supremo capiti, quod est Christus, cuius omnes fideles membra sunt: porro ubi idem est finis, idem formale principium, unum idemque caput, ibi sub hac saltem ratione una est societas. Verum quod unum est potest alio et alio modo successive se habere: atqui reapse ita se habuit Ecclesia Christi.

Nam Christo auctore, praeter ampliorem notitiam fidei, obtinuit Ecclesia perfectam rationem supernaturalis societatis, hierarchiam nempe, qua regeretur et infallibiliter doceretur et sacramenta quibus sanctificaretur; ita ut deinceps homines eatenus Christo capiti adhaererent, quatenus hierarchiae ab eo institutae adunarentur et subiicerentur. Si secundum hanc specialem rationem absolutae societatis Ecclesia spectetur, ea nova est et a Christo incipit atque idcirco Christus dixit se aedificaturum Ecclesiam suam. Quare paucis verbis, Ecclesia prout capiti Christo adhaeret ab initio mundi exstitit: prout adhaeret ministerio apostolico a Christo instituto et per ipsum Christo, a Christo ortum habuit.

Porro ex his sequitur, nullam aliam post Christum esse Ecclesiam Christi quam hanc h. e. non posse quempiam asserere se ad Ecclesiam spectare, si sit extra hanc Ecclesiam, veluti si membrum esset illius Ecclesiae, quae iam ante Christum vigebat et nunc quoque perseveraret. Nam cum forma a Christo inducta sit modus necessarius Ecclesiae, nequit amplius subiectum hoc, quod est Ecclesia, reperiri sine hoc modo ibique deesse ubi deest hic modus. Quod vero forma haec inducta a Christo sit modus necessarius Ecclesiae, patet ex ipsa institutione Ecclesiae ab Eo facta. Christus enim aedificavit Ecclesiam suam; iam vero vel novam ex integro Ecclesiam instituit vel praeexsistenti induxit essentialem modum, vel accidentalem. Si novam prorsus instituit, prior hoc ipso fuit abrogata et idcirco necessaria est forma Ecclesiae inducta a Christo. Item si modum induxit essentialem, quem ipse scilicet sua institutione voluit esse essentialem: erit talis forma necessaria Ecclesiae. Nequit autem dici quod Christus modum accidentalem solummodo addiderit Ecclesiae Dei iam praeexsistenti; nam in hac hypothesi falso Christus de se affirmaret quod esset aedificaturus Ecclesiam suam; non enim est aedificator domus, qui ornamentum aliquod illi addit. Itaque Ecclesia Dei nequit amplius post Christum reperiri sine forma inducta a Christo et idcirco si una est Ecclesia, id quod proprium erat Ecclesiae ante Christum, modo unice competit Ecclesiae exsistenti secundum formam quam Christus decrevit.

§. IV.

Finis institutae a Christo Ecclesiae est, ut homines per eam et in ea sanctitatem et salutem consequantur: quocirca distinguendum est in ipsa Ecclesia id quod habet rationem medii et id quod habet rationem finis.

I. Sane finis institutae Ecclesiae ipse est finis incarnationis atque redemptionis; per Apostolos enim Christus prosequitur opus, ad quod missus est: nam sicut Eum misit Pater, ita et Ipse misit Apostolos (Ioan. XX. 21.): atqui finis incarnationis et redemptionis est, praeter satisfactionem Deo exhibitam Deique gloriam, hominum sanctitas et salus aeterna. Sane ministerium Apostolorum eo spectat ut homines per eorum magisterium veram fidem doceantur et credant, per Sacramenta ab ipsis administrata liberentur a peccatis et sanctificentur eorumque auctoritate regantur quae ordinata est *ad consummationem sanctorum* (Ephes. IV. 11. 12.): ergo. Et re quidem vera idem Christus se morti tradidit ut *Ecclesiam sanctificaret et exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (ibid. V. 25. seqq.).

Hic ergo est finis institutae a Christo Ecclesiae, sanctitas et salus hominum. Porro dicimus primo quod hic finis *per Ecclesiam* obtinetur. Obtinetur enim tum exercitio potestatis factae Apostolis docendi, sanctificandi et regendi, tum debita hominum subordinatione iisdem docentibus, sanctificantibus, regentibus, quatenus credunt quae illi docent, Sacramenta ab iis accipiunt eisque obediunt; atqui his duobus elementis simul iunctis auctoritate nempe pastorum et subiectione ovium constituitur Ecclesia: ergo. Dicimus secundo quod *in Ecclesia* hic finis obtinetur. Obtinetur enim quatenns homines subordinantur doctoribus, sanctificatoribus, rectoribus suis; atqui hoc ipso in Ecclesia sunt: ergo.

II. Ecclesia proinde medium est salutis. Quod ut distinctius intelligatur, distinguendum est in ea id quod habet rationem medii, et id quod habet rationem finis. Nam prout Ecclesia dicit ministerium apostolicum hominumque subordinationem ad ipsum, medium est a Christo institutum pro fine suae redemptionis consequendo. Prout vero dicit adunationem Deo hominum credentium et sanctorum, finis est quem Christus intendit, secundum quem sensum loquitur Apostolus Ephes. V. 25. seqq. Illud in his terris in statu viae tantum obtinet, hoc in altera quoque vita in termino perennabitur.

§. V.

Ecclesia Christi est coetus supernaturalis.

I. Supernaturalis coetus ille proprie vocatur, qui essentialiter auctus est bonis supernaturalibus. Triplex autem modus distingui potest quo coetus dicatur auctus essentialiter bonis supernaturalibus: tum *destinatione et potentia,* quatenus ordinatus sit ex essentia sua ad finem supernaturalem, tum *formaliter*, quatenus actu habeat bona supernaturalia, tum *active seu efficienter*, quatenus coetus ex intrinseca sua natura potestatem habeat conferendi dona supernaturalia, quae quidem potestas exsistens, cum sit et ipsa supernaturalis, id efficit ut *actu* quoque seu *formaliter* aliquo saltem bono supernaturali auctus sit coetus. Atqui finis essentialis Ecclesiae proximus est sanctitas interior sita in adoptiva filiatione Dei, unde fideles, qui sint quales esse debent, vocantur templum Dei, templum Spiritus Sancti 1. Cor. III. 15. 2. Cor. VI. 16. filiique Dei adoptivi Rom. VIII. 14. 15. in quibus SS. Trinitas inhabitat Ioan. XIV. 25. ac finis ultimus est beatitudo ei respondens sita in Dei visione; uterque vero finis est supernaturalis, ut ex alibi dictis patet. Pariter est essentialiter in hoc coetu principium communicativum bonorum supernaturalium ac conferens ad eorum acquisitionem et profectum, per legem scilicet sanctitatis ac magisterium fidei sacramentorumque administrationem, quorum potestas essentialis est Ecclesiae et quibus per se fides gignitur interiorque sanctitas aut infunditur aut infusa augetur aut extrinsecus alitur et promovetur. Haec autem sufficiunt ut coetus dicatur ex essentia sua supernaturalis. An vero ad essentiam eiusdem pertineat, ut actu quoque sint in eo qui dona sanctificantia participent, disputandum est postea.

II. Haec praerogativa supernaturalitatis Ecclesiae illustrari ex eo potest, quod ipsa dicatur *Corpus Christi* et *Sponsa Christi.* Sane cum *corpus* metaphorice adhibetur, metaphora duci solet a corpore organico. Ecclesia autem dicitur corpus et corpus Christi, qui est eius caput (Rom. XII. 4. 5. 1. Cor. VI. 15. X. 17. XII. 13. 27. Coloss. I. 18. III. 15. Eph. I. 23. IV. 12.). In capite corporis organici viventis tria spectanda sunt iuxta doctrinam s. Thomae (3. p. q. 8. a. 1.), nempe ordo, perfectio, virtus, secundum triplicem habitudinem capitis ad membra. Quoad ordinem et perfectionem Christus solus est caput Ecclesiae: quoad virtutem vero, qua caput influit in subiecta membra eaque regit, ita Christus influxu interiore gratiae et donorum influit in membra sua, ut per ministerium quoque a se institutum sanctificet et regat Ecclesiam. Ea porro appellatur πλήρωμα Christi (Ephes. I. 23.), eo

quod extrinsece complet Christum, prout est terminus eius activitatis, recipiens influxum ipsius, sub quo cum quo et per quem vivit, operatur et in unitate continetur. Iam vero ex Apostoli testimoniis patet penitissimam habitudinem unionis esse inter Ecclesiam et Christum, Ecclesiam vivere spiritu Christi vitamque Christi in Ecclesia continuari, in eodem ordine quodammodo Christum et Ecclesiam contineri, ut id sit participatione Ecclesia quod Christus est natura. Atqui huiusmodi consortium est certe supernaturale: ipsum est autem essentiale Ecclesiae, sicut essentialis est corpori humano viventi coniunctio cum capite; ergo.

Accedit alia imago *Sponsae:* Ecclesia enim est *Sponsa Christi* (Ephes. V. 22. seqq. coll. Apocalyp. XXI. 2. 9.). Ex qua comparatione ab Apostolo instituta patet Christum diligere Ecclesiam tanquam aliquid sui omniaque sua bona illi communicare, quod sicut habitudo uxoris ad virum est habitudo similitudinis, honoris, dignitatis communicationisque bonorum, ita Ecclesia, quae Sponsa Christi est, similis est Christo eiusque dignitatem participat; haec vero Ecclesiam in ordine supernaturali constituunt, in quo est Christus; ergo.

§. VI.

Ecclesia Christi est coetus distinctus a Synagoga.

I. Synagoga coetus erat religiosus et civilis: prout religiosus erat, nunc spectatur. Duplex autem quoad synagogam quaestio distinguenda: *facti* et *causae*. Prior est, an Israelitae habuerint vel potuerint habere interiora dona sanctificantia; altera est, utrum vi foederis veteris ea habuerint. Priori quaestioni respondendum est affirmative: alteri vero respondendum, quod institutio quidem vetus cum cunctis suis ritibus et sacrificiis disponebat exsistentes in eo foedere ad gratiae consecutionem; vi tamen illius foederis gratia non conferebatur, sed vi foederis christiani h. e. foederis initi a Deo cum Christo mediatore et capite hominum et per Christum cum hominibus, ad cuius Ecclesiam omnes fideles et iusti iam spectabant. Porro cum Ecclesia comparatur cum Synagoga, utraque consideratur secundum id quod proprium est eius.

II. Distinctio Ecclesiae a Synagoga constat 1° ex diversa amplitudine ethnographica: 2° ex diversitate immediati auctoris; Synagogae enim auctor Moyses Dei famulus (Hebr. III. 5.), Ecclesiae Christus est Filius Dei: 3° ex diversa habitudine ad invicem; Synagoga enim typus erat et adumbratio Ecclesiae, haec illius antitypus (Hebr. X. 1. VIII. 4. Gal. III. 24.): 4° ex diversitate sacerdotii, quod argumentum prosequitur auctor epist. ad Hebr. VIII.: 5° ex diversis promissionibus

divinis: pactum enim initum cum Synagoga bonis terrenis per se continebatur: alterum bonis caelestibus et supernaturalibus continetur (Ierem. XXI. seqq. Deuter. XXVIII. Iosue XXIV. Hebr. VIII. 6.). Quia vero qui ad Synagogam spectabant, pertinebant quoque aut pertinere debebant ad Ecclesiam Christi, quae finis erat ipsius institutionis Mosaicae; hinc nihil mirum, si Deus per prophetas suos alloquens Israelitas, sicut hortatur ad sanctitatem, ita et bona supernaturalia promittat. Haec autem et a gentibus recte viventibus cum gratia Dei participari poterant. Utriusque quidem generis promissiones factae sunt Abrahae (Gen. XII. 2.) sicut et Iacobo (XXVIII. 14.), sed advertendum, Abrahamum non solum Israelitarum sed et omnium gentium constitutum esse patrem, quae in semine eius benedicendae essent (Rom. IX. 68. Gal. III. 8. 9. 16.). Unde 6° finis immediatus Sacramentorum diversus est in utroque foedere; in vetere enim erat sanctitas quaedam legalis et dispositio ad gratiam, in novo est ipsa gratia. Quocirca finis quidem ultimus communis erat utrique foederi: sed hic finis ultimus hominis erat Synagogae mediatus, Ecclesiae est immediatus; ideoque finis proprius et immediatus utriusque diversus est. Quod vero Paulus affirmat de Israelitis Rom. IX. 4. quod eorum scilicet erat adoptio filiorum υἱοθεσία, non de adoptione proprie dicta interiore sanctificante accipiendum est, sed de ea qua populus ille electus fuerat in populum Dei, speciali scilicet nexu cum eo devinctum prae ceteris populis.

§. VII.

Ecclesia Christi est necessaria ex divina institutione omnibus hominibus necessitate medii et praecepti; ideoque qui huic divinae institutioni non fecerint satis, salvi esse non possunt.

I. Id negant ii tantum, qui nullam revelatam religionem admittunt, vel qui censent in qualibet religione posse Deum legitime coli salutemque obtineri. Qui vero negant Ecclesiae necessariam perennitatem, ut Sociniani et Remonstrantes, eo quod ipsa pendeat ab libero hominum arbitrio, non hoc ipso censendi sunt negare Ecclesiae necessitatem pro omnibus, nisi iis certis suppositis conditionibus, quibus efficitur ut Ecclesia deficiens non amplius in ullo instaurari possit. Quas conditiones illi, licet immerito, non admittunt.

II. Necessitas societatis ineundae potest esse alia a natura, alia ab institutione vel lege positiva. Cum est ab institutione aut lege positiva, requiritur utique, ut adulti, convenientes ad societatem, volentes ei nomen dent volentesque permaneant et hoc sensu voluntaria societas

dicitur: adulti inquam; quia si est institutio medii, ea ligare potest etiam infantes voluntatis incapaces; ab adultis vero media quoque necessaria sunt adhibenda libere. Non tamen ex hac hypothesi institutionis aut legis consequitur, integrum esse cuique ad eam spectare societatem vel secus ab ea discedere eiusque auctoritati se subtrahere; institutio enim aut lex obligationem gignere potest, qua quis vel invitus teneatur. Porro talis est institutio Ecclesiae ex positiva Dei voluntate, ex qua necessitas oritur pro hominibus conveniendi ad Ecclesiam. Quocirca ipsa toto caelo differt ab iis societatibus, quae ex libero concursu liberisque pactis convenientium coalescunt. Id modo breviter demonstrandum.

Docemus itaque necessarium esse hominibus ex divina institutione, cooptari Ecclesiae in eaque perseverare, ut salutem aeternam consequantur: necessitas scilicet Ecclesiae eaque intrinseca determinatur ex fine, qui est aeterna salus et gloria Dei; quae, posita divina institutione, solum per Ecclesiam obtineri potest. Porro necessitas duplex distinguitur *medii* et *praecepti*. Necessarium necessitate medii ad salutem illud est quod est reapse medium, ut idcirco sine ipso habito, aliquo saltem modo, salus non obtineatur. Necessarium mera necessitate praecepti illud dicitur, quod faciendum nobis est ut moralem ordinem custodiamus. Iamvero connexio medii cum fine potest ex duplici causa originem habere, nempe vel ex ipsis rerum naturis vel ex libera institutione eius qui potestatem habeat connectendi assecutionem finis cum quodam medio. Praeceptum autem non est confundendum cum simplici institutione Dei; praecepto enim imponitur subdito moralis obligatio sub culpa: simplex vero institutio medii potest hoc esse contenta: si quis hunc finem consecuturus est, id ipsum habere vel agere oportet. Utraque necessitas in idem obiectum convenire potest; nam et usus mediorum praeceptus est, si finis consecutio est necessaria, ita in baptismo pro adultis: potest altera ab altera separari, ut in baptismo pro infantibus. Ne inde vero inferas quidquid sub praeceptum cadit esse necessarium solum necessitate praecepti: si enim eius connexio cum fine ita necessaria est, ut sine eo finis nequeat obtineri, licet per se ad ordinem moralem spectet et praeceptum sit, erit necessarium quoque necessitate medii. Ita fides actualis necessaria omnibus adultis, ita supposito peccato, contritio vel attritio cum Sacramento, quae etsi sine culpa omittas, quia praeoccuparis morte, non ideo salvaris.

Posuimus in definitione necessarii necessitate medii: *sine ipso, aliquo modo, habito;* nam id quod necessarium est necessitate medii, potest frequenter dupliciter praestari ab adulto (quoniam adultus citra suam actualem culpam non damnatur), nempe vel *in re* vel *in voto,* voto

nimirum coniuncto alteri actui puta caritatis vel contritionis, quod votum et implicitum esse potest. Diximus votum coniunctum alteri actui; neque enim cum dicitur baptismus e. g. in voto iustificare, intelligitur quod sufficiat desiderium baptismi ad iustificationem, sed quod caritas vel contritio cum eo desiderio coniuncta iustificat. Quocirca non omnis actus, qui sit medium necessarium, potest in voto haberi, ut fides et ipsa caritas. Adverte discrimen inter hoc votum et propositum generatim servandae legis, quod pro iustificatione postulatur. Nam propositum servandae legis est propositum rei, quae per se non requiritur ante iustificationem, licet eius propositum ut dispositio requiratur; propositum vero baptismi est propositum rei, quae per se, posita divina institutione, requiritur ad iustificationem, quae proinde, si exsistat prius, per se confert ad illam tanquam eius medium proprium ad ipsam ordinatum. Quocirca per huiusmodi votum subordinatur iustificatio, quae obtinetur, ad medium institutum a Christo et sic verum est, quod sine subordinatione ad media a Christo instituta non obtinetur iustificatio et salus. Cf. hac super re Card. Lugo *de Eucharistia*, disp. 3. sect. 1.

III. Probamus primum, Ecclesiam esse omnibus necessariam necessitate medii. Utique ipsam inire, adultis eam agnoscentibus praeceptum est, sed ideo praecipitur, quia est medium: ita ut, etsi absque culpa omitti contingat, si reapse omni modo omittatur, salus non obtineatur. Doctrina est catholica solemniterque promulgata: *extra Ecclesiam nullum omnino salvari.* Ita Conc. Later. IV. in definitione contra Albigenses: « Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur » et in professione fidei proposita Waldensibus: « Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non haereticorum, sed sanctam romanam catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus ». Cf. et decretum Eugenii IV. pro Iacobitis. Idem docet Bonifacius VIII. in Bulla *Unam sanctam,* idem Gregorius XVI. in Brevi ad Episcopos Bavariae 27. Maii 1832. rursusque 27. Sept. 1834. ac Pius IX. Allocutione habita 9. Decem. 1854. Atque haec fuit constans praedicatio Ecclesiae: « Sancta enim universalis Ecclesia (inquit Gregorius M. *Moral.* l. 14. c. 2.) praedicat, salvari veraciter nisi intra se non posse, asserens quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime salvantur ». Lege et Fulgentium *de Fide ad Petrum* c. 38. Quocirca comparatione ducta ab arca Noe (1. Petri III. 20. 23.), docent Patres, Ecclesiam esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus procul dubio periturum. Cf. Tertullianum *de Bapt.* c. 8. Hieronym. *ep.* 15. *ad Damasum* et *Dialog. adv. Lucifer.* n. 22. Cyprianum *de*

Unit. Eccles. Gaudentium Brixianum Tract. 1. *de Lectione evangelica* et Anonymum seculi III. adv. Novatianum (Gallandi Bibl. Tom. 3. p. 371.). Idem haeretici quoque sectis suis vindicabant.

Sane necesse est homines subordinari ministerio docendi, sanctificandi, regendi instituto a Christo in hunc finem, ut per ipsum homines in salutem adducantur: atqui per hanc subordinationem societas cum eo ministerio constituitur et haec societas est Ecclesia: ergo. Minor patet ex §. II. Maior liquet; quia sine subordinatione saltem in voto ad hoc ministerium, nemo subordinatur et adhaeret Christo capiti; Christus enim caput est corporis sui, nec potest esse caput nisi corporis: unum autem est corpus Christi; corpus vero Christi illud est, quod ministerio a se instituto adunatur. Deus enim *posuit in Ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (Ephes. IV. 11. 12.): horum autem verborum sententia exclusive est accipienda, ut scilicet per solum ministerium eorum, quos Deus posuit, aedificetur corpus Christi; constat enim aedificandum esse per ministerium aliquorum, nequit autem aedificari nisi ministerio eorum, quos Deus posuit, est enim effectus pendens prorsus a libera institutione Dei. Itaque corpus Christi illud est tantum quod a ministerio ab eo instituto aedificatur. Oportet ergo subordinari illi ministerio, ut subordinatio habeatur ad Christum caput. « Ad ipsam scilicet salutem et vitam aeternam nemo pervenit nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit nisi qui in eius corpore fuerit quod est Ecclesia ». August. *de Unit. Eccl.* c. 19.

Iam vero in his habes proprie dictum medium; non habetur enim ratio honestatis, cui providet lex seu praeceptum, sed ratio consequendi *finis*, ad quem non ducit nisi *medium;* ergo Ecclesia necessaria est necessitate medii.

Rursus necessarius est necessitate medii omnibus baptismus; ergo pariter Ecclesia. Prob. consequentia; quia per baptismum quis Ecclesiae cooptatur: eo enim spectat baptismus, ut quis membrum Christi fiat ac de corpore efficiatur Ecclesiae; etenim *in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus* 1. Cor. XII. 13. et idcirco baptismus ianua est vitae spiritualis; quia per ipsum efficimur membra Christi et de corpore Ecclesiae, ut docet Eugenius IV. in Decreto pro Armenis. Antecedens patet ex verbis Christi Ioan. III. 3. seqq., ex quibus constat quod sicut nequit haberi vita naturalis sine nativitate, ita nequit haberi vita supernaturalis, cuius terminus est visio Regni Dei, sine regeneratione, quae fit per baptismum et ideo omnibus etiam infantibus

necessarius est baptismus; quemadmodum contra Pelagianos ab Ecclesia sancitum est.

Et quidem infantes, si baptismo careant, quamvis sine culpa, salutem tamen non consequuntur. Adulti autem supplere possunt defectum baptismi per actum puta caritatis cum voto coniunctum baptismatis saltem implicite: nihilominus exigentia huius voti est exigentia subordinationis medio instituto a Christo, cuius medii adhibendi obligatio etiam post iustificationem manet. Unde in adultis apparet quoque ratio necessitatis medii, non meri praecepti. Cf. quae dedimus in Tr. de Poenitentia circa necessitatem Sacramenti.

Item necessaria est omnibus necessitate medii fides sive habitualis tantum infantibus sive actualis quoque adultis: ergo pariter necessaria est Ecclesia. Prob. consequentia: quia perinde est habere vel solam fidem et spectare vel re vel saltem voto ad Ecclesiam; qui enim credit, subiicit se Deo docenti et implicite saltem subiicit se quoque divinitus instituto magisterio, per quod fides praedicatur, paratusque est facere quae ipsum docet seque illi tradere regendum. Antecedens probatur verbis Hebr. XI. 6. *sine fide impossibile est placere Deo,* collatis quoque formulis frequentibus Apostolo appellanti *iustitiam fidei*, *iustitiam ex fide, per fidem* Rom. III. 13. 25. VIII. 30. etc. Quocirca testantibus Patribus Tridentinis Sess. 4. cap. 7.: *sine fide nulli unquam contigit iustificatio* et c. 8. *fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis.* Fides autem propie dicta accipienda est; de hac enim auctoritates adductae loquuntur idque etiam patet ex damnata prop. 23. ab Innocentio XI. 2. Martii 1679., qua damnatione negatur sufficientia ad iustificationem fidei improprie dictae, quae sit scilicet ex testimonio creaturarum similive motivo (naturali scilicet). Cf. Lugo *de Fide* d. 12. sect. 2. et 3.

Porro ex his collige, quod cum in Scripturis necessitas fidei et baptismi praedicatur, praedicatur ibidem eo ipso necessitas Ecclesiae.

Tandem omnibus necessitate medii necessaria est pro consequenda salute religio, ad quam suo modo infantes quoque consecratione quadam cooptari possunt: religio autem necessaria nequit esse nisi vera; porro vera religio non est nisi Christianismus, Christianismus in concreto ipsa est Ecclesia, ergo.

Ex dictis manifesta quoque fit necessitas praecepti; quia cum usus mediorum est in nostra potestate, si obligamur ad finem, obligamur quoque ad media: quia Christus reapse legem tulit omnes obligantem Matth. XXVIII. 20. Marc. XVI. 16.

Concludere ergo licet Augustini verbis in sermone habito ad caesariensis Ecclesiae plebem, praesente Emerito episcopo donatiano: «Extra

Ecclesiam catholicam totum quis potest habere, praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare *alleluia*, potest respondere *amen*, potest evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus S. fidem et habere et praedicare: sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire ».

IV. Quanam vero ratione necessitas haec componitur cum cura, quam Deus habere credendus est hominum omnium salutis? plures enim sunt, quibus Christi fides praedicata non est; nequeunt proinde ipsi credere Ecclesiaeque se adiungere: cur ergo extra Ecclesiam non possunt consequi salutem?

Respondeo. Recolendum est in primis, quod qui Ecclesiam necessariam esse voluit, ille ipse est, cui media deesse non possunt, ut exsequatur consilium voluntatis suae, quae vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: quare dubitandum non est, quin illa duo optime concilientur, nec opus est adeo nos esse sollicitos in huius rei investigatione, sed quiescere possumus in Dei sapientia et omnipotentia.

Veruntamen licet eam afferre rei declarationem, qua evincatur rationem nullam esse, cur de divina misericordia et iustitia anxii simus. Sane 1° tenendum est, quod est dogma catholicum, eum qui ignorantia invincibili ignorat fidem, non peccare si non credit neque propter fidei involuntarium defectum damnari: 2° tenendum est ex doctrina de salvifica Dei voluntate, Deum omnibus hominibus eas actuales gratias suppeditare, quibus si fideliter respondeant, ad fidem et sic ad Ecclesiam, Deo cooperante et si opus sit etiam viis extraordinariis utente, sint infallibiliter perventuri. Quae quidem viae, cum in certis adiunctis exigantur ab ea ordinaria providentia, quae vult omnes homines salvos fieri, non sunt sub hac ratione censendae extraordinariae. « Nemo est adeo barbarus (ait Lugo *de Fide* Disp. 12. sect. 3.), quem Deus non excitet et illuminet ex gratia per Christum in primis ad observantiam legis naturae, quam si observet per aliquod tempus, ad prudentiam Dei spectat illuminare illum circa res fidei vel per humanam praedicationem, vel alio modo qui non esset miraculosus, attenta lege communi Dei qua decrevit illuminare sufficienter omnem hominem et facienti quod in se est per auxilia, quae tunc habet, non denegare gratiam illuminationis ad fidem: quae illuminatio sit actus supernaturalis, dictans obligationem orandi vel quaerendi doctrinam verae salutis ». Idem expressius docet S. Thomas *de Verit.* q. 14. a 4. ad 1. inquiens: « Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter (h. e. in silvis vel inter bruta animalia) nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga mali,

certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ». Adeo persuasus erat s. Thomas de necessitate fidei proprie dictae ad salutem! Quare 3° eos qui sine fide damnantur, censendum est damnari non propter involuntarium defectum fidei, sed propter peccata quae, spretis gratiis divinis, admiserunt quaeque poterant, si voluissent, vitare. Hinc 4° ex eo quod fides per totum orbem praedicata non sit nequit inferri, nolle Deum hoc medio hominem quemlibet salvari.

« Notum est (ait ss. Pius IX. in litteris encyclicis *Quanto conficiamur* 10. Augusti 1863.), eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus qui omnium mentes, animas, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari ». Quo quidem dogmate praestituto etiam in Allocut. habita 9 Decemb. 1854. advertit idem SS. Pontifex quod qui illud in dubium vocant « percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt ». Subdit vero: « absit ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei, quae sunt abyssus multa. Quod vero Apostolici nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam... Tenendum quippe ex fide est, extra apostolicam romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum: sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos huiusce rei culpa obstringi ante oculos Domini ».

Ex disputatis consequitur, nullam aliam adstrui necessitatem Ecclesiae, quam quae sit necessitas baptismi, quo Ecclesiae membra homines fiunt et quemadmodum baptismus dicitur ab omnibus theologis, probante Tridentina synodo sess. 6. cap. 3., necessarius in re vel in voto, ita et necessarium est, Ecclesiae membrum esse vel in re vel in voto.

§. VIII.

Ecclesiam suam ita Christus instituit ut perenniter usque ad consummationem seculi absque ulla substantiali mutatione sit necessario extitura.

I. Perennitas rei dupliciter haberi potest *contingenter* et *necessario*. Contingenter permanere dicitur quod ita durat, ut sive ratione essentiae suae sive ratione finis propter quem exsistit, nulla sit exigentia suae durationis ideoque absque ulla contradictione verificari possit eius desitio. E contrario necessario perseverat quod ideo durat, quia eius essentiae vel fini repugnat desitio. Necessitas rursus duplex distinguenda: *absoluta* et *hypothetica:* ea oritur ex ipsis rerum naturis per se spectatis valetque in quavis hypothesi: haec supponit aliquam contingentem hypothesim, qua posita potest aliquid necessario esse connexum cum rei alicuius natura. Hanc alteram vindicamus perennitati Ecclesiae, supposita nempe institutione Christi, quae institutio finem quoque complectitur, propter quem a Christo facta est.

Perennitatem Ecclesiae veteres haereses non negarunt. Primi quoque inter Protestantes, teste Bellarmino *de Eccl.* l. 3. c. 13., concedunt Ecclesiam ex lege Dei non posse deficere; licet ipsi de invisibili loquantur, quam veram Ecclesiam putant: Ecclesiam vero visibilem sive secundum hanc formam externam et visibilem deficere posse vel obscurari ita ut eius coetus publicus nullus appareat, facile concedunt Protestantes (cf. Moehler *Symbol.* l. 1. c. 5. §. 34. seqq.), imo defendunt, ut Turretinus *Loc.* XVIII. q. 9., ut scilicet ita se expediant ab ea fastidiosa quaestione, qua urgentur, ubinam ante reformatores fuerit eorum Ecclesia. Inter rationalistas autem, quorum facile principes Sociniani, dogma perennitatis Ecclesiae praecipuos invenit adversarios.

Perennitatem Ecclesiae usque ad consummationem seculi defendimus h. e. usque dum genus humanum in stadio viae degat in terris: absolvendam enim esse aliquando peregrinationem humani generis, constat ex Christi verbis praedicentis consummationem seculi (Matth. XXIV. 14. XXVII. 20.), quod vel est ipsum humanum genus vel illud complectitur. Neque id detrectant scientiae naturales, quae aliquando tandem planetaria corpora evasura inepta vitae animali conservandae, facile concedunt.

II. Perennitas Ecclesiae demonstratur et ex divinis promissionibus et ex natura Ecclesiae et ex eiusdem Ecclesiae constanti traditione. Sane conferantur testimonia Isaiae IX. 6. 7. *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum eius et*

vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis; multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum. Ierem. XXIII. 5. *Ecce dies veniunt, Dicit Dominus, et suscitabo David* (τῷ Δάβιδ) *germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra: in diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster* יהוה צדקנו Iahveh iustitia nostra. Luc. I. 82. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* Patet his 1° promitti regnum Filii Dei incarnati, regnum cultui divino dedicatum, ex hominibus salvandis collectum, *in his terris exsistens*, quae omnia in sola Ecclesia locum habent: August. l. *ad Orosium contra Priscillianistas* c. 7. « Nunquid regnum in domo Iacob et in sede David intelligi potest nisi in Ecclesia et in eo populo, qui est regnum eius? Patet 2° promitti regnum *in sempiternum, cuius non erit finis* et quidem in hac terra; est enim regnum iu iudicio et iustitia, est in domo Iacob et sede David. Patet 3° significari ibi non solam voluntatem Dei conditionatam, quod nempe semper sit futurum hoc regnum quantum est ex parte Dei, dummodo tamen homines velint: sed significari voluntatem absolutam, quae effectum obtineat, efficiendo quod homines velint. Sane primo non decretum solum profertur, sed praedicitur factum futurum; veritas autem praedictionis postulat ut ipsum factum actu sit: deinde promissio fit ipsi Christo et quod promittitur est ei debitum tanquam merces et praemium eique petenti rependitur (Psal. II. 8. Isaiae LIII. 10. 11. Luc. XXIV. 25.): atqui promissiones huiusmodi sunt absolutae; Christus enim exauditur a Patre (Ioan. XI. 42.) ac repugnat promissiones Christo merenti factas frustrari propter voluntates hominum: ergo.

Item promisit Christus, se futurum cum ministerio apostolico usque ad consummationem seculi Matth. XXVIII. 20. Porro promissio Dei his verbis *Ego tecum sum, Ego ero tecum* in Scripturis significat semper assistentiam Dei cum successu. Phrasis autem ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος in Scripturis semper finem mundi, non aetatis alicuius hominis significat. Igitur hoc apostolicum ministerium futurum est semper efficax. Promisit quoque, nunquam praevalituras portas inferi contra Ecclesiam suam fundatam supra Petram Matth. XVI. 18. praedixitque, praedicationem Evangelii ab Apostolis inchoatam, cum consummatione seculi coniugendam esse Matth. XXIV. 14. futurumque semper permixtum bonum semen h. c. filios regni, cum zizaniis h. e. malis in mundo usque

ad adventum alterum sui in eademque sagena futuros bonos et malos pisces Matth. XIII. 24 seqq. coll. 47. seqq. et ibid. 47. seqq.; atqui haec actualem perennitatem Ecclesiae praeseferunt: ergo.

Natura etiam Ecclesiae perennitatem postulat; est enim Ecclesia heic in terris degens Sponsa Christi, quam ipse nunquam odio habebit (Ephes. V. 23. seqq.), est corpus Christi (1. Cor. XII. 12. seqq.), vivens Spiritu Christi qui semper erit cum Ecclesia (Ioan. XIV. 16. Isaiae LIX. 21.). Praeterea est institutio necessaria omnibus pro assequenda salute, qui ab ipsa et per ipsam adunati sunt Christo, quaeque, si aliquando deficit, reparari nequit, cum iugi successione ministerii necessario contineatur, ut inferius declarabitur: ergo.

Traditionis testimonia opus non est congerere, satis enim patet professio communis et costans Ecclesiae, tum ex professione fidei in Symbolo: *credo sanctam Ecclesiam catholicam,* quae professio perpetua est et quam semper veram fore est semper creditum: tum ex certa communique fide de necessitate Ecclesiae pro omnibus hominibus quibus applicanda sunt merita Salvatoris, qui sunt prorsus omnes homines in his terris exstituri.

Cum Ecclesia perseveratura semper sit, oportet ut secundum essentiam talis perseveret, qualem Christus instituit; non perseveraret autem talis, si mutationes substantiales admitteret: ergo. Et re quidem vera quaecumque sunt substantalia Ecclesiae obiectum sunt revelationis et continentur deposito fidei: unde nequeunt ea mutari, quin ipsum depositum fidei mutetur; atqui hoc immutabile permanebit semper: ergo nec mutabuntur unquam substantialia Ecclesiae. Maior patet: minoris probatio petenda est ex Tract. de Traditione.

III. Perperam autem ab adversariis provocatur ad verba Christi Matth. XXIV. 10. 12. *Tunc scandalizabuntur multi et refrigescet caritas multorum;* nam 1. si quid ea probarent, non perennitati, sed amplitudini Ecclesiae adversarentur: 2. nec amplitudini adversantur, quia caritas non est necessaria, ut quis sit Ecclesiae membrum.

Perperam quoque provocatur ad verba Christi Luc. XVIII. 8.: *Veruntamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* nam et reapse nihil affirmatur, sed dubitantis in speciem haec profert Christus, qua loquendi ratione difficultas rei significatur et praeterea terra, de qua heic est sermo, non est universa terra, aut saltem id certum non est, sed particularis, scilicet Palaestina.

Ἀποστασία vero, de qua 2. Thessal. II. 3., non est discessio omnium hominum ab Ecclesia nec plurimorum, sed, ut probabilius censemus, est apostasia societatum civilium prout tales sunt, seu potestatum civilium a Deo et Ecclesia, cuius institutis non amplius regantur, sed

potius adversentur, statum ἄθεον proclamantes; quam apostasiam oculis nostris usurpamus.

Absolutum autem decretum Dei, ut Ecclesia perennis sit, non adversatur libertati hominum. Ope enim scientiae mediae potest Deus eum ordinem eligere et efficaciter statuere, in quo homines libere quidem, illud tamen velint quod Deus vult. Cf. quae diximus in Instit. Philos. Theol. Th. XLVI. p. II.

§. IX.

Ecclesia idcirco definiri realiter potest: regnum Christi in terris auctoritate apostolica regendum.

I. Ex vaticiniis V. F. et N. F. testificatione constat, quod Christus sit habiturus regnum in terris. Sane conferantur testimonia primo loco recitata ex Scriptura sub §. VIII. Ibi manifestum est appellari Christum regem et exhiberi cum characteribus veri regis, cuiusmodi sunt sedere super solium, pascere populum, facere iudicium et iustitiam imperiumque habere. Manifestum est pariter ibi sermonem esse de regno in terris h. e. inter homines mortales: nam id disserte affirmat Ieremias l. c. atque id exigitur a functionibus huius regis, quae sunt facere iudicium et iustitiam atque a formula typica qua repraesentatur, nempe quod hic rex sessurus sit super solium David.

Huiusmodi autem regnum est prorsus aliud a regnis huius terrae, quae a natura originem et vim habent, est scilicet regnum supernaturale. Id ipse Christus testatus est dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo* Ioan. XVIII. 36.; originem nempe habet e caelis h. e. a libera et supernaturali Dei institutione. Et sane, ut ex testimoniis patet, ad quae antea provocavimus, regnum hoc eo spectat, ut Dominus sit Deus iis, qui subditi sunt huius regni, h. e. ut Deus colatur, ut iustitia et pax sit in terra, ut homines salventur: porro cultus divinus, iustitia, pax hominumque salus, de quibus sermo est in Scripturis et quae per Christum Deus hominibus procurat, sunt res supernaturales ad sanctitatem aeternamque gloriam spectantes.

Tandem haec dignitas regia Christi alia est ab ea, quam tanquam Deus habet et habuit semper in homines ratione dominii supremi in omnes creaturas. Hac enim Christus refertur ad eos, qui ipsi speciali habitudine subordinantur, qui nempe eum colunt ei credentes: quocirca fundamentum huius regiae dignitatis non est simpliciter creatio, sed, ea supposita, est proprie redemptio, quae ad ordinem spectat supernaturalem.

Iam vero hoc regnum non est nisi Ecclesia ab ipso Christo insti-

tuta. Nam vel nullum est huiusmodi regnum Christi in terris contra absolutas (cf. §. VIII.) promissiones Dei, vel est Ecclesia ab eo instituta; nullum enim aliud excogitari potest et in ea omnes conditiones huius regni reperiuntur. Sane est regnum Christi; quia per ipsum ea exsistit ab ipso instituta, quia eius auctoritate regitur quam ipse instituit, quia omnia proinde Ecclesiae membra Christi ut supremo Principi obediunt eius reverentia potestatem et voluntatem, quia Ecclesia eo spectat ut sanctitas et salus hominibus procuretur quam Christus sanguine suo omnibus promeruit, quia in ea Christus per suos ministros regias omnes facultates regis supernaturalis exercet ligando et solvendo, docendo et sanctificando. Quocirca Ecclesia Christi frequenter in Evangeliis vocatur Regnum caelorum.

Itaque Ecclesia est certe regnum Christi in terris; quia vero Ecclesia regitur auctoritate apostolica, ea nempe quam Christus primum Apostolis contulit, quaeque perpetua successione in Ecclesia perenni (§. VIII.) continuatur, quam auctoritatem Christus instituens ipsam Ecclesiam instituit (§. II.); Ecclesia est ergo regnum Christi, quod regitur apostolica auctoritate.

II. Quaestio vero fieri potest an haec sit essentialis definitio Ecclesiae, definitio inquam completa. Ut essentialis definitio sit completa, debet eas notas essentiae rei fundamentales complecti, ex quibus cetera, quae rei propria sunt, derivari possint. Iam vero facile constat, his duabus notis, quae sunt regnum Christi et regimen auctoritatis apostolicae, omnia contineri quae propria sunt Ecclesiae. Nam ut summatim dicamus: quae Ecclesiae propria sunt, vel sunt interiora dona sanctificantia sive incomplete sive complete et ad sanctitatem conducentia, vel sunt exteriora: priora tum eo continentur quod Ecclesia sit regnum Christi Salvatoris nempe humani generis, regnum nimirum iustitiae et sanctitatis, tum eo quoque continentur quod Ecclesia regatur apostolica auctoritate, quae ad consummationem sanctorum est instituta: alia vero quae extrinseca sunt, quaecumque Christus in Ecclesia sua voluit esse, ex auctoritate apostolica Christi regis vicaria dependent debitaque illi auctoritati subordinatione; ab auctoritate enim, qua universa societas regitur et per quam ipsa societas exsistit, cuiusmodi est auctoritas supernaturalis apostolica vicaria Christi, dimanant omnia iura et omnia essentialia societatis.

III. Neque haec definitio differt a communi tradita a Bellarmino (cf. §. XI. n. 4.), nisi quod illa sit explicatior: auctoritas enim apostolica est auctoritas perseverans in Episcopis et praecipue in Romano Pontifice successore Petri, cuius auctoritas plena semper viget in cathedra apostolica, ut postea videbimus: professio vero eiusdem fidei ac

communio eorundem Sacramentorum et subordinatio legitimis pastoribus iam continentur in eo quod dicitur regnum rectum apostolica auctoritate, quae est auctoritas docendi, sanctificandi et regendi exigitque debitam subiectionem, quae si ab omnibus eidem autoritati deferatur, ut in regno fit, unitas certe et communio obtinet.

Id tamen habet speciale definitio quam proponimus, ut praesentem sistat ipsum Ecclesiae supremum caput qui est Christus, fundamentalemque habitudinem Ecclesiae ad Christum exhibeat in eo sitam quod ipsa sit regnum Christi.

§. X.

Ecclesia Christi est societas hominum ex essentia sua visibilis: quocirca non duplex est Ecclesiae forma, altera invisibilis, visibilis altera, ita ut priore essentia Ecclesiae contineatur; sed una est Ecclesia essentialiter visibilis verbumque Dei pervertunt Protestantes, cum duplicem formam Ecclesiae secernentes, soli Ecclesiae sub forma invisibili exsistenti praerogativas verae Ecclesiae competere contendunt.

I. Ut Ecclesia visibilis sit, requireretur primo ut visibiles sint personae ad eam spectantes, ritus quibus sociantur, ministerium quo reguntur et huiusmodi. Haec est *visibilitas materialis*, sed non sufficit. Requiritur enim secundo, ut videatur et innotescat, has personas, hos ritus, hoc ministerium et huiusmodi esse ipsam Ecclesiam, ut possit intelligentibus veluti digito demonstrari: *haec est Ecclesia Christi.* Haec dicitur *visibilitas formalis,* quia non videntur tantum ea, quibus Ecclesia constat, sed ipsa societas sub ratione talis societatis videtur. Sic videtur regnum quodvis civile. Iam vero visibile proprie dicitur quod sub sensum oculorum cadit; sed latiore etiam significatione adhibetur, ut sit id quod sub alios quoque sensus cadit; hunc latiorem sensum non excludimus nunc. Porro duplici modo potest aliquid visibile dici: *immediate* nempe et *mediate.* Immediate, quod per se sensus attingit: mediate, quod inest illi quod sensus attingit, et per ea quae sensus attingit ab intellectu in illis videtur. Prior dici potest *visibilitas sensibilis*, altera *intelligibilis:* ea materiali, haec fomali visibilitati respondet. Exempla prostant in omnibus: sic dicimus nos videre naturas corporeas, videre homines. Unde cum aliquod subiectum ex duplici elemento constat, quorum alterum sit per se immediate invisibile, si hoc alterum tamen sit per aliud mediate visibile visibilitate intelligibili, totum illud subiectum dicitur et est simpliciter visibile: ut homo. Iam vero cum Ecclesiae visibilitatem vindicamus, non aliam aut ma-

iorem asserimus visibilitatem, quam ea sit quam omnes humanae naturae concedunt.

Quoniam visibilitas intelligibilis complectitur elementa quaedam, quae per se propria sunt rationis, distinguendum est inter id quod ratio vi sui luminis naturalis intelligit et id quod intelligit lumine fidei. Stricte enim *visum intelligibiliter* appellatur id cuius intellectus per se cognoscit exsistentiam et rationem intrinsecam cur sit, ut subiectum hoc esse hominem: sic enim visio intellectualis opponitur obscuritati fidei.

Quoniam Protestantes in visibilitate distinguunt gradus, monemus eam visibilitatem proprie dici, qua res sit conspicua et *discernibilis ab aliis;* neque enim licet visibile illud dicere quod nequis videre; nequis autem videre Ecclesiam, si ita obscurata est, ut eam ab aliis coetibus nequeas discernere. Imo talem asserimus necessariam Ecclesiae visibilitatem, quae hoc iudicium cum certitudine determinare valeat: *haec est vera Ecclesia.* Huc enim spectat visibilitas Ecclesiae, ut homines certi sint, quinam sit coetus cui adiungi debent pro salute aeterna consequenda. Visibilitas ergo verae Ecclesiae est *certa manifestatio* verae Ecclesiae.

Nihil impedit quominus id, quod visibile est, sit quoque obiectum fidei; nam primo idem pluribus diversis motivis cognosci potest et ita fide credimus exsistere mundum corporeum hominesque constare nedum spiritu sed et corpore et simul utrumque intelligibiliter videmus; sic ergo exsistentia quoque Ecclesiae videri et credi poterit. Secundo, aliquid potest sub una quidem ratione videri, sub alia vero apprehendi intelligentia fidei: ita baptismus et videtur et creditur; videtur ritus exterior, creditur ratio Sacramenti ac divina institutio illius ritus. Ita Ecclesia videri potest tum immediate tum mediate quoad personas, ritus, socialem communionem easque dotes quae soli verae Ecclesiae competant, simulque credi potest tum eius divina institutio, eademque perpetua, tum intrinseca dignitas supernaturalis eiusdem ac necessitas et efficacia ad finem consequendum cum suis ceteris praerogativis. Sed de hac re inferius. Atque haec de modo visibilitatis.

II. Cum quaestio instituitur de visibilitate Ecclesiae, attingitur quaestio de constitutione essentiali eiusdem: nimirum utrum ad essentiam Ecclesiae pertineat aliquod elementum per se interius et invisibile, puta fides interior. Qui enim negant necessariam esse verae Ecclesiae visibilitatem, eo moventur quod Ecclesia sit coetus membrorum Christi vel iustorum vel saltem credentium, iustitia vero et fides invisibiles sunt, nec per exteriores actus certe manifestantur; nam hi ex hypocrisi esse possunt. Nisi ergo statuas utrum necne interiora dona, aliqua

saltem, ad essentiam Ecclesiae spectent, non licet tibi quaestionem de visibilitate Ecclesiae absolutam censere. Nec admodum proficis, si profitearis te in quaestione de visibilitate loqui de corpore Ecclesiae. Nam quid est hoc quod appellas corpus Ecclesiae? an est secundum essentiam tota Ecclesia, an tantum pars? Si est tantum pars, nondum demonstrasti Ecclesiam esse visibilem nisi demonstres quod altera pars per eam fiat visibilis; secus enim totum invisibile erit: si vero id demonstres, non solum corpus, sed et corpus et animam h. e. totam Ecclesiam probas esse visibilem; idcirco de ipsa adaequate, non de corpore tantum loqueris. Si vero id quod vocas corpus Ecclesiae est secundum essentiam tota Ecclesia, oportet ut quaestionem agas de interiori quoque principio; nam propter eius necessitatem negant plures visibilitatem esse Ecclesiae essentialem.

Porro cum Ecclesia non sit nisi in membris suis, quaestio haec: an aliquod interius et per se invisibile principium est de essentia Ecclesiae, transformata est in hanc: an principium aliquod interius, puta fides, sit necessarium, ut quis sit membrum Ecclesiae. Et quidem hae duae quaestiones per se differunt; nam potest esse aliquid essentiale toti, quin formaliter insit singulis partibus, ut ratio in homine: verum solutio secundae quaestionis est necessaria pro absolutione quaestionis de visibilitate; si enim necessaria est membris Ecclesiae fides interior, hac non visa, ignoras vera membra Ecclesiae et sic nescis quaenam vel ubi sit Ecclesia: hinc in quaestione de visibilitate Ecclesiae quaestio quoque de membris eius sive de iis quae essentialia sunt, ut quis sit Ecclesiae membrum, disputari consuevit.

Bellarminus *de Eccles.* l. 3. cc. 1.-10. ut Ecclesiae visibilitatem in tuto collocaret, negavit ulla interiora dona, ullam interiorem virtutem sive sanctitatis sive fidei necessaria esse pro constituendo Ecclesiae membro. Alii e contrario cum Suarez *de Fide* disp. 9. sect. 1. n. 24. negant esse Ecclesiae vere membrum eum qui interiore fide caret, sed dicunt ipsum talem esse solum apparenter: negant tamen exinde sequi Ecclesiam fieri invisibilem. Et quia ratio huius negationis quam reddunt, sufficiens certe est in quaestione quae habeatur cum Protestantibus (eam penitius in §. seq. expendemus), ipsam nunc libet afferre, ut sic, alterutra hypothesi vel Bellarmini vel Suarez permissa, liceat de visibilitate, semotis difficultatibus, disputare. Itaque liquet, haec duo componi posse, quod Ecclesia sit coetus vere credentium et sit certo visibilis, si interius elementum per exterius certo manifestatur. Duplici autem modo haec manifestatio haberi potest, vel quatenus quod est exterius natura sua manifestat interius sive in singulis sive saltem in universo coetu, vel quatenus ex divinae providentiae speciali

dispositione fit idque nobis constat, ut in coetu visibili, cuius elementa iam sint aliunde definita, sint semper veri fideles, sive omnes sive saltem plures, qui reapse animo gerant, quod exterius ostendunt. Hac enim hypothesi facta, ratione quoque habita legis moralis, qua constat fieri non posse ut in multitudine ingenti profitentium fidem, absque ratione sufficienti plures non sint veri fideles; ipsa fides interior totius coetus per exteriorem professionem certo proditur ideoque necessitas illius non impedit quominus ille coetus sit necessario visibilis. Certe enim tunc constare potest, quod hic coetus sit coetus credentium et quamvis non constet de singulis quod sint vera eius membra, quae si fide carent, sunt solum apparenter eius membra: constat tamen quod et in hoc coetu sunt veri fideles et ex veris fidelibus coalescit hic coetus. Videbimus quidem in seq. §., quod haec demonstratio non sufficit pro tuenda visibilitate omnium quae visibilia esse debent, sed quia sufficit pro asserenda visibilitate eorum quae Protestantes quoque admittunt, idcirco in controversia cum haereticis licet his esse contentos.

III. Etsi necessitas principii alicuius interioris non excludat per se visibilitatem Ecclesiae, neque tamen per se eam includit; restat ergo integra quaestio, an Ecclesia Christi sit necessario visibilis. Affirmant catholici, negant plus minus haeretici recentiores. Sane docuit Huss, quod unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas (a. 1. cf. et 21.): Ecclesia ergo invisibilis foret; praedestinatio enim invisibilis est nihilque ponit in praedestinato.

Lutherus autem ex suis principiis circa iustificationem, coactus est Ecclesiam ad invisibilia ablegare. Contendebat enim, Deum per se immediate docere, sanctificare sibique copulare fideles et sanctos. Quo quidem posito, inutilis videretur quoque Scriptura: sed quia ea exsistit ususque eius indifferens est haereticis, temperata est ea sententia, ut diceretur Deus ponere quidem sensus in anima, sed ad lectionem vel auditionem Scripturae, ut idem sit verbum interius et exterius. Quocirca utrumque verum est: et Deus solus docet fidelem interiore verbo et sine Scriptura nulla cognitio Christianismi. Sicut Deus solus docet, ita Ipse solus regit per mandata aut leges quas in Scripturis tradit et quia fides sola iustificat, Deus autem fidem infundit docendo, ita Ipse solus immediate iustificat. Nulla est ergo necessitas ministerii docentis, regentis, sanctificantis; Ecclesia proinde ex Dei institutione est per se invisibilis. Quod vero invisibile per se est, potest manifestari et fieri visibile per effectus et actus, licet sibi non necessarios, ut Angelus cum apparet: ita interior fides et iustitia hominum ad Ecclesiam spectantium per exteriores eorundem actus potest fieri visibilis et sic habetur Ecclesia visibilis, sive habetur visibilis forma Ecclesiae. Haec tamen forma

visibilis 1. non est necessaria: 2. ea est consequens interioris formae, non est principium. In hac exteriore forma sunt quidam prae aliis, quibus praedicatio verbi demandata est, sed hi missionem habent a communitate hodieque laici sunt qui heri erant ministri omnesque de populo ius per se habent docendi suntque sacerdotes. Ceterum haec species regiminis retenta est contra ipsa principia doctrinae ab haereticis, ut propagationi et perennitati suae doctrinae consulerent haberentque quibus praeessent. Cf. Moehler *Symbolica.*

Inter Reformatos Contraremonstrantes Franciscus Turretinus *Institutionum Theologicar. Loco* XVIII. *de Ecclesia* q. 7.) docet duplicem esse formam Ecclesiae, internam invisibilem, externam visibilem: quaecumque vero Ecclesiam proprie dictam constituunt esse interna et invisibilia, nempe electionem et vocationem efficacem, unionem cum Christo, Spiritum, fidem, regenerationem, inscriptionem legis in cordibus, cultum λογικόν et spiritualem: formam externam sitam in professione fidei et participatione Sacramentorum sub pastoribus legitimis posse desinere h. e. posse obscurari et abscondi ita ut non appareat (qq. 8. et 9.); promissiones autem Christi proprias esse Ecclesiae sub forma invisibili. Contendunt scilicet aliam esse rationem reipublicae seu regni terreni et rationem Ecclesiae: formalis enim ratio Ecclesiae sita est in communione mystica fidelium cum Christo et inter se; quae communio et societas hominum dari potest quin se agnoscant et se videant.

Idem inter Arminianos Limborkius affirmat *Theologia Christiana* l. VII. c. 13., contendens quidem divisionem Ecclesiae in visibilem et visibilem non esse « totius in partes, sed subiecti in adiuncta »: at simul docens vera Ecclesiae membra hominibus inconspicua esse; est enim Ecclesia societas tantum vere fidelium: ideoque contra Pontificios, ut ait, Ecclesiam adstruit invisibilem.

Anabaptistae ministerium externum reiiciebant, solam Spiritus inspirationem interiorem admittentes, cui Scripturas subordinabant. Habebant vero prophetas, afflatos scilicet a Deo, quibus docerentur. Pariter Quakeri solam communicationem hominis interiorem cum Deo per lumen interius, quo illustratur, mundatur, sanctificatur, admiserunt. Habent tamen ministros pro conservatione sectae suae. Moehler op. cit. l. 2. c. 1. §. 60. et c. 2. §. 69.: cf. et Patricium Murray *de Ecclesia* disp. V. sect. 1. n. 15. seqq.

Itaque Protestantes generatim non in eo discrepant a Catholicis, quod vel duas Ecclesias statuant veluti duo subiecta distincta vel negent Ecclesiam visibilem; sed in eo, quod affirment Ecclesiam essentialiter vel in sola forma invisibili contineri negentque formam visibilem esse de essentia Ecclesiae illius cui factae sunt a Christo promissiones atque

ideo negent externam formam, h. e. externum ministerium externamque cum eo societatem esse necessarium principium ac medium gignendae et conservandae formae interioris.

Catholici e contrario docent, Ecclesiam Christi essentialiter societatem esse eamque in sola forma invisibili non posse concludi, sed ad eius essentialem formam visibilem spectare non secus ac spectat ad essentiam cuiusque societatis humanae, eamque formam socialem visibilem sive ministerium, cui alii subordinantur, esse certum principium interioris vitae gignendae et alendae et sic ex forma interiori et externa unum fieri, quod utrumque essentialiter requirat. Demonstraturi ergo visibilitatem Ecclesiae oportet ea argumenta proferamus, quae probent visibilitatem Ecclesiae sub eo adaequato conceptu catholico, qui protestantico adversatur.

IV. Et 1° quidem manifestum est, sententiam Protestantium falsam esse. Nam ex eorum sententia forma visibilis non est necessaria Ecclesiae, quippe quae sine illa esse potest. Atqui certum est, eam esse, saltem ex extrinseca Dei voluntate, necessariam, ut sine ipsa nequeat esse Ecclesia. Sane *a)* Ecclesia promissa in Scripturis est coetus visibilis maximeque conspicuus; est enim domus Dei Iacob in monte sita, ad quam populi multi mutuo se provocantes conveniunt, ut doceantur vias Domini et ambulent in semitis eius Isai. II. 2-5. Mich. IV. 1. seqq. Ecclesiam heic promitti patet ex notatione aetatis ultimae, *novissimis diebus*, ex appellatione *Domus Dei,* ex munere quod praestat in ea Deus, *docet* quippe *vias suas*, ex concursu ad eam omnium gentium, *fluent ad eum omnes gentes*, quibuscum et Domus Iacob ad accedendum provocatur ut ambulent in lumine Domini: *Domus Iacob venite et ambulemus in lumine Domini.* Cf. Originem *cont. Celsum* clare ita interpretantem hoc testimonium l. 5. n. 33. Est praeterea talis coetus, ut *ab ortu solis usque ad occasum magnum sit nomen Dei in gentibus, quatenus in omni loco sacrificatur et offertur nomini Dei oblatio munda* Malach. I. II. Atqui haec sistunt Ecclesiam conspicuam; est enim conspicuum id quod exhibetur in monte situm, ad quod populi veluti ad destinatum locum se provocant convenire; item gloria Dei magna in gentibus, sacrificium quod in omni loco ab ortu ad occasum offertur postulant conspicuum coetum illum in quo Deus glorificatur sacrificioque honoratur: per sacrificium enim visibilis fit coetus ille religiosus in quo sacrificium peragitur, et per sacrificium in omni loco oblatum fit omnibus conspicuus (sumimus autem heic de sacrificio proprie dicto sermonem esse, quod alibi demonstratur). Atqui necesse est Ecclesiam talem esse qualis promissa est: ergo.

b) Ecclesia a Christo instituta est societas hominum non solum cum

Deo sed et inter se mutuo colligatorum: atqui huiusmodi societas est, vi suae ipsius institutionis, necessario visibilis; ergo. Maior patet primum ex ipso nomine Ecclesiae, quae talem societatem significat, deinde ex verbis Christi volentis ut et Apostoli et qui per verbum eorum credituri sunt, sint unum et consummati in unum; ea quidem unitate qua fiat ut cognoscat mundus quod Pater misit Christum et dilexit eos Ioan. XVII. 21. 23. Idem ex eo patet quod Ecclesia Christi est regnum Matth. XVI. 19. est civitas Apocalyp. XXI. 2. est domus 1. Tim. III. 15. 1. Petr. II. 5. est ovile Ioan. XXI. 15. est tribunal, ad quod mali sunt deferendi Matth. XVIII. 17., in qua proinde sunt praesides et subditi, pastores et oves, magistri et discipuli. Minor probatur; quia homines invicem colligari nequeunt, nisi quodam modo invicem communicent: nequeunt autem invicem communicare nisi per exteriores actus; oportet ergo ut communicatio sit exterior ideoque visibilis: ergo.

c) Ecclesia Christi non alia est ab ea, cuius propagationis historia tum potissimum in Actibus, tum in Apostolorum Epistolis narratur. Nam certe Ecclesia Christi fuit Apostolorum coetus a Christo collectus: huius autem incrementa manifestantur in iis monumentis. Huius porro coetus ibi historia narratur et qualis ibi sistitur, est necessario visibilis: ergo.

Ecclesia Christi *d)* est ea de qua Christiana traditio unice loquitur: atqui talis semper a Patribus concepta est Ecclesia, quae ita conspicua sit, ut non possit non esse conspicua. Non enim est Ecclesia Christi operta, quia non sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est: non potest civitas abscondi super montem posita (August. *de Unit Eccl.* c. 16.) et Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit unumque lumen est quod ubique diffunditur (Cyprianus *de Unit. Eccl.*). Quocirca non debemus attendere iis qui dicunt: Ecce heic est Christus: non autem ostendunt eum in Ecclesia, quae plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem; quae plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis (Origenes *in Serie Commentariorum Matthaei* ad cap. XXIV. 23.). Imo neque sol ita splendidus, neque eius lux ita clara est ut sunt res ad Ecclesiam spectantes; nam sicut domus supra verticem montium omnibus est manifesta, sic et multo magis omnibus conspicua hominibus illa evasit (Chrysost. *in Interpretatione Isaiae* c. 2.).

Et re quidem vera haec fuit unanimis sententia veterum, eos esse a Christo alienos, eos a salute extorres, qui separati essent ab hac Ecclesia

visibili, quemadmodum constat quoad haereticos et schismaticos, qui nempe Ecclesiae praepositis docentibus et regentibus subesse nollent: eos non habere Deum Patrem, qui Ecclesiam non habent Matrem, Ecclesiam scilicet eam quae voce Domini super Petrum fundata est (Cyprianus l. c.) successionemque Episcoporum esse criterium dignoscendae veritatis (Tertullianus *de Praescription.* Irenaeus *adv. Haeres.* L. 3. c. 3.). Cuius ultimi argumenti vis ut magis pateat, advertatur, quid in hac disputatione veterum Patrum cum haereticis clarissime contineatur. Traditur enim apertissime fidem necessariam esse ad salutem, veram autem fidem petendam esse ab Ecclesia, seu a magisterio divinitus in Ecclesia instituto: omnes de doctrina quaestiones auctoritate Ecclesiae finiri: eo ipso quod quis huic magisterio refragatur, esse a vera fide et a Deo alienum; atqui non potuissent haec tradi a Patribus nisi simul concepissent atque affirmassent, ita Christum instituisse Ecclesiam suam, ut voluerit eam non aliam esse, quam quae visibilibus praepositis et magistris, subditis ac discipulis continetur ideoque voluerit Ecclesiam esse visibilem: ergo.

Auctor quidem antiquus epistolae ad Diognetum c. 6. (Gallandi Tom. 1.) ait: « quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani... invisibilis anima in visibili corpore... et christiani cognoscuntur (utique qua tales) dum in mundo commorantur, sed invisibilis est eorum cultus divinus ». Verum eam invisibilitatem asserit cultui divino christianorum, qua opponitur hic cultui paganorum, qui totus erat materialis et sensibilis; asserit scilicet cultum esse in spiritu et veritate, at non negat hunc cultum per exteriores ritus exterioresque actus virtutum fieri manifestum, imo id supponit, affirmans christianos cognosci ab hominibus.

Iam vero necesse est, ut Ecclesia semper sit et qualis promissa est et qualem Christus instituit et Apostoli propagarunt et christianus sensus agnovit: nulla autem est alia Ecclesia Christi praeter hanc; Ecclesia enim Christi unica est: aedificabo, inquit, *Ecclesiam meam*, nec duplex esse potest sicut esse nequit duplex corpus Christi et duplex sponsa Christi: ergo Ecclesia a Christo instituta est necessario visibilis.

2° Verissima est catholicorum doctrina, Ecclesiam Christi esse ex essentia sua visibilem. Sane elementa plura per se visibilia spectant ad essentialem Ecclesiae constitutionem et quidem ita, ut solum cum illis et per illa sit vera Christi Ecclesia: atqui coetus, cuius essentiam, etsi non omnia, plura elementa per se visibilia constituunt et qui solum cum illis et per illa esse potest, primo est totus vel immediate vel mediate visibilitate intelligibili visibilis; alia enim elementa, si qua sunt cum visibilibus necessario connexa, per haec manifestantur: se-

cundo est essentialiter visibilis; eo quod cum ad essentiam eius elementa visibilia pertineant, etiam ipsa visibilitas spectat: ergo Ecclesia est essentialiter visibilis. Minor patet: probatur maior. Elementa haec sunt, institutio Praesidum et Doctorum, praedicatio Verbi, ritus initiationis baptismi, ritus mutuae communionis, Eucharistia ceteraque Sacramenta, professio fidei et huiusmodi: haec visibilia esse patet. Spectare autem ea ad essentialem Ecclesiae constitutionem et solum cum illis et per illa Ecclesiam haberi posse, constat evidenter ex eo, quod Ecclesia est a Christo instituta quatenus instituta sunt ea elementa (§. II.): ergo. Et sane Ecclesia in his terris est essentialiter medium salutis, est scilicet in hunc finem unice instituta ut per eam et in ea homines credant ac credentes iustitiam et salutem consequantur: atqui nequit esse medium salutis nisi iis elementis constituatur; ergo si essentialiter est medium, illis elementis essentialiter constituitur: ergo.

Hinc patet vis illius argumenti communis, quo visibilitas Ecclesiae demonstratur ex eo quod ipsa sit medium omnibus hominibus propositum et praeceptum, quo solo salutem consequi valeant; est enim medium necessarium, non quemadmodum donum quod a Deo solo confertur; sed est medium, quod libere ab hominibus capessendum est, quatenus homines ab aliis hominibus petant et accipiant fidem et sanctificationem: id porro ut fiat, necesse est ut homines Ecclesiam cognoscant et discernant ab aliis coetibus sciantque eam esse Ecclesiam Dei; secus enim se ad eam conferre nulla ratione possunt.

V. Ex demonstratione tradita manifestum est primo, visibilitatem, quae Ecclesiae vindicanda est, esse visibilitatem intelligibilem, qua innotescat ut Ecclesia: secundo, competere Ecclesiae visibilitatem eo modo quo defenditur a catholicis, ut nempe sit Ecclesiae essentialis exterior forma visibilis eaque sit principium interioris formae gignendae et alendae; forma enim exterior est magisterium, regimen, professio fidei, ritus sacri; porro per haec fides interior et iustitia gignitur aliturque. Atque ita primum Christus vocatione et magisterio nedum interiore sed et exteriore collegit primitivam Ecclesiam et per eiusdem extrinsecum ministerium, ipso interius semper operante, voluit perenniter adunari fideles. Manifestum est tertio, fidei vel characteris invisibilitatem non obesse visibilitati Ecclesiae; ea enim *a)* moraliter certa fiunt per se propter professionem fidei et susceptionem baptismi, si non in singulis, saltem universim in ipso coetu: *b)* certaque simpliciter fiunt in ipso coetu eiusque pluribus membris per exteriorem Ecclesiae formam; eo quod divina promissione constat, ibi fore veros fideles veraque Christi membra, ubi principium est adunationis corporis Christi.

VI. Iam vero ii certe Verbum Dei pervertunt, qui ex Scripturis illud elicere contendunt, quod est tum praeter tum contra ipsas Scripturas: id porro faciunt Protestantes, cum ex quibusdam Scripturarum testimoniis probare volunt, Ecclesiam Christi veram esse posse invisibilem; nam hoc neque Scripturis continetur, imo ipsis adversatur. Quod adversetur patet ex demonstrationibus allatis, quarum tamen vim negant Protestantes, quia, aiunt, doctrina opposita Thesi catholicae continetur Scripturis. Eorum igitur argumentis disiectis, liquebit prorsus eos et contra Scripturam agere.

Itaque perperam provocatur ad verba Ieremiae XXXI. 33. 34., qui oppositionem instituit inter Foedus vetus et novum; ubi difficultas est in iis verbis: *non docebit amplius vir proximum suum;* quibus externum ministerium excludi videtur. Huius autem vaticinii declaratio et difficultatis solutio dabitur disserte infra, ubi de Magisterio.

Perperam quoque provocatur ad verba epist. ad Hebr. XII. 18. seqq. Scopus Apostoli est excellentiam Foederis novi praedicare, ut sic fidelibus augeat amorem suae vocationis constantioresque efficiat adversus tentationes et persecutiones. Ideo Ecclesiam ab elementis eius nobilioribus commendat, non integram tradit notionem eius vel definitionem. Duplex heic proprietas Foederis veteris indicatur: prima, quod in loco terrestri et accessibili tradita lex fuerit, significaverit proinde foedus temporale, in bonis temporalibus situm: altera, quod signis data fuerit terrorem incutientibus ideoque fuerit lex timoris (18.-21. 25.). Opponitur duplex proprietas Foederis novi: quod nempe sit foedus spirituale e caelo datum (Sion et Ierusalem tropice accipiuntur), per quod foedus communio habetur cum Angelis et cum iis qui conscripti sunt in caelis spiritibusque iustorum (22. 25.) atque sit foedus misericordiae et amoris propter sanguinem mediatoris Iesu melius loquentem quam Abel. Unde sequitur quod oporteat non deesse gratiae Dei multoque magis oporteat nos in Foedere novo, quam illos in vetere, non recusare loquentem Deum. Foedus ergo est spirituale et gratiae; sed hoc non perinde est ac foedus invisibile. Quod vero dicantur fideles accessisse ad civitatem Dei viventis Ierusalem caelestem et multorum millium Angelorum frequentiam, id non perinde est ac coetum fidelium esse invisibilem. Significatur enim quod inter coetum fidelium et Angelorum communio intercedit eoque ordinantur fideles, ut cum Angelis tandem sint beati. Id vero non postulat coetum fidelium in terris esse invisibilem.

Pariter verba Christi penes Ioan. IV. 23.: *Venit hora, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate,* oppositionem includunt inter adoratores novi Foederis et adoratores Iudaeos ac Samaritanos. Heic adorationis nomine sacrificium significatur (20.). Porro

Iudaeorum cultus sacrificialis verus tunc erat, sed carnalis, h. e. per victimas carnales: cultus vero Samaritanorum falsus erat, qui adorabant quod nesciebant (22.). Cultus sacrificialis Christianorum utrique opponitur: cultui Samaritano, quia *in veritate;* cultui Iudaeorum, quia *in spiritu*, quatenus victima quae offertur iis est adnumeranda rebus, quae spiritales sunt non carnales; cum supernaturalis sit et spiritum vivificet. At id non excludit coetum visibilem, imo flagitat; sacrificium enim actus est externi cultus, qui in visibili religione locum habet.

Item verba Petri in I. epist. II. 5. vocantis fideles *domum spiritalem*, praerogativam propriam significant Foederis novi, quod sit foedus gratiae fidelesque sint templum Spiritus S. vitaque vivant supernaturali et divina.

Quid autem docent verba Christi Luc. XVII. 20.: *Non venit regnum Dei cum observatione* μετὰ παρατηρησέως? παρατήρησις est attenta indagatio rei, quae subtiliter observanda est ut cognoscatur, quemadmodum in auspiciis captandis fiebat. Pharisaeis ergo interrogantibus: quando venit Regnum Dei? respondet Christus, non esse opus subtili indagatione, ut eius adventus cognoscatur et rationem reddit, quia iam erat praesens: *ecce enim regnum Dei intra vos est*, h. e. in medio vestri. Regnum vero Dei heic probabiliter ipse est Rex Christus. Id autem adeo non opponitur visibilitati Ecclesiae, ut potius eam praedicet.

In verbis Christi Ioan. X. 27. 28.: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me et ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea:* adverte oves describi secundum id quod esse debent, seu oves designari, quae sint perfecte oves: dici autem non perituras in aeternum eas oves, quae Christum audiunt et sequuntur et quibus Christus dat vitam aeternam. Unde non sequitur non esse alias oves Christi in ovili Christi h. e. non sequitur Ecclesiam solis praedestinatis constare. Adverte scilicet cum Bellarmino *de Eccl.* l. III. c. 7. tres esse adhibendas distinctiones. 1ª est: ovis Christi, membrum Christi, filius duobus modis dici potest, h. e. secundum praedestinationem et secundum praesentem statum. Hinc August. tract. 45. in Ioan. « Secundum praescientiam et praedestinationem quam multae oves foris, quam multi lupi intus! » Qui vero secundum praedestinationem tantum sunt oves, tales sunt potentia non actu. 2ª Distinctio est: qui actu membrum est Christi, potest esse tale vel veritate essentiae tantum, vel etiam veritate finis seu perseverantiae. Hoc modo casuri tandem non sunt Ecclesiae membra: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Ioan. VIII. 31. 3ª Distinctio est: qui veritate es-

sentiae ovis est et membrum Christi, potest esse perfecte vel imperfecte: perfecte qui iustus est, imperfecte qui habet tantum fidem. Iam vero damus quidem, secundum praedestinationem iam aliquos esse membra Christi: et aliquos veritate finis et perseverantiae non esse membra Christi; sed negamus, quod hoc ipso illi sint, isti non sint membra Ecclesiae: quia aliud est esse in Ecclesia, aliud salutem consequi: quae duo perperam confunduntur nihilque prohibet, vel praedestinatum nondum actu esse membrum Christi, sicut nec prohibet ipsum non adhuc exsistere: vel eum qui est in corpore Christi, non perseverare.

Neque discrimen inter foedus carnale Iudaeorum et foedus spirituale Christianorum, in eo collocandum est, quod illud fuerit visibile, hoc sit invisibile: non enim differunt sicut opposita et quidem in omnibus, sed ut imperfectum et perfectum, quemadmodum typus et umbra differt ab antitypo et realitate: quomodo vero differant diximus superius, §. VI.

VII. Praeter argumenta ex Scripturarum oraculis Protestantes ex analogia quoque fidei alia producunt, quae huc redeunt, quod Ecclesia dicatur corpus Christi *mysticum* et quod eadem in symbolo exhibeatur *obiectum fidei;* credimus enim Ecclesiam. Verum quoad 1^m^ negamus, perinde esse mysticum et invisibile; mysticum enim dicitur corpus Ecclesia, eo quod non sit corpus physicum, sed sit societas hominum eaque supernaturali modo Christo copulata, mysterio nempe simili illi, quo sibi copulavit in utero Virginis singularem humanitatem. Quare hac appellatione significatur supernaturalis character huius societatis, quo ad Christum refertur, non eius invisibilitas.

Ad 2^m^ vero respondemus in primis, quod non tantum credenda est Ecclesia, *sed etiam credenda est haec Ecclesia:* quemadmodum Apostoli non solum debebant credere Filium Dei hominem factum, sed illum hominem determinatum esse Filium Dei. Neque enim satis est credere Ecclesiam esse aliquam a Christo institutam, sed credenda est haec determinata Ecclesia, quam Christus instituit, credendumque est eam esse veram Ecclesiam Christi; hoc enim de fide est. Et sane tenemur credere, ut ait Suarez *de Fide* Disp. 9. sect. 9., ea quae vera Ecclesia in particulari credit: hoc autem est impossibile, nisi certa Ecclesia in particulari credatur. Iam vero ut haec Ecclesia credatur, oportet ut hoc obiectum fidei sit in facto positum et sensibus quoque demonstrabile; secus enim non potest dici *haec* Ecclesia. Itaque retorquere argumentum licet hoc pacto: credenda est *haec* Ecclesia; atqui *haec* Ecclesia credi nequit nisi sit quoque visibilis: ergo ita est credibilis Ecclesia, ut sit quoque necessario visibilis et quidem non tantum

visibilitate materiali et sensibili ; sic enim nulla Ecclesia videretur: sed et intelligibili, ut ab initio Thesis explicatum est. Quomodo autem haec duo conciliantur? Scilicet duo sunt distinguenda, nempe et evidentia credibilitatis et fides. Cognoscimus sive intelligibiliter videmus motiva seu signa, vel ex ratione vel ex Scripturis quoque accepta, alicui coetui inesse, quae nonnisi Ecclesiae verae competere possunt sicque cognoscimus evidens esse, quod credibile sit hunc coetum esse Ecclesiam illam, quam Christus instituit, credimusque eam esse omnibus praerogativis (puta infallibilitate, perennitate) auctam, quas Christus Ecclesiae suae promisit, cognoscimus enim per haec signa cum certitudine testimonium Dei de veritate Ecclesiae: hinc innixi auctoritati divinae affirmamus, eam esse Ecclesiam Dei. Quia vero affirmatio innixa auctoritati Dei est assensus fidei divinae, ideo hoc credimus. (Cf. Inst. Philos. Th. ult. pag. 313.).

Piget ea confutare, quae ex historia afferuntur. Constat enim Ecclesiam aetate persecutionum semper visibilem fuisse ita, ut in oculos incurreret et eorum qui eam ferro persequebantur et qui eam scriptis inpugnabant et qui ad eam quotidie conveniebant, ut salvi fierent. Constat aetate ariana splendidissima fulsisse Ecclesiam visibilitate et si post Concilium Ariminense miratus est totus orbis se esse Arianum, ut inquit Hieronymus adv. Lucifer., iam patet non fuisse reapse arianum: secus miratus id non esset eaque Hieronymi hyperbolica locutio huc redit, miratum esse orbem catholicum, quod plures episcopi, qui ipsum repraesentabant, in arianam perfidiem licet imprudentes concessissent. Cf. Prudentium Maranum *Divinitas I. X.* lib. 2 c. 6.

§. XI.

Cum Ecclesia sit corpus Christi vivens, duplicem primo putamus distingui posse in eo vitam, alteram externam et socialem, cuiusmodi competere potest cuique bene institutae societati, alteram interiorem, quae singula membra immediate afficit vel afficere potest. Ratione huius alterius vitae duplex distingui solet elementum in Ecclesia interius et exterius, anima et corpus. Corpus iis elementis constituitur, quibus forma socialis Ecclesiae continetur, nempe ministerio Pastorum oviumque subordinatione, professione fidei, sacramentorumque participatione. Anima sunt dona interiora fidei et caritatis, gratiae sanctificantis ceterarumque virtutum. Duplex ergo principium formale distinguendum est in Ecclesia; alterum PRINCIPIUM FORMALE SOCIETATIS, *alterum* PRINCIPIUM FORMALE VITAE SUPERNATURALIS IN MEMBRIS. *Illud essentiale est Ecclesiae ut ea sit societas mediumque idoneum hominibus pro consequenda iustitia et salute: hoc necessarium est membris, ut illud assequantur et sint, propter quod ad Ecclesiam sunt vocati. Porro sicut iustitia necessaria non est, ut quis membrum Ecclesiae censeatur, ita cum Bellarmino arbitramur, occultam haeresim non impedire quominus adhuc aliquis sit Ecclesiae membrum.*

I. Cum Ecclesia sit societas, potest in ea primum concipi vita quemadmodum in quavis alia recte instituta societate. Porro societas vivere dicitur, cum operatur in consecutionem sui finis; operatur autem cum auctoritas valide et efficaciter regit subditique sequuntur directionem auctoritatis. Pariter Ecclesia societas visibilis, constans praepositis et subditis, vivere dicenda erit, si auctoritas praepositorum valide et efficaciter regat fideles hique eidem obediant auctoritati. Ideoque Ecclesia vivet, si eius auctoritas se exerceat, si potestati eius debita reverentia et obedientia adhibeatur, si magisterium eius audiatur rectisque legibus et iudiciis subditi gubernentur. Haec est vita quaedam exterior, socialis, competens Ecclesiae, eo quod est societas. Anima, si ita loqui fas est, huius vitae ipsa est auctoritas, quam Christus caput Ecclesiae princeps instituit et qua mediante regit corpus suum visibile.

II. Verum in Ecclesia, praeter hanc, alia est vita interior, quae singula membra immediate afficit vel afficere potest, vita supernaturalis, qua edantur opera meritoria vitae aeternae. Haec specialiter intelligi communiter solet, cum dicitur vita Ecclesiae. Ratione habita huius

vitae distingui solet a theologis in Ecclesia *corpus* et *anima*, ut anima sit id quod est principium veluti formale (non efficiens) huius vitae, corpus vero quod ab ea veluti informatur. Verum cavendum est, ne locutiones istae metaphoricae ultra suos limites ferantur, quod ille faceret qui de anima et corpore Ecclesiae secundum notiones omnes ac habitudines animae et corporis hominis vellet ratiocinari. Ut ergo confusioni idearum via praecludatur, haec monemus.

III. Corpus Ecclesiae cum dicitur, duplex res intelligitur: primo et *formaliter* ea elementa intelliguntur, quibus forma externa visibilis Ecclesiae constituitur, quae sunt ministerium Pastorum eique aliorum subordinatio, quacum cohaerent professio fidei sacrorumque communio. Haec exteriora per se sunt et per ea homines in societatem sive in corpus aliquod aptantur. Secundario proinde et *materialiter*, cum corpus Ecclesiae dicitur, intelliguntur personae iis vinculis Ecclesiae aptatae eaedemque membra Ecclesiae vocantur.

Anima est id, quod procedit ex influxu supernaturali, quo Christus vivificat et unit sibi membra sua, ut operari valeant ad salutem. Hoc autem interius est, inhaerens ad modum causae formalis, principium exsistens operationum supernaturalium et meritorum vitae aeternae. Huiusmodi porro sunt dona interiora fidei, spei, caritatis gratiaeque sanctificantis ceterarumque virtutum cum ea connexarum. Charismata vero gratis data ad ministerium potius ideoque ad corpus Ecclesiae pertinent et sane ab Apostolo connumerantur simul cum ministerio 1. Cor. XII. 28.

Iam si animae notionem consideras, prout est principium vitae in aliquo subiecto quod ipsa informat, liquet subiectum, quod informari potest ab ea forma, quae Ecclesiae anima dicitur, esse omnem hominem; subiectum vero quod actu informatur, vel perfecte vel imperfecte informatur. Informatur perfecte, cum totam, quoad essentiam, formam participat, h. e. fidem, spem, caritatem gratiamque sanctificantem: informatur imperfecte, cum ex parte eam participat, habens nempe fidem tantum, quae principium est interioris vitae, vel etiam spem. Gratiae vero actuales praeparatio quidem sunt ad actus et complementum habituum; quapropter et ipsae ad animam referuntur: sed si sine habitibus solae sint citra consensum, cum Christo ullo modo non uniant seu non vivificent vel incomplete, animae rationem non habent.

Ex dictis porro consequitur, duplex distinguendum esse principium formale in Ecclesia, alterum exterius, quo societas constituitur, alterum interius, in quo vita supernaturalis membrorum consistit. Ut autem utriusque huius principii discrimen plenius intelligatur, advertendum est, quod gratia fidei et sanctitatis est finis, propter quem Ecclesia

instituta est, eaque gratia primo et per se confertur singulis membris, et per ipsa corpori quod constituunt; nam singuli homines sunt ii, qui iustificandi et salvandi sunt, et singulorum salus finis est ipsius Ecclesiae et ratio cur ad Ecclesiam vocentur; unde haec dona conferuntur quidem singulis prout sunt in unitate: sed hoc non ideo, quia primum et per se societati, tum deinde singulis destinata sint haec dona, sed ideo, quia Ecclesiae ministerium est medium, quo singulis ea dona conferuntur, quae per se sunt primo singulis destinata. E contrario principium formale exterius, quod est auctoritas, spectat per se et immediate ad societatem; ideo enim institutum est, ut exsistat societas eaque societas, in qua et per quam homines salvari possint. Hinc sicut necesse est subordinari illi auctoritati, cuius exercitio salus hominibus comparatur, ita necesse est spectare ad Ecclesiam; Ecclesia enim prodit ex praeditis ea auctoritate eique subordinatis: hoc autem totum est medium, quo singuli possint consequi iustitiam et salutem.

His positis quaestio duplex expedienda est: 1° an iustitia, qua anima interior Ecclesiae absolvitur, necessaria sit, ut quis sit Ecclesiae membrum: 2° an saltem necessaria sit fides eaque interior. Haec enim duplex quaestio oritur sponte ex doctrina praestituta de anima et corpore Ecclesiae.

IV. Iam vero quod spectat ad alteram quaestionem, difficultas est praecipue, propter Ecclesiae visibilitatem, quoad haereticos occultos. Quidam vero ab ea se expediunt, docentes hoc solum, haereticos nempe non esse Ecclesiae membra, praetermissa distinctione inter occultos et manifestos (cf. Passaglia *de Ecclesia* L. 3. c. 36.): alii concedunt occultos haereticos spectare ad Ecclesiae corpus, negant spectare ad animam (Tournely *de Ecclesia* Quaest. 4. a. 3. concl. 2.): qua quidem responsione non satis fit quaestioni; est enim per se evidens idque admittitur in ipsa quaestione, quod haereticus non spectat ad animam Ecclesiae, si anima est fides, spes et caritas: sed quaestio superest, an qui ad corpus dicitur spectare, vere et simpliciter ad Ecclesiam pertineat. Id profecto concedit Bellarminus *de Eccl.* l. 3. cc. 2. et 10. advertens, Episcopum vel Papam, qui sint haeretici occulti, vere adhuc habere iurisdictionem: ipsam autem rationem aperte docere, quod membrum sit Ecclesiae ille, qui in ea iurisdictionem ordinariam habet et praesertim qui est eius caput. Idcirco distincta duplici functione membri, vitae scilicet et instrumenti, haeretici occulti dicendi forent, in hac Bellarmini sententia, membra Ecclesiae in ratione instrumenti, si praesertim sint personae instructae iurisdictione, non vero solum dicendi essent ad Ecclesiam spectare, ut mali humores in corpore; nam reapse caput Ecclesiae nequit comparari malo humori infesto

corpori et praeterea mali humores non nisi maxime improprie dicuntur esse de corpore: quamvis Bellarminus c. 2., haereticos occultos generatim considerans, dicat eos esse veras quidem partes Ecclesiae, sed sicut capilli et ungues aut mali humores sunt in corpore humano.

Haec quidem sententia asserens haereticos occultos esse Ecclesiae membra habet non paucos defensores inter recentiores praesertim: contrariam tamen sententiam veriorem existimat Suarez *de Fide* Sect. I. n. 24. qui citat Turrecremata L. 4. *Summae* p. 2. c. 20. et in hanc sententiam negantem inclinat cl. Patricius Murray *de Ecclesia* Disp. 3. n. 107. Cui sententiae videtur favere Pius IX. in Constitutione *Ineffabilis* de Immaculato Conceptu: sic enim concludit: « Si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, *praesumpserint corde sentire,* ii noverint ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse *et ab unitate Ecclesiae defecisse* ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint. » Ubi duo secernuntur, *corde sentire,* et quod corde sentitur *exterius significare;* porro propter illud quis dicitur ab unitate Ecclesiae deficere, quod est ab Ecclesia separari. Ita arguit Murray citatus. Verum reapse haec illatio non est evidens: nam distinctio inter verba Pontificis aliter statui potest: 1° qui secus *praesumpserint corde sentire*, naufragium circa fidem passi sunt: 2° ab unitate vero Ecclesiae defecerunt et praeterea poenis se subiecerunt, qui quod corde sentiunt, *exterius significaverint.* Cum durum sit, arbitrari voluisse Pontificem, obiter et per transennam sententiam celebrem in scholis, absque ullo praevio examine, reprobare: haec altera interpretatio, quae et obvia satis est, magis nobis probatur.

Huius negantis sententiae Patroni negant exinde sequi Ecclesiae invisibilitatem; nam, ut ait Suarez ibid. sect. 8. n. 6., fides interior per externa signa videri aliquo modo potest et quamvis de singulis membris edentibus signa verae fidei nequeamus cum certitudine prorsus infallibili, sed solum prudenter, iudicare quod sint vera Ecclesiae membra: attamen de toto corpore non solum prudenter sed infallibiliter etiam iudicamus esse veram Ecclesiam; quia licet facile posset unum vel aliud membrum nos decipere, non tamen corpus universum, eo quod divina promissione constat, veram Ecclesiam semper fore neque unquam a fide defecturam.

Contra Bellarminus contendit, hac doctrina statuta, nullam inter nos et haereticos amplius exstituram quaestionem de Ecclesiae visibilitate, quod ita probat: « Lutherani et Calvinistae signa visibilia quaedam et externa Ecclesiae statuunt, nimirum praedicationem Verbi Dei

et Sacramentorum administrationem et constanter docent, ubicumque haec signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Quia tamen solos iustos et pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt et nemo potest certe scire, qui sunt vere iusti et pii inter tam multos, qui iustitiam et pietatem exterius praeseferunt, cum certum sit multos ubique esse hypocritas el falsos fratres; idcirco nostri recte concludunt, eos facere Ecclesiam invisibilem. Porro Lutheranis et Calvinistis iustitia in sola fide consistit idemque est apud eos, Ecclesiam esse coetum iustorum et piorum et esse coetum vere credentium. Quis non igitur videt, nos cum illis plane convenire, si omnes illos ab Ecclesia excludamus, qui veram fidem in corde non habent? » Hoc quidem argumentum per se, prout sententiam oppositam refellit, potius est contra demonstrationem et quidem aliquam demonstrationem thesis adversariorum, quam contra ipsam thesim.

Quidam dissensum hac in re componere se posse putant, docentes haereticos occultos non esse quidem in Ecclesia *vere*, sed esse tamen *apparenter:* quatenus quasdam notas habent, quibus videantur nobis esse in Ecclesia. Verum quod appareat, eos esse in Ecclesia, nemo negat: sed reapse quaestio est an *vere* sint, ita ut coram Deo quoque dici illi possint Ecclesiae membra, licet imperfecta, arida, mortua, sicut ea vocat Bellarminus l. c. c. 10.

Nec controversia ista inter Theologos est de nomine, ac si solum in vocibus dissiderent Theologi, sed est de re. Ii enim, qui cum Bellarmino affirmant, haereticos occultos esse de Ecclesia, quamvis concedant non spectare ad animam Ecclesiae, contendunt tamen ita spectare ad corpus, ut vere sint membra Ecclesiae, ita ut eius definitione contineantur; qui autem cum Suarez negant, illos ad Ecclesiam spectare, negant vere spectare etiam ad corpus eosdemque definitione Ecclesiae comprehendi. Quaestio est ergo, an vere necne, illi ad Ecclesiam pertineant, quae est profecto quaestio realis et qui in ea dissident, de re controversiam habent, non de solis nominibus.

V. Contra argumentum Bellarmini petitum ex invisibilitate, quae Ecclesiae asserenda esset, si fides interior postularetur, proponitur ab adversariis instantia *ad hominem* hoc pacto. Necessitas alicuius interioris doni non obest visibilitati; nam in Ecclesia certe requiruntur vere baptizati ac consecrati episcopi et presbyteri, sine quibus nec remissio peccatorum nec sacrificium aliaque sacramenta haberentur: porro ad hoc, ut ii sint, requiritur character, qui non videtur nec certo cognosci potest ex administratione ritus; quia praeterea requiritur intentio ministri, quae invisibilis per se est et simulari potest non secus ac

fides. Porro horum exigentia non obest iuxta Bellarminum visibilitati Ecclesiae; ergo neque oberit exigentia interioris fidei.

VI. Haec instantia non fertur contra ipsam thesim quae statuit, haereticos occultos adhuc in Ecclesia esse, sed contra argumentum ductum ex visibilitate Ecclesiae. Nos censemus, veram esse thesim, haeresim occultam non separare hominem ab Ecclesia. Sane hic apparet esse sensus ipsius Ecclesiae. Certum est enim, quod haereticus occultus, puta Episcopus, adhuc habet iurisdictionem eamque ordinariam, quae vi sui muneris ei competit, non quemadmodum schismaticus quoque aut publicus haereticus sacerdos in casu necessitatis habere potest extraordinariam facultatem absolvendi; Episcopus enim occulte haereticus eamdem retinet auctoritatem, quam prius habebat suo officio adnexam: nam illam tunc amittit, cum haeresim incipit praedicare. Sic enim Caelestinus epist. 14. ad Clerum et populum Constantin. (Gallandi Tom. IX.): « Aperte Sedis nostrae sanxit auctoritas, nullum sive episcopum sive clericum, seu professione aliqua christianum, qui a Nestorio vel eius similibus, *ex quo talia praedicare coeperunt*, vel loco suo vel communione deiecti sunt, vel eiectum vel excommunicatum videri... quia neminem vel deiicere poterat, qui talia praedicans firmus non stabat ». Quod et Nicolaus I. epist. 8. ad Michaelem Imp. confirmat, idque habet praxis communis Ecclesiae omnesque theologi et canonistae testantur. Ex quo licet sic arguere: sensus Ecclesiae est, Episcopum, nisi manifeste haeresim doceat, sua iurisdictione potiri vereque habendum esse ut Episcopum; igitur reapse Episcopus licet occultus haereticus, iurisdictionem propriam sui officii habet vereque est caput suae Ecclesiae: atqui qui caput est Ecclesiae particularis, est vere eius membrum, membrum Ecclesiae totius: ergo.

Idem demonstrari potest ex 1ª Ioan. II. 18. 19. Loquitur ibi Apostolus de haereticis, appellat enim eos antichristos: appellatio autem haec et proprie haereticis competit et in hac epistola iis fit qui fidei adversantur. Iam de his dicit: *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quibus in verbis duo de haereticis dicuntur, et quod *exierint ex nobis* et quod *non erant ex nobis.* Porro hoc alterum verum esse debuit, antequam exirent: nam dicitur *non erant*, non dicitur *non sunt:* et sane opponuntur adversative (ἀλλά sed) *exiisse ex nobis* et non *fuisse ex nobis:* si vero haec negatio tunc vera fuisset, cum exierunt, nulla esset oppositio. At qui exit ab aliquo, prius in eo est: ergo utrumque verum erat, antequam exirent, quod *non erant ex nobis,* quod disserte affirmatur et quod *erant ex nobis*, quod aequivalenter affirmatur, cum dicuntur exiisse. Per ea autem verba *exierunt ex nobis* significari seces-

sionem a coetu, in quo prius erant, liquet ex ipsa antithesi instituta verbis sequentibus: *sed non erant ex nobis.* Iam vero ratio cur *non erant ex nobis* nequit esse sola praedestinatio, quae ipsis defecerit; nam primo si ita est, ut illud affirmaretur, oportuit Ioannem nosse, eos de quibus loquebatur non esse praedestinatos: id autem nonnisi ex revelatione nosse poterat; neque enim id sequitur ex eo quod quis nunc haereticus sit et ab Ecclesia secedat, potest enim redire et sic salvari. At probabile ne est, id ex revelatione novisse Apostolum, praesertim cum non de uno aut altero determinate, sed indiscriminatim de omnibus tunc temporis haereticis loquatur et quidem eo modo loquatur, qui valere potest pro omnibus haereticis ab Ecclesia in posterum quoque exituris, quemadmodum eius verba a Patribus accipiuntur? Rursus praedestinatio sola nihil ponit in praedestinato: ratio autem cur aliquis, qui christiano nomine censetur, non sit ex nobis, debet esse aliquid realiter in ipso, vel defectus alicuius realitatis seu perfectionis debitae. Atqui cum Ioannes de haereticis loquatur, nequit esse alia ratio quam haeresis. Haeresis autem, antequam exeant, est occulta; ipsa enim manifesta professione haeresis se separant prorsus ab Ecclesia. Itaque in haereticis occultis utrumque verum est quod et *sunt ex nobis* et *non sunt ex nobis.* Atqui id verum esse non potest, nisi aliqua vera ratione adhuc spectent ad Ecclesiam, quatenus scilicet, etsi non sint ex nobis animo ac voluntate (sic enim permanerent), sunt tamen ex nobis externa professione et communione Sacramentorum: ergo. Id Augustinus confirmat Tract. 61. in Ioannem n. 2. inquiens: « utrumque verum est et *ex nobis* et *non ex nobis,* secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis: secundum communionem Sacramentorum, ex nobis: secundum suorum proprietatem criminum, non ex nobis ». Porro Augustinus ibi de haereticis quoque loquitur, ut liquet numerum 1^m^ conferenti: esse autem e sententia Augustini eos in Ecclesia, qui nobis Sacramentorum communione sociantur, patebit ex dicendis deinceps.

Et sane falsum est huiusmodi homines solum apparenter esse in Ecclesia; quibusdam enim vinculis cum ea nectuntur, quae sufficiunt ad eos constituendos membra Ecclesiae. Nam Ecclesia est essentialiter societas, quae ex ministerio a Christo instituto eique aliorum subordinatione coalescit et est essentialiter visibilis; porro vincula, quibus colligantur visibiliter illa duo, sunt externa obedientia, externa professio fidei et communicatio sacramentorum, haec essentialia sunt, ut sit societas neque negari potest his exsistentibus societatem veram visibilem haberi, nec sane Ecclesia aliud postulat ut aliquem censeat ad se pertinere; atqui haereticus occultus haec omnia praestat, ergo haec

sufficiunt ut Ecclesiae membrum constituatur; ad id enim sufficiunt ea, quae aliquo vero modo ipsum copulant cum corpore hoc quod est societas. Neque enim ut aliquid sit membrum corporis, opus est ut perfectionem omnem obtineat, quae in aliquibus praestantioribus membris reperitur. Neque verum est, haereticum occultum non esse ullo modo membrum vivum huius corporis: nam, ut iam diximus, vita propria huius corporis socialis sita est in subordinatione legitimo regimini, quam haereticus occultus aliqua vera ratione retinet; cum libere profiteatur fidem, quam magisterium Ecclesiae docet ac subsit legitimo regimini: fides vero interior sicut et gratia proprie sunt anima singulorum ac sunt ea bona quae in Ecclesia et per Ecclesiam acquirimus, non ea quibus Ecclesiae membra necessario constituamur.

Praeterea advertendum est, quod Ecclesia est quidem fidelium coetus: at ex more loquendi veterum fideles non ii dicuntur, qui tantum credunt, sed qui sollemni ritu, sacramento nempe fidei suscepto, fidem profitentur, quocirca catechumenis negata est generatim talis appellatio. Scilicet in hac appellatione tribuenda potissimum ratio habita est exterioris sollemnis professionis fidei, qua proinde permanente, potest manere licet imperfecte appellatio eadem: cum praesertim semper iure praesumatur, donec contrarium probetur, professioni externae internam respondere.

Dices: nonne fides necessaria ostenditur ex parte causae materialis huius coetus, eo quod fideles lapides vivi sunt, ex quibus Ecclesiae domus spiritalis aedificatur, teste Augustino Tract. 6. in Ioannem (1. Petri II. 2.)? Respondeo, quod appellatio lapidum vivorum, quae fit a Petro fidelibus, potest dupliciter accipi: *a)* in oppositione ad id, a quo metaphora ducitur, quatenus nempe lapides, ex quibus domus Ecclesiae aedificatur, sunt homines viventes: *b)* ratione vitae christianae et hoc rursus dupliciter: vel enim intelligitur exterior vita posita in professione fidei, vel interior et haec iterum duplex, vel completa vel incompleta. Iam vero prior interpretatio per se sufficit, ut metaphora haec vera sit: sententia autem Petri ea esse videtur, ut consideret fideles secundum id quod esse debent, proponens eis finem, cur accesserint ad Christum lapidem vivum: quapropter hortatur eos ut deponentes omnem malitiam, omnem dolum, simulationes, detractiones, invidias, rationabile sine dolo lac concupiscant, ut decet modo genitos infantes (vv. 1. 2.).

Ad argumentum vero desumptum ex verbis Pii IX. superius recitatis iam fecimus satis.

Itaque quoniam Christus voluit Ecclesiam suam societatem esse sub regimine visibili pastorum, censendus est quoque voluisse, ut qui hae-

retici solum occulti essent, membra adhuc Ecclesiae haberentur licet imperfecta et imperfectiora ceteris.

VII. Verum dices: si ita est, etiam non baptizati, cum defectus baptismi occultus est, ad Ecclesiam, quam sicut ceteri frequentant, spectabunt et non rite ordinati ad ordinem sacerdotalem, in quo recensentur, pertinebunt ac sacramenta poterunt administrare, ne scilicet Ecclesiae pax turbetur dubitatione excitata, an hic vel ille sit vere baptizatus, vere ordinatus; nam haec pendent tandem ab intentione ministri, quae occulta est non secus ac interior fides. Id vero abhorret a sensu Ecclesiae, quae, cum huiusmodi homines detegit, actus eorum nullos fuisse declarat.

Respondeo, ex dictis heic ultimo loco iam apparere discrimen inter huiusmodi homines et haereticos occultos; nam horum actus sive ordinis sive iurisdictionis Ecclesia non declarat irritos et inanes, quemadmodum actus illorum.

Sane discrimen est; nam deficiente baptismo seu baptismali charactere, deficit conditio a Christo requisita, ut quis sit in Ecclesia, deficiente charactere sacerdotali deficit pariter conditio ab eodem Christo requisita ut quis sacramenta valide administret, ut idcirco huiusmodi homines non nisi specie tenus possint esse in Ecclesia vel in ordine sacerdotali; institutioni enim divinae omnia cedere oportet. At deficiente in baptizato fide tantum interiori, nulla adhuc conditio deest, cur quis vere sit in Ecclesia, exsistente charactere baptismi atque externa professione fidei, communione sacramentorum ac subordinatione legitimis pastoribus.

Quamvis vero veritas sacramentorum ab intentione ministri pendeat: attamen 1° ex lege morali certum est, in pluribus sacramenta rite administrari et idcirco 2° in singulis quoque casibus id praesumendum esse, donec contrarium demonstretur, quam praesumptionem Deus ipse iubet, qui societatem instituit, ad cuius pacem illa requiritur. 3° nec timendum est, ne divina providentia illud omittat curare, ut suaviter et efficaciter ea omnia fiant, quae Ecclesiae suae necessaria sunt ipseque solus procurare valet.

Parabola autem zizaniorum (Matth. XIII. 29. seqq.) spectat proprie ad malos, quos superseminat inimicus homo et qui visibiles sunt; de qua parabola infra.

VIII. His statutis de fidei interioris necessitate, iam praeiudicata est quaestio de necessitate iustitiae pro constituendo Ecclesiae membro. Verum haec suis propriis argumentis tractari et solvi potest atque idcirco proferenda ea sunt.

Damnatae sunt a Clemente XI. propositiones Quesnelli 72. 78., qui-

bus asseritur Ecclesiam solis iustis constare eademque doctrina declarata est haeretica a Pio VI. in Bulla *Auctorem Fidei* prop. 15. Argumentum princeps ex traditione suppeditat disputatio catholicae Ecclesiae, cuius partes agebant Episcopi Africani, cum Donatianis.

Donatianos quidem praeiverant Novatiani, qui lapsos ab Ecclesia alienos esse volebant (cf. Pacianum epist. 3. ad Sympron. n. 3.). Subsecuti sunt Pelagiani, qui ex solis perfectis in iustitia Ecclesiam coalescere docebant (cf. Augustinum *de Haeresibus* n. 88.). Verum omnes iis argumentis profligantur, quibus Donatiani. Donatiani itaque non omnes peccatores a dignitate membrorum Ecclesiae repellebant, sed illam negabant omnibus peccatoribus manifestis, concedentes peccatores occultos, quemadmodum pisces malos in sagena, ad Ecclesiam adhuc spectare. Liquet ex Collatione habita inter eos et Episcopos catholicos et ex Augustino, qui frequenter, ut in libris *de Baptismo*, argumentatur ad hominem ex eo doctrinae capite contra eosdem haereticos. Hancque limitationem postulabat eorum principium, nempe communionem cum malis illicitam esse ; communicatur enim et consensus veluti praebetur peccatis eorum, illaque communione aiebant vitiari Ecclesiam (quod et Novatiani contenderant. Lege Pacianum ep. ad Sympron. cit. l. c.) : communio vero cum malis illicita esse nequit, nisi mali cognoscantur. Hinc Donatiani Ecclesiam visibilem tuebantur eamque esse dicebant, quae erat tum quidem tantum ex parte Donati, prius autem fuerat in universo orbe. Catholici vero tuebantur, ne dum occultos malos, sed et manifestos spectare seu spectare posse ad Ecclesiam, h. e. non eo ipso quod quis peccat, sive occulte sive manifeste, extorrem fieri ab Ecclesia. Fieri scilicet potest ut peccatum quoddam, puta haeresis aut schisma, alienum faciat peccatorem ab Ecclesia fierique potest ut quaedam graviora peccata digna sint, quae poena separationis seu excommunicationis plectantur: at generatim fideles, cum peccant (intelligimus peccatum letale), etsi peccatum publice fiat, non eo ipso desinunt esse Ecclesiae membra. Hoc probabant vero auctoritate Scripturarum et traditionis, provocantes potissimum ad Cyprianum, cui multum Donatiani tribuebant. Liquet id ex tot operibus Augustini contra Danatianos et collatione citata. Quocirca certum est, doctrinam hanc esse ab Ecclesia publice seculo V. propugnatam: Scripturarum auctoritate et praecedentis Ecclesiae consensu tenendum esse, quod Ecclesia non ex solis iustis coalescit, quod peccatores quoque manifesti membra Ecclesiae sunt nec iustitia est conditio necessario postulata, ut quis sit membrum Ecclesiae. Hinc Fulgentius *de Fide* ad Petrum c. 43. « Firmissime tene et nullatenus dubites, aream Dei esse catholicam Eccle-

siam et intra eam usque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri. In fine vero seculi bonos a malis etiam separandos ». Nimirum, ut ait Gregorius M. *in Evangelia* hom. 28., « Boni soli nusquam sunt nisi in caelo et mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Haec autem vita, quae intra caelum et terram sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit, quae tamen sancta Ecclesia nunc indiscrete suscipit et postmodum in separatione et fine mundi discernet ».

Et sane ex parabola zizaniorum (Matth. XIII. 24.-30. 36.-43.) discimus quod usque ad finem mundi simul cum filiis regni, qui fulgebunt sicut sol in regno Patris sui, commixti erunt mali, qui in caminum ignis mittentur atque ita commixti erunt, ut haec commixta societas ipsa sit Ecclesia militans in terris, ad quam proinde veluti membra tum boni tum mali pertineant. Nam licet ager, in quo bonum semen et zizania seminantur, sit, interprete Christo, mundus: tamen ipsa commixta seges boni seminis et zizaniorum repraesentat Ecclesiam; etenim regnum caelorum, quod est Ecclesia, huic toti assimilatum exhibetur quod ea parabola refertur, nempe bono semini et malo. Id ex eo patet quod huic toti (etsi ex parte in obliquo expresso, quod et in aliis parabolis fieri solet) assimilatum est a Christo regnum caelorum et quia disserte in fine explicationis eius dicitur a Christo, quod omnia scandala et ii, qui faciunt iniquitatem, colligentur de regno Filii hominis ab Angelis in fine mundi. Qua Christi parabola non statuitur utique necessitas ut mali sint in Ecclesia, sed statuitur primo factum quod simul erunt usque in finem mundi: secundo statuitur ius, Ecclesiam scilicet ex Christi institutione non postulare ut ex solis iustis constet; imo exigere ut seges quoque mala, si adsit, sinatur cum bona crescere usque ad messem h. e. usque ad finem mundi, ne bona seges et ipsa Ecclesia funditus pereat. Porro adverte, malos istos esse visibiles et publicos: *zizania* enim *apparuerunt* (26.): et propterea servi mirati sunt ac colligere ea volebant (27. 28.). Ergo publici quoque peccatores membra Ecclesiae esse possunt. Idem colligere licet ex parabola sagenae ibid. 46.-50.

Praeterea constat factam esse a Christo Ecclesiae suae potestatem remittendi peccata; atqui certum est sacramentorum ius non iis competere, qui sunt extra Ecclesiam neque iis posse legitime conferri. Igitur potestas ea sacramentalis facta Ecclesiae supponit peccatores, qui indigent absolutione, esse in Ecclesia; ea porro et notis peccatoribus datur: ergo. Dices, absolvi quoque peccatum haeresis publicum, quamvis per illud quis ab Ecclesia separetur; ergo non recta est consequentia argumenti. Respondeo, quod non datur absolutio nisi prius abiurata

sit haeresis, ut sic iam peccator ad unitatem Ecclesiae redierit veram fidem habens: fides enim necessaria est dispositio pro sacramento suscipiendo: at non requiritur, quod status gratiae habeatur ut absolutio detur.

Et sane fideles quamvis peccatores adhuc pertinent ad Ecclesiam, prout sociale corpus est, non secus ac iusti. Illi enim spectant ad Ecclesiae societatem, qui cohaerent et subsunt auctoritati Ecclesiae docenti, regenti, sanctificanti, qui proinde eandem profitentur fidem, quam ea auctoritas docet, eandem reverentur potestatem, quam ea auctoritas exercet, iisdem communicant sacramentis, quae ab ea auctoritate dispensantur: huc autem redeunt omnia vincula, quibus corpus Ecclesiae compaginatur. Atqui per peccatum (nisi sit haeresis aut schisma) nullum ex his vinculis rumpitur neque per solam inobedientiam erga Ecclesiam, si quando hac in re peccetur, tollitur subordinatio superiori, sed solum exercitium aliquod eiusdem. Cum quis autem manet iisdem vinculis nexus cum societate ac nectebatur prius atque iisdem ac nectuntur ceteri, is vere spectat ad societatem: ergo non obstante peccato, fideles peccatores pertinent vere ad Ecclesiae societatem vitamque eam socialem vivunt, cuius formale principium diximus esse auctoritatem.

Ad eam quoque, quae anima dicitur Ecclesiae, qua singillatim membra vivunt, pertinent fideles peccatores, sed imperfecte. Retinent enim adhuc fidem et nisi contra spem peccaverint, etiam spem; fides autem est vita interior inchoata: vivunt ergo adhuc peccatores quadam interiore vita, licet incompleta; completa enim et perfecta vita est per caritatem et gratiam sanctificantem. Ergo iusti, qui gratia hac praediti sunt, spectant perfecte ad animam Ecclesiae, peccatores imperfecte, h. e. ii vivunt vitam interiorem perfectam, hi imperfectam: non opus est autem omnia membra eodem perfectionis gradu vitam ab anima participare, ut sint vera membra.

At nonne Ecclesia est essentialiter sancta sine macula et ruga, iis constans, in quorum visceribus scripta sit lex caritatis? Respondeo, quod Ecclesia essentialiter sancta est et quidem multiplici ex capite; quia sancta est eius institutio, sancta eius doctrina, sancta lex principiumque est sanctificans et causa sanctitatis ac sub istis rationibus, quibus essentia ipsa Ecclesiae constituitur, ea non habet maculam aut rugam. Sanctitas autem interior omnium singulorum membrorum non est ei essentialis, ut iam demonstratum est et in obiectione supponitur. Si autem dicatur quod essentiale est Ecclesiae ut sanctos aliquos semper habeat, illud *essentiale* potest accipi dupliciter: *a)* quatenus significat id, quod ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem necessario

spectat: *b)* quatenus significat id, quod Deus vult actu semper esse in Ecclesia: hoc autem non necessario est id quod pertineat ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem; sed potest esse id, quod ad modum finis sit perfectio Ecclesiae, quam perfectionem penitus deesse Christus noluerit. Sane et charismata esse in Ecclesia debent ex voluntate et promissione Christi: at perperam exinde colligeres, ea ad intrinsecam et essentialem Ecclesiae constitutionem spectare. Porro hoc altero tantum sensu concedere possumus essentialem esse Ecclesiae huiusmodi sanctitatem. Id, praeter argumenta allata, ex eo quoque probari potest, quod huiusmodi sanctitas non habet ullum subiectum determinatum: ea vero quae spectant ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem, licet non omnibus communia, ut potestas ordinis et iurisdictionis, habent subiecta determinata. Verba autem Ieremiae ad quae respicitur in obiectione, eo spectant, ut declarent indolem novi Foederis prae vetere: indoles porro haec Ecclesiae constat, cum in ea est potestas effectiva bonorum eorum supernaturalium, et in ea ac per eam Deus paratus est eadem conferre hominibus. Verba autem Apostoli (Ephes. V. 22,), cum ad Ecclesiae membra referuntur, non significant Ecclesiam quae nunc est, sed quae praeparatur ut sit (Augustinus Retract. L. II. c. 18.): vel significant quidem finem cur Ecclesiam Christus esse voluit, at eum significant, qui futurus est in termino *conc.*, in via *neg.*

Cur ergo dicuntur peccatores membra mortua? membra enim mortua non sunt membra nisi aequivoce, h. e. non membra vera; unde videtur quod peccatores non sint vere membra Ecclesiae. Respondeo, appellationem hanc fieri peccatoribus respectu animae, quae est in singulis principium vitae, et quidem respectu perfectae vitae quae est per caritatem: non vero respectu exterioris principii formalis, quod et ipsum anima dici potest (n. 1. h. Th.). Sane, ut iam monuimus, si peccatores comparentur ad hanc visibilem societatem eiusque essentialia constitutiva, ii non sunt membra mortua sed vivunt hanc vitam socialem sicut ceteri: si vero comparentur ad id, quod est finis huius societatis quodque est principium vitae supernaturalis in membris, peccatores destituti hac vita sunt membra mortua, non tamen prorsus, nam imperfecte vivunt; unde a quibusdam melius dicuntur semimortua (cf. A Lapide in 2. Tim. II. 20.).

Nihil vero repugnat, quod iidem homines sub diverso respectu et membra sint Christi et membra Diaboli. « Illi qui sacramenta habent et bonos mores non habent, et Dei dicuntur et non Dei et eius dicuntur et alieni: eius propter sacramentum, alieni propter vitium » (August. in Ps. XLVII. n. 8.). Hinc mali, licet simpliciter non sint filii Dei, quia gratia sanctificante carent, quodam tamen imperfecto modo,

ratione generationis et ratione doctrinae, quam audiunt, dici possunt filii Dei; licet degeneres et mali sint ratione imitationis et peccati secundum quod sunt filii diaboli (cf. Bellarmin. ibid.).

IX. Reliqua est difficultas ex sententia Augustini. Ipse enim docet, in corpus et membra Christ. non coaedificari nisi bonos (*de Unitate Ecclesiae* c. 21.): videri quidem malos esse intus, sed esse reapse foris (*de Bapt.* L. 4. c. 3. L. 6. c. 2.): esse vero illos in Ecclesia, sicut sunt mali humores in corpore (*in Epist. Ioan.* Tract. 3.): non posse Christum habere membra damnata, eos scilicet qui propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo sunt (*cont. Crescon.* L. 2. c. 21.): potestatem propterea administrandi Sacramenta et generatim potestatem ligandi atque solvendi factam esse a Christo bonis, non malis (*de Bapt.* L. 7. cc. 12. 51. L. 6. cc. 3. 24.): malos nempe non esse in petra, supra quam est aedificata Ecclesia (ibid. et *de Unit. Eccl.* c. 18.): Ecclesiam sane esse columbam castam, pudicam, sine macula et ruga, ad quam nequeunt mali pertinere (in Ioann. Tract. 6. *de Bapt.* L. 4. cc. 3. 4. L. 6. c. 3.): imo perseveraturos in sua malitia ad Christi corpus non pertinere (in Psal. CXXXIX.) et Corpus Christi, quod est Ecclesia, in ipsa dextera h. e. in ipsa beatitudine futurum (*de Agone Christiano* c. 26.).

Iam vero manifestum est interpretationem a Protestantibus adhibitam his Augustini locutionibus esse prorsus falsam. Nam certum est primo, Augustinum acriter impugnasse haeresim Donatianorum et defendisse contra eos dogma catholicum: porro haec erat haeresis Donatiana; peccatores saltem manifestos non spectare ad Ecclesiam: dogma catholicum erat, Ecclesiam in praesenti statu bonis et malis constare: Augustinus autem eas frequentat locutiones in operibus contra Donatianos. Ergo fieri non potest, ut iis locutionibus ipse voluerit docere ex solis sanctis Ecclesiam coalescere, quae est affirmatio includens affirmationem Donatianam et aliquid amplius. Certum est secundo, Augustinum cum ceteris Patribus Africanis in quaestione Donatiana nunquam excogitasse aut probasse duas Ecclesias, sed unam tantum semper defendisse. Nam exprobrantibus Donatianis (cf. Breviculum Collationis die tertia), quod catholici aliquo modo duas Ecclesias facerent, unam quae nunc habet permixtos malos, alteram, quae post resurrectionem eos non esset habitura, responderunt Catholici, inter quos Augustinus, calumniam hanc esse seque id tantum docere, « eandem ipsam unam et sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram... sicut non ideo duo Christi sunt, quia prius mortuus, postea non moriturus ». Et Augustinus L. 3. *de Doctrina Christiana* c. 32. in ea verba Canticorum: *nigra sum, sed formosa*, advertit quod

ipsa una eademque Ecclesia nunc est nigra propter malos, quos in se habet, et est formosa propter bonos.

His positis adverte, quod ratio, qua Augustinus motus est ad frequenter inculcandum id, quod illis locutionibus continetur, fuit primum polemica, ut nempe argumento ad hominem refelleret argumenta Donatianorum (cf. *de Bapt.* L. 6. et 7.), quibus illi contendebant haereticos non posse conficere sacramenta. Duplex scilicet erat error Donatianorum: alter, Ecclesia constat bonis et malis quoque sed occultis: alter, qui est extra Ecclesiam nequit sacramenta conficere. Cur vero; quia nequit dare Spiritum Sanctum, quem non habet. Et ut se tuerentur, Donatiani provocabant ad auctoritatem Cypriani eiusque Episcoporum in Concilio tertio Carthaginiensi, qui pluribus argumentis probare contenderant, haereticos non posse baptizare et sacramenta cetera conferre, eo quod non possent dare Spiritum S. quem non habebant. Iam vero Augustinus, ut vim argumentorum adversariorum infringat eosque sibi ipsis contradicere ostendat, respondet quod si haeretici non possunt sacramenta dare, ut volebat Cyprianus cum suis, si idem non possunt manifesti peccatores, ut Donatiani volebant, nec pariter poterunt mali, quicumque sint, etiam mali occulti; nam neque hi habent Spiritum S. ideoque et hi non possunt dare quod non habent. Quam responsionem ita informat Augustinus: si haeretici et publici peccatores nequeunt dare sacramenta, quia sunt extra Ecclesiam quae habet Spiritum S., neque occulti peccatores poterunt sacramenta conferre; quia et ipsi sunt extra Ecclesiam, eam scilicet quae habet Spiritum S.: nam ipsi eo carent, non secus ac manifesti peccatores. « Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur: ergo haereticus dimittit peccata; sic et ego urgeo cum dico: ergo qui caelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator, invidus, verbis non factis seculo renuntians, dimittit peccata. Si per vim Sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud Sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur: in corpore autem unicae columbae, incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis maculam aut rugam, nec ille nec ille invenitur » (*de Bapt.* l. 4. c. 4.). Hinc quia Ecclesia ad hoc est instituta, ut omnia eius membra habeant Spiritum S. caritatem et gratiam et proinde huiusmodi membra sunt pars ipsius praestantior atque adeo perfectiore modo spectant ad Ecclesiam quam mali et idcirco illorum adunatio potiore quodam titulo vindicat sibi Ecclesiae nomen et quia haeretici nullam aliam Ecclesiam videbantur concipere quam Ecclesiam sanctam in omnibus suis membris, quae non est nisi pars nobilior verae Ecclesiae; ideo Augustinus accurate distinxit inter totum quod est Ecclesia universa et partem eius nobiliorem, quae est

Ecclesia Sanctorum, quam vocat columbam sanctam, pudicam; quae distinctio vera in se est. Hac autem distinctione coactus est frequenter Augustinus uti, ut haereticos refelleret; ut nimirum vitium argumenti eorum patefaceret, qui confundebant perfectum modum exsistendi in Ecclesia, cum eo, qui simpliciter necessarius est, ut quis sit in Ecclesia, seu confundebant id quod requiritur ut quis sit utiliter in Ecclesia, cum eo quod requiritur ut quis simpliciter sit (cf. Tract. 6. in Ioan. et *de Bapt.* L. 4. c. 2. alibique saepe), atque ut ostenderet eos contradicere sibi, qui tum ab Ecclesia, eo quod sancta sit, plures peccatores excludebant, tum nihilominus peccatores occultos admittebant: ab Ecclesia etim sic accepta omnes malos alienos docet.

Alia ratio usurpandi eas formulas petenda est ex ingenio Augustini; certum est enim morem fuisse Augustino res consideranti, id potissimum in eis spectare, quod praestantius in illis esset et id quod esse deberent (Cf. Faure Enchir. cc. 1. 2.): hoc modo iusti et perseverantes usque in finem sunt Ecclesia; quia ad eam spectant perfecto modo veritate essentiae atque etiam finaliter. Porro eo pacto quo iusti soli dicuntur membra Ecclesiae et Christi, peccatores seu damnati dicuntur non posse esse membra Christi; in loco enim citato damnati non sunt nisi peccatores, qui converti possunt et Christo rursus incorporari.

Ceterum certum est 1° non negare simpliciter Augustinum malos esse in Ecclesia, sed secundum quid, scilicet negat esse in illa Ecclesia, quae dicitur et est columba pudica incorrupta, non habens maculam aut rugam, quae utiliter habet sacramenta, quae est Ecclesiae in his terris degentis pars praestantior quaeque mansura est in aeternum. « Ubicumque (ait *Retract.* L. 2. c. 18.) in illis libris (septem scilicet *de Baptismo*) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi iam sit; sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: dimitte nobis debita nostra ». Quocirca accurate Augustinus distinguit cum ceteris Episcopis catholicis Ecclesiam, quae deorsum est, et Ecclesiam, quae est sursum; non quatenus duae sint Ecclesiae, quod disserte negat Donatianis id obiicientibus, sed quatenus alio et alio modo se habet, quod discrimen in eo est, quod Ecclesia in his terris bonis constet et malis, illa vero tantum bonis, haec tarbernaculum sit, illa domus (in Breviculo Collationis die tertia. In Psalmum CXXXI. n. 10.).

Certum est 2° asserere Augustinum, malos esse in Ecclesia, non solum quatenus commixti sint bonis per quandam veluti iuxtapositionem; sed quatenus socialiter cohaereant cum bonis, colligati scilicet in unam

societatem, quae est ipsa Ecclesia. Huc enim spectat ea loquendi ratio, malos coniungi bonis per Sacramentorum vinculum, quo homines in unam societatem religiosam adunantur: « In nullum enim nomen religionis sive verum sive falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur » (*adv. Faustum* l. 19. c. 11.): neque ad ea participanda ius habent nisi qui ad eandem societatem religiosam, cuius ipsa sunt, pertineant. Porro cum mali simpliciter dicuntur in communione Sacramentorum simul esse cum bonis, communio ea intelligitur, quae illis iure sociali competit; secus enim et de schismaticis haereticisque manifestis ceterisque infidelibus affirmari idem posset, qui illos sacros ritus quomodocumque usurpent: quod quidem alienum est ab Augustini mente. Quocirca mali ratione communionis Sacramentorum dicuntur esse in Ecclesia et in congregatione christiana: « In Congregatione Christiana (inquit Serm. 15. n. 2.) quantum pertinet ad participationem et communionem sacramentorum, multiplicati sunt super numerum. Alius est ergo numerus, alii super numerum. Numerus est, de quibus dicit Apostolus: *novit Dominus qui sunt eius.* Super numerum autem: *quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.* » Quapropter malos paleas vocat Augustinus, sed interiores prae paleis separatis, quae sunt haeretici *Cont. Crescon.* L. 3. c. 67. « Non, inquit, communicat Oriens Africae et Africa Orienti. Non sane, sed in paleis haereticis ab area dominica separatis: in frumentis autem catholicis et interioribus paleis omnino communicat Oriens Africae et Africa Orienti ». Hinc mali dicuntur esse in corpore Christi (Serm. 137. n. 1.): « Iesus Christus caput est Ecclesiae et est corpus eius Ecclesia et in eius corpore unitas membrorum et compago caritatis tanquam sanitas exsistit. Quicumque autem in caritate friguerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille, qui iam exaltavit Caput nostrum, etiam infirma membra sanare, dum tamen non nimia impietate praecidantur, sed haereant corpori donec sanentur ». Ideo fideles omnes ad corpus Christi pertinere docet in Psal. LXII. n. 2.

Quocirca cum Augustinus negat malos ad Ecclesiam spectare, esse membra corporis Christi etc., Ecclesiam accipit sensu magis limitato, secundum id quod est in ea nobilius, quodque ex Christi voluntate deberet esse, quodque permanenter est et in hoc seculo et in futuro. Hinc per metaphoram malorum humorum non illud significatur, quod peccatores nihil commune habeant cum iustis, sed quod sint in eiusdem corporis unitate, at infirma membra, secundum spiritum ab iis separata. Quod vero dicitur, bonis solum factam esse potestatem baptizandi etc., adverte dogma, quod totis viribus adstruit Augustinus

adversus Donatianos, hoc esse: baptismum et alia Sacramenta dari posse et a malis nec a meritis hominum pendere valorem Sacramenti, sed ab eo, de quo dictum est: *hic est qui baptizat* (cf. Tract. VI. in Ioan.). Cur ergo ait Augustinus quod potestatem baptizandi Christus Episcopis dedit, non iniquis et quod homicidae non habent potestatem baptizandi et remittendi peccata? Nimirum responsio est Augustini ad hominem. Aiebant adversarii: Christus non dedit potestatem hanc haereticis, sed Apostolis aut Ecclesiae, ergo haeretici non possunt baptizare: respondet Augustinus: neque homicidis, avaris, iniquis Christus potestatem hanc dedit et tamen secundum vos ipsi baptizant. Quae quidem responsio vera quoque in se est, quatenus non solum Deus non designavit huiusmodi homines qua tales, ut ministros suorum Sacramentorum; sed quatenus voluit per se ut boni tantum licite conferrent sacramenta sua, sicut voluit ut in sola Ecclesia sua licita esset administratio Sacramentorum.

Negat autem Augustinus malos esse super petram, quia audientes verba Christi et non facientes (Matth. VII. 24. seqq.) aedificant super arenam, non super petram: scilicet *esse in petra*, *esse aedificatum super petram*, ratione habita verborum Christi Matth. VII., non est tantum petrae Ecclesiae adhaerere et esse in Ecclesia: sed perfecto et utili modo adhaerere petrae ac esse in Ecclesia, ita ut vero sensu dici non possit, quod sit super arenam. Qui vero praedestinati non sunt, negat ad Ecclesiam spectare, quae praeparatur ut sit, non quae nunc est.

Itaque sententia Augustini non alia est reapse a sententia Bellarmini aliorumque Theologorum, qui asserunt malos, licet non sint membra viva per caritatem, esse tamen vere membra Ecclesiae, quae una est non duplex. Cf. Bellarminum l. c. Alticotium in Summa Augustiniana P. 3. q. 1. a. 3.

§. XII.

Sic adumbrata exterioribus lineis Ecclesiae notione, nunc penitius eius natura rimanda est. Quia vero Christus Ecclesiam instituit, instituendo auctoritatem apostolicam (§. II.) et proprietates omnes, quae Ecclesiae insunt, vi huius auctoritatis ei competunt; ideo in ea uberius declaranda primum immorandum est et primo agendum est speciatim de eius subiecto ex divina institutione.

Christus potestatem instituens Ecclesiae suae, non eam universo fidelium coetui communicavit, ut ab hoc certis ministris delegaretur, sed certis personis immediate contulit propagandam perpetuo ab illis in alios, qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur: quocirca ex Christi institutione ac iure divino repetendum est discrimen quod inter clericos laicosque intercedit.

I. Cum quaestio agitur de subiecto auctoritatis socialis, distinguendum est accurate inter ipsum et finem cui eadem auctoritas est ordinata. Omnis enim potestas socialis non in bonum et commodum illorum, qui eam obtinent, sed aliorum, qui gubernantur, est instituta. Hoc enim interest herilem dominationem inter et domesticam ac socialem praefecturam, quod in ea ad domini commodum gubernatio dirigatur; servus enim est aliquid domini et propter ipsum est: gubernatio vero domestica vel socialis eorum gratia est, qui reguntur et ad subditorum bonum ordinatur. Quare quaecumque respublicae in communem utilitatem intentae sunt, eae sunt rectae: quae vero privatum tantum eorum, qui praesunt, emolumentum spectant, vitiosae sunt; transeunt enim ad herilem dominationem: atqui civitas societas est liberorum. Ita Aristoteles *Polit.* L. 3. c. 6. Itaque si quaestio fit, quinam sint ii, propter quos potestas Ecclesiastica est instituta, hi sunt omnes, qui gubernantur, fideles omnes, nempe Ecclesia. *Omnia vestra sunt, sive Paulus sive Apollo sive Cephas... vos autem Christi, Christus autem Dei.* 1. Cor. III. 22. Hinc cum hic sit character communis cuiuscumque formae recti regiminis, ex eo nequit discrimen colligi unius formae ab alia.

Verum aliud prorsus est potestatem socialem esse propter utilitatem regendorum, aliud eos, qui regendi sunt esse subiectum saltem primarium eius potestatis. Differunt enim haec formaliter, ut patet: differunt etiam materialiter, quatenus non est consequens, ut ii propter quos est potestas, sint eiusdem subiectum. Sane bonum domus totius est finis

potestatis paternae, quae tamen nullo modo est in filiis aut familiaribus; quemadmodum illuminatio oculorum finis est quidam lucis solaris, quin tamen subiectum emittens lucem sint oculi, sed sol. Nimirum quod potestas sit in bonum aliorum, hoc tantum ius tribuit ipsis, ut ea potestas in eorum utilitatem exerceatur iique bene gubernentur: id autem per se praestari potest, etsi subiectum possidens auctoritatem etiam primarium et radicale non sint omnes, sed unus homo. Quocirca nihil infirmius eo *infallibili firmamento*, quo olim Schola Parisiensis, teste Richerio, muniebatur; ait enim (*de Eccles. et polit. potestate* c. 1.): « Vulgare est atque indubitatae fidei axioma, Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam aliquam partem suppositi quamvis nobilissimam intendere eamque ob causam, facultatem videndi e. gr. toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum et ministrum hominis exerceretur: nam oculus per et propter hominem exsistit. Schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento, congruenter ad mentem omnium antiquorum doctorum Ecclesiae, perpetuo constanterque (ab aetate scilicet Concilii Constantiensis sub initium sec. XV.) docuit Christum, fundando Ecclesiam, prius, immediatius atque essentialius claves sive iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam Petro seu quod eodem redit: Claves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur. Quandoquidem tota iurisdictio ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter Ecclesiae convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad exequutionem tantum, sicut facultas videndi oculo. Omnia enim vestra sunt (idest Ecclesiae) sive Paulus etc. ex 1. Cor. III. 22. ». Hoc ineptissimum sophisma, ut liquet, innititur totum confusioni idearum *finis* et *subiecti* potestatis. Nec facultas videndi ita data est homini ut subiectum eius primarium sint omnes partes hominis simul, anima nempe et cuncta membra corporis, quorum vicem deinde exerceat oculus; sed immediate tanquam in subiecto est in anima et oculo tantum, quae tamen et est actio hominis; actiones enim sunt suppositi et est propter hominem et cetera eius membra, seu propter usum ceterorum membrorum. Ludit vero Maior (l. inferius c.) cum ad idem suadendum provocat ad hoc effatum: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.* Hoc enim principium, si principium est, valere quidem potest cum effectus cum causis suis efficientibus comparantur: non valet vero *saltem per se* quoad causas intrinsecas; neque enim si Petrus est homo propter animam, ipsa anima est magis homo: neque valet pariter quoad causas finales: neque enim si magister est doctus propter discipulum erudiendum, hic est doctus magis. Ita pariter etsi Petro data sit potestas propter Ecclesiam, non sequitur: ergo Ecclesia

plus potest quam Petrus. Verum quidem est occasionem huius sententiae circa potestatem Ecclesiae potuisse Richerium accipere ab ea doctrina, quod subiectum primarium potestatis socialis sit ipsa societas, quae eam deinde naturae ductu in Regem aut alios transfert: at quidquid sit de ea doctrina, de qua nolumus quaestionem habere, manifestum est, non eadem ratione loquendum esse de societate naturali et de supernaturali, quae est institutionis liberae, positivae, divinae, praeter et supra exigentiam naturae.

Quapropter in hac controversia uti licet praescriptione hoc pacto: Cum quaestio agitur, an Christus potestatem a se institutam contulerit primum toti Ecclesiae, seu universo fidelium coetui, communicandam ab eo postea certis ministris, an solum quibusdam personis contulerit, quas propter eam a cetero coetu discreverit: praescribimus, quaestionis solutionem petendam non esse ex principiis rationis, quibus naturalium societatum ordinatio stabilitur, sed ex sola Christi voluntate institutoris potestatis. Est scilicet quaestio facti, quae testificatione referente liberam Dei voluntatem dirimenda est.

II. Sententia itaque fuit doctorum quorumdam gallicanorum (Gersonis *De Potest. Eccl. Consid.* 4. seq. Iacobi Almaini in *Quaest. resumpt. Concl.* 3. et *De Auctorit. Ecclesiae cont. Caietanum* c. 6. Maioris *Disput. de Auctorit. Concil. supra Papam* aliorumque) Christum potestatem supremam *immediate*, *principalius* dedisse Ecclesiae. Ecclesiae quidem nomine aliqui coetum omnium praelatorum videntur accipere; quidam vero etiam collectionem omnium fidelium accipiunt. Hos secutus Richerius statuit, quod iam audivimus, totam iurisdictionem Ecclesiasticam primario proprie et essentialiter Ecclesiae convenire quae eam exercet per suos ministros et instrumenta Papam et Episcopos. Hunc imitatus Febronius (*de Statu Ecclesiae* c. 1. §§. 5. 6.) docet potestatem clavium datam a Christo Ecclesiae universitati, quae eam principaliter et radicaliter obtinet quaeque eam exercet per suos ministros et praecipue per Rom. Pontificem. Secundum hos Constitutio Civilis Cleri in Galliis edita est labente seculo praeterito, in qua forma regiminis ecclesiastici auctoritati civili h. e. populi subiiciebatur eademque proscripta est a Pio VI. Constit. *Caritas* die 13. april. 1791. Idem Pius VI. proscripsit ut haereticas propositiones Synodi Pistoriensis 2^am^ quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum*, sic intellectam ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas et 3^am^ quae statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicatam ut R. P. non a Christo in persona b. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii acci-

piat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia.

III. Quaestio est ergo, quibus Christus voluerit non solum commissum exercitium potestatis ecclesiasticae, sed quibus voluerit conferre ipsam potestatem originaliter. Iam vero illis tantum dicendum est fuisse a Christo collatam originaliter potestatem, quibus exclusive ex tabulis testatoris h. e. ex evangelio constat fuisse collatam: atqui ex his constat eam solum quibusdam determinatis personis, h. e. Apostolis fuisse collatam: ergo. Maior patet; potestas enim, qua Christus in terris fideles suos regebat, propria erat ipsius, independens a quovis consensu subditorum, integrumque proinde ipsi erat, eam participare cui vellet, ita, ut nemo alius eam habere posset, cui ipse non dedisset. Prob. minor. Constat tum Petro primum et cum Petro aliis Apostolis, quos Christus speciali ratione sibi devinxerat et ab aliis secreverat, potestatem ab eodem Christo fuisse collatam; tum fuisse illis collatam non prout erant coetus fidelium, vel illum repraesentabant, sed prout erant personae distinctae a ceteris et ut per eam potestatem discernerentur a ceteris eisque iure divino superiores essent: atqui his positis potestas solis illis determinatis personis est collata: ergo. Maior quoad primam partem patet ex testimoniis Luc. VI. 13. 14. Matth. XVI. 18. seqq. XVIII. 18. Ioan. XXI. 15. Matth. XXVIII. 20. etc. Altera vero pars maioris evidens quoque est: nam praeter quam quod nullum est indicium dissertum huius repraesentationis, imo ipsi iam fuerant a ceteris discreti, ita haec pars probatur. Nam manifestum est, quod aliquibus, tanquam distinctis a ceteris, confertur potestas aliqua socialis, quibus haec potestas fit tanquam auctoribus futurae societatis: si enim per illos iam auctoritate auctos futura est societas; ipsis solis ut distinctis a cetera societate, quae nondum est, confertur omnis potestas. Atqui ita res se habuit in institutione divina ecclesiasticae potestatis. Etsi enim dum Christus inter homines versaretur, exsisterent aliqui fideles una cum Apostolis, qui simul cum illis immediate regebantur a Christo; attamen Ecclesia aedificanda a Christo ea erat quae exstitura esset secundum formam a se praestitutam post eius abitum a terris: loquitur enim Christus de Ecclesia adhuc a se aedificanda, cum iam fideles sibi cohaerentes haberet, quae proinde secundum formam socialem nequit esse ea ipsa quae iam tunc exsistebat: huius autem futurae Ecclesiae Apostoli fuerunt auctores: ergo. Minor praecedentis argumenti, quod nempe his positis potestas sit a Christo collata soli illis determinatis personis, evidens est: ergo.

IV. Hunc esse Ecclesiae sensum perpetua et constans agendi ratio manifestat. Sane nunquam ex omnibus fidelibus generalia concilia

convocata aut eorum suffragia ex auctoritate petita; sed ex solis Episcopis utpote successoribus Apostolorum concilia collecta eorumque tantum authentica suffragia expetita: nunquam universis fidelibus facta potestas instituendi praesides et episcopos; sed distincto iure ferendi testimonium atque etiam postulandi et iure eligendi ac conferendi potestatem, illud quidem permissum fidelibus fuit, hoc semper negatum. « Expectarentur, ait s. Leo ep. 10. c. 4. vota, civium, testimonia populorum, quaereretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quae in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui noverunt Patrum regulas, custodiri... Teneatur subscriptio clericorum, ordinis consensus et plebis: qui praefuturus est omnibus ab omnibus eligatur ». In priore parte sententiae distinguitur electio, quae asseritur clericis, a testificatione et postulatione seu votis populi: in altera parte quoniam ex omnibus his actibus unus fiebat qui in electionem desinebat, electio omnibus tribuitur simul, sed id accipiendum est cum distributione accommoda. Sane Canon Apostolicus 31. statuit: « Si quis episcopus secularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur et segregentur omnes qui illi communicant ». Conc. Nicaenum cn. 4.: « Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia episcopi, καθίστασθαι constitui, praefici... Firmitas autem eorum, quae geruntur per unamquamque provinciam, metropolitano tribuatur episcopo ». Conc. Laodicenum cn. 13. « Turbis non esse permittendum electiones eorum facere, qui sunt in sacerdotio constituendi ». In 4. Synodo Romana in causa Symmachi reprobatum est, « laicos electionem episcopi in suam redegisse potestatem, quod contra canones esse manifestum est ». Conc. Nicaenum II. cn. 3. « Omnem electionem, quae fit a magistratibus, episcopi, presbyteri vel diaconi, irritam manere. Oportet enim eum, qui est promovendus ad episcopatum, ab Episcopis eligi ». Conc. oecum. VIII. cn. 22.: « Sancta et universalis synodus definit, neminem laicorum principum vel potentem semet inserere electioni vel promotioni Patriarchae aut metropolitani aut cuiuslibet episcopi... praesertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentem vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi, usquequo regulariter e collegio Ecclesiae accipiat finem electio futuri Pontificis ». Quocirca, ut ait Caelestinus I. epist. 5. ad Episcopos per Apuliam et Calabriam: « docendus est populus, non sequendus ». Florus diaconus Lugdunensis sub finem seculi IX. scripsit librum *de Electionibus Episcoporum*. Ait ergo n. 4.: « Quod vero in quibusdam regnis postea (postquam nempe desiit unus esse Imperator) consuetudo obtinuit, ut consultu Principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem

et concordiam mundanae potestatis, non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacrae ordinationis, quae nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu et Ecclesiae fidelium consensu cuique conferri potest... Unde graviter quilibet princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat, quod sola divina gratia dispensat; cum ministerium suae potestatis, in huiusmodi negotio peragendo, adiungere debeat, non praeferre ». Apud Gallandi tom. 13.

Quia vero ad Cypriani auctoritatem provocatur, ad asserenda quaedam laicorum iura, verba ipsius ex epist. 68. afferemus, quae, si totus contextus legatur, apertissima in luce ponunt sententiam quam defendimus, suos limites definientia plebis actioni. Ait enim quod « ipsa maxime (plebs) habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina ordinatione descendere, ut sacerdos plebe praesente, *sub omnium oculis*, deligatur et dignus atque idoneus *publico iudicio ac testimonio* comprobetur: sicut in Numeris Dominus Moysi praecepit dicens: *Apprehende Aaron fratrem tuum et Eleazarum filium eius et impones eos in monte coram omni synagoga et exue Aaron stolam eius et indue Eleazarum filium eius* ». An Eleazarus electus est a populo? minime. Quo ergo ex mente Cypriani spectat exemplum istud divinae auctoritatis? audi sequentia: « Coram omni synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, idest instruit et ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut *plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur* et sit ordinatio iusta et legitima, quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata ». Tum aliis ex Scriptura allatis exemplis concludit: « quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata tota plebe gerebatur, *ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet* ». Electio ergo non proprio sensu accepta populo asseritur, sed prout erat testificatio idoneitatis eligendi.

Si autem quaeris, quo iure haec praxis inducta sit, respondemus distinguendo: quatenus enim ut dignus eligatur, medium adhibetur, quo dignitas eligendi cognosci possit, id de iure est naturali et divino; quatenus vero hoc modo res peragebatur, ut plebe praesente ac testimonium ferente atque etiam postulante electio a clero fieret, id iuris erat ecclesiastici, profectum ab auctoritate Ecclesiae, in cuius potestate proinde est alios substituere modos. Cf. quae dicemus in Th. XIV. Haec autem distincta munera plebis testimonium ferentis et cleri eligentis, in electione quoque Romani Episcopi (Cypriani ep. 52.) habuisse locum tenendum est: licet ob rationem unitatis actus, qui ex pluribus exsurgebat, plebs quoque eligere diceretur (Libri diurni §§. 58. 60.).

In qua tamen electione id speciale occurrit, quod simplex sit electio nullaque habeatur ex parte hominum seu collatio potestatis, cum Deus immediate potestatem Primatus conferat designato in successorem Petri, ut postea videbimus.

Ex praeiudicio dogmatico Protestantes contendunt Ecclesiae nomine in verbis Christi (Matth. XVIII.) *Dic Ecclesiae*, coetum fidelium significari. Nam per se societatis alicuius nomen fieri potest et iis qui ei praesunt eamque iuridice repraesentant: in verbis autem Christi hoc indicari manifestum est. Nexus est enim inter ea verba et sequentia: *amen amen dico vobis: quaecumque alligaveritis* etc. nexus scilicet causalis; quatenus potestas facta Apostolis ligandi et solvendi ratio est, cur eos audire debeant fideles eisque subesse, si in coetu fidelium connumerari velint.

V. Nuperus scriptor veteres errores recantans et augens, e secta eorum, qui a vetustate nomen sibi adsciverunt, ut nomine simularent quod facto amiserant, Dr. Iosephus Langen in opere (Das viticanische Dogma von dem Universal-Episcopat und der Unfehlbarkeit des Papstes in seinem Verhältniss zum neuen Testament und der kirchlichen Ueberlieferung secunda editio. Bonn. 1876.), in quo data opera Primatum Romani Pontificis impugnat, instauravit quoque haeresim asserentem potestatem, quae in Ecclesia est, esse per se penes communitatem, cuius vice quidam eam exercent laicosque etiam, exceptis tamen mulieribus, partem habere cum aliis in gubernatione societatis christianae atque in magisterio. Cur vero? quia nempe 1° Christus apertissime significavit, non haberi in Ecclesia eminentiorem aut inferiorem locum, sed solum obligationes difficiliores aut leviores, nullum magistrum esse super terram prorsusque contrario modo se habere Ecclesiam ac politicae societates; nullam proinde dominandi cupidinem ibi esse debere Matth. XX. 25. XXIII. 8. Sane 2° Paulus negat se iubere 2ª Cor. VIII. 7. seq. Hinc 3° tribunal est ipsa communitas, Ecclesia Matth. XVIII. 15. Idcirco 4° Apostolus simul cum communitate iudicat 1ª Cor. V. 3. 4. et 12.: atque 5° ipsa communitas immediate active concurrit ad vitam seu administrationem Ecclesiae Act. VI. 1. seqq. Imo 6° decretum concilii apostolici latum est nomine Apostolorum, presbyterorum et laicorum; haec enim est inscriptio quae in quibusdam codicibus legitur antiquisque versionibus Act. XV. 23. οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοὶ. Constat 7° quoque laicos magistrorum munus obiisse Rom. XII. 4. seqq. 1ª Cor. XII. 1. seqq. 1ª Tess. V. 19. Iacob. III. 1. Apostolus vero solas mulieres excipit ab hoc ministerio 1ª Cor. XIV. 34. 1ª Tim. II. 11. Quapropter vi huius realis participationis laicorum ad vitam Ecclesiae, universa christianorum communitas appellatur ab

Apostolis Petro atque Ioanne genus sacerdotale, regale sacerdotium. Itaque si qua potestas in Ecclesia nomine Christi exercetur, ea spectat ad universam communitatem et qui eam exercet agit ut repraesentans universitatis. (Op. cit. P. 1. §. 5., ubi nihil est novi praeter singularem temeritatem).

Aegre profecto divinabis, quam notionem Ecclesiae ex Testamento novo animo suo informaverit iste Exegesis N. T. Professor ordinarius. Ecclesiae auctoritas est penes universitatem, ministri, qui auctoritate funguntur, eam exercent nomine universitatis, diceres ergo ministros deputatos esse a populo, ut ipsi fruantur exercitio potestatis, penes populum manente supremo iure potestatis et iure eligendi ministros. At hoc non est contentus iste Dr.; nam ipsum exercitium potestatis laicis simul cum Apostolis et presbyteris asserit, imo laicis solis seorsim ab aliis agentibus, si eos Spiritus S. moveat, exercitium auctoritatis docendi attribuit, si quid probant quae ex Rom. XII. 4. seqq. 1ª Cor. XII. 4. seqq. XIV. 34. producuntur. Atqui haec nedum democratia est, sed anarchia. Id quidem cohaeret cum eo quod ibidem docet: nimirum quod etsi Apostoli magistri fuerint respectu gentium, Iudaeorum eorumque qui nondum plene in christiana doctrina instituti erant, attamen quoad fideles perfecte eruditos nullus amplius dabatur magister; omnes enim fratres erant ideoque pares. Hanc Christus Ecclesiam instituit? Quid est ergo quod Apostolus ait dedisse Deum Ecclesiae quosdam Apostolos, quosdam prophetas, quosdam evangelistas, quosdam pastores et doctores (Ephes. IV. 11.), negans omnes esse doctores (1ª Cor. XII. 29.), asserens e contrario (ibid.), corpus Ecclesiae se habere ad modum corporis organici, in quo fieri nequit ut functio quaelibet omnibus membris congruat ac repugnat omnia membra esse aequalia? Piget haec commenta refutare adeo adversa rationi, quae tamen magna cum fiducia proferuntur ac si nulla a catholicis adhibita fuisset responsio argumentis h. e. sophismatis quibus muniuntur.

Et sane, aiunt, Christus Matth. XX. 25. 26. sicut et Luc. XXII. 25. 26. negat esse debere in Ecclesia qui potestatem exerceant; ergone negatur quaelibet potestas et quodlibet exercitium potestatis? si ita est, cur eam Christus instituit, cur ea Apostoli usi sunt, imo, ut vult, iste Dr., etiam laici eam exercuerunt? an non potius negatur quaedam species potestatis et quoddam potestatis exercitium, cuiusmodi reges gentium sibi vindicabant, dominium nempe seu despotismus atque usus potestatis in bonum et commodum non subditorum sed imperantium? Id quidem tenendum est; nam Christus mentionem facit non Regum simpliciter, sed *Regum gentium*, qui subditis tanquam servis dominabantur: κατακυριεύουσι ait modumque negat, non ipsam rem (cf. quae

dicemus in fine th. II. seq. Tract.) vultque ut ii, qui maiores futuri sunt, sint aliorum ministri h. e. in utilitatem aliorum sua auctoritate utantur. Et sane cur eo in loco Christus, ad docendos Apostolos humilitatem, ait eos non debere esse sicut Reges? cur Reges in medium producit? Id profecto intelligitur, si Apostolis quoque vera auctoritas in alios competeret, quam tamen alio modo, ac reges, exercere deberent; at si secus fuisset, quam incongrue Christus, ut privatos homines ad modestiam hortaretur, mentionem fastus regalis iniecisset! Nimirum Apostoli, qui promissionem acceperant conferendae sibi potestatis a Christo, se principibus mundi comparabant et quaerebant quis eorum esset maior non virtute aut sanctitate sed potestate, quis veluti Rex inter eos: Christus autem non negata potestate, quam promiserat, negat ab illis esse exercendam sicut exercetur a Regibus gentium, qui se gerunt erga subditos sicut domini erga servos: ita certe ea aetate se gerebant reges Orientis et Imperatores quoque Romani, sed exercendam esse docet, quemadmodum ipse exemplo suo ostendit.

Rursus praecipit Christus discipulis, ne vocentur magistri, quia Magister eorum unus est Christus. Quid inde? Idem praecipit ibid. ne sibi velint vocare patrem super terram. Cur ergo sibi asseruit Paulus rem hoc ipso nomine significatam, cum ait Corinthiis IV. 15., eos non habere multos patres, etsi multos habeant paedagogos; quia ipse eos per evangelium genuerat in Christo Iesu? cur ibid. Timotheum filium suum vocat, si pater nequit ipse vocari? scilicet non ipsa res et dignitas patris ac magistri utique obnoxii Patri et Magistro Deo, sed appellationes huiusmodi cum fastu, quales ambiebant Pharisaei, ut ibidem notatur ac sine subordinatione paternitati ac magisterio divino, reiiciuntur a Christo. Ex eo autem quod Apostolus aliquando dicat: *non quasi imperans dico*, tunc consequetur caruisse ipsum potestate imperandi et independente exercitio eius, cum demonstrabitur eum, qui fretus est independente auctoritate non posse alloqui subditos nisi modo imperativo.

Porro quid Ecclesiae nomine Matth. XVIII. 15. intelligendum sit, iam docuimus. At 1ª Cor. V. 3. 4. Apostolus quidem exhibet se ut iudicem, Corinthios vero ut congregatos simul cum ipso in spiritu: verum aliud est congregari, aliud congregari ad iudicandum; nam et concio populi convocatur, ut sententia sollemnis proferatur notaque fiat et sit qui illam exsequatur. Cum vero ibid. v. 12. ad probandum, quod ad se non attinet iudicium de iis qui foris sunt, ait: *nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis;* haec verba vel ad eos referuntur, qui in Ecclesia Corinthii auctoritatem habebant iudicandi, vel de iudiciis secularibus agunt, de quibus et cap. seq. agitur.

In electione autem diaconorum satis liquet populum partes egisse testium, quas nemo illi negat. Quoad lectionem illam ex Act. XV. 23. certe legere licet textum cum vulgata et omittere καὶ οἱ, sicut ex auctoritate codicum praestantissimae notae omittit Tischendorf in editione N. T. et Loch. Ceterum etsi ea lectio recipiatur, quid inde colliges? scilicet universam Ecclesiam Hierosolymis consistentem salutem mittere fratribus ex gentibus decretumque sequens editum esse conspirantibus omnibus etiam fidelibus ex circumcisione. Verum negatur consequentia, quod scilicet auctoritative se gesserint simplices fratres in eo edendo decreto; nam cum a pluribus una actio fit, licet quidam tantum ex auctoritate imperent, alii consensum debitum praestent, potest eadem actio cum distributione quidem accommoda omnibus adscribi. Quae ex epist. ad Rom. XII. et 1ª Cor. XII. producuntur, ipsi D.ri Langen adversantur; exhibent enim Ecclesiam ut corpus organicum, cuius singula membra non eundem actum habent. Cur vero voluerit idem Dr. confundere dona gratis data extraordinaria cum ministerio docendi instituto a Christo in Ecclesia, ipse viderit. Appellatio tandem generis sacerdotalis et regalis sacerdotii facta universitati fidelium eadem ratione probat singulos fideles esse vere sacerdotes ac potestate instructos, qua probaretur omnes et singulos Gallos esse reges, eo quod eorum universitas dicitur regnum Galliarum.

VI. Propagari voluisse Christum successive in alios perpetuo potestatem a se primitus collatam, patet primo ex verbis Christi Matth. XXVIII. 20.: patet deinde simpliciter ex perennitate Ecclesiae, quae pluribus argumentis per se demonstratur; ea vero nequit esse sine potestate (§. II.) a Christo instituta. Cum propagatione *successiva* nexa est propagatio, ut ita dicam, *extensiva*, qua ab iis qui instructi sunt potestate communicatur aliis participatio eiusdem, qui simul cum dantibus eam exerceant plus minus perfecte, plus minus subordinate. Oportuit enim, amplificata Ecclesia, pastorum et doctorum numerum augeri ac praeexistere eos, per quos defunctis prioribus successio continua obtineri posset.

Porro propagatio potestatis sacrae olim in T. V. via generationis carnalis fiebat, iam ab initio statuta divinitus lege ut eiusdem idonea subiecta forent eamque exercerent, qui ex certis familiis essent orituri. Nunc vero « cessante privilegio Patrum et familiarum ordine praetermisso, eos rectores accipit Ecclesia, quos Spiritus S. praeparavit » (s. Leo. *Serm. in Nat. suo* III.). Seposita vero via carnalis generationis, si propaganda est in alios potestas, necesse est primo, ut qui cooptandi sunt in coetum obtinentium potestatem, assumantur ab iis, qui ad eum coetum iam pertinent, per actum quidem vel institutionis auctori-

tatem conferentis si de inferioribus agitur, vel saltem electionis, si de suprema plenaque potestate agitur, quam Deus immediate confert singulis. Id probat tum doctrina Pauli de legitimae missionis necessitate Rom. X. 15., tum ipsa natura potestatis, quae ita instituta sit ut ad certum coetum tantummodo pertineat: nisi enim novi assumantur ab iis qui iam potestatem obtinent, praeter horum coetum et contra ipsos poterit reperiri potestas, quod perverteret prorsus institutionem Christi. Huius oeconomiae testis est in primis s. Clemens epist. ad Corinth. nn. 42. 44. Necesse est praeterea ut aliquo ritu sacro initientur ministri huius potestatis, si Deus voluit sacro ritu constitui subiecta idonea eiusdem potestatis. Id vero Christum voluisse constat universa Traditione Ecclesiastica, quae certi et determinati ritus semper meminit sub nomine vel *ordinationis* vel χειροθεσίας, aut χειροτονίας, quo sacros ministros initiari oportet. Testes huius rei sunt omnes libri rituales, fere omnes synodi et pro eius antiquitate satis est conferre Canones Apostolicos in Constitutionibus Apostolicis L. 8. cc. 4. seqq. (a) ac Canones tributos olim Carthaginiensi Synodo anni 398.

VII. Iam vero usu Ecclesiastico κλῆρος dictus est collegium eorum, qui, sacris functionibus vacantes, cultui Dei sunt specialiter deputati, secundum id quod populus Israelis vocabatur κληρονομία Dei, quo significabatur gratuita electio magnumque bonum a Deo profectum; qui enim erant κληρονομία Dei, iisdem Deus erat κλῆρος sors, pars, hereditas. Hinc adiectivum κληρικός, qui ad clerum spectat. Cuius appellationis rationem reddit Hieronymus epist. 52. ad Nepotianum n. 5. « Clericus interpretetur primum vocabulum suum et, nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, sors latine appellatur, propterea vocantur *clerici* vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors idest pars clericorum est ».

(a) Cum Canones Apostolicos citamus, nolumus affirmare eos fuisse conscriptos ab Apostolis; censemus tamen propter subsequentis Ecclesiae iugem loquendi rationem eos fuisse traditos (saltem priores 50.) Ecclesiae ab Apostolis et praesertim a Petro. Et sane tenendum est, leges aliquas ius divinum determinantes et disciplinares latas fuisse ab initio Ecclesiae; sine his enim recte gubernari et administrari talis societas non poterat: porro Christus leges quidem tulit circa res credendas legemque naturalem sanxit et hierarchiam et sacramenta instituit; ceteras vero quae opus forent ad rectum usum sacramentorum, ad continendos inferiores in debita subordinatione erga praepositos, ad unitatem inter omnes fovendam atque ad vitam christianam explicandam, determinanda permisit aut constituenda ministerio a se instituto. Oportuit ergo ut Apostoli pro opportunitate canones aliquos conderent, ad quorum normam regimen Ecclesiae exigeretur. Cum ergo canones exstent, qui ab Ecclesia Apostolis adseruntur, cur non putabimus eos profectos esse ab Apostolis?

Cf. Nazianzenum Or. 14ª *De Pauperum amore* citantem ex Constit. Apostolicis verba Petri.

Usu antiquissimo, cuius initii memoria non exstat, clericorum nomine in Ecclesia veniunt qui ministeriis sacris sunt mancipati (Bellarm. l. I. *de Clericis* c. 1.) iidemque a λαϊκοῖς discernuntur (Paulus 1. Cor. XIV. 16. pro λαϊκῷ dixit ἰδιώτην). Cf. Canones Apostolicos 1^m et 15^m, Constitutiones Apostolicas l. 2. c. 26., Canones nicaenos 1^m 2^m 3^m 8^m 17^m 18^m 19^m. Communionis laicae concessae Episcopo poenitenti meminit Cornelius R. P. ad Fabium (Euseb. H. E. l. 6. c. 43.). Clemens autem Romanus epist. 1^a ad Corinth. n. 40. opponit λαϊκοὺς Sacerdoti et Levitis. Tertullianus de Monogamia c. 12. « Cum extollimur et inflamur adversus *clerum*, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes; quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit (ad hoc scilicet testimonium provocamus). Cum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus ».

Patet proinde discrimen esse inter clericos et laicos duplicemque ordinem distinctum eos in Ecclesia constituere. Quod si Ecclesia regale sacerdotium dicitur 1^a Pet. II. 9. et fideles sacerdotes vocantur Apocal. V. 10. id analogice eo sensu dictum est quo et populus Israel iisdem titulis est insignitus Ex. XIX. 6. Est enim Ecclesia regale et sanctum Sacerdotium; quia est regnum quod a sacerdotibus regitur quodque ad cultum divinum per actus hierarchicos speciatim exhibendum ordinatur. Quo sensu et simplices fideles, prout pars sunt huius regni, quodam sensu sacerdotes dici queunt, licet verba Apocalypsis non ad omnes fideles spectare videantur. Distinctio autem, quam Paulus negat inter fideles Gal. III. 28., refertur ad dona sanctificantia ad salutem.

Quoad discrimen clericos inter et laicos quaestio duplex fieri potest: 1° an sit ex iure divino, 2° an sit per aliquam intrinsecam formam divinitus impressam eamque immutabilem, ita ut qui clericus est nunquam laicus possit evadere. Primae quaestionis solutio ex demonstratis petenda est. Clerici enim sunt ii, qui plus minus potestate sacra in Ecclesia fruuntur: cum ergo ex Christi institutione ideoque iure divino sint quidam aucti potestate sacra qui perenni successione continuantur iique soli; patet eos esse iure divino distinctos et secretos a laicis, quibus nulla competit sacra potestas. Altera quaestio, ne nimis sit indefinita, de eis accipiatur clericis qui non sola institutione ecclesiastica, sed iure divino sint tales subiectumque sint iure divino idoneum ad potestatem iurisdictionis. Porro ita circumscripta quaestione, est respondendum affirmative, quin tamen opus sit hanc affirmationem exclusive accipere. Ratio responsionis est, quia huiusmodi clerici per ritum sacrum ministeriis divinis deputantur et consecrantur ita, ut haec consecratio indelebilis sit semperque maneat. Id vero in sequentibus breviter demonstrandum est.

Quibus praemittenda est distinctio duplicis potestatis, *ordinis* nempe et *iurisdictionis*. Potestas ordinis est vis per sacrum ritum collata supernaturalis efficiendi ad modum causae physicae sacramenta quaedam. Ad modum inquam causae physicae; agit enim sicut causa physica, quae cum est subiecto idoneo applicata effectum suum producit, quin ab extrinseca finita voluntate possit impediri. Potestas iurisdictionis est potestas moralis, h. e. ius dirigendi coactive actus subditorum, est proinde potestas ferendi leges, iudicandi de actibus subditorum eosque coercendi poenis: potestas scilicet *legifera*, *iudicialis*, *coercitiva*. Utraque potestas competit ministerio a Christo instituto, ac de utraque disputandum, utraque enim est essentialis Ecclesiae prout societas est et primum de potestate ordinis disputandum, per quam iure divino redduntur homines capaces potestatis iurisdictionis.

§. XIII.

Ritus impositionis manuum, quo Christo auctore in ordinem hierarchicum adleguntur homines, est sacramentum proprie dictum, quod et imprimit characterem.

I. Ordo est plurium rerum parium impariumve apta secundum aliquam rationem dispositio (Aug. *de Civ. Dei* l. 19., c. 13. coll. lib. 2. *de Ordine*). Hinc Hierarchia ecclesiastica, quae plures et diversos sibi cohaerentes habet gradus, dicta est Ordo, et in comparatione cum simplicibus fidelibus vocata est Ordo ecclesiasticus, atque sacramentum Ordinis est sacramentum Hierarchiae: pariter quilibet ex his gradibus dictus est ordo, sic ordo episcoporum, presbyterorum, diaconorum; quae ratio loquendi in monumentis ecclesiasticis est frequentissima. Hinc ab effectu ad causam appellatione translata ordo a Theologis dictus est ille ritus, quo quis in ordine aliquo constituitur, qui clarius dicitur *ordinatio*. Hierarchia ἱερῶν ἀρχή principatus sacrorum est (ut colligit Petavius *de Angelis* L. II. c. 2. ex Dionysio et Maximo) gubernandorum sacrorum potestas et functio, quae quidem potestas eos quoque respicit, qui per sacrorum administrationem perficiendi sunt. Multiplex simul et una sub diverso respectu potest esse hierarchia, si plures sint sacrae potestates uni tamen subordinatae, quae praeterea ceteras in se contineat. Sacrum quemdam principatum esse in Ecclesia ex praecedenti §. satis constat et magis nunc manifestum fiet, eius essentia declarata, initio ducto a modo quo in hierarchiam homines adsciscuntur.

II. Χειροθεσία est impositio manus aut manuum. Χειροτονία est primo extensio manus aut manuum, quae fieri potest vel elevatione,

ut in suffragiis ferendis, quod penes Atticos in usu erat (cf. Carolum Sigonium *de Reprob. Atheniensium* l. 2.), unde et ad sacras quoque electiones in Ecclesia huiusmodi appellatio dimanavit; vel fieri potest protensione super aliquid. Hoc alterum intelligitur cum χειροτονία accipitur pro χειροθεσία. Huius meminit Lucas Act. VI. 6. XIII. 3., Paulus 1ª Tim. IV. 14. V. 22., 2ª Tim. I. 6., occurrit scilicet phrasis τὰς χεῖρας ἐπιθεῖναι, unde eadem vocatur τῶν χειρῶν ἐπίθεσις eademque vox et phrasis frequenter in ecclesiasticis monumentis apparet. Item χειροτονία occurrit in monumentis ecclesiasticis pluribus omnibusque ritualibus libris vel sacramentariis graecis; sic enim ibi appellatur quae dicitur a latinis *ordinatio*, penes quos, inter ritus ordinationis terminus complexus occurrit *impositio manuum*, de qua canones citati carthaginienses loquuntur. Advertendum quod *impositio manuum*, τῶν χειρῶν ἐπίθεσις etc., multiplex in Ecclesia fuit: facile tamen ea distinguitur, quae pro ordinatione sacrorum ministrorum usurpatur. Nolumus proinde dicere, quod ubicumque χειροτονία in christianis monumentis occurrit, accipienda sit pro *impositione manuum;* nam et primitivum sensum elevationis manus, seu potius suffragii lati seu ψήφου in electione identidem retinet: sic accipiendus videtur canon 5. Laodicenus; at in can. 4. nicaeno si impositionem manuum ordinatricem non significat, significet oportet suffragium ψῆφον non postulantium sed decernentium ex auctoritate, quo quis Episcopus constituitur, κατάστασιν scilicet. Quoad textum Act. XIII. 3. cf. quae disputavimus in comm. Epist. ad Galatas c. 1. v. 1. Cf. et 2. Cor. VIII. 19. Lege, si licet, Thesaurum Suiceri ad h. v.

Cum ergo penes profanos sola electione magistratus crearentur, χειροτονία penes illos electionem tantummodo significabat; quia vero magistratus ecclesiastici non sola electione fiunt, sed ritu sacro et consecratione constituuntur, hinc usu Ecclesiastico χειροτονία huius quoque ritus significationem obtinuit et est frequentissime consecratio καθιέρωσις, τελεσιουργία.

Iam vero certum est ritum constanter adhibitum pro initiandis seu consecrandis Sacerdotibus sacrisque ministris seu adlegendis hominibus in ordinem hierarchicum esse χειροτονίαν h. e. χειροθεσίαν seu impositionem manuum simul cum certa verborum formula. Testes huius continuae praxis sunt Apostolorum Canones, Clementis Constitutiones, Canones Carthaginienses citati, Dionysius *de Eccles. Hierach.*, omnes rituales graeci atque latini, syri ceterarumque dissitarum sectarum usque ad nostra tempora. Omittimus nunc quaestionem an hic solus ritus olim usurpatus fuerit solusque habitus sit semper necessarius; satis est modo quod semper et ab omnibus fuerit adhibitus. Ex quo

eius origo apostolica manifesta est. Quod autem hic ritus Christo (vel specifice vel saltem generice) auctore adhibeatur, liquebit ex eo quod demonstretur esse Sacramentum.

III. Demonstratio petitur ex Scripturis absolviturque testimonio Traditionis. Testimonia ex Scripturis sunt 1ª Tim. IV. 14. 2ª Tim. I. 6.-7. Iam vero Sacramentum est ritus sensibilis efficax gratiae interioris sanctificantis. Non opus est addere quod talis sit ex divina institutione: nam ea patet evidenter, si certa est efficacia gratiae; etenim ea solum ex divina institutione esse potest. Atqui in his testimoniis exhibetur ritus sensibilis efficax gratiae interioris, qui ritus is est; quo homines in ordine hierarchico constituuntur: ergo. Prob. haec minor. Ritum esse sensibilem patet, est enim impositio manuum, quae licet multiplici ex causa in V. T. fuerit adhibita et in N. T. quoque adhibeatur, nihil impedit quominus et pro consecratione hierarcharum usurpetur; a forma enim determinatur et licet non sit elementum h. e. materia quaedam, sed actio, est tamen sensibilis ritus. Eius efficacia ad gratiam sanctificantem gignendam ex his colligitur: *a)* ibi significatur *gratia per se permanens*, id enim docemur verbis *quae est in te*, licet olim data fuerit (2. Tim. I. 6.) et eo quod possit negligi multo postquam data fuerit (1. Tim. IV. 14.) et eo quod sit excitanda haec gratia, habita praesertim ratione vis verbi ἀναζωπυρεῖν. *b)* Significatur gratia virtutis, dilectionis et sobrietatis; haec enim verba v. 7. nectuntur tanquam exegesis cum verbis praecedentis: porro talis gratia permanens est *gratia sanctificans*. Ex quo et illud patet perperam Protestantes contendere heic agi tantum de gratia gratis data vel gratia officii alicuius, eo quod vocetur a Paulo χάρισμα non χάρις; nam 1) character, qui est gratia gratis data, significari potest, qui est effectus sacramentalis; tamen 2) spiritus virtutis dilectionis et sobrietatis σωφρονισμοῦ castigationis scilicet et prudentiae non est gratia gratis data aut solum officii, sed est gratia sanctificans cum specialibus utique gratiis actualibus datis propter officium; quacum et potestas quaedam spiritualis cohaerere potest: χάρισμα vero et gratiam sanctificantem significat Rom. V. 15. 1ª Corinth. XII. 31. conf. Suiceri Thesaurum ad h. v. *c)* Haec autem gratia tanquam immediatus effectus exhibetur externi ritus eo modo quo alibi efficacia ritus baptismi significatur: *quae est in te per impositionem manuum mearum* (2ª Tim. I. 6.), quae data est tibi cum *impositione manuum mearum* (1ª Tim. IV. 14.). Prophetia vero, cuius 1ª Tim. IV. 14. fit mentio, nequit esse nisi conditio quaedam quae praecessit, quaeque determinaverit Paulum ad imponendas manus Timotheo. Cf. 1. Tim. I. 18. Hic tandem ritus is est quo Apostolus in ordinem hierarchicum adlegit Timotheum, qui certe episcopus

erat. Sane primo spectetur uterque contextus testimoniorum quae citavimus. In 2ª Tim. I. 6. seqq. gratia quae in Timotheo esse dicitur per impositionem manuum, ideo excitanda est, ut non erubescat testimonium Domini, sed collaboret evangelio secundum virtutem Dei; hoc porro est opus proprium episcopi: ergo ea impositione manuum gratia episcopalis collata fuit. Item in 1ª Tim. IV., 11. seqq. spectatur Timotheus ab Apostolo formaliter ut Episcopus. *Praecipe*, inquit, *haec et doce*, quod proprium episcopi est. *Nemo adolescentiam tuam contemnat;* nulla est quidem ratio cur simplex fidelis propter adolescentiam contemnatur; sed fieri potest ut qui praeest aliis, si adolescens sit, despectui habeatur. *Sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinae* seu magisterio, quae omnia ad episcopum spectant. *Noli negligere gratiam* etc. *Attende tibi et doctrinae. Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Habebat scilicet discipulos Timotheus eratque doctor doctrinae salutaris. Porro haec omnia exhibent nobis non communem fidelem, sed qui eis auctoritate et magisterio praeest, quique episcopus dicebatur. Cum ergo in hoc contextu exhortetur Apostolus Timotheum ut non negligat gratiam quae in ipso est cum impositione manuum presbyterii, ut scilicet exsequi valeat, prout par est munus suum, liquet impositionem manuum eam fuisse, qua gratia episcopalis fuit illi collata.

Praeterea advertendum est quod quae uno in loco dicitur a Paulo *impositio manuum mearum,* dicitur alio in loco *impositio manuum presbyterii.* Iam vero πρεσβυτέριον vel significat honorem et dignitatem presbyteri, vel consessum seu coetum presbyterorum. Si primum: ergo ea impositio manuum eo spectabat ut in ordinem presbyterorum (quo episcopi quoque comprehendebantur) h. e. in ordinem hierarchicum admitteretur Timotheus; si secundum: haec impositio manuum tum Pauli tum aliorum presbyterorum simul qua gratia interior gignitur, non alia excogitari potest ab ea, de qua in universa traditione mentio est. Atqui ibi praecipitur vel episcopum a duobus vel tribus episcopis manus quidem super eum tenentibus ordinari (Canon Apostol. 1. et Carthag. 2.), vel presbyterum ab Episcopo ordinari manum super eum tenente simul cum aliis presbyteris (Canon Carthag. 3.). Neque vero ad alium effectum (factum modo historice spectamus) plures imponentes manus requisiti unquam per se sunt quam ad ordinationem. Haec est ergo impositio manuum, de qua Paulus loquitur. Et re quidem vera in locis citatis sermonem esse de impositione manuum ordinatrice testis est unanimis consensus Patrum: unde Chrysost. in 1ª Tim. IV. 14. ait: « non de presbyteris heic loquitur, sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant »: ergo. Cf. Trid. Conc. Sess. 23. c. 3.

IV. Quod Scripturarum auctoritate demonstratur, idem evidentius testimonio traditionis efficitur. Certum est enim 1° inter septem N. L. sacramenta recensitam semper fuisse sacram ordinationem; cuius antiquae et universalis traditionis testes sunt rituales libri non solum catholicorum, sed et earum sectarum, quae sec. V. discessionem a Catholica fecerunt. Cf. Opus Morini *de sacris Ordinationibus*. Constat 2° in controversiis cum haereticis circa rem Sacramentariam sec. IV. et V. fuisse a Patribus assumptum tanquam omnibus exploratum, Ordinationem esse Sacramentum; sic enim omnium nomine disputat Augustinus contra Donatianos (*de Baptismo cont. Donat.* l. 1. n. 2.): « Sacramentum enim baptismi est quod habet qui baptizatur et Sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit; nulli enim sacramento iniuria facienda est... Sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur; sed aut administrant, si hoc Ecclesiae utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum ordinationis suae tamen gerunt et ideo eis manus inter laicos non imponitur ». Cui conformis est disputatio Hieronymi *adv. Luciferianos*, cuius argumentatio ad hominem huc redit: si recipitur laicus baptizatus in haeresi, etiam Episcopus ordinatus in haeresi vel qui haereticus fuerit, recipiendus est. « Si in fide sua (h. e. communione baptizantis) baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit » n. 11. Constat 3° quod in his quoque iam continetur, creditum esse per benedictionem ordinationis sanctificari homines: id teneri tamquam certum ponit Innocentius I. epist. ad Rufum n. 8.; dari per ordinationem Spiritum S. ita ut eius gratia in melius anima transformetur (Nyssenus Oration. *in Bapt. Christi*) foveaturque caritate Patris habitu et virtute sacerdotali locupletata (Dionys. H. E. c. 5.) gratiamque accipiat, ut praesit Ecclesiae, spiritumque virtutis et caritatis (Chrys. in 2. Tim. hom. 1[a]) et per impositionem manuum donetur Spiritus, qui ignis instar venit super Apostolos ac in homine potestas ineffabilis habitet (s. Ephraem *de Sacerdotio*). Idemque evincit consensus utriusque partis disputantis in controversia donatiana; per ordinationem scilicet Spiritum S. dari, unde negabant Donatiani posse extra Ecclesiam ordines conferri et idcirco ordinationem Caeciliani improbabant.

V. Iam vero sacramentum ordinationis imprimit characterem. Sane doctrina catholica de charactere quorumdam Sacramentorum, qui est consecratio quaedam permanens distincta a gratia sanctificante, quae

idcirco et ab iis accipi potest, qui Spiritum sanctificantem non accipiunt; doctrina, inquam, catholica de hac re explicata est sec. V. in controversia donatiana, et ab Augustino declarata et defensa totius veluti Ecclesiae nomine: in qua controversia antiquam traditionem fuisse propugnatam ex eo liquet quod Augustini doctrina non est nisi distinctior explicatio, atque ut talis semper habita fuit, doctrinae tum affirmantis extra Ecclesiae unitatem quoque et idcirco quin caritas infundatur, sacramenta quaedam conferri posse, tum negantis eadem posse repeti: quae doctrina communior erat aetate quoque Cypriani, ac postea sub finem seculi IV. evasit inter catholicos communis, omni dubitatione semota.

Atqui de sacramento ordinationis haec tanquam omnibus rata et fixa affirmat Augustinus: ipsum in iis, qui haeretici deinceps fiant aut schismatici aut impii, manere, ab iisdem valide exerceri aliisque conferri, ideoque repeti non posse in iis tum qui in catholica ordinati ab ea postea defecerint, tum qui ab huiusmodi desertoribus ordinati fuerint atque hoc non ex eo tantum quod illicita sit quia prohibita haec repetitio, sed propter rationem petitam ex rei natura, quia nempe sacramentum manet, quod quadam consecratione datur. Quae quidem consecratio ex vi ipsius sacramenti procedens est de iure divino. « Utrumque enim (Baptismus et Ordinatio) sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari » (*cont. epist. Parmeniani* l. 2. n. 28.). Unde qui in catholica ordinati sunt, si post factum schisma ad eam redierunt, « non sunt rursum ordinati: sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansint integra; quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quae ubicumque sunt, ipsa sunt » (ibid.). Et quoad illos, qui ab Ecclesiae unitate divisi sacramentum ordinationis extra ipsam acceperunt, pariter docet Augustinus quod « sicut redeunti non redditur quod foris habebat, sic venienti non repetendum est quod etiam foris acceperat » (ibid. n. 30.). Manet scilicet supernaturalis quaedam et sacra potestas, quae vi ordinationis independenter a sanctitate ministri et suscipientis confertur a Spiritu S., quae res permanens idcirco diversa est ab ea, quae post contractum matrimonium manet. In hoc enim manet vinculum h. e. mutuum ius et mutua obligatio, quae per se ex contractu originem habent et ad actum per se naturalem ordinantur: quoad sacramentum vero ordinationis manet potestas indita a Spiritu S. per se supernaturalis sacramenta quaedam conficiendi, ut confirmandi, consecrandi, ordinandi etc., quae ab Augustino *ius dandi sacramentum* appellatur: « nulla enim, ait, ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, *ius dandi* potest amittere » (l. s. c. n. 28.). Ita s. Thomas in 4^{m}

d. 18. q. 1. a. 3. « Nihil est aliud character ordinis sacerdotalis, quam potestas exercendi illud, ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur ». Atqui consecratio, qua, citra gratiam quoque sanctificantem, inditur vi sacramenti a Spiritu S. potestas supernaturalis conficiendi sacramenta, eademque vi eiusdem sacramenti permanens, quae proinde prohibet ne iteretur sacramentum, est character: ergo. Quocirca non probamus characteris impressionem ex eo solum quod ordinatio nequeat repeti; nam generatim quod quadam consecratione datur, etsi ea sit institutionis ecclesiasticae, haud repetitur, ut consecrationes altarium, templorum, virginum, abbatum: sed ex eo probamus quod ordinatio talis sit consecratio, qua confertur supernaturalis potestas, quae iuris divini est, quippe quae est ad conficienda sacramenta, quae a solo Deo esse potest atque potestas manens iure divino; manet enim eo ipso quod vi sacramenti ordinationis collata est, ita ut fieret iniuria sacramento si ipsum repeteretur (cf. verba Augustini in praeced. §. citata). Talis enim consecratio est character proprie dictus. Cf. S. Thomam 3. p. q. 63. a. 2.

Hinc Ecclesiae praxis recipiendi venientes ab haeresi vel schismate tum a se prius ordinatos tum ibidem ordinatos debito quidem modo, permissione iisdem plerumque facta exercendi ordines, absque iteratione Sacramenti, imo improbata et prohibita hac iteratione. Testes huius perennis praxis et doctrinae est iudicium Melchiadis in causa Donati (Optat. l. 1. n. 24.), Nicaena Synodus c. 8. (a), Synodus Alexandrina

---

(a) Sensus canonis nicaeni in textu graeco, quem habemus, hic est: De his qui se nominant catharos, si veniant ad Ecclesiam catholicam, placuit sanctae et magnae Synodo, ut tanquam ipsi impositionem manuum assecuti sic maneant in clero ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς οὕτω μενεῖν ἐν τῷ κλήρῳ. Agebatur enim quaestio non utrum tanquam valida probanda esset ordinatio Novatianorum, sed hoc supposito, utrum ordinati penes ipsos, cum redirent, recipiendi essent cum eodem honore, ad communionem scilicet sacerdotalem. Plerumque enim episcopi haeretici, cum redirent, recipiebantur quidem, sed ad communionem laicam, vel inferioris ordinis. Nicaeni vero Patres statuerunt mitius agendum cum Novatianis, quemadmodum deinceps in Alexandrina Synodo statutum est ab Athanasio pro episcopis arianis, qui non fuissent duces haereticorum, atque in conc. oecumenico VII. Act. 1. pro aliis episcopis haereticis. Huiusmodi decretum nicaenum supponit evidenter ordinationem in schismate acceptam validam esse; nam non praecipit rursus ordinari, at *iam ordinatos sic* iubet *manere in clero*, et quidem *sic* nempe ratione habita acceptae impositionis manuum. Cf. et can. 19. Versio vero latina illius canonis penes Innocentium I. epist. decretali ad Rufum. n. 10. sic habet: *placuit ut impositionem manus accipientes, sic maneant in clero*. Oportuisset dicere *cum acceperint*, seu *assecuti*. At videtur auctor versionis aliam cogitasse impositionem manus. Erat scilicet impositio manus simpliciter reconciliatoria, quae redeuntibus ad unitatem adhibebatur.

Neque difficultas exinde petatur, quod per talem impositionem manus diceretur

1ª sub Athanasio de lapsis recipiendis, Capuana Synodus in causa Bonosi, Innocentius I. epist. 17ª ad Rufum nn. 9. 10. seqq. et ep. 16. ad Marcianum, Anastasius II. in causa Acaciana epist. 1ª ad Anastasium Augustum nn. 7. 8., Gregorius M. l. 2. epist. 32. In quibus testimoniis illud est praecipue advertendum, quod comparatio instituitur plerumque explicite et ideo alibi quoque intelligenda, inter Baptismum et Ordinationem, ut eadem ratione neutrum sacramentum fas sit repetere. Idem evincit oeconomia adhibita ab Ecclesia Romana cum Ecclesiis Orientis, cum redintegrata fuit unitas, qua de re cf. Morinum *de Sacris Ordinationibus* P. I. tandem definitio Eugenii IV. in *Instructione pro Armenis* et Tridentina Sess. VII. c. 9., in quibus ratio non iterandi ex charactere petitur.

Quoad controversias autem subinde obortas circa quorundam illegitimas ordinationes, de quibus dici solebat quod *sic ordinati nihil accipere potuerunt, quia ordinatores eorum nihil habuerunt dare,* satis sit advertere, sensum Ecclesiae non ex dictis huius vel illius Scriptoris, sed ex communi ac constanti praxi et sententiis testium et doctorum authenticorum eam praxim explicantibus petendum esse. Licet ergo exstiterint quidam, qui aetatibus etiam subsequentibus videntur dubitasse aut aestu disputationis abrepti negasse validitatem ordinationum penes haereticos, ut Humbertus Cardinalis Silvae Candidae in lib. 1. *ad Simoniacos* sec. XI. (Migne P. L. V. 143.): his tamen semper praxi

---

accipi Spiritus S., ut loquitur s. Leo epist. 85: « quod si, inquiens, ab haereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur, sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur et per episcopalis manus impositionem virtutem Spiritus S. consequatur ». Ex quibus verbis quis forte suspicari posset non agnitum tunc fuisse a catholicis penes haereticos sacramentum confirmationis aut eius characterem, et sic incertam esse doctrinam de charactere, qui tribus sacramentis ex aequo asseritur. Verum s. Leo loquitur de impositione manus (non manuum) tantum reconciliatoria eiusque sententia huc redit: in haeresi quidem baptismus suscipi potest, sed non suscipitur utiliter, h. e. sine gratia suscipitur; haec autem gratia sacramenti tunc iis confertur cum ad unitatem redeunt: quia ergo unitati Ecclesiae adiungebantur impositione manus episcopi, tunc dicebantur consequi Spiritum S. Hanc interpretationem suppeditat Augustinus l. 3. *de Bapt.* c. 16. « Spiritus S. quod in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Maiores nostri voluerunt quod Apostolus ait: quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis... Non enim habent Dei caritatem qui Ecclesiae non diligunt unitatem. Ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi nisi in catholica Spiritus S. » Cf. notam FF. Ballerini ad epistolam Leonis 159. c. 7. Quocirca ex hac consuetudine Ecclesiae perperam Cyprianus epist. ad Magnum argumentum petebat, quo adversarios suos refelleret, ac si ipsi censerent iterandum esse sacramentum confirmationis. Cf. Dissertationem Natalis Alexandri de Sacramento confirmationis. Cf. verba Iustini in resp. 14. ad orthodoxos.

sua obstitit Ecclesia, neque ullam aliam suae praxis rationem reddidit, quam fidem characteris. Ita Petrus Damianus veritatem tuetur in libro cui titulus *Gratissimus*, illud defendens quod sicut baptismus, a quocumque detur, valet, dummodo rite administretur, ita et ordinatio: quia sicut ibi Christus est qui baptizat, ita heic est Christus qui consecrat. Testatur tamen sua aetate quosdam episcopos denuo consecrasse ordinatos a simoniacis (in praefat.): item Rom. Pontificem rogasse episcopos, ut a Deo poscerent lumen, quid super hoc negotio scrupuloso (nempe de ordinatis a simoniacis, decernendum esset ibid.). At non dicit, saltem clare, Papam dubitasse de valore ipso ordinationis.

Imo eodem sec. XI. qui penitius Maiorum traditionem Ecclesiaeque sensum investigavit Bernardus presbyter *de Sacramentis excommunicatorum* (Migne P. L. V. 148. p. 1061.), collatis sententiis Patrum, concludebat, sanctos Patres nobis communiter dicere: « extra Ecclesiam nec sunt nec fiunt sacramenta *effective*, idest cum salute animae, attamen eadem inutiliter, imo perniciose et esse et fieri non denegamus. Si enim ea extra Ecclesiam esse vel fieri penitus denegarent, nullatenus eadem in reconciliatis rata haberent ». Quo sensu Nicolaus II. eodem seculo inter decreta eidem tributa (Mansi Conc. T. 19. p. 875.) praecipit decr. 9., ut scienter ordinati a simoniacis sciant se non esse ordinatos. Scilicet carent honore et iure; quemadmodum ibid. decr. 3° edicit, ut presbyteri coniugati, qui nolunt uxores dimittere, Ecclesiam cum ordinibus suis amittant. Quocirca illa ratio loquendi, quae antiquitus quoque usurpata fuit atque ab iis qui ordinationes extra Ecclesiam susceptas non iterabant, eo spectabat ut negaret hominibus sic ordinatis *honorem* sacerdotii (Innocentius I. epist. decretali ad Rufum n. 7. « e contra asseritur, eum qui honorem amisit, honorem dare non posse nec illum aliquid accepisse; quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus et verum est. Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit: at qui comparticeps factus est damnationis, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possumus ») iisque ius acquisitum esse exercendi ordines plebemque christianam regendi idemque ius negabatur iis concedendum esse, cum ad catholicam reverterentur, nisi certis exsistentibus conditionibus, quemadmodum statuit idem Innocentius I., quibus exsistentibus reciperentur ad honorem sacerdotii sine ulla sacramenti iteratione. Nec audiendus hac in re Morinus op. cit. P. 3. Exercit. 5. Cf. Tournely *de Sacr. Ordinis* q. 6.

Ritum ordinationis iterandum non esse, suaderi potest auctoritate Scripturarum ex eo quod hortetur Apostolus episcopum ut gratiam

quam obtinuit excitet operibus suis, non vero iterationem eiusdem ritus proponat.

Itaque ordinatio eo spectat ut 1° intrinsece hominem Deo consecret ea consecratione, qua idoneus et potens perenniter exsistat actiones quasdam sacras et sacramentales peragendi, ut 2° rite dispositum gratia sanctificante opportunisque actualibus auxiliis augeat consecratum. Quocirca Ordinem scholastici definiebant *signaculum quoddam* (signum exterius) *Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* Cf. s. Thom. Supplem. q. XXXIV. a. 2°. Recte autem Suarez *de Sacram.* D. 11. sect. 1ª monet ordinationis effectum primarium seu primo intentum esse characterem; eo enim ipsa per se spectat ut ministros sacrorum sacerdotesque constituat: gratia vero confertur ut rite ministerium exerceatur. Idem Thomas disserte docet in 4ᵐ §. 24. q. 1. a. 2. ql. 2.

§. XIV.

Traditione autem christiana certum est duplicem iure divino ordinem esse Episcoporum et Presbyterorum atque his esse illos iure divino superiores: ritus autem sacer, quo initiatur Episcopus, sacramentum est distinctum ab eo sacramento, quo initiatur Presbyter.

I. Distinctioni duplicis ordinis, quam universa traditio evidenter testatur, obstare videtur ratio loquendi N. T. penes quod iidem videntur esse Episcopi qui presbyteri; quod et Hieronymus (in com. epist. ad Tit. c. 1. et in epist. 146. ad Evangelum - Petavius aliique legunt *ad Evagrium* -) ac Chrysostomus (in epist. ad Philipp. c. 1.) adverterunt; qua de re haec teneantur. In N. T. numquam occurrit mentio ministrorum sacrorum Novae Legis sub nomine sacerdotum; nam ἱερεῖς tunc intelligebantur ex usu loquendi sacerdotes Veteris Legis; mentio tamen fit sacrificii 1ª Cor. X. 16-21. coll. XI. 23. Hebr. XIII. 10. Sacerdotis autem nomine primis Ecclesiae seculis veniebat praecipue Episcopus.

In N. T. occurrunt nomina *Episcopus, Presbyter, Presbyterium, Diaconus.* Episcopus (ex usu profano *inspector cum iurisdictione* cf. Petavium de E. H. l. 2. c. 5.) est in N. T. qui praeest, qui Ecclesiam regit, qui manus imponit, qui presbyteros iudicat, qui depositum fidei custodit (Tit. I. 5. 1ª Tim. V. 1. 7. 19. 22. VI. 20. Tim. II. 2. IV. 2. Act. XX. 28.).

Presbyterorum nomine veniunt et ii qui erant Episcopi (Tit. I. 5. Act. XX. 17.-28. 1ª Pet. V. 1. 2.). At veniunt et illi qui Episcopo

subsunt. Nam 1. Tim. V. 19. praecipit Timotheo Apostolus ne recipiat accusationem adversus presbyterum, nisi sub duobus vel tribus testibus; Episcopus ergo eos presbyteros iudicabat.

Episcoporum nomine aliquando venire sacerdotes secundi ordinis (1ª Tim. III. Tit. 1. 5. 7. probabile est.

Presbyter nomen est dignitatis et officii, liquet ex locis citatis: pariterque se habet ac in T. V. זָקֵן (Exod. III. 16. IV. 29. Deut. XIX. 12. XXI. 3. 6. XXII. 15-18.). An semper sit nomen dignitatis dubitare licet ex 1. Tim. V. 1.

Presbyterium est per se consessus presbyterorum et etiam episcoporum, si qui presbyteri vocantur sit episcopi. Cf. epist. Cornelii R. P. ad Fabium Antioch. penes Euseb. (H. E. l. 8. c. 43.).

Quoniam constat in N. T. easdem personas, non quidem semper, dici simul episcopos et presbyteros (cf. l. c. ex episc. ad Titum), quaestio est inter eruditos an haec duo nomina in T. N. significent dignitates duas duoque munera differentia, materialiter tantum propter idem subiectum convenientia, an significent idem formaliter, ut omnis distinctio sit penes nomina. Hoc alterum potest duplici modo affirmari. Nimirum vel dicis, nomen presbyteri prius generice usurpatum fuisse ad designandum munus quodvis sacerdotale cum iurisdictione, postea in Ecclesia evasisse nomen specificum pro certo ordine. Vel dicis, nomen presbyteri habere in N. T. eandem prorsus specificam significationem quam nunc obtinet. Si primum dicis, licet affirmare in T. N. presbyteri appellationem designare illud idem quod episcopi, quin exinde inferre liceat eundem esse ordinem presbyteratum et episcopatum: at si alterum dicis, unum simul asseris fuisse ordinem sacerdotalem. S. Epiphanius (haeres. 85.) censuit presbyteros et episcopos in libris N. T. diversas esse personas, differenti instructas dignitate: Apostoli scilicet in quadam civitate episcopos et diaconos, in alia presbyteros solum et diaconos instituebant, prout idoneos reperiebant, et necessitas ferebat. Theodoretus in c. III. epist. 1ae ad Tim. et in c. I. ad Philipp. censet eos, quos nunc episcopos vocamus, fuisse aetate apostolica dictos apostolos; qui proinde in N. T. episcopi et presbyteri vocantur, fuisse simplices presbyteros, sacerdotes secundi ordinis. Hieronymus (l. c.) contendit eosdem esse, in epist. ad Tit. I. 5. et in Act. XX. 17-28. presbyteros et episcopos, ratione tamen habita gubernationis Ecclesiae, quam in communi a pluribus rectam fuisse censet, non vero habita ratione cuiusque potestatis, nam episcopis asserit potestatem ordinandi, quam negat presbyteris. Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Philipp. vult presbyteros et episcopos eiusdem ordinis nomina fuisse et quidem secundi ordinis, nam plures erant in una civitate. At hom. 11. in 1m Tim. rationem

reddens, cur ab Episcopis transeat Paulus ad Diaconos, omissis presbyteris, ideo ait hoc esse factum; quia parvo discrimine separantur episcopi et presbyteri, potestate nempe ordinandi, quae solis episcopis competit.

Sententia Petavii (Dissert. Eccles. l. 1. c. 2.) est: ii qui in N. T. dicuntur presbyteri, iidem erant quoque episcopi h. e. primi ordinis sacerdotes; eo quod tunc plures essent in una ecclesia episcopi ordinati, qui parati essent ad evangelizandas alias gentes essentque ad manus Apostolorum, qui eos mitterent quo oporteret. Nititur haec explicatio hypothesi, quod episcopi vocati ex Epheso et ii, ad quos scribitur epist. ad Philipp., sint episcopi unius omnes civitatis. At id incertum saltem est, probabiliorque est, quoad locum ex Actis, sententia Irenaei l. 3. c. 14. eos fuisse episcopos finitimarum civitatum (cf. eundem Petavium H. E. l. 2.).

Probabilior nobis ea interpretatio videtur, qua asseritur olim presbyteri nomen tum generica significatione usurpatum fuisse, tum identidem specifica, cum episcopo opponebatur: rationem vero cur presbyteri specifice accepti mentio aliquando non fiat, memorato episcopo et diacono, vel ideo esse, quia soli episcopi exstabant, ut ad Philipp., vel quia in episcopo presbyter continetur et ad utrumque eadem fere pertinent praecepta 1. Tim. III. 2. seqq. Ceterum haec interpretatio supponit testificationem traditionis, ex qua duplex ordo sacerdotii certo colligatur: ex Scripturis enim solis nihil in hac re licet certo definire.

Διάκονος, ut nunc de eo quoque loquamur, etiam profanis scriptoribus est *minister* duplicique significatione penes Scriptores ecclesiasticos occcurrit, laxiore scilicet, quae notat *ministrum verbi*, *Novique Testamenti* Eph. III. 7.; 2ª Cor. III. 6.: strictiore, quo alter quidam ordo a presbytero et episcopo significatur 1ª Tim. III. 8. coll. Tit. I. 5.

II. Iam vero duplicem esse ordinem sacerdotii formaliter distinctum (etsi in eodem subiecto simul esse possint et sic materialiter esse idem) traditione christiana evidens est.

Nam distinctio episcopatus a presbyteratu patet ex eo 1º quod enumeratis gradibus eorum qui praesunt, episcopi a presbyteris distinguantur: conferre licet omnes epistolas Ignatii e. g. ad Magnesios. 2. *Cum dignus sim habitus ut videam vos per Damam episcopum vestrum Deo dignum et per dignos presbyteros Bassum et Apollonium et per conservum meum Zotionem diaconum.* ad Trallianos. 2. *Necessarium est, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis ut apostolis Iesu Christi... oportet et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi omni modo omnibus placere:* et 3. *Cuncti reve-*

reantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium Apostolorum. ad Smyrnaeos 8. *Omnes episcopo obtemperate, ut Iesu Christi Patri et presbyterio ut apostolis, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.* 9. *Bonum est Deum et episcopum honorare: qui honorat episcopum a Deo honoratus est: qui clam episcopo aliquid facit, diabolo servit.*

Patet 2⁰ ex eo quod in singulis ecclesis plures habentibus presbyteros unus episcopus fuerit ab aetate apostolica: ita Iacobus unus episcopus Hierosolymae, Timotheus Ephesi, Titus Cretae, et singulis septem ecclesiis Asiae singuli angeli h. e. episcopi praeerant: idem porro ostendunt catalogi episcoporum quos reliquerunt nobis Irenaeus III. 3. Optatus II. 3. et praesertim Eusebius in H. E., qui primarum sedium successiones accurate describit ab ipsa aetate apostolica, initium seriei ducens semper ab uno episcopo et singulis decedentibus singulos subiiciens; ita Epiphanius haer. 27. n. 6. catalogum describens episcoporum romanorum: conferendus et Tertullianus qui ad hos catalogos provocat *Praescr.* 32. Caius romanus apud Eusebium H. E. V. 28. Atque Episcopum unum esse debere in singulis ecclesiis constat pariter ex Cypriano, qui *epist.* 69. ad Florentium Pupianum definit Ecclesiam: *Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde* (subdit) *scire debes, Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo.* Quocirca *epist.* 44. reprehendit confessores romanos Maximum et Nicostratum eo quod illos comperisset, *contra ecclesiasticam dispositionem, contra evangelicam legem, contra institutionis catholicae unitatem, alium episcopum* (praeter eum qui iam cathedram tenebat) *fieri consensisse.*

Patet 3⁰ ex eo quod alia sit potestas adserta episcopis, alia presbyteris. Iuvat in primis referre, quod presbyteri Ecclesiae romanae, sede vacante, scripserunt ad Cyprianum, qui eos consuluerat de ratione agendi cum lapsis (epist. 30. inter epist. Cypriani). *Omnes nos decet pro corpore totius Ecclesiae, cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare... quamquam nobis differendae huius rei necessitas maior incumbat, quibus post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur et eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate et consilio habere rationem.* Praeterea ius et potestas ordinandi solis episcopis fuit semper asserta, ut liquet ex canonibus apost. nicaenis, carthagin. etc. et ex Hieronymo epist. 146., ad Evangelum atque ex Epiphanio haeres. 75. et ex Chrysost. in 1. Tim. hom. 11. n. 1. et tandem ex proscriptione haeresis Aerii: unde et Chorepiscopis simplicibus nulla agnita est potestas ordinandi, ut e sen-

tentia suorum decessorum Leo III. respondit Episcopis Galliae (cf. Mansi Coll. Concc. V. 13. pag. 1059.). Hinc distincti fuerunt sacerdotes primi ordinis et sacerdotes secundi ordinis (Optatus l. 1. c. 13. Leo M. Serm. 10. in quadragesima, Hieronymus epist. 78. coll. 41. n. 3.) (a).

Est autem distinctio haec iure divino. Cuius rei 1° testis est Clemens ad Corinth. n. 42., qui eo spectans ut Episcoporum et Diaconorum institutionem commendet, ait: « missus est Christus a Deo et Apostoli a Christo et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis... egressi sunt annunciantes regnum Dei. Praedicantes igitur per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos qui crediturі erant, constituerunt»: quibus in verbis provocatio ad missionem Christi et Dei voluntatem fit a Clemente non pro sola praedicatione Verbi, de qua obiter sermo est, sed pro constitutione episcoporum et diaconorum. Iam vero cuiusmodi sunt hi episcopi a Clemente memorati? profecto illi, quos tota antiquitas agnovit, qui aucti erant dignitate et potestate praestantiore quam presbyteri: tales ergo Apostoli constituerunt ex voluntate Dei, et idcirco Deus tales voluit esse. Item testis est Ignatius inquiens ad Ephes. n. 3. « Episcopi per terrae terminos definiti ex Spiritus S. sunt sententia. »

Sane haec distinctio semper exstitit in Ecclesia ab Apostolica aetate; constat enim Apostolos singulis Ecclesiis unum episcopum praefecisse, ut docent omnia monumenta citata nec adversatur inscriptio Apostoli ad Philippenses I. 1. *cum episcopis et diaconis;* ii enim non unius civitatis, sed regionis episcopi erant singuli in singulis civitatibus, quemadmodum et maiores natu Ecclesiae, quos Ephesum mittens convocavit ad se Paulus Act. XX. 17.-28. Haec porro distinctio spectat ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem; « sine his enim (episcopo et presbyteris) Ecclesia non vocatur », ait Ignatius ad Trall. n. 3.: atqui quae sunt huiusmodi, Christo auctore sunt in Ecclesia. Praeterea potestas ordinandi cum sacramentalis sit, est de iure divino: cum ergo ea solis episcopis competat, hi iure divino secernuntur a presbyteris. Item distinctio talis inter episcopum et presbyterum credita est semper immutabilis ita ut neque Ecclesiae auctoritate valeat mutari; creditum est enim potestatem ordinandi manere in episcopis separatis vereque ipsos ordinare licet contra Ecclesiae voluntatem id faciant nec posse Ecclesiam efficaciam eorum actus impedire, liquet ex doctrina de charactere: quod vero ab Ecclesia mutari nequit, est de iure divino, si nequeat repeti a iure simpliciter naturali.

(a) Conferendus hac de re E.mus Fr. Segna op. cit. cc. 9. seqq.

III. Huic doctrinae videtur adversari Hieronymus, qui epist. 146. docet unum Episcopum praepositum esse ceteris cum studia exarserunt dicentium: ego sum Apollo, ego Cephae etc. idque in schismatis remedium. « Quod unus postea electus sit, qui ceteris praeemineret, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet ». Idem ait in *Epist.* ad Tit. c. 1. « Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam unusquisque, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret ». Hanc sententiam Hieronymi transcripserunt postea non pauci, inter quos Alcuinus in Epist. ad Tit. c. I. Amalarius Symphosius *de Officiis eccles.* l. 2. c. 13. Pseudo Anselmus seu Hervaeus in c. 1. Epist. ad Philipp., Patres Aquisgranenses anno 616. Canonum l. 1. c. 10. (Migne V. 195.).

Verum 1° cuiusmodi est istud decretum toto orbe editum et quando prolatum est? Hieronymus alludit ad dissensiones in ecclesia Corinthi exsistentes aetate Apostoli 1. Cor. I. 11. 12.: an tunc decretum editum! haberemus ergo decretum Apostolicum: sed mirum, vitio quorumdam fidelium in una ecclesia tale latum esse universale decretum. Ad aliud ergo respicit Hieronymus, sed nisi aliud afferatur, nondum, salva reverentia debita s. Doctori, tenemur credere hanc historiam. 2° Quae Hieronymus affirmat, non admodum secum ipsis cohaerent. Nam priore loco disputationem sic concludit: « Quid enim, excepta ordinatione, facit Episcopus, quod presbyter non faciat? » Atqui si solus Episcopus ordinare valet, cum haec potestas sit necessaria in Ecclesia, sit divinae institutionis et ex se ipsa iam faciat idoneos Episcopos ecclesiasticae gubernationi et presbyteris superiores; ergo non per accidens, propter schismata deinceps suborta, sed propter se, ex divina ordinatione fuere Episcopi iam ab initio in Ecclesia, qui ceteris praeeminerent. Scilicet hic locus est ex iis, in quibus s. Doctor, aestu disputationis abreptus, non admodum accurate loquitur. Ceterum ex contextu licet eius sententiam expiscari. Si quidem dixisset simpliciter: in schismatis remedium factum esse ut unus eligeretur, liceret eo sensu illius verba accipere quo et Cyprianus locutus est: Petrum nempe praelatum fuisse ceteris, ut schismatis amotis unitas ab omnibus servaretur, in bonum scilicet unitatis, quod profecto non excludit divinum ius divinamque institutionem, imo includit. Sed inquiens s. Doctor: *postea electus,* significat se loqui de oeconomia non ab initio exsistente, sed propter schismata deinceps suborta, instituta. Itaque putamus cum Petavio E. H. l. 2. c. 7. n. 1. spectasse Hieronymum historice solum *usum*

ecclesiasticae gubernationis, qui per se duplex esse potest, salvo semper insito iure Episcopi. Fieri enim potest, ut Episcopus una cum Presbyterio ita gregem suum regat, ut actus gubernationis episcopalis simul prodeant cum actione Presbyterii, quatenus omnia in commune fiant communibusque votis definiantur: fieri rursus potest ut Episcopus unus quid faciendum sit decernat et, etsi identidem consilia presbyterorum exquirat, suo tamen nomine tantum decreta edat et gubernet. Hieronymus censuit priorem methodum valuisse ab initio et valuisse ubique: at non facimus ei iniuriam, si sine testibus id ei nondum credimus. Verum et hoc dato, non sequitur, Episcopos pares fuisse presbyteris vel in ipso usu ecclesiasticae gubernationis; nam iure gubernatio Episcopi plus valebat eaque erat, quae vim gubernationi Presbyterii conferebat: tum nonne et in hac hypothesi quod Episcopus et presbyteri in commune Ecclesiam regerent, ipse Episcopus presbyteros tum singulos tum simul sumptos regebat? Nonne id elucet ex Epistolis Pauli ad Tim. et Tit., ex epistolis Ignatii, ex omni ratione loquendi et agendi Cypriani? Falsum est ergo, ut quod est dicamus, « consuetudine magis quam dispositionis dominicae veritate, » ut ait idem Hieronymus l. c. in Epist. ad Tit., « Episcopos esse presbyteris maiores » sed maiores sunt divina institutione tum ratione characteris et potestatis ordinis, quod ipse Hieronymus concedit, tum potestate iurisdictionis, quam Episcopis supra presbyteros Ecclesia semper agnovit.

IV. Iam ex allatis demonstrationibus constat, Episcopum superiorem esse presbytero; Episcopus est enim qui presbyterum ordinat, qui Ecclesiam unus regit presbyterisque praeest. Est autem superior iure divino; nam iure divino solus ordinat et ex eo quod ordinat h. e. generat Ecclesiae rectores eamque perpetuare valet, est subiectum divina institutione idoneum ad regendam Ecclesiam presbyterisque praesidendum. Quae duo cum asseruerit Trid. Syn. Sess. 23. c. 4. implicite quoque asseruit, iure divino episcopos superiores esse, licet id explicite noluerit definire.

Nota, haud dignum esse fide Eutychium Patriarcam Alexandrinum sec. IX. labente, cum in lib. *de Originibus Ecclesiae Alexandrinae* scribit olim in tota Aegypto a Marco ad Demetrium usque, unum tantum fuisse episcopum, alexandrinum scilicet. Cf. Natalem Alex. H. E. sec. IV. Diss. 44. §. 26.

V. Quae vero Presbyteriani cum Blondello ex Scripturae locis Philipp. I. 1. Act. XX. 17. 1ª Tim. IV. 14. 1ª Petri V. 1. colligunt, aequivocationi innituntur; aliud enim est eandem esse dignitatem eundemque ordinem episcopatum aut presbyteratum, aliud fuisse aliquando nomen presbyteri utrique commune, vel eandem personam auctam esse utraque

dignitate. Porro presbyterorum nomine singulares in singulis Ecclesiis Episcopos intelligit Irenaeus l. 3. c. 2. l. 4. cc. 43. 44. Itemque Clemens Alexandrinus in l. 4. Stromat., cum prius gradus ecclesiasticos in presbyterum et diaconum tribuisset, mox distinctius loquens enumerat progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum idemque videre est in Origene hom. 11. in Numeros. Προεστώς autem, de quo Iustinus in Apologia 1ª, ipse est Episcopus.

Ex eo vero quod Episcopi simul cum presbyteris imo et diaconis Ecclesiam suam administrarent, eorum scilicet consilio et opera usi (Cypriani epist. 71., 213.) quod et nunc faciunt, non sequitur superiorem non esse iure divino Episcopum presbytero. Neque id sequitur ex eo quod Episcopi presbyteros appellarint compresbyteros; est enim vera consociatio in Sacerdotio: imo et diaconos vocabant identidem condiaconos ut Gregorius epist. inter basilianas 47., Basilius epist. 275. Augustinus ep. 192. et Fulgentius ad Ferrandum epist. 12., quin exinde liceat inferre unum fuisse ordinem episcopatum et diaconatum.

Qua in re corrigendus est Auctor anonymus Quaestionum V. et N. Testamenti, qui in q. 101. *De iactantia romanorum levitarum* (cuius saltem quaestionis nequit censeri auctor Hilarius Diaconus Romanus Luciferianus) negat episcopum dicere ministros *condiaconos suos*. Idem auctor vestigiis insistens Hieronymi, ad retundendam superbiam diaconorum, dignitatem extollit presbyterorum ac inter alia refert quod « in Alexandria et per totam Aegyptum, si desit episcopus, *consecrat* (al. *consignat*) presbyter ». Idem auctor *Commentarii in epistolas Pauli* inter opera Ambrosii in c. 4. ad Ephesios ait. « Apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit Episcopus ». Verum id extraordinarie faciebant ex permissione speciali; consecratio vero, de qua in priori testimonio est sermo, non est nisi consignatio, ut alia lectio habet.

VI. Nunc demonstrandum est ritum sacrum, quo Episcopus initiatur, esse sacramentum distinctum ab eo, quo initiatur Presbyter: quod quidem defendimus ut theologicam veritatem. Fuit enim sententia quorundam Scholasticorum antiquiorum, potestatem episcopalem non esse proprie characterem, saltem eo sensu acceptum quod sit novus character a presbyterali distinctus nec episcopalem ordinationem sacramentum esse distinctum ab ordinatione presbyterali: ideoque Episcopatum, prout talis est seu prout est aliquid aliud praeter presbyteratum, non esse vere Sacramentum. Etenim, aiebant, per potestatem episcopalem homo non ordinatur directe ad Deum sed ad corpus Christi mysticum; licet ea potestas indelebiliter maneat sicut character, eo quod per consecrationem datur: praeterea unus ordo qui sacramentum sit non pendet a praecedenti quantum ad necessitatem Sacramenti;

episcopalis autem potestas pendet a presbyterali eo quod ea non possit recipi nisi haec prius habeatur: tum sacramentum ordinis septem ordinibus constat; constaret autem octo, si Episcopatus esset sacramentum. Scilicet omnis ordo sacramentum ordinatur tanquam in finem ad Eucharistiam, pro qua conficienda datur potestas sacerdotalis: cum ergo Episcopus non habeat quoad hoc aliam potestatem a presbytero, nec possit esse perfectior potestas: sequitur episcopatum, prout a presbyteratu distinguitur, non conferre novum characterem nec sacramentum esse. Concedebant tamen esse ordinem, prout ordo est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum ordinemque esse institutum a Christo; cum sit potestas spiritualis indelebilis conferendi sacramenta quaedam atque ordinem iure divino superiorem presbyteratu; quia iure divino potest solus presbyteros ordinare iisdemque praeesse debet. Cf. Scholasticos citatos a Vasquez in 3. p. D. 240. c. 2. et D. 243. c. 2. licet non omnes in omnia consentiant. Cf. s. Thom. in Suppl. q. 40. a. 5. et q. 38. a. 2. ad 2. Quidam ex veteribus, ut Paludanus in 2. d. 24. q. 7. a 4. qui forte clariori modo communem sententiam proponunt, negant quidem per episcopalem ordinationem conferri novum characterem, docent tamen extendi praecedentem, quia episcopus plus potest; potest enim ordinare et confirmare, quod prius non poterat. Huic affinis est sententia Vasquez in 3. p. D. 240. c. 5. n. 54. coll. 239. c. 6. n. 57. qui negat per consecrationem episcopalem characterem novum conferri aut etiam praecedentem vere extendi, sed affirmat novam potestatem indi in eo sitam, quod sit relatio destinationis divinae eaque inamissibilis ad hoc aut illud ministerium, quae est extrinseca denominatio. Sententia est Petri Soto (*de Institut. Sacerdotum* Sect. 4.), Bellarmini (*de Ordine* c. 5.) et plurium recentiorum, Episcopalem Ordinationem Sacramentum esse a presbyterali distinctum eaque characterem proprium conferri vel praecedentem ampliari ea ampliatione, quae novi characteris impressioni aequivaleat. Cf. Morinum *de Sacris Ordinationibus* P. 3. Ex. 3. c. 1.

VII. Certum est argumenta veterum negantium episcopatum, prout talis est, esse Sacramentum, carere vi demonstrativa. Nam gratis assumitur, per characterem directe nonnisi ad Deum homines ordinari et ordines non nisi ad Eucharistiam ordinari, quo etiam dato consequens negandum foret: licet autem Episcopatus sit per se Sacramentum, non ideo desinunt esse septem ordines, quorum ultimus est Sacerdotium, si hoc duplex sit, primi scilicet et secundi ordinis. Quemadmodum vero exigentia praeexistentis characteris baptismalis non impedit quominus verus character per confirmationem conferatur, ita nec exigentia characteris presbyteralis id impediet quoad Episcopatum.

Nec satis cohaeret sententia negantium consecratione episcopali imprimi caracterem, ac negantium potestatem ea collatam amitti posse ex Ecclesiae quoque ordinatione; quod ex eo probant quia talis potestas *consecratione* datur. Nam vel est consecratio a Christo instituta ideoque sacramentalis, et potestas per eam collata est verus character, vel est consecratio ab Ecclesia instituta, eiusque effectus permanentia ab Ecclesiae voluntate pendebit (Vasquez l. c. d. 243. c. 1.).

VIII. In thesi defendimus et presbyteratum et episcopatum esse sacramenta, atque hunc non ideo tale esse quia idem sit ac presbyteratus qui sacramentum est, sed per se, ita ut duo sint sacramenta. Et quidem presbyteratum esse sacramentum convenit inter omnes catholicos. Ex Scripturae enim testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum est, sacram aliquam ordinationem esse sacramentum (§. praec.): pariter autem creditum est semper, quod ad sacram ordinationem quae sacramentum est spectet ea qua sacerdotium traditur, ut aperte colligitur ex Tridentini doctrina Sess. 23. cap. 1. 3. can. 4. et appellatione sacerdotis prioribus seculis facta iis qui supremum ordinis gradum in hierarchia obtinent, ad quam pertinet certe sacra ordinatio. Porro creditum est semper a sacerdotio separari non posse presbyteratum, presbyteros scilicet vere esse sacerdotes, ut liquet ex can. 3. inter citatos carthaginienses et epistola decretali Innocentii I. ad Decentium Eugubinum c. 3. et ex eo quod ipsi secundi ordinis quidem sed vere sacerdotes dicebantur et censebantur. Et sane creditum est ipsis competere potestatem sacrificandi, qua sacerdotium proprie constat ac remittendi peccata, ita ut sint in Sacerdotio Apostolorum successores (Trid. ibid. cap. 1.): ergo. Hinc apud Scholasticos, quibus certum erat, Ordinem esse sacramentum, quidam de diaconatu dubitabant, an sit Sacramentum, non pauci praesertim veteres negabant de episcopatu per se sumpto: omnes vero affirmabant de presbyteratu.

Sane ut ex universa traditione constat, per ordinationem presbyteri confertur potestas inamissibilis conficiendi Eucharistiam et remittendi peccata, quae ceteris aliis non ita ordinatis nullo modo competit: haec vero potestas a Christo instituta est et ritus quo ea confertur is certe est quem Christus instituerit vel immutabiliter probaverit, quoniam postquam eo modo collata est, nequit ab ipsa Ecclesia auferri aut alii concedi, qui eo modo ipsam non acceperit: huic ergo ritui ex Christi voluntate connexa est collatio talis potestatis, connexione quidem efficientiae; nam haec est ratio rituum sacrorum in nova oeconomia, quibuscum nexa est perenniter doni supernaturalis collatio. Habemus ergo in hoc ritu id quod proprium est Sacramenti, efficientiam nempe supernaturalis inamissibilis potestatis in corpus Christi reale et mysti-

cum, specialis scilicet characteris. Gratiae autem sanctificantis collatio cum charactere cohaeret; eo quod sine speciali sanctitate talis potestas nequeat, ut oportet, exerceri.

Nota penes Graecos etiam ad inferiores ordines conferendos, imo ad diaconissas quoque instituendas adhiberi impositionem manuum; at constat alio modo posse eos ordines conferri, ut liquet in Ecclesia latina (cf. canones carthaginienses); non ergo licet de hac impositione manuum illud affirmare quod de priori affirmavimus, esse nempe ritum a Christo institutum vel a Christo immutabiliter probatum pro certa potestate conferenda.

Iam quod spectat ad Episcopatum, advertimus affirmari a Morino (*de ss. Ordinatt.* P. 3. Ex. 11. c. 2.), nullum exstare exemplum episcopalis ordinationis collatae non presbytero. Quae autem Marthene (*de Antiq. Eccl. ritibus* lib. I. c. 8. a. 3.) refert, vel ea sunt in quibus historici non nisi terminum ultimum, quem ordinatus attigit, significare disserte voluerunt, vel quorumdam privatorum ignorantiae deputanda sunt, quae communi consensui non praeiudicat. Verum audiendus Nicolaus I. epist. ad Hincmarum: « Quin et (Graeci latinos) reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere non abnuunt et quia diaconus, non suscepto presbyteratus officio, apud nos episcopus ordinatur: cum ipsi etiam illum, quem patriarcam suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum saltu ad episcopatus apicem provehere minime formidaverint ». Morem romanum non negat Pontifex, quod ibidem in aliis accusationibus praestat, sed negat esse reprehendendum: et tamen ea de re gravissima agebatur, quae in dubium vocabat tot ordinationes episcopales, etiam Romani Pontificis.

Itaque episcopalem ordinationem esse sacramentum probant quidam ex eo, quod demonstretur sacram ordinationem esse sacramentum ex verbis Apostoli iam explicatis (Trid. Sess. 23. cap. 3.); atqui ordinatio de qua ibi est sermo, est ordinatio illius qui Episcopus erat; ideoque ordinatio episcopalis. Verum respondere licet, factum utique fuisse Timotheum episcopum ordinatione sacramentali, sed quatenus tali ordinatione presbyter est factus seu sacerdotium accepit, quod est essentiale Episcopatui. Probatur ergo alia ratione ita. Sacramentum est ille ritus, quo confertur divina potestas eaque iure divino inamissibilis sacramenta quaedam faciendi et quo confertur interior gratia sanctificans; atqui ordinatione episcopali confertur potestas ordinandi, confirmandi, quae est certe divina; nam aliquis ordo est certe sacramentum et sacramentum est confirmatio: idcirco valet quod ait S. Thomas suppl. q. 34. a. 2.: « propter ordinem fit homo dispensator aliorum sacramentorum; ergo habet ordo magis rationem sacramenti, quam

alia ». Esse vero inamissibilem iure divino hanc potestatem, patet ex doctrina Ecclesiae tradita superius (§. praeced.) de charactere communique sententia, Episcopum ab Ecclesia quoque sollemniter degradatum valide ordinare (cf. Vasquez in 3. p. Disp. 243. c. 2.). Gratiam autem sanctificantem conferri ex eo constat, quod docente Trid. Syn. l. c. c. 4. per sacram ordinationem datur Spiritus Sanctus, quibus verbis gratiae infusio adsignificatur secundum communem loquendi rationem. Sic enim in controversia cum Donatianis utraque pars in id conveniebat, quod extra Ecclesiam non daretur Spiritus Sanctus h. e. gratia sanctificans. Hunc autem esse sensum tridentini canonis ex eo praesertim patet, quod ibi infusio Spiritus Sancti distinguitur ab impressione characteris. Constat vero pariter eiusdem canonis auctoritate in ea sacra ordinatione dari Spiritum Sanctum, in qua Episcopus dicit ordinando: *Accipe Spiritum Sanctum;* porro haec verba in consecratione Episcopi dicuntur secundum Pontificale romanum. Nec refert haec verba olim non fuisse usurpata (cf. Marthene l. c. a. 10. n. 14.); sensus enim necessarius tridentini canonis is est: in ea ordinatione, in qua haec verba proferuntur, dari Spiritum Sanctum, sive per ea sive per aliam formam sacramentalem detur (cf. Morino op. cit. P. 3. Ex. 2. c. 2.).

Episcopus igitur est sacerdos sacerdotiumque simpliciter obtinet propter ordinationem presbyteralem, fit tamen per ordinationem Summus Sacerdos; eo quod per ordinationem episcopalem potestatem obtinet instituendi sacerdotes eosque regendi in celebratione mysteriorum et administratione aliorum sacramentorum, qui proinde dependenter ab ipso licite valeant munus sacrum exercere. Nec duo sunt in Episcopo *sacerdos* et *summus sacerdos, summus* enim seorsim per se nihil est: sed is obtinet esse *summum* ordinatione ea, qua character sacerdotalis amplificatur, ut qui consecrare Eucharistiam potest ac remittere peccata, possit et consecratores ac iudices animarum constituere eosque regere.

Utrum character Episcopalis sit alius a caractere presbyterali an eiusdem ampliatio et perfectio disputant doctores: si autem consecrari episcopus possit absque praeexsistente ordine presbyterali, prior sententia tenenda est.

IX. Quid ergo est quod ait Hieronymus epist. CXLVI. de institutione Episcopi Alexandrini, volens ostendere « Quod unus postea electus sit, qui ceteris praeemineret, in schismatis remedium factum esse, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet? » ait enim: « Nam et Alexandriae, a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium

noverint et Archidiaconum vocent. Quid anim facit excepta ordinatione Episcopus quod presbyter non faciat? » Cui simile quid refert Liberatus Diaconus in *Breviario* c. 20. « consuetudinem esse Alexandriae illum, qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere manumque dexteram eius capiti suo imponere et sepulto manibus suis, accipere collo suo b. Marci pallium et tunc legitime sedere. » Consuetudinis Alexandriae relatae a Hieronymo mentionem facit pseudo Alcuinus *de Divinis Officiis* c. 37. (Migne P. L. V. 101.) et Amalarius Symphosius *de Officiis ecclesiasticis* l. c. appellans consecrationem Episcopi. Si accipiantur haec ita, ut ea tantum caeremonia Episcopus Alexandriae constitueretur, dicendum erit censuisse Hieronymum quod presbyter nulla sacramentali consecratione auctus possit ordinare, idque censuisse qui Hieronymi verba sec. IX. exscripserunt. Et tamen negat Hieronymus posse presbyterum presbyteros ordinare, ceterique, qui eum exscripserunt, noverant certe ordinationem sacram episcopalem, eiusque necessitatem. Scilicet sermo penes Hieronymum est de *electione*, qua in re differebat Ecclesia Alexandrina ab aliis, quod penes presbyterium esset tunc temporis electio et ex gremio tantum presbyterorum eligeretur successor: non secus ac modo fit in Ecclesia Romana ex gremio Cardinalium (cf. I. B. Sollerii dissertationem inter Acta Bollandiana Tom. VII. Iunii. c. 1. Parergo 1.). Si secus censeas, oportet ut dicas, cuiusmodi fuerint hi Episcopi Alexandrini usque ad sec. III. labens et quomodo presbyteros et episcopos in sua dioecesi ordinaverint; de fide est enim presbyterum non suscepta consecratione episcopali ordinare non posse, sicut de fide est Episcopos esse presbyteris superiores ac potestatem quam habent ordinandi non esse presbyteris communem, Trid. Sess. 23. c. 7.; nec unquam mentio occurrit extraordinarii ministri ordinationis episcopalis aut presbyteralis. Quae quidem debuisset advertere Morinus op. cit. P. 3. Ex. 3. c. 2. eruditus magis quam doctus Theologus.

§. XV.

Ad ordinem hierarchicum pertinent quoque diaconi inferiores presbyteris et episcopis eorumque ordinatio sacramentum esse censenda est.

I. De diaconis frequenter in N. T. mentio fit ac in monumentis Ecclesiasticis. Eos ratione gradus esse distinctos a presbyteris et episcopis, patet ex omnibus testimoniis iam citatis, e. g. ex epistolis ad Titum et Timotheum, tum ex Clementis epistola, epistolis Ignatii, canonibus Apostolicis, pseudocarthaginiensibus, nicaenis, ex Dionysio areopagita

(quoad hunc auctorem eiusque opera legendi prae ceteris Sirmondus in Diatriba de duobus Dionysiis et Morinus op. cit. P. II. c. 1.), Optato etc., ubi et specialia eorum munera specialisque initiatio describuntur. Ex iisdem quoque patet, eos esse episcopis et presbyteris inferiores; ministri enim sunt utrorumque, ut ipsum nomen sonat, nec sacerdotes sunt, quia non ad sacerdotium sed ad ministerium ordinantur, ut aiunt citati canones carthaginienses; licet minus proprie dicantur identidem, tertii tamen ordinis, Sacerdotes (cf. Optatum l. c.) atque Levitis veteris foederis ubique comparantur. Cf. Ordinationum ritus allatos a Morino Op. cit. P. 2. Et sane si distincti sunt, cum nequeant esse sacerdotibus proprie dictis superiores, restat ut sint inferiores. Huc spectat epistola citata Hieronymi ad Evangelum.

II. Diaconos ad hierarchiam spectare docet Trid. Synodus Sess. 23. cn. 6.; ministri enim, qui tertio loco ponuntur sunt certe saltem Diaconi, qui ita κατ' ἐξοχήν vocantur primumque gradum inter ministros absque controversia obtinent. Sane hierarchia iis constat qui ad functiones sacras, ad administrationes sacramentorum aliorumque sanctificationem, consecratione quadam inamissibili, deputantur; atqui tales sunt Diaconi. Nam eorum est Sacerdoti sacrificanti assistere et ministrare, eorum est Eucharistiam distribuere fidelibus: iis ex officio competit baptizare, ut liquet ex Actis VIII. 5.-12., 26.-38. testaturque Pontificale romanum Clementis VIII. iisdemque competit quoque (ex mandato quidem Episcopi) praedicare, quod ex Actis VI. VII. VIII. manifestum est docemurque rursus ab eodem Pontificali. Deputantur autem ad haec ritu sacro simili illi quo Episcopi et presbyteri initiantur, ut liquet ex omnibus sacramentariis seu euchologiis graecis et latinis, cuius ritus adhibiti effectum perennem esse et inamissibilem ex iisdem veterum monumentis constat ex quibus characterem indelebilem ordinationis §. XIII. colligebamus.

III. Ordinationem diaconi Sacramentum esse nondum definitum est: theologice tamen suaderi potest. Sane advertatur *a)* quod murmur graecorum et pro eo sedando visa necessitas constituendi ministros mensarum (Act. VI. 1.-2.), si res per se spectetur, potest censeri fuisse vel occasio tantum deducendae in actum cuiusdam institutionis, vel fuisse finis sive adaequatus sive inadaequatus ordinationis diaconorum (diaconos eos fuisse, et ab iis diaconorum gradum qui mysteriis serviunt, eorum scilicet quales deinceps semper in Ecclesia exstiterunt, sumpsisse exordium universa christiana traditio testatur, cui perperam refragatur can. 16. Synodi quinisextae, male enarrans verba Chrysostomi in h. l. qui non de dignitate, sed de nomine *diaconi* loquitur). *b)* Fuisse autem illud potius simplicem occasionem non finem saltem ad-

aequatum liquet tum ex conditionibus requisitis in eligendis ut nempe bono nedum testimonio fruerentur, sed essent praeterea pleni Spiritu S. et sapientia: quae conditiones pro simplici administratione eleemosynarum non videntur necessariae idemque dicendum de qualitatibus ab Apostolo requisitis in diaconis: tum ex officiis, quae statim exercuisse dicuntur electi, quae sunt praedicatio verbi (cap. VI., 8. seqq. VII.) et baptismi administratio (cap. VIII.) extra civitatem quoque Ierosolymae; quibuscum muneribus in iis, qui ministri simpliciter essent, cohaerere quoque poterat ministerium mensarum, quod non profanum sed sacrum erat, custodia scilicet et distributio eleemosynarum Deo oblatarum pro pauperibus fidelibus. Neque huc spectasse diaconorum institutionem negat Hieronymus epist. ad Evangelum, qui solum ad retundendam quorundam diaconorum arrogantiam ponit eis ob oculos occasionem, qua electi dicuntur, ministerium nempe mensarum. Cum munere praedicandi et baptizandi coniunctum quoque fuisse munus ministrandi sacerdoti celebranti divina mysteria docemur sane 1ª Tim. III. 9.-10.; *mysterium* enim fidei quod Diaconi tractare debent *in conscientia pura* nihil aliud melius interpreteris, quam mysterium altaris, cui ministrant diaconi: et sane huius loci interpretatio dicenda sunt quae habet antiquissimus scriptor, qui cum Apostolis conversatus est, s. Ignatius scilicet ad Trallianos n. 2. « Oportet et diaconos mysteriorum Iesu Christi ministros omni modo omnibus placere: non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiae Dei ministri. » Porro *c)* institutionem horum diaconorum non fuisse mere apostolicam sed divinam, illud primo demonstrat quod ministri sacrorum ad intrinsecam constitutionem spectant societatis religiosae, huiusmodi porro, Christo auctore, sunt in Ecclesia: deinde idem constat ex testificatione Clementis l. c. aientis, ordinatione divina missos Apostolos et acceptis mandatis praedicasse verbum et episcopos et diaconos constituisse; ex testificatione Ignatii, qui et in suis epistolis diaconos semper sociat cum presbyteris et episcopis veluti ad eandem pertinentes institutionem, ut ait e. g. ad Smyrnaeos n. 8. « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem et presbyterium ut Apostolos, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum » et enumeratis diaconis, presbyteris, episcopis, subdit: « sine his Ecclesiam Dei non vocari » (ad Trallianos n. 3.). Ex quibus patet sensus theoreticus, qui praxi Ecclesiae subest constanti et perenni Diaconos instituendi eosque recensendi in ordinem hierarchicum. Quod vero iubet Cyprianus epist. LXV. diaconos meminisse, quod « Apostolos idest episcopos et praepositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in caelos apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiae ministros », eo spectat, ut etiam ex

immediata et personali institutione episcoporum a Christo facta eorum excellentiam prae diaconis maioremque necessitatem ostendat.

Iam vero *d)* ritus ab Apostolis adhibitus pro constituendis diaconis est impositio manus cum oratione, qualis et pro ordinatione episcoporum ac presbyterorum adhibetur, idemque ritus in universa Ecclesia tum graeca tum latina semper est usurpatus eodemque potestas quaedam sacra confertur, potestas scilicet seu facultas ministrandi ad altare Sacerdoti ac dispensandi corpus Christi et baptizandi ac praedicandi creditumque semper est necessarium esse eum ritum ad talem potestatem conferendam eandemque esse inamissibilem sive imprimi illo ritu sacro characterem. Hoc autem perperam negaretur ex eo quod nulla sit functio diaconi, quae valide quoque ab alio nequeat praestari; nam et par difficultas moveri posset contra characterem confirmationis et licet alius easdem actiones praestare materialiter possit, actio tamen sacra et ministerialis, quae diaconis asseritur, ab iis solis fieri potest. Porro impressio characteris est effectus proprius sacramenti. Pariter creditum est teste Tridentina Synodo Sess. 23. c. 4., dari eo ritu Spiritum S. h. e. gratiam sanctificantem; nam et in consecratione diaconi dicitur secundum Pontificale Romanum: *accipe Spiritum S.* Talis autem ritus Sacramentum est: ergo.

Neque obstat diaconissas quoque (quarum institutio apostolica censetur Rom. XVI. 1. 1ª Tim. V. 9. 10.) penes Graecos impositione manuum et ad altare ordinari; nam hic ritus non fuit communis universae Ecclesiae nec creditus fuit necessarius nec creditum fuit diaconissas secretas esse ab ordine laico. Cf. cn. 26. Conc. Arausicani I. sub Leone I. et cn. 21. conc. Epaonensis sub Hormisda, et cn. 18. conc. Aurelianensis II. sub Ioanne II. Sed ceremonia fuit ab Ecclesia instituta ad analogiam ordinationis diaconorum. Qua in re corrigendus est iterum Morinus op. cit. P. 3. Ex. 10. c. 1.

SCHOLION.

I. Quaestio fit de numero Ordinum. Apud Graecos post diaconatum duo sunt ordines minores, hypodiaconus et lector. Officia vero ab his duobus exercebantur et exercentur eadem, quae a pluribus ordinibus penes Latinos. Epiphanius in *Expositione Fidei* n. 21. duplicem veluti seriem ordinum describit, in prima collocat episcopos, presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, in altera exorcistas, interpretes, laborantes, curatores mortuorum, ostiarios, et quicumque disciplinae causa instituti sunt. Exorcistarum pariter mentio occurrit in can. 10. antiocheno. In Ecclesia latina iam tertio seculo omnes ordines reperiebantur,

qui nunc vigent eademque subordinatione: illos in Ecclesia romana exsistentes enumerat Cornelius R. P. epist. ad Fabium antiochenum (Euseb. H. E. l. 6. c. 43.), iidem seculo quarto desinente enumerantur canonibus carthaginiensibus iam citatis. Nec tamen penes ecclesias omnes latini ritus iidem semper fuisse videntur ordines minores. In Synodo Romana, quae s. Sylvestro tribuitur, inter subdiaconum et diaconum ponitur *custos martyrum*. Gelasius epist. 9. post nominatos ostiarios veluti infirmos ex ordinibus, inter lectores et acolythos ponit *notarios* et *defensores* acolythisque subiicit subdiaconos. Canones dicti Carthaginienses quatuor minoribus ordinibus recensitis, sub Ostiario ponunt *Psalmistam* quem et *Cantorem* vocant: liquet tamen potius esse simplex officium quam ordinem. Auctor anonymus opusculi *De septem ordinibus* (inter opera Hieronymi) satis doctus et antiquus (a) minores ordines sic recenset: Fossarios, Ostiarios, Lectores, Subdiaconos, ad quos additis Diaconis, Presbyteris, Episcopis septem exsistunt ordines. An omnes ordines fuerint quos recensuimus, disputari solet. Quaedam probabiliter erant officia tantum, quae pro diversa aetate ac Ecclesiarum necessitate aut utilitate alicui ordini assignabantur, vel erant simpliciter officia ecclesiastica sine ordine h. e. sine speciali consecratione, qua in certo gradu clericorum collocarentur, ut de Psalmista in canonibus carthaginiensibus videtur. Cf. Marthene op. cit. c. 8. a. 1. Morinum op. cit. P. 3., Ex. 11. c. 1. et Thomassinum *de Beneficiis* P. 1. l. 2. c. 30. Teste Trid. Synodo Sess. 23., cp. 2. « ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur ». Quae verba non ita opus est intelligere, ut eos ordines ad ipsam Apostolorum aetatem apostolicamque institutionem referamus. Epistola quidem Ignatii ad Antiochenos, in qua enumerantur subdiaconi, lectores, cantores, ostiarii, laborantes, exorcistae, confessores (cf. Constitutiones Apostolicas l. 8. c. 23.) habetur ut spuria. Urbanus II. vero in Concilio Beneventano decrevit. « Nullus in Episcopatum eligatur nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus sit. Sacros autem ordines dicimus Diaconatus et Presbyteratus; hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solis praeceptum Apostolicum habemus. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus,

---

(a) Cum dicat « nuper episcopalis electio ad metropolitanum remissa est ut incipiant summi sacerdotes pati non ex iure sed ex necessitate alium sacerdotem » videtur in Italia seculo IV. scripsisse, cum metropolitani in Provincia Romani Pontificis institui coeperunt.

sed rarissime ». Non ergo alii ordines distincti tunc habebantur in primitiva Ecclesia, nisi censeas voluisse dicere Urbanum, quod eos solos duos ordines habuit primitiva Ecclesia ut maiores et sacros, sicut Innocentius III. l. c. infra interpretatur. Aliter tamen accepit Gratianus dist. 21. qui ait « Levitas ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit b. Stephanus: subdiaconos et acolythos procedente tempore Ecclesia constituit ». Cf. et Magistrum sententiarum l. 4. D. 24. Hugonem a s. Victore *de Sacramentis Fidei* l. 2. p. 3. c. 13. Ex usu ministrandi altari et caelibatu iam a Leone M. praecepto et praecipue ex concessione Urbani II. confirmata deinde ab Innocentio III, c. *a Multis*, *de Aetate et qualitate* etc., quod ex subdiaconis eligi possent ad Episcopatum, factum est, ut inter maiores sacrosque ordines subdiaconatus tandem sub finem sec. XII. accenseretur. Petrus enim Cantor, qui obiit anno 1107., in Libro *de Verbo mirifico* ait, *de novo institutum esse subdiaconatum sacrum ordinem.* Porro « Ordo dicitur sacer, ait s. Thomas in 4. D. 24. q. 2. a. 1. ql. 1. 3., qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam », ut Sacerdos et Diaconus circa corpus et sanguinem Christi et subdiaconus circa vasa consecrata: sed Cantor intelligit ordinem maiorem.

II. Quaeritur an ordines inferiores Diaconatu sint totidem sacramenta. Plures scholastici id censuerunt cum Magistro 4. D. 24. n. 2. 10. et s. Thom. ibid. a. 2. q. 2.: plures recentiores vel dubitant vel negant cum Morino op. cit. P. 3. Ex. 11. cc. 1. 2. (cf. Perrone *de Ordine* c. 2. Schol. 1°); eo quod non divina sed ecclesiastica tantum eorum origo videatur. Nec evincitur hos ordines characterem sacramentalem imprimere, eo quod non iterentur; nam, ut audivimus a s. Thoma, quaevis consecratio est perpetua, ut vero idem ait q. 1. a. 1. ql. 3. ad 3^{m} « non omnis benedictio vel consecratio est sacramentum, quia et monachi et abbates benedicuntur et tamen illae benedictiones non sunt sacramenta; quia non ordinantur aliqui ad dispensationem divinorum Sacramentorum, sicut per benedictionem ordinis ». Censebant tamen veteres plenitudinem Sacramenti esse in uno ordine, h. e. sacerdotio, in aliis vero esse quandam participationem ordinis: ideoque omnes ordines unum esse Sacramentum, quod est aliquod totum non integrale nec universale, sed potestativum, cuius haec est natura quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio eius (s. Thom. in 4. D. 24. q. 2. a. 1. ql. 1° ad 2^{m}). Non male dixit Thomassinus l. c.: « nihil probabilius quam minores ordines comprehenso subdiaconatu veluti quasdam portiones esse diaconatus, aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores ordines in fonte sui ac origine

idest in Diaconatu, unde tanquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae ». Cf. s. Bonaventuram in 4. D. 24. a. 2. q. 1. et Thomam ibid. q. 2. a. 1. ql. 2. qui idem docent. Verum haec est potius ratio quaedam logica rem concipiendi: a parte rei nulla decisio facta est, sed potius ad analogiam diaconatus alii inferiores ordines instituti sunt ab Ecclesia.

Quoad tonsuram clericalem, iam ab initio Ecclesiae usurpatum est, ut clerici comam non nutrirent, sed brevem et modestam gererent patentibus auribus, quod et fidelibus commune erat: deinceps cum sine periculo in publicum prodire licuit, tonso pressius capite, inferius circuli coronam ex capillis relinquebant clerici (Conc. Toletanum IV. c. 41. Beda Hist. Anglor. l. 4. c. 1.) vel etiam praeter haec verticem capitis in formam circuli radebant. Tonsura autem vel corona simul cum primo ordine suscipiebatur; at circa annum septingentesimum, ut putat Morinus, usu induci coeptum est, ut sola tonsurae ceremonia quis in clerum adoptaretur et sic dari ea coepta est seorsim ante alios ordines. Cf. Morinum op. cit. P. 3. Ex. 15. Thomassinum op. cit. P. 1. l. 2. c. 37. seqq. Marthene l. c. a. 7. s. Thom. in 4. D. 24. q. 3. a. 1.

III. Quaeritur, quaenam sit materia et forma ordinationis et primum ordinationis presbyteri et diaconi, an sola impositio manuum, an sola traditio instrumentorum, an utrumque simul. Licet plures nobilissimi Scholastici censuerint sola traditione instrumentorum cum verbis ad eam pertinentibus haberi materiam et formam Sacramenti et quidam utramque postulaverint, ut Bellarminus de Ordine c. 9.: tamen 1° negari nequit impositionem manuum esse essentialem sacramento; neque id negat s. Thomas, qui docet per eam conferri gratiam, licet velit characterem imprimi traditione instrumentorum (in 4. D. 24. q. 2. a. 3.): 2° probabile saltem est vehementer, traditionem instrumentorum non esse materiam essentialem utrique ordinationi in ordinatione presbyteri, nec traditionem libri in ordinatione diaconi. Sane quod spectat ad 1^m *a)* in Ecclesia graeca semper sola impositio manuum adhibita est (Morino op. cit. P. 3. Ex. 7.) ordinationesque Graecorum probavit semper Ecclesia romana (Morino op. cit. P. l^a). *b)* Pariter in Ecclesia latina usque ad seculum IX. sola impositio manuum est usurpata, canonesque dicti carthaginienses (a), in quibus pro his

(a) Iamdudum hi canones non censentur, sicut olim, conditi in Africa, in concilio, ut aiebant, chartaginiensi 4°, sed certe iam ab initio seculi VI. comparent. Cf. Ballerinios *de antiquis collectionibus canonum* p. 2. c. 3. §. 4. Hi canones iuxta L. Duchesne (Origines du Culte chrètien pag. 337.) spectant ad *statuta Ecclesiae antiqua*, quae sunt collectio canonum disciplinarium et liturgicorum, facta in Galliis, in provincia

ordinibus impositio manuum exclusive traditur (cf. cn. 5.), in subsequentibus sacramentariis repetiti sunt ut norma ordinationis (Morino ibid.) et in eadem Ecclesia ita est deinceps adhibita simul traditio instrumentorum, ut tamen simpliciter affirmatum sit, impositione manuum ordinari presbyteros, ut loquitur Tridentina Synodus Sess. 14. c. 3. *de Sacram. extr. unctionis. c)* Primi diaconi non fuerunt certe ordinati traditione libri evangelii quod nondum scriptum erat. *d)* In Scripturis solius impositionis manuum occurrit mentio: ibique tamen de ordinatione sermonem esse certum est apud omnes.

Iam vero 1° si impositio manuum non est essentialis modo, alterutrum dicendum est, vel nunquam fuisse essentialem, vel auctoritate Ecclesiae fuisse deinceps in aliam mutatam. Atqui primum est evidenter falsum ex dictis: alterum nescimus quomodo possit defendi. Nam etsi demus Christum non determinasse ἐν ἀτόμῳ materiam et formam huius Sacramenti, sed permisisse determinandam Ecclesiae; tamen duo sunt advertenda: α) non perinde esse Christum hanc potestatem fecisse Ecclesiae, atque potestatem fecisse ut possit ipsa rursus quod ipsa instituerat mutare: nam probabile est certe, in hypothesi quod Christus hanc potestatem Apostolis fecerit, quod Christus ita potestatem fecerit Apostolis determinandi ἐν ἀτόμῳ materias et formas, ut voluntate sua consequente decretum Apostolicum sanxerit Deus esse perpetuum, ne in re tanti momenti mutationibus esset locus. Christum ergo non ita se gessisse quomodo demonstratur? neque enim comparatio valet instituta a Morino cum Sacramento matrimonii, in quo Ecclesia nunquam mutavit materiam aut formam, sed solum conditiones requisitas ut eae sint: si vero non demonstretur, firmum maneat oportet impositionem manuum ab Apostolis adhibitam esse adhuc essentialem.

β) Advertendum est, quod si Ecclesia potens mutare essentialem materiam Sacramenti id exsequi velit, oportet ut decreto aliquo sollemni omnibus perspicue notam faciat hanc suam voluntatem; res enim agitur in Ecclesia maxime necessaria, a qua ipsa successio Apostolica dependet: atqui certe huiusmodi decretum non adest (de decreto Eugenii loquemur mox singillatim), sed sensim sine sensu accesserunt hi ritus impositioni manuum, perseverante semper eadem manuum impositione, quemadmodum accessit in ordinatione presbyteri unctio ma-

---

Arelatensi, unde postea transierunt in collectionem canonicam Hispaniae et in decretales pseudoisidori. Porro si ineunte seculo VI. hi canones recensebantur inter statuta antiqua Ecclesiae, licebit regredi ad finem seculi IV., quando habitum dicitur Concilium Carthaginiense 4 .

nuum, quae sec. IX. in quibusdam ecclesiis latinis adhibebatur, eam tamen adhuc ignorante Ecclesia romana, ut liquet ex epist. Nicolai I. ad Rodulphum episcopum bituricensem (Cf. Morino Ex. 6. c. 2.). Exstant e contrario canones veteres ab Ecclesia latina recepti et in Sacramentariis suis confirmati frequenter et nunquam disserte revocati, significantes impositione manuum ordinari presbyteros et diaconos, non traditione instrumentorum. Ergo decretum illud significans voluntatem Ecclesiae mutandi formam et materiam ordinationis non habetur. Igitur probari nequit, auctoritate Ecclesiae fuisse deinceps mutatam essentialem formam et materiam ordinationis. Nullo vero in pretio habenda est opinio dicentium in traditione instrumentorum haberi impositionem manuum, cui praeter sensum communem contradicunt canones carthaginienses. Itaque impositio manuum semper fuit et est essentialis.

2° Ex dictis quoque consequitur quod altero loco dicebamus, probabile admodum esse quod traditio instrumentorum, non sit ordinationi essentialis. Nam non fuit certe essentialis olim; si vero esset modo, mutatio quaedam eademque essentialis in ipsa materia inducta esset ab Ecclesia, cum nunc esset essentiale id quod prius essentiale non erat; non fuisse autem inductam videtur nobis probari eodem argumento, quo priorem mutationem negabamus. Nec praesens praxis Ecclesiae id evincit: in more enim fuit Ecclesiae ritui essentiali sacramentorum plures progressu temporis ceremonias addere, quibus et augustior fieret celebratio sacramenti et expressior significatio eiusdem effectus, sicut videre est e. g. in baptismo. Neque dicas eo quod Episcopus tradens instrumenta dicit in ordinatione presbyteri: *accipe potestatem offerre sacrificium Deo etc.* significari quod eo ritu fiat sacramentum: nam simile quid habes in Sacramento Matrimonii, in quo Sacerdos dicit: *ego vos coniungo etc.*, quin tamen eis verbis coniunctio sacramentalis fiat. Cf. Magistrum in 4^m^ D. 24. et Hugonem a s. Victore *de Sacramentis* l. 2. p. 3. c. 12. docentes ea verba proferri ab Episcopo ut presbyteri agnoscant *se accepisse* potestatem offerendi. Ceterum haec verba vere pronuntiari possent, etsi instrumenta non traderentur. Cur ergo in Pontificali romano et diaconi antequam eis tradatur Evangelium et presbyteri antequam eis tradatur calix cum patena etc. licet iam impositionem manuum acceperint, dicuntur adhuc *ordinandi*, postea vero dicuntur *ordinati?* Scilicet distinguendum est inter essentiam ordinationis et integritatem eius. Ad integritatem omnes ritus praescripti spectant et ideirco ordinatio integra tunc est completa cum omnes peracti sunt: quocirca si definire Ecclesia nolit quid sit tantum de essentia, sive si ab hac consideratione praescindat,

integritatem solum ritus, quam non sine causa praescribit, prae oculis habeat necesse est et sic dicat ordinationem completam, seu aliquos ordinatos, cum integer ritus perfectus est. Quod vero Innocentius III. c. *Pastoralis* et Gregorius IX. c. *Presbyter*, *de Sacramentis non iterandis* decernunt, si omissa est impositio manuum, non esse iterandam ordinationem (utique integram) sed supplendum quod omissum est, cum nostra quoque sententia optime cohaeret.

IV. Cum in ordinatione presbyteri secundum Pontificale romanum triplex habeatur impositio manuum, prima Episcopo nihil interea dicente, altera Episcopo interea fundente benedictionem, h. e. verba pronuntiante, tertia in fine missae post communionem, nihil impedit quominus haec triplex impositio censeatur materia; satis enim moraliter uniuntur per continuationem ritus; eodemque pacto forma censeri potest tum oratio Episcopi ad secundam impositionem manuum et verba eiusdem ad tertiam, imo et verba *accipe potestatem* etc. quae etiam citra instrumenta verum fundunt sensum. Cf. dicta in *Op. Th. Mor.* Ballerini Vol. 5. n. 892. De ordinatione diaconi nihil restat speciale dicendum.

V. Quod spectat ad ordinationem Episcopi, quaestio esse potest, an impositio Evangelii super caput eius sit materia essentialis. Ea certe antiqua est, ac praescribitur in Constitutionibus Apostolicis et canonibus dictis Carthaginiensibus, id tamen per se non sufficit ut materia essentialis dicatur; nam potuit esse ceremonia quaedam ab Ecclesia instituta quae cum antiquitus instituta fuerit evasit communis: nec videntur primi episcopi hoc ritu ordinati. Unctio quoque in Ordinatione Episcopi antiqua est in Ecclesia Romana, cuius mentionem facit Gregorius M. in 1º Regum c. 5. (cf. et eius Sacramentarium ex pervetusto rituali inter eius opera editionis Gallicciolli Tom. 10.) eamque indicare videtur s. Leo Serm. 8. de Passione Domini n. 7º. Eius quoque mentionem facit s. Ephrem in suis hymnis Nisibiensibus nuper editis, hymno 17. et. 19. Ea tamen antiquitus non videtur adhibita, cum statuta Ecclesiae antiqua (cf. notam ad n. 3.) eam non praescribant; atque serius videtur recepta in Hispania, quoniam Isidorus l. 2. *de Officiis*, ubi plura de ceremoniis ordinationum, ne verbum quidem facit de unctione, licet de unctione veterum sacerdotum copiose disserat. Nec eam exhibet Pseudo-Alcuinus in libro *De divinis officiis*.

In ordinatione aliorum ordinum antiquissima est consuetudo Ecclesiae latinae non imponendi manus, sed tradendi instrumenta: ita canon 5. pseudocarthaginiensis: « Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum: de manu vero archidiaconi urceolum cum

aqua et mantile et manutergium » et sic in sequentibus diversa instrumenta. Ecclesia graeca manus impositione ordinat subdiaconos et lectores, solet tamen et ipsa tradere instrumenta; dantur autem peracta ordinatione, ut per ea probetur ordinatus, nullis adhibitis verborum formulis: at in latina Ecclesia dantur conceptis verbis instrumenta, ut ordinandi ordinentur. (C. Morino op. cit. P. 3. Ex. 11. c. 7.).

VI. Adversus statuta primo loco opponitur doctrina Eugenii IV. in decreto, quod tulit sacro approbante florentino Concilio pro Armenis, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae traderet fidei veritatem circa divinae essentiae unitatem et personarum Trinitatem ac Christi humanitatem et septem Ecclesiae sacramenta et alia ad fidem orthodoxam et ritus universalis Ecclesiae pertinentia; sic enim ipse Eugenius loquitur. Iam vero de sacramentis agens ait « Sextum Sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Forma sacerdotalis est: accipite potestatem offerendi sacrificium etc. »

Respondemus 1° hanc difficultatem expediendam esse ab iis quoque qui utramque et impositionem manuum et traditionem instrumentorum materiam essentialem censent, ut facit proinde Bellarminus l. c.; verba enim Eugenii si eo spectant ut doceant quid de fide tenendum sit circa materias et formas sacramentorum, sunt exlusive accipienda, ut mox demonstravimus. Respondemus 2°, licet videatur heic Eugenius doctrinam tradere in materia fidei, tamen fieri potest, quod in hac parte decreti in qua agit de sacramentis velit quoad aliqua tradere Armenis ea quae ad ritus spectant Sacramentorum a Romana Ecclesia probatos et in universa latina Ecclesia usurpatos; nam *a)* praeter materiam fidei et de ritibus se locuturum dixit ab initio: *b)* ut verbis cl. Perrone utamur (De Ordine n. 126.) « nisi velimus in absurda incidere, admitti debet responsio Bellarmini aliorumque qui dicunt, scopum Summi Pontificis fuisse inducendi Armenos ad uniformitatem cum Ecclesia Romana in collatione Ordinum, ideoque hanc solam recensuisse, quam Armeni non adhibebant. » Quae quidem responsio supponit Eugenium mentem suam declarasse oratoribus Armenorum, quibuscum negotium unionis actum est, ut intelligerent quo spectaret ea ultima pars decreti desumpta ad verbum ex opusculo 3° s. Thomae de Sacramentis. *c)* Quod quidem videtur per se satis esse ad ostendendum, heic nullam fidei definitionem haberi; non enim solet Romana Sedes hoc pacto condere definitiones fidei, exscribendo scilicet opus alicuius doctoris. *d)* Porro quod intrinseco argumento probabile saltem est, fit extrinseco argumento certum; nam quaenam sit et quaenam non sit intentio Principis

in ferendo decreto, recte a posteriori colligitur a sequenti consensu probato illi quoque auctoritati, a qua decretum profectum est (a). Atqui ex hoc consensu liquet, intentionem Eugenii non eam fuisse, ut doctrinam fidei proponeret circa materiam et formam essentialem Sacramenti Ordinis. Nam si ita est, oportuit integram materiam tradere; falso enim de parte materiae praedicatur quod sit materia; quare dicendum esset impositionem manuum non esse materiam e sententia Eugenii, eam enim omisit Eugenius; ideoque falsum esset per impositionem manuum fieri Sacerdotes. Nihilominus non hic tantum vel ille theologus, sed universa Tridentina Synodus probata a Romana Sede post decretum Eugenii adhuc ordinationis ritum ita exprimebat inquiens l. c. « Sacerdotes ab Episcopis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii ». Ergo non ita accepta est doctrina Eugenii, ut eo in decreto proponeretur quid circa materiam et formam ordinationis sit credendum.

VII. Quaeritur de ministro ordinationis. Omnia sacramentaria et euchologia Ecclesiae latinae et graecae, canones omnes initio ducto ab Apostolicis usque ad Tridentinos, Patres Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus iam citati, quibus ceteri consentiunt, ministrum χειροτονίας, qua in ordinem hierarchicum fideles adsciscuntur, sive ordinationis episcoporum, presbyterorum, diaconorum solum episcopum exhibent; et licet quidam veteres Scholastici censuerint, ex delegatione Pontificis posse presbyterum esse ministrum extraordinarium ordinationis diaconi et presbyteri, haec opinio (ut ait cl. Perrone l. c. n. 134.) obsoleta est et sane gratis asserta est praeter omne principium proprium theologiae. Privilegium vero quod dicitur ab Innocentio IV. concessum abbati cisterciensi conferendi diaconatum vel a plerisque ut falsum prorsus reiicitur, vel depravatum censetur, vel ex opinione privata Pontificis profectum est, cui potest subesse falsum. Inferiores vero ordines comprehenso subdiaconatu posse ex delegatione Pontificis presbyterum conferre, convenit inter Theologos, tum propter concessionem factam olim chorepiscopis, qui simplices presbyteri erant, tum propter concessionem eandem factam recenti quoque aetate a Romana Sede presbyteris. Cf. Benedictum XIV. *de Synodo* L. 2. c. 11°. In decretis autem Anastasii II. editis a Dionysio, decr. VI. edicitur ne presbyteri ius habeant, sine Summo Pontifice, faciendi subdiaconos et acolythos.

(a) Nota aliud esse ex Ecclesiae sensu explicare decretum Romanae Sedis aliud ex Ecclesiae consensu derivare valorem decretis eiusdem Sedis.

Quaeritur vero an episcopus haereticus ab Ecclesia praecisus et damnatus valide ordinet. « Hanc quaestionem (ait Petrus Lombardus in 4. D. 25. n. 1.) perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba qui plurimum dissentire videntur ». Verum heic perplexio nulla reapse est. Sententiae enim, quas Magister affert veterum Patrum, illicitam solum docent eam ordinationem negantque potestatem exsecutionis, honorem gradus et iurisdictionem per eam conferri. Doctrina Ecclesiae allata in §. XIII. n. 5. satis aperta est. Quod ibi de praecisis ab Ecclesia universim dictum est, idem et in specialiter degradatis valet: est enim eadem ratio; quia nempe character ordinatione imprimitur, qui iuxta Ecclesiae doctrinam indelebilis est.

VIII. Quoad caelibatum clericorum lege egregium opus F. Antonii Zaccaria *Storia polemica del celibato sacro*. In summa haec tene. 1° Caelibatus clericorum non est de iure divino primario: 2° est tamen de iure divino secundario, maxime scilicet conveniens: 3° potestas vero illum praecipiendi ac nuptias irritandi eorum qui illo obligentur, est de iure divino primario: 4° In Ecclesia latina semper iure servatus est nec ullum exemplum afferri potest, quo impune episcopus, presbyter, diaconus aut nuptias contraxerint aut nuptiis antea initis usi fuerint. Quod quidem apostolica Patrum constitutione constitutum esse docet Siricius ep. 5. ad Africanos. Licet vero quarto seculo nondum in omni Ecclesia latina subdiaconi ad continentiam obligarentur, id tamen servatum iam esse in Ecclesia Romana liquet ex Leonis epist. 14. ad Anastas. Thessal. Romae enim altari subdiaconi ministrabant; quod cum factum deinceps esset commune ubique sub Pelagio II. et Gregorio M., facta est lex continentiae universalis pro subdiaconis. 5° In Ecclesia quoque graeca haec consuetudo seculo 4° viguit; cuius rei testes sunt Hieronymus et Epiphanius. Ille adversus Vigilantium c. 1. inquiens: « quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae (habes omnes tres Patriarchatus), quae aut virgines clericos accipiunt aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt? » Iste haeresi LIX. n. 4. aiens contra Novatianos, « Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi (nota: etiam *subdiaconi*) ordinem admittit ». Idem tradit in *Expositione Fidei* n. 21. Cf. et Eusebium H. E. l. x. et *Demonstrationes Evang.* l. 1. pag. 31. 32. edit. Vigeri. Identidem tamen in Ecclesia graeca praeter hanc consuetudinem a presbyteris et diaconis et subdiaconis agebatur, cuius rei declarationem habes ab Epiphanio qui loco citato subdit: « Quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones (lex ergo aderat) accurate servantur. At enim nonnullis

adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt; respondeo, non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet qui ad eas se functiones applicent non facile reperiuntur ». Ab ea sanctitate magis usque deficiens Ecclesia graeca, edidit tandem sec. VII. labente canones trullanos.

§. XVI.

Sic notitia tradita eorum, qui in Ecclesia iure divino potestatem obtinent sacrorum quique eodem iure intrinsece discernuntur a laicis, disserendum nunc est de potestate iurisdictionis, ad quam iure divino idonei sunt qui ad ordines hierarchicos spectant. De iis autem disputabimus, quae ad eius originem, subiectum, naturam et efficaciam manifestandam conducunt.

Origo huius potestatis proprio et speciali sensu est divina.

I. In 1° articulo gallicani conventus an. 1682. independentia potestatis civilis a potestate sacra eo argumento stabiliebatur, quod iuxta Apostolum sit potestas illa a Deo, nempe, ut adsignificatur, sit potestas immediate a Deo. Quo quidem argumento probare quoque, imo meliore iure, potuissent, potestatem paternam in filios, viri in uxorem, proprietarii in res suas etc. esse independentem a quavis alia potestate, ita ut nihil reliqui fuisset in suo regno Ludovici XIV. auctoritati. Haec porro doctrina est loco fundamenti omnibus illis, qui potestatem civilem independentem prorsus imo superiorem statuunt potestate ecclesiastica.

Verum potestas politica spectari potest vel in universali, abstractione facta a quavis eius forma, vel in particulari secundum determinatas formas. Priore modo spectata ipsa est a Deo et ideo est a Deo, quia a Deo est creata natura ordinabilis in societatem; unde de iure naturae est quod sit talis potestas: ius autem naturae est quoddam ius divinum; idcirco nulla exsistente positiva Dei institutione, sed sola exsistente natura, iam exsistit principium auctoritatis civilis. Forma vero regiminis sive monarchica sive aristocratica sive constitutionalis sive alia quaevis non est de iure naturae, sed ex quibusdam contingentibus factis atque hominum tandem consilio et voluntate definitur. Est ergo haec auctoritas generice spectata naturalis ac de iure divino naturali, eadem tamen, si conferre licet, minus primario intenta a natura, quia necessaria minus, quam paterna (cf. s. Gregorium in *Regula Pastorali*

part. 2. c. 6. coll. *Moralium* l. 26. in caput 36. v. 46.): forma autem quaevis ipsius de iure humano est, et idcirco mutabilis.

E contrario potestas ecclesiastica non consequitur naturam, est enim supernaturalis; idcirco immediate a Deo est, quatenus Deus positiva institutione eam instituit, ordinem condens supernaturalem; praeterea non tantum in genere est a Deo instituta, sed in specie, h. e. forma ipsa determinati regiminis eadem institutione constituta est a Deo, ideoque ipsa quoque immutabilis est. Igitur speciali modo et proprio prae politica potestate eoque excellentiore originem habet a Deo potestas Ecclesiastica. Cf. Bellarminum *de Laicis* c. 6.

§. XVII.

Potestatem iurisdictionis in Ecclesia praeter Petri successores obtinere debent ex Christi institutione Episcopi, qui singulis Ecclesiis ordinaria et immediata iurisdictione praesint.

I. Iurisdictionem Petri eiusque successorum probabimus in Tract. sequente: nunc ab ea tractanda praescindimus. Quaestio quae restat est huiusmodi: an praeter Petrum et sub Petro sint alii ex Christi institutione qui ordinaria potestate regere debeant oves Christi et quinam illi sint. Quia vero historice constat, Episcopos semper fuisse, qui Ecclesiam regerent, quaestio ea duplex huc redit, an ex Christi institutione Ecclesia regenda sit ab Episcopis, qui singularibus Ecclesiis ordinaria et immediata potestate praesint. Quamvis enim Christus ita rem instituere potuerit, ut commissa universa Ecclesia Petro, reliquerit illi potestatem delegatos suos a se institutos mittendi qui singulas partes ovilis gubernantes eum in regimine universae Ecclesiae adiuvarent; potuit tamen et sic quoque Christus rem instituere, ut sua voluntate determinaverit eos, qui essent vocandi in partem sollicitudinis a Petro, iique essent episcopi. Quae quidem hypothesis non exigit ut dicamus, eadem primaria intentione Christum voluisse Primatum Petri ceterorumque episcoporum auctoritatem; sed eos ideo potuit velle Christus, ut Petrus in regimine Ecclesiae universae adiuvaretur; eo quod Ecclesia ab uno quoad omnes actus necessarios absque ministerio alterius regi nequit. Si itaque Christus non fecit solum potestatem Petro delegandi suam auctoritatem aliis, quibus vellet et quam vellet, seu si non reliquit determinandum Petro quinam et quomodo ei essent associandi, sed determinavit ipse voluitque esse Episcopos ordinaria et immediata potestate instructos, dicendum est eos Ecclesiam sub Petro regere ex Christi institutione, qui primario quidem, prout voluit Ecclesiam simpliciter esse, Primatum Petri in ea instituit: secundario

vero, prout rationem habuit universalitatis Ecclesiae et necessitatis eorum qui Petrum in ea regenda adiuvarent, voluit esse Episcopos, qui ordinario iure h. e. iure inhaerente proprio officio sibi divinitus concredito singulos greges gubernarent. Si autem ipse id voluit, sunt ergo Episcopi ex Christi institutione Ecclesiarum Pastores, ideoque vero iure divino.

Quod cum defendimus, nolumus dicere Christum ipsum determinasse limites singularum Ecclesiarum vel prohibuisse ne ulla particularis Ecclesia nisi ab Episcopo eiusque ordinaria iurisdictione regeretur; haec enim necessaria non sunt, ut vera sit illa institutio Christi. Neque ingredimur quaestionem an iurisdictio Episcoporum sit immediate a Deo an a Papa: ab hac enim quaestione, quam in seq. tractatu tractabimus, illud est independens; sive namque neges sive affirmes iurisdictionem Episcoporum esse immediate a Papa, semper verum esse potest, Christi institutionem et voluntatem esse, ut Ecclesia ab Episcopis sub Petro regatur ordinaria iurisdictione. Id est igitur quod modo demonstrandum nobis sumimus.

II. Iam vero ex institutione Apostolorum facta a Christo (Luc. VI. 13. Matth. XVIII. 18. Ioan. XX. 22.) ac promissione perennitatis eorum ministerii (Matth. XXVIII. 20.) liquet, voluisse Christum ut praeter unum Petrum eiusque successores essent alii potestatem habentes regendi, docendi et sanctificandi, quae potestas perpetuo propagaretur in alios. « Erras (aiebat Bernardus ad Eugenium III. *de Consid.* l. 3. c. 4.), si ut summam ita et solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimas. » Porro vi illius institutionis, qua statuitur non solum Petrum sed et alios, qui eius fratres dicuntur, debere obtinere in Ecclesia potestatem idque in perpetuum, efficitur plures debere esse qui cum Petro et sub Petro hac potestate potiantur. Hi vero nequeunt eam habere potestatem, quae fuerit in Apostolis extraordinaria; perpetuum enim non est nisi quod est ordinarium: ordinaria autem potestas ea censenda est quae exprimitur verbis Christi directis ad Apostolos (nisi significetur eos spectari sub speciali ratione quatenus primi sunt initiumque perpetuae successionis, ut Ioan. XVI. 12. 13.); in illis enim verbis institutio Ecclesiae continetur: oportuit autem Christum instituentem Ecclesiam formam eam exhibere, quae ordinaria deberet esse in ea. Et sane praerogativas extraordinarias singulorum Apostolorum, cuiusmodi fuerunt auctoritas universalis et infallibilitas, perperam conaberis demonstrare ex verbis Christi, qui, si excipias Petrum, nunquam ad singulos, sed ad omnes simul sumptos eosque cum Petro, loquitur. Eae quidem aliunde constant, eas tamen defecisse cum Apostolis certum est. Restat ergo, ut potestas ordinaria, quae primum

fuit in Apostolis sit potestas ligandi et solvendi, potestas docendi, potestas sanctificandi per administrationem omnium Sacramentorum citra infallibilitatem et universalitatem auctoritatis in singulis; talis enim potestas et verbis Christi significatur et necessaria est Ecclesiae.

Hinc Apostolus ad Ephes. IV. 11. 12. ait quod Deus dedit quosdam quidem Apostolos... quosdam autem *pastores et doctores* ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Ex quo patet, necesse esse ut actio eorum qui enumerati sunt perduret quoad consummandi sunt sancti et corpus Christi aedificandum. Dupliciter vero ipsa perdurare potest, vel quatenus eius efficacia maneat, vel quatenus continua successione semper actu exsistat. Iam vero patet hoc alterum quoque requiri; dicuntur enim a Deo illi dati *in opus ministerii* εἰς ἔργον διακονίας, quod actuale requirit exercitium potestatis. Porro Apostoli quatenus tales secundum totam amplitudinem potestatis perpetui esse non debebant; prophetas quoque et evangelistas, prout speciale munus significatur, perpetuos esse non debuisse satis constat; restat ergo ut pastores et doctores quatenus tales, quorum est proprium ministerium quo aedificatur corpus Christi et consummantur sancti, perpetua successione perdurent, quorum ministerio illud quoque obtinetur, ut ministerii aliorum quod transiit efficacia semper perseveret. Ex divina igitur institutione debent esse in Ecclesia post Apostolos ii qui sint pastores et doctores, qui nempe habeant potestatem regendi, docendi simulque sanctificandi.

Iam vero constat quod illi, quos Christus voluit succedere in munere ordinario Apostolis et pastores esse ac doctores in Ecclesia, sunt eadem institutione Christi Episcopi qui portionem gregis Christi ordinaria potestate, insita nempe proprio officio, regant; ita ut utrumque ad Christi institutionem spectet, et Ecclesiam regi ab Episcopis et regi ab Episcopis iurisdictionem habentibus singillatim in partes ovilis Christi. Primum patet 1° quia si Christus voluit aliquos esse Pastores, eos certe voluit quos idoneos instituit ad hoc ministerium perfecte exsequendum: atqui soli Episcopi propter potestatem ordinis, quae de iure divino est, sunt subiectum idoneum ad regendam perfecte Ecclesiam; oportet enim rectorem Ecclesiae eum esse, qui creare in ipsa ministros valeat, quibus functiones Ecclesiastici muneris exerceantur, quique Ecclesiam perennare possit et sic praestantior sit ceteris qui functiones exerceant; atqui talis non est iure divino nisi Episcopus, qui non solum filios sed et patres gignere valet. 2° Teste Apostolo Act. XX. 28. Episcopi positi sunt a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, quibus verbis saltem significatur ordinatio divina, ut Episcopi regant Ecclesiam. 3° Testante Clemente 1° ad Corinth. n. 42. Apostoli missi a Christo

eiusque acceptis mandatis praedicantes per regiones ac urbes, primitias eorum in Episcopos et Diaconos constituerunt. 4° Ignatius Theophorus sollicitudinem gerens pro iis Ecclesiis in Asia ad quas scribit, illud unum fere inculcat ut ordini hierarchico debita reverentia et subiectio deferatur ac praecipue Episcopo, monens oportere Episcopum respicere ut ipsum Dominum in eiusque sententiam omnes concurrere eique et Presbyterio obedire mente indivulsa, uni eius sacrificio communicando, ac Presbyterium coaptari debere Episcopo sicut chordas citharae (ad Magnesianos): secundum Iesum Christum vivere, qui subiectus est Episcopo ut Iesu Christo, sine Episcopo, presbyteris et diaconis Ecclesiam non vocari, ab haereticis se custodire qui indivulsus maneat a Deo Iesu Christo et Episcopo et praeceptis Apostolorum, quique sine Episcopo et presbyteris et diaconis aliquid facit, hunc non esse mundum in conscientia subiectosque oportere esse Episcopo ut Dei mandato (ad Trallianos): ubi Pastor (episcopus) est, eodem et oves sequi oportere, una Eucharistia utendum esse, unam esse carnem Christi et unum calicem in unitatem Sanguinis ipsius, unum altare sicut unus est Episcopus cum presbyterio et diaconis: sine Episcopo nihil faciendum, omnibus poenitentibus remittere Deum, si resipiscant ad unitatem Dei et Episcopi consessum: bonos esse sacerdotes, praestantius autem quid esse summum Sacerdotem, cui credita sunt sancta sanctorum (ad Philadelphios): omnes Episcopum sequantur ut Iesus Christus Patrem et presbyterium ut Apostolos, sine Episcopo nemo quidquam faciat quae ad Ecclesiam spectant: rata Eucharistia habeatur illa quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit; ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus ibi est catholica Ecclesia: non licere sine Episcopo baptizare aut agapen celebrare et quodcumque ille probaverit hoc esse Dei beneplacitum, honorari a Deo qui honorat Episcopum et diabolo obsequium praestare qui clam Episcopo aliquid agit (ad Smyrnaeos): interire illum qui se Episcopo maiorem censet: decere ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant, ut nuptiae sint secundum Dominum: Episcopo attendendum esse ut et Deus attendat nobis (ad Polycarpum). Porro manifestum est hanc debitam reverentiam et subiectionem erga Episcopum adeo frequenter praedicari ab Ignatio, ut unitas Ecclesiae, unitas scilicet fidei et communionis sit in tuto, ita ut unitas haberi nequeat sine ea reverentia et subiectione; atqui quod Ecclesiae unitati necessarium exhibetur, id ex divina institutione postulari dicitur.

5° Sedes Episcoporum consuevit antiquitas appellare *Sedes Apostolicas*, *Apostolicam sortem*, *Apostolatum*, ut Paulinus facit ad Alypium epist. 3. n. 1. et ad Florentinum ep. 42. n. 3°. Gregorius Turonensis

Hist. Franc. l. 4. c. 26. Apollinaris Sidonius epist. 4. l. 6. Avitus Viennensis epist. 37. atque Episcopi semper hac appellatione honestati sunt ut successores Apostolorum dicerentur. « Hoc enim maxime laborare debemus (ait Cyprianus ep. 42. ad Cornelium) ut unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam quantum possumus obtinere curemus ». « Apud nos (inquit Hieronymus ep. 41. ad Marcellam) Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos (Montani asseclas) Episcopus tertius est ». « Horum (Apostolorum) profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt », ait Gregorius M. hom. in Evangelia 26. n. 5. Quocirca Tridentina Synodus Sess. 23. c. 4. declaravit « Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere. » Quae quidem successio non presse accipienda est; cum fere nullus Episcopus, praeter Romanum habuerit Apostolum in sua sede antecessorem fuerintque constituti Episcopi viventibus adhuc Apostolis, nec accipienda secundum aequalitatem, si singulos episcopos spectes, cum non sint pares singulis Apostolis; sed secundum similitudinem accipienda est si singulos Episcopos, excepto R. P., cum singulis Apostolis comparas, nam ordinariam potestatem ligandi et solvendi obtinent docendi et sanctificandi: atque secundum aequalitatem quoque, si totum collegium Episcoporum cum collegio Apostolico conferas; par est enim potestas.

Sic autem Ecclesia censuit Episcopos esse Apostolorum successores, ut simul censuerit immutabilem sibi esse ideoque iuris divini hanc oeconomiam ecclesiastici regiminis; quod liquet non solum ex nunquam ab Apostolis usque interrupta praxi, sed et ab asserta Episcopis prae ceteris dignitate successorum Apostolorum in regimine Ecclesiae; nam Apostolis aliquos succedere debere iure divino cautum est: quod et ea disserta constat professione, quod Episcopi positi regere Ecclesiam Dei spectent iique praecipue ad hierarchiam divina ordinatione institutam. Quocirca Ecclesia a Cypriano definiebatur: Plebs sacerdoti (Episcopo) adunata et Pastori suo grex adhaerens (ep. 69.) atque dicebatur Ecclesia esse in Episcopo, et Episcopus in Ecclesia (ibid.).

III. Alterum quod demonstrandum est, nempe ex eadem Christi institutione Episcopis singulis portionem gregis adscribendam esse quam regant ordinaria iurisdictione, ita demonstratur. Catholicus conceptus divinae institutionis Episcopatus repraesentat certe ipsam divinam institutionem ut ei sit prorsus conformis; atqui hic catholicus conceptus ita exhibet eam institutionem, ut singuli Episcopi (uno excepto R. P.) nequeant quoslibet fideles aut universam Ecclesiam regere, sed ad certam tantum portionem gregis Dominici regendam iure ordinario

destinati esse debeant, atque ita ut id ad essentialem Ecclesiae constitutionem pertineat: ergo talis reapse fuit institutio Christi. Minor pluribus constare potest. Sane sic divinam institutionem in actum deduxerunt Apostoli; nam et Paulus praecepit Tito l. 5. 7., ut constitueret per civitates presbyteros et Ioannes in Apocalypsi II. seqq. septem Ecclesiis totidem angelos seu Episcopos asserit ac b. Petrus 1ª epist. V. 2. monet episcopos ut pascant gregem Dei qui in ipsis est, h. e. non universum Dei gregem sed qui est in ipsis; ecclesia enim est in episcopo ut in capite. Huius apostolicae ordinationis testis est Clemens l. c. sanctusque Ignatius qui in singulis Ecclesiis proprium Episcopum agnoscit et testatur ad Ephesios n. 3º quod « Episcopi per terrae terminos definiti ex I. X. sunt sententia ».

Nihil hac re certius est in Ecclesiastica historia; semper enim singulis pastoribus portio gregis adscripta fuit, quam regat unusquisque et gubernet (Cyprianus ep. 55. ad Cornelium). Episcopatus enim unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur (idem *de Unit. Eccl.*) Cf. Augustini epist. 34. ad Eusebium n. 5. Hinc vetitum semper Episcopis derelicta sua Ecclesia alienas invadere, ab aliis excommunicatos recipere (can. apost. 11. can. nicaenus 15. et 5.): hinc electio legitima Episcoporum ea ordinarie habita quae pro determinata Ecclesia fieret, ad quam Episcopus assumebatur, ita ut nec ad aliam unquam transire ipsi liceret, etsi forte ab ea in qua electus fuerat, non reciperetur, nisi ex permissione Rom. Pontificis, cuius rei suo loco afferemus testimonia. Hinc quilibet Episcopus a civitate suae sedis appellationem accipiens, ut in subscriptionibus synodalibus patet. Id porro ad essentialem Ecclesiae constitutionem pertinere creditum est; nam semper creditum est, solius Rom. Pontificis utpote primatum habentis iurisdictionem esse in Ecclesia universalem et idcirco iure divino ceteros Episcopos partialem tantum h. e. in portionem gregis iurisdictionem habere posse atque adeo vocatos quidem eos esse in partem sollicitudinis non in plenitudinem potestatis.

Ex demonstratis liquet, iurisdictionem Episcoporum debere esse ordinariam; est enim ex officio ab ipso Christo instituto ac debere esse immediatam erga eos fideles qui eorum curae sint commissi; hi enim per hanc iurisdictionem Episcoporum subditi eorum constituuntur: porro nequit non esse immediata iurisdictio in subditos.

SCHOLION

I. Constat iure divino esse in Ecclesia Episcopos. Gradus vero Episcopatuum, Patriarcharum nempe, Primatum, Metropolitanorum, simplicium Episcoporum iure Ecclesiastico sunt. Adumbratio iuris Metro-

politici exstat in Epistola ad Titum, cui ius ab Apostolo confertur consecrandi Episcopos in civitatibus Cretae. Verum non satis constat, an hoc ius fuerit collatum permanens cum iurisdictione permanente, an solum pro ea vice officium impositum sit Tito. Ceterum liquet Petrum tres constituisse sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Romanam, iis auctas iuribus, propter quae dictae sunt postea Patriarchales. Metropolitanorum mentio fit in canonibus apostolicis et nicaenis. Huiusmodi autem institutionem a iure ecclesiastico vel apostolico ecclesiastico tandem dimanare patet. Nam iure divino omnes episcopi sunt pares; omnes enim ex aequo censentur Apostolorum successores: haec sane praerogativa in omnibus monumentis ecclesiasticis asseritur ex aequo omnibus episcopis, nullo discrimine facto inter simplices episcopos, metropolitanos, archiepiscopos etc. Singularis est enim sententia Bernardi abbatis Fontis Calidi in Tractatu contra Waldenses et Arianos sec. XII. (Gallandi XIV. 523.), quod Archiepiscopi locum obtinent Apostolorum, Episcopi discipulorum. Cum ergo iure divino pares essent Apostoli, excepto Petro, et Episcopi pares erunt, si ius divinum tantum spectetur. Praeterea omnes Episcopi ex aequo illud obtinent per quod ad regimen Ecclesiarum a Deo destinantur h. e. characterem episcopalem. Quod autem a iure divino non est, a iure ecclesiastico vel apostolico ecclesiastico repetendum est. Haec vero apostolica et ecclesiastica institutio normam quamdam divinam habuit rationique maxime conformis est, ut disserit s. Leo epist. 14. ad Anastasium Thessalonicensem c. 2. « Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut ceteris praesideret. De qua forma (discretione scilicet potestatis Petrum inter et ceteros Apostolos) Episcoporum quoque est orta distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli quorum inter fratres prima haberetur sententia et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluueret et nihil usquam a suo capite dissideret. »

II. Gersonis et Sorbonae commentum fuit, quod Ianseniani postea propagarunt, non solum Episcopos sed et Parochos esse in Ecclesia ex institutione divina, quam doctrinam dilatantes Ianseniani asseruerunt ita Parochos esse pastores immediatos, ut Episcopus sit per se solum mediatus et tantummodo ad supplendum vel emendandum Parochi defectum valeat immediatam iurisdictionem in oves parochorum exercere, non secus ac de Rom. Pontifice docuerunt respectu Episcoporum. Hinc voluerunt ius competere Parochis decidendi in Synodis contro-

versias fidei atque excommunicandi, unde effecerunt tandem ut *Pastoris* appellatione simpliciter Parochus honestaretur. Verum ex institutione quidem divina est, ut Sacerdotes secundi ordinis tales sint, qui possint assumi ad officium Parochi et lex ipsa naturalis docet, ut certis exsistentibus conditionibus conveniens sit illos assumere; at non est ex divina institutione, ut debeant esse Parochi, h. e. non exsistit ius divinum seu divina lex determinans exsistentiam parochorum. Sane Parochus non est solum Presbyter qui curam ovium gerit per verbi Dei praedicationem et quorundam sacramentorum administrationem, sed est presbyter legitime deputatus ad ministrandum ex obligatione et proprio nomine verbum Dei et sacramenta certo dioecesanorum numero, qui ab eodem vicissim sacra recipere aliquatenus teneantur. Cf. de Bouix *de Parocho* P. 1. sect. 2. c. 9. §. 3⁰. Iam vero illud nequit dici ex divina institutione debere esse in Ecclesia, quod longo tempore in Ecclesia non fuit tum quoque cum nihil obstabat quominus divina institutio in actum deduceretur: atqui primis tribus seculis iam aucto fidelium numero ita, ut posset certe non solum in episcopatus sed in parochias etiam praesertim rurales distribui, nullus tamen fuit Parochus, sed omnem curam ovium Episcopus gerebat, vel per se vel per presbyteros, quos pro data occasione mittebat absque ulla habituali permanente iurisdictione erga determinatas oves. Iurisdictio scilicet omnis erat tantum penes Episcopum, quam ipse cum suo presbyterio exercebat, fideliumque collectae die dominico apud unum Episcopum fidebant ad quem et qui in agris erant, convenire debebant. Lege Iustinum Apolog. et Ignatii epistolas. Quarto autem seculo in pagis et villis extra civitates coeperunt institui Presbyteri vel collegia Presbyterorum et super presbyteros Chorepiscopi quoque, qui per se simplices sacerdotes secundi ordinis erant, quibus cura ovium ordinaria sub Episcopo civitatis demandaretur. At intra fines civitatum non nisi post annum 1000. Parochiae constitutae sunt, omnia Episcopo cum suo Presbyterio seu canonicorum collegio administrante; ita ut aetate quoque Tridentini quaedam civitates adhuc Parochis carerent (sess. 14. c. 13. *de Reform.*). Haec late demonstrata sunt a Mario Lupi in opere *de Paroeciis ante annum* 1000. et ab Aloisio Nardi in copioso opere *de Parochis;* quos consulere oportet.

Errant proinde quicumque in veteribus monumentis presbyterorum nomine (nisi specialis ex contextu declaratio addatur) designari parochos censent. Falsum idcirco est et ab universa traditione alienum, Parochos qua tales certum hierarchiae gradum constituere multoque magis falsum est, eos certum hierarchiae gradum constituere quae est iuris divini. Nam parochi qua tales non exiguntur iure divino in Ecclesia,

ut ostensum est; hierarchia vero quae iuris divini est, exigitur eodem iure in Ecclesia. Ceterum hierarchia vel spectatur ratione ordinis vel ratione iurisdictionis. Si ratione ordinis, parochi pares sunt ceteris presbyteris: si ratione iurisdictionis, vel consideras iurisdictionem in foro externo, vel in foro interno: si in foro externo, talem iurisdictionem parochi nullam habent; neque enim valent ferre leges, iudicia instituere, poenas infligere: si in foro interno, ea est quam quilibet presbyter habere potest ab Episcopo et frequenter habet totumque discrimen est quod eam parochus ex institutione Ecclesiae habet adnexam suo officio, presbyter simplex habet delegatam. Id vero non sufficit ut novus hierarchiae gradus constituatur; nam hierarchiae gradus per specialem potestatem constituuntur; heic vero non habetur nisi specialis quidam modus obtinendi eam potestatem, quae aliis quoque communis est.

Turpiter proinde erravit Gerson affirmans (in opusculo *de Statibus ecclesiasticis.*), « Statum curatorum esse de institutione Christi et Apostolorum suorum a principio fundationis Ecclesiae statumque curatorum esse de essentiali ac intrinseca Ecclesiae hierarchia, sicut est status Praelatorum » et (in *Sermone contra Bullam Regnans* Alexandri V.) « dominos curatos esse in Ecclesia minores praelatos ac hierarchicos hoc est principales ac dominantes per primam institutionem Christi atque hunc statum a Papa destrui non posse ». Hunc errorem Gerson Sorbonae legavit isque suos fructus tulit in Synodo Basileensi ac in Pistoriensi. Quia vero *Pastoris* appellatio usu biblico et ecclesiastico eum designat qui iurisdictionem habet in foro externo cunctisque seculis ab Apostolica aetate ad ultima tempora usurpata est ad Episcopos designandos, liquet haud iure vindicare sibi parochos appellationem pastorum absque ullo addito.

Ex his patet evidentius ratio iam superius indicata cur Episcopi ratione quoque iurisdictionis sint iure divino presbyteris superiores.

§. XVIII.

Ratione habita originis huius potestatis qua Ecclesia regitur et finis Ecclesiae, liquet Ecclesiam esse societatem perfectam et a civili prorsus independentem.

I. Id negant nostra aetate omnes Ecclesiae hostes, atque huc athea civilium societatum gubernia spectant, ut Ecclesiam, quam eradicare nequeunt, in vincula coniiciant. Doctrinae, quam omnes catholici defendimus, haeresis adversa arrisit plus minus semper regibus et im-

peratoribus, qui finem suae auctoritatis ignorantes eamque amplificare studentes, non patiebantur aliam esse in terris potestatem a se independentem. Errores huiusmodi proscripsit Pius IX. in Syllabo prosposit. 39., seqq.

II. Ea est perfecta societas, quae neque est pars alterius societatis neque alteri societati subordinatur; si enim huiusmodi est, oportet ut ipsa sibi sufficiens sit, h. e. potestas qua regitur sufficiens sit ad consecutionem finis: quo fit ut societas integra sit et in se tota, h. e. perfecta. Iam vero pars alicuius societatis sive collegium in societate nequit esse nisi is coetus, cuius finis fini societatis subordinatur, sive ab eadem potestatem obtineat se constituendi sive haec potestas sit a natura: ratio est quia finis partis debet subordinari fini totius; ex quo fit ut potestas socialis ius habeat regendi collegia, quae partes sunt societatis. Atqui finis Ecclesiae est excellentior fine cuiusvis alterius societatis a se distinctae. Distinctae enim ab ea non sunt nisi societates civiles: nam si quae sunt aliae societates quae dicantur religiosae, eae nisi sint membra huius, nullum ius exsistendi habent. Iam vero finis intentus a societate civili est bonum aliquod temporale, scilicet explicatio earum virium singulorum et custodia eorum iurium singulorum, quae a natura insunt ac ad vitam temporalem referuntur: quae duo si obtineant, felicitas quaedam temporalis exsistit. Huc sane spectant leges civiles, quae non id directe intendunt ut faciant homines simpliciter honestos et sic idoneos ad consecutionem finis sui supremi, sed ut faciant bonos cives, bonos scilicet homines in convictu sociali in hac vita.

Verum quidem est quod in ordine purae naturae, si exsisteret, officium Principis esset quoque legibus suis id curare, ut homines boni essent et religiosi erga Deum; sed id ex eo oriretur quod in illo ordine Princeps civilis esset quoque summus sacerdos et legislator in ordine religioso, quae sunt duae formalitates distinctae, quamvis in eodem subiecto (etsi nec opus fuisset in illo ordine idem esse subiectum utriusque potestatis), atque ita distinctae, ut potestati religiosae utpote respicienti nobiliorem finem fuisset subordinata potestas civilis. At in praesenti providentiae ordine cura religionis integra demandata est a Deo aliis quam Principibus, qui curare quidem debent ut leges latae a potestate religiosa serventur a suis subditis (de qua re loquemur in Th. 21. seqq.), sed nullum ius habent ferendi leges religiosas. Idcirco habita ratione societatis et potestatis civilis qua talis, ea ordinatur per se in bonum temporale. Finis proinde societatum civilium est aliquid naturale. Alius vero plane est finis Ecclesiae quae est societas supernaturalis. Est scilicet finis supremus hominis obtinendus in altera

vita, ad quem immediate et per se ipsa ducit; cui fini supernaturali ceteri naturales fines et fines ceterarum societatum politicarum subordinantur. Nec alia societas supernaturalis in terris supponenda est; nam una est Ecclesia universalis, sicut unus est finis.

Pariter societas alteri subordinata auctoritatem, qua regitur, accipit a subordinante: at fieri nequit ut Ecclesia auctoritatem, qua regitur, accipiat in terris ab alia societate; quia aliae societates naturales sunt et aliquam tantum potestatem ordini naturae consentaneam conferre possunt: potestas autem Ecclesiae est supernaturalis. Neque societas, alteri ratione auctoritatis subordinata, potest in excellentiorem finem esse ordinata, cuiusmodi est Ecclesia prae societatibus civilibus.

Ergo Ecclesia est societas integra et in se tota, ideoque sufficiens sibi, quod est esse societatem perfectam.

III. Sane tenendum est Ecclesiam esse societatem prorsus independentem a societate civili: quod quidem certum esse debet, si auctoritas qua regitur Ecclesia sit omnino independens ab auctoritate civili. Hanc praerogativam ecclesiasticae potestatis, quae hodie tam insipienter ab eius osoribus negatur, volumus evidentius quoque, si opus est, demonstrare. Quaestio profecto huc redit: an potestas ecclesiastica sit independens a potestate civili; quoad hoc enim ita se habent societates, sicut se habent earum potestates quibus constituuntur.

Iam vero sicut duplex esse potest dependentia unius potestatis ab alia, ita et duplex independentia. Dependentia alia directa est, alia indirecta. *Directa* est, cum aliqua potestas alteri subest *ratione sui* prout nempe est talis potestas; unde fit ut potestas superior regat omnes actus potestatis inferioris in ordine ad ipsum finem huius inferioris potestatis; quia idem finis a superiore potestate licet universalius intenditur. Ita potestas gubernatoris provinciae subest potestati regis. *Indirecta* est, cum una potestas *ratione alterius rei* alteri potestati subest, seu ab ea dirigi potest, puta ratione finis nobilioris, qui intenditur ab aliqua potestate et cui adversari nequit potestas alia, sed ei potius tanquam medium subordinatur. Ita potestas paterna subest potestati iurisdictionis socialis. Hinc intelligitur quaenam sit independentia directa, quaenam etiam indirecta.

Rursus advertendum, quod cum comparantur potestates, potest fieri comparatio *formalis* vel *materialis*. Formalis est, cum comparantur potestates per se, seu, quod in idem redit, cum comparantur subiecta earum *quatenus instructa sunt ea potestate eamque exercent:* materialis est cum *subiecta* comparantur sed sub alia ratione.

Modo defendimus potestatem Ecclesiae esse a potestate civili prorsus independentem, nedum directe, sed et indirecte. Argumenta quae primum

afferemus, probabunt certe independentiam directam: subdemus deinceps et id, quo evidens fiat quoque independentia indirecta.

IV. Itaque verba Christi sunt ad Apostolos: *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis.* Porro in his verbis potestas Ecclesiae quae amplissima est, exhibetur per se independens a quavis potestate humana, ideoque et a civili. Nam cum ipsa ligat, ligat Deus, cum ipsa solvit, solvit Deus: nexus est immediatus, ut patet, et necessarius, fieri nempe nequit ut aliquid liget aut solvat Ecclesia quod non liget et solvat pariter Deus; nam *quodcumque* ligaveris, *quodcumque* solveris dicitur: nihil excipitur. Quae quidem divina ratihabitio exercitae ab Ecclesia potestatis ligandi et solvendi non est ratihabitio seu probatio actus prout est in genere moris, sed prout est actus auctoritatis. Deus enim ipse *ligat* et *solvit*, cum ligat et solvit Ecclesia. Iam vero 1° haec propositio Christi universalis falsa esset, si potestas Ecclesiae penderet a potestate civili; tunc enim ligante aut solvente Ecclesia h. e. leges ferente aut abrogante, iudicante, puniente, posset potestas civilis irritum facere quod decernit Ecclesia, quae irritatio legitima et valida foret; ea autem irritatione exsistente Deus qui illam probaret, non haberet ratum actum Ecclesiae seu non ligaret aut solveret in caelis quod Ecclesia ligat aut solvit in terris: ergo. 2° Nulla potestas humana potest ligare quod solvit Deus, neque solvere quod ligat Deus: ergo neque potest ligare quod solvit Ecclesia aut solvere quod ligat Ecclesia. Prob. Conseq. cum enim Deus liget et solvat quidquid ligat et solvit Ecclesia, si quis ligaret quod ea solvit, eo ipso ligaret quod solvit Deus et si solveret quod ea ligat, solveret quod ligat Deus: ergo. Igitur potestas Ecclesiae est independens a potestate civili.

Id quoque ex scopo ecclesiasticae potestatis manifestum est. Etenim potestas Ecclesiae est principium efficiens unitatis totius Ecclesiae catholicae; huc enim spectat auctoritas in societate: atqui haec nequit esse obnoxia potestati civili; ergo. P. m. Potestas civilis multiplex est in mundo, prout sunt diversa regna et imperia; si autem potestas Ecclesiae esset subiecta potestati civili, ea alio et alio modo se gerere deberet in diversis regnis iuxta placitum regum fierique posset ut nulla eius lex, nulla directio esset communis pro universa Ecclesia: atqui potestas, quae est principium efficiens societatis, exigit ut ea communibus legibus et statutis regere possit universam societatem; ergo. Imo si potestas Ecclesiae esset subiecta potestati civili, potestas suprema pro Ecclesia esset in singulis regnis potestas civilis, cui subesset auctoritas Ecclesiae; adeoque tot essent potestates supremae in Ecclesia

quot reges, h. e. tot essent Ecclesiae quot regna; nempe non esset amplius Ecclesia una. Ergo.

Et re quidem vera auctoritas Ecclesiae vel pendet a potestate civili prout haec est talis, vel prout exsistit in subiecto christiano. Atqui character christianus nullam auctoritatem confert principi in Ecclesiam sed imo illum huic tanquam agnum non secus ac alios subiicit. Si vero potestati civili, prout talis est, subest auctoritas Ecclesiae, poterit quoque princeps paganus, hebraeus, haereticus, excommunicatus se immiscere negotiis Ecclesiae eaque regere, quod est absurdum; absurdum est enim Christum ovile suum commendasse lupis: ergo. Cf. propos. 44. Syllabi.

V. Itaque potestas Ecclesiae non pendet directe a potestate civili. Sed neque indirecte. Indirecta enim subiectio unius potestatis ad aliam tunc solum habere potest locum, cum finis unius potestatis subordinatur fini alterius; in qua hypothesi ut consulatur fini potestatis superioris, potestas inferior cogi potest ut tanquam medium inserviat superiori. Atqui finis potestatis Ecclesiae non subordinatur fini potestatis civilis: ergo. Minor evidens est. Maior patet; quia natura et vis potestatis socialis pendet a fine ad quem actibus suis ordinat societatem: ideoque potestates ad invicem se habent, sicut fines earum. Cf. quae dicemus in Th. cit. seq. tract.

VI. Obiici quidem solet potestas exercita ab imperatoribus christianis primis Ecclesiae seculis in ipsis ecclesiasticis negotiis, cui Romanus quoque Pontifex videbatur subiectus; ita ut ad eos a iudiciis Episcoporum provocaretur, ipsi Episcopos et inter hos Romanum quoque, ut Constantinus fecit, ad iudicandum destinarent, Synodos convocarent etiam universales, ad quas Romanus Episcopus vocabatur et huiusmodi: ergo. At respondemus 1° usurpatum quidem fuisse ius in his rebus tanquam sibi proprium a quibusdam imperatoribus, sed hos fuisse vel haereticos, vel ab haereticis deceptos, aut certe potestatis et libertatis ecclesiasticae ignaros: 2° Ecclesiam contra huiusmodi iurium suorum violationem constanter reclamasse. Ita Lucifer Calaritanus l. 1. pro Athanasio ad Constantium Imperatorem: « Sed dicis, isto in loco (Deuter. XVII., 9.) Deo devotissimus Moyses quomodo Sacerdotum fecit mentionem, sic et iudicis. Proba te super nos factum iudicem, proba te ad hoc constitutum Imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis, quomodo dicere poteris iudicare te posse de Episcopis? »

Hosius Cordub. ad eundem Constantium (penes Athanasium *Historia Arianorum* n. 44.) « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit ». Athanasius ibid. n. 53. « Si illud Episcoporum decretum est, quid illud attinet ad Imperatorem? sin imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus qui vocantur episcopi? Quandonam a seculo res huiusmodi audita est? quandonam Ecclesiae decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac Synodi coactae sunt, multa prodiere Ecclesiae decreta; sed nunquam Patres res huiusmodi Imperatori suasere, nunquam Imperator ecclesiastica curiose perquisivit ». Hilarius ad Constantium l. 1. n. 1. « Provideat et decernat clementia tua omnes ubique iudices, quibus provinciarum administrationes creditae sunt, ad quos sola cura et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac praesumant atque usurpent et putent se causas cognoscere clericorum ». Ambrosius contra Auxentium n. 35. « Tributum Caesaris est, non negatur: Ecclesia Dei est, Caesari utique non debet addici; quia ius Caesaris esse non potest Dei templum... Imperator intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est ». 3° Si quando boni imperatores auctoritate sua ecclesiasticis rebus consuluerunt, id ex consensu expresso vel tacito Ecclesiae eiusve postulatione aut consilio fecerunt; eo quod auctoritas temporalis quoad exsecutionem quarundam rerum necessaria esset et Ecclesia ius haberet exigendi a Principibus subsidium suae potestatis iique obligatione tenerentur subsidium praestare. Ita in causa Hilarii Arelatensis damnati a Leone M. Constitutionem suam edidit Valentinianus III. ut decretum Leonis tueretur inquiens. « Cum Sedis Apostolicae Primatum Sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae et Romanae dignitas civitatis sacrae etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid praeter auctoritatem Sedis istius illicitum praesumptio attentare nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas... Et erat quidem ipsa sententia (Leonis) per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesia non liceret? etc. » Quare officium hoc Imperatores *non ex potestate in res ecclesiasticas, sed ex debita subordinatione potestati Ecclesiae* praestiterunt: de qua in Tract. seq. l. c.

At 4° falsissimum et prorsus absurdum est, quod docet Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis De Marca (*Concordia* l. 7., c. 2.). « Imperatores habuisse auctoritatem concedendi rescripta pro revisione supremorum iudiciorum, sive illa civilia essent sive ecclesiastica. Nam,

pergit idem, edicta praefectorum praetorio obnoxia non erant appellationi, sed revisioni tantum, si eam qui causa ceciderat fieri peteret, libello in eam rem oblato Imperatori... Implorabantur etiam rescripta Principum adversus suprema synodorum iudicia » (heic Marca docet supremam auctoritatem ad Synodum uniuscuiusque provinciae pertinere). Docet deinde idem, quod huiusmodi ius concedendi revisionem causarum ecclesiasticarum concessum fuit a Patribus Sardicensibus Romano Pontifici (ita enim eos canones, in quibus de appellatione agitur, homo acutissimus interpretatur, sed de his in seq. Tract.); ita tamen ut integrum idem ius et plenius, utpote nativum, manserit penes Imperatorem, ibid. c. 3. Absurditas huius sententiae, quam ipse De Marca pro sua modestia fatetur ignotam fuisse interpretibus canonum graecis et latinis, evidentissima est. Nam potestas haec concedendi rescripta pro revisione causarum iam ab Episcopis iudicatarum est 1° potestas deputandi alios iudices qui secundum iudicium instituant: est 2° potestas iudicandi (nisi machinae in morem agat Imperator), an sententia in priore iudicio lata sit examini subiicienda, ideoque instituendi iudicium de causa Ecclesiastica quae agitur et de sententia Episcoporum: quocirca 3° est potestas, cui directe subsunt et auctoritas Episcoporum iudicantium et causae ecclesiasticae, sicut directe subsunt causae civiles et iudices civiles: est proinde 4° potestas propria illius, cui Christus commisit regimen Ecclesiae. Atqui Christus non Imperatoribus, sed Petro supremam et universam potestatem in Ecclesiam commisit, quae potestas, ut vidimus, est prorsus independens a potestate civili. Cum ergo universa potestas Ecclesiastica sit propria Ecclesiae eaque sit independens, nulla est reliqua potestas Imperatori in res et causas ecclesiasticas, neque ea potest ullo modo ei subiici, qui non est pastor sed agnus pascendus. « Quantum ad religionem pertinet (ait Gelasius in *Commonitorio ad Faustum*), non nisi Apostolicae Sedi debetur summa iudicii totius: quantum ad seculi potestatem, illa a Pontificibus et praecipue a b. Petri vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem iudicare: nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi, qui tamen christianus est, vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. »

Quod speciatim spectat ad convocationem Conciliorum dicemus suo loco, cum de Conciliis agemus. Leges vero ab Imperatoribus latae res ecclesiasticas attingentes eatenus valuerunt, quatenus ab Ecclesia acceptatae suaque auctoritate firmatae sunt.

Obiicitur quod ait Optatus l. 3: « Iam tunc meditabatur (Donatus) contra praecepta Apostoli Pauli potestatibus et regibus iniuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic

enim docet: Rogate pro regibus et potestatibus, ut quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus. *Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est*, id est in imperio Romano. Quod Libanum appellat Christus in Canticis canticorum, cum dicit: veni sponsa mea, veni a Libano, id est de imperio Romano, ubi et Sacerdotia sancta sunt et pudicitia et virginitas, quae barbaris gentibus non sunt et, si essent, tuta esse non possent. Merito Paulus docet orandum esse pro regibus et potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret. Quanto quod Christianus, quanto quod Deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, ut ipsa res probat? » Iam vero ea sententia; *non respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est*, significat Ecclesiam subesse reipublicae veluti partem toti, sicut consortium quoddam intra societatem exsistens subest potestati sociali.

Respondeo, verba ea ab Optato immediate connecti cum verbis Pauli, eoque spectare ut reddatur ratio cur dixerit Paulus: *quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus*, cur nempe significaverit Paulus tranquillitatem vitae christianae pendere quoque a regibus: quia scilicet Ecclesia est in republica. Respublica heic non est quaevis societas civilis, sed imperium Romanum, quod eam appellationem antonomastice diu retinuit, quod praeordinatum fuerat a Deo ad tutelam christiani nominis (quod Libanum appellat Christus etc.). Quare exsistentia Ecclesiae in republica non est exsistentia *physica*, quam etiam in aliis locis extra imperii romanis fines habebat, sed potius *civilis*, quae nempe protegatur civilium legum auctoritate contra iniuriosas adversariorum aggressiones; quod aetate Optati in solo imperio Romano obtinebat. Itaque *Ecclesiam esse in republica* perinde est ac Ecclesiam libertate sua in republica gaudere fruique patrocinio debito potestatis civilis contra hostes suos. Hinc vicissim *rempublicam non esse in Ecclesia* nihil aliud est Optato, quam rempublicam seu imperium Romanum patrocinio Ecclesiae non uti adversus hostes suos, quemadmodum usque ad eam aetatem, in qua Optatus scribebat, Romanum imperium exercitibus suis, non Ecclesiae patrocinio, se ab hostibus defenderat. Quocirca non iniuria afficiendus Imperator, ut Donatus facere meditabatur, sed pro ipso potius orandum est; quippe per quem quietam et tranquillam vitam agimus. Cf. cl. Tarquini *Iuris eccles. pub. Instit.* l. 1. n. 56.

Porro si adversariorum sententia per se spectetur: *Ecclesia est in republica*, sive ut interpretantur, *in societate civili*, negandum est primo eam esse in republica *formaliter*, quia nedum fines diversi sunt, sed finis Ecclesiae est supernaturalis ipsaque societas intrinsece supernaturalis: negandum est secundo Ecclesiam esse *materialiter* in societate

simpliciter, quia Ecclesia una est et catholica, quae quamlibet societatem civilem excedit; quamvis si Ecclesiae particulares spectentur, possit secundum quid concedi Ecclesiam esse materialiter in republica: negandum proinde tertio Ecclesiam esse partem reipublicae: tum quia est societas ordinis superioris, nempe supernaturalis, tum quia est societas perfecta; habet enim potestatem iurisdictionis plenam qua regatur et independentem a quavis potestate humana, ut probavimus et idcirco est aliquid totum sibi constans, non pars. Cf. opus cit. n. 57.

Quod vero aiunt, auctoritatem civilem esse quoque moralem et religiosam; eo quod sit immediate a Deo, iuxta Paulum ad Rom. XIII. 1.-8.: omissa nunc interpretatione paulini textus de qua alibi dicendum erit: satis est advertere, quod non est consequens potestatem esse religiosam ex eo quod est a Deo immediate et quod aliud est religione obligari homines ad obedientiam erga eam auctoritatem, aliud ipsam posse leges ferre religiosas.

Corollarium. Ergo cum in Ecclesia sit certa potestas a Deo constituta et potestas haec sufficiens sibi debeat esse pro regimine societatis et Ecclesia sit societas hominum visibilis ac perfecta, ideoque postulet regimen necessarium ordini et tranquillitati in ipsa tuendae; potestas autem pro regimine necessario societatis sit potestas iurisdictionis h. e. potestas coactiva ferendi leges, iudicandi et puniendi, talis potestas asserenda est Ecclesiae; quod uberius declarandum et demonstrandum est in §. seq.

§. XIX.

Potestas ecclesiastica est iure divino potestas iurisdictionis vere coactiva.

I. Marsilius Patavinus in *Defensorio pacis* p. 2. c. 4. seqq. docet Romanum aut quemlibet alium episcopum sive presbyterum vel clericum virtute verborum Scripturae nullum coactivum principatum seu iurisdictionem contentiosam supra quempiam clericum vel laicum sibi vindicare posse et omnes Episcopos ipsumque Romanum Pontificem subesse debere coactivo iudicio atque principatui dominantis auctoritatis legislatoris humani praesertim fidelis. Doctores proinde esse in Ecclesia, qui doceant quid agendum, esse et penes eos auctoritatem in foro interno declarandi remissa esse peccata et commutandi poenas alterius vitae cum poenis huius vitae: neminem vero esse qui urgere possit observantiam legis, nullum esse iudicem coactiva potestate praeditum in causis transgressionum legis evangelicae praeter Christum, qui tamen non in hoc seculo sed in altero iudicium sibi reservavit.

Si vero princeps secularis legem aliquam evangelicam auctoritate sua sanxerit, is ad eius observantiam cogere et iudicium coactivum de ea instituere potest; vel etiam Ecclesia id potest, sed ex concessione principis secularis, usa eius auctoritate. Idem docet M. Antonius de Dominis *de Republica ecclesiastica* L. 5. seqq. Pariter Richerius in opere *de Ecclesiastica et politica potestate* cc. 11. 12. docet quod cum Ecclesia neque territorium, neque ius gladii habeat a Christo et ad finem supernaturalem tantum instituta sit, de mediis necessariis ad salutem suasive tantum et directive, non coactive poenas temporales irrogando iudicat. Sed princeps politicus, ut dominus reipublicae ac territorii, vindex est atque protector legis divinae, naturalis et canonicae: quare in eum finem leges figere et gladium distringere potest.

Febronius, qui Romano Pontifici Primatum quidem directionis concedit, negat vero iurisdictionis, hinc potestatem quoque coactivam detrectat. Ita sentit et Eybel (ut refert Pius VI. in Brevi *Super Soliditate*, quo opus eius proscripsit tanquam continens propositiones respective falsas, temerarias etc. inducentes in haeresim, haereticas) « vim nempe Primatus hac una praerogativa contineri supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo ».

Eosdem instauravit errores Ioannes Nepomucenus Nuytz in Institutionibus iuris ecclesiastici et in tractationibus in ius ecclesiasticum universum; quae opera damnavit Pius IX. Brevi *ad Apostolicae* 22. Augusti 1851. Docuit nimirum Nuytz « Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam ».

Hinc Ioannes XII. (Constitutione data 28 Octobris 1327 penes Raynaldum) hanc propositionem quintam inter quinque Marsilii proscriptas ut haereticas, damnavit « quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator ». Item Pius VI. sic confixit propositionem 4^{m} Synodi Pistoriensis: « Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum et eam extendendo ad res exteriores et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde*, tum etiam, *multo minus, ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis;* quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: haeretica. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione: quatenus intendit Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum diri-

gendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi, ex Bened. XIV. in Brevi *Ad Assiduas* anni MDCCLV. Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae: inducens in systema alias damnatum ut haereticum. » In literis encyclicis ss. Pii IX. *Quanta cura* inter prava ac toties damnata novatorum commenta, illud enumeratur: quod Apostolicae Sedi denegat omnia iura circa *ea, quae ad exteriorem ordinem pertinent* statuitque Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate: item Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi et illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae eiusdemque iura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis iactura: qui omnes errores cum pluribus aliis reprobantur, proscribuntur et damnantur.

II. Itaque probandum est coactivam esse potestatem Ecclesiae, ac iure divino esse talem. Iam vero potestatem coactivam plene spectatam dicimus eam, quae haec tria simul habet: scilicet 1° legibus latis obligat aliorum liberas voluntates, ut his non sit licitum agere contra legem: 2° iudicia instituere potest circa actiones subditorum sententiamque ferre in invitos, qua iidem obligentur: 3° leges latas sancire potest statutis poenis nedum spiritualibus, sed et corporalibus ad easque contumaces vel invitos obligare easque ipsa vel per se ipsam inferre potest vel iubere ut alia subordinata potestas inferat. Obligatio invito imponi et poena in invitum ferri dicitur, cum independenter ab eius consensu, velit ipse nolit, obnoxius est obligationi poenamque reapse patitur quam potestas vindicativa decrevit. Vis coactiva potestatis profecto non in eo est tantum quod physice cogere possit et cogat; nam hoc et latrones facere possunt: sed id ex essentia sua requirit, ut invitis obligationem imponat ad aliquid faciendum aut omittendum atque obligationem ad poenam aliquam proportionatam crimini, atque hanc invitis inferat. Sic probat Ioannes XXII. in Constit. citata Petro factam esse potestatem coactivam illis verbis: *quodcumque ligaveris* etc. inquiens; « ligantur enim non solum voluntarii, sed inviti. » Quod vero spectat ad poenas quoque corporales, licet per se essentia potestatis coactivae concipi adhuc possit si vere suis legibus et sententiis obligationem moralem imponat, poenisque solis spiritualibus suas leges et sententias sanciat; attamen facile dabitur potestatem coactivam in societate humana carentem vi inferendi corporalem coactionem esse imperfectam; perfectam vero, esse si hanc vim habeat coactivam. Porro

hoc pacto perfectam defendimus esse potestatem Ecclesiae, eamque omnes Catholici intelligunt cum dicunt *potestatem iurisdictionis*. Duplicem vero modum inferendi poenas corporales explicabimus cum eo venerit demonstratio. Verum claritatis gratia distinguimus duo: 1° potestatem ferendi leges obligantes in conscientia, ferendi pariter sententias iudiciales in conscientia obligantes ac potestatem poenas inferendi saltem spirituales: 2° potestatem ferendi huiusmodi leges ac sententias circa res quoque exteriores et temporales ac infligendi poenas etiam corporales: ab hoc altero enim magis abhorrent adversarii.

Primum demonstramus primo ex verbis Christi. Petro enim et Apostolis facta est a Christo potestas ligandi et solvendi eademque universalis, quoad omnia scilicet quae ad hoc regnum Dei, quod est Ecclesia, spectant atque divinitus efficax: *quaecumque*, ait (Matth. XVIII. 19.), *alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis*. Iam vero vis huius phrasis compositae *ligare et solvere* significabat certe aetate Christi exercitium eius potestatis, quae in aliquo regno suprema est (cf. quae afferemus in Th. I. seq. Tract.). Et sane actio ligandi et solvendi vinculum aliquod supponit, quod iniicitur vel detrahitur. Non est autem sermo de vinculis physicis sive catenis, sed de vinculis moralibus. Porro morale vinculum, quo homo ligari et a quo solvi potest, triplex est: vinculum legis, vinculum culpae, vinculum poenae. Qooad vinculum legis et poenae potest quis ab alio solvi et ligari; at quoad vinculum culpae potest quis ab alio solvi, sed directe ipse solus se ligare potest, indirecte vero et ab alio quatenus ab eo qui solvendi potestatem habet, ei negatur solutio. Porro cum verba Christi universalissime pateant *(quaecumque)*, potestas fit Apostolis cuiuslibet moralis vinculi in societate christiana iniiciendi et solvendi, potestas proinde ferendi leges easque abrogandi, potestas sententias iudiciales ferendi poenasque irrogandi et remittendi: quae quidem potestas vim habet efficacissimam obligandi; nam quae solvunt aut ligant Apostoli, solvit aut ligat Deus: h. e. exercitium eorum auctoritatis prout tale est ratum habetur a Deo qui simul cum illis solvit et ligat. Ergo potestas Ecclesiastica instituta a Christo in Apostolis est potestas iurisdictionis vere coactiva.

Idem ex praxi et doctrina primitivae Ecclesiae demonstrare licet. Et primo quoad vim ferendi leges. Sanein Act. XV. 28. huiusmodi edictum Petrus cum Apostolis ad fideles protulit: « Visum est Spiritui S. et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et soffocato et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis. » Porro *a)* hoc decretum est

lex obligans in conscientia, *imponitur enim onus,* resque praecipitur *necessaria* ad bene agendum. Et sane quaestio agebatur an obligandi essent fideles ex Gentibus ad legem Mosaicam, scilicet an imponendum super cervices discipulorum iugum, quod veteres portare non potuerunt, ibid. 10.; edicitur autem, ceteris oneribus sepositis, hoc tantum subeundum esse; agebatur ergo de lege proprie dicta quemadmodum erat lex Mosaica. Est *b)* lex nova, quae tunc edita primum est; nam Christus id non determinaverat: secus opus non fuisset ut convenirent Apostoli videre de verbo hoc vel eius mandati mentio facta fuisset in lege: verum ita res geritur in Concilio, ut deliberatio praecedat, habita ratione oeconomiae Christianae, ex qua quid decernendum sit colligitur. Neque huiusmodi decretum ex vetere lege repetendum; nam praemittitur, legem veterem quoad haec pro fidelibus non valere. Est ergo decretum novum. Est *c)* lex quoad quaedam certe positiva. Hoc autem decretum *d)* fertur ab Apostolis ex auctoritate ipsis divinitus facta: *visum est Spiritui S. et nobis.* Ergo Apostolorum potestas fuit potestas coactiva h. e. iubendi, seu leges obligantes in conscientia ferendi. Dices, Apostolos non novam auctoritate sua tulisse legem, sed solum proposuisse vel legem naturalem quoad fornicationem et immolata simulacrorum (quae quidem lex exigenda est ad interpretationem Pauli 1ª Cor. VIII. 1. seq.), vel positivam Dei quoad alia, legem scilicet promulgatam a Deo ipsi Noe Gen. IX. 4. quae proinde lex antiquior est lege iudaica omnesque homines obligabat. Respondeo, omisso quod primo loco dicitur, falsum esse Apostolos solum proposuisse legem Dei latam Noe, docendo quid observandum esset a gentibus ex praecepto Dei, non ipsos legem tulisse. Quod evidenter demonstratur. Nam certum esse debet illa lege Genesis non fuisse obligatos primos Christianos: ratio est, quia modo ea lege non tenemur; desiit ergo lex illa post Christum, vel quia ab ipso fuit abrogata, vel quia non fuit lata ex ea intentione, ut etiam post Christum duraret: si enim post Christum ea lex mansit, nunc quoque maneret; Ecclesia enim legem Dei, sicut inferior superioris, abrogare non potest. Porro Apostoli id certe noverant quod scit Ecclesia, eam legem post Christum cessasse. At si ita est, nequibant ipsi hoc onus imponere fidelibus ex vi legis divinae, quae non exstabat; sed oportebat eos auctoritate sua vim legis tribuere illi ordinationi: ergo.

III. Exercitium autem potestatis coercendi per exterius iudicium, quo sententia in invitos feratur, patet ex 1ª Cor. IV. 18. et. V. 3. seq. Ait enim Apostolus: *Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam... quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? Ego quidem absens corpore, praesens autem*

spiritu iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine D. N. I. C., congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. C. Scilicet Paulus *iudicat*, seu sententiam fert decernentem poenam *in reum:* iudicat quidem absens ex notitia delicti acceptam non per confessionem liberam rei, sed per famam (auditur inter vos talis fornicatio etc.); adsignificat tamen iudicium huiusmodi *solere fieri in praesentia* (iudicavi *ut praesens*) praesente nimirum iudice et assessoribus eius (congregatis vobis) et reo, utique ut causa per testes cognosceretur reusque audiretur; quam inquisitionem hac vice supplevit fama delicti. Sententia autem ea fertur a Paulo, quam reus volens nolens subire debet: poena vero, *traditio Satanae in interitum carnis* est huiusmodi ut eam reus nec effugere nec parvipendere posset. Porro his continetur essentia exterioris iudicii coactivi, quod *in virga* nempe exercetur. Potestas ergo et mos erat in Ecclesia huiusmodi habendi iudicia.

Item Paulus 1. Tim. V. 19. monet Episcopum, ne accusationem adversus presbyterum recipiat nisi sub duobus aut tribus testibus. Atqui accusatio ad iudicem in foro externo defertur ut sententia feratur: porro *iudice, accusatore, testibus, reo* constituitur *iudicium exterius*, quo sententia in invitos fertur, h. e. coactiva.

IV. Potestas tandem coactiva inferendi poenas demonstratur primum ex modo probatis de potestate legislativa quae sanctionem legum requirit, et ex probatis de exteriori iudicio; iudex enim in foro externo ius habet inferendi poenas et cogendi reum ad eas subeundas; et sane ibi a Paulo poena gravissimo decernitur et infligitur, a qua deinceps solvitur 2. Cor. II. 6.-8. Tum constat ex verbis Christi Matth. XVIII. 17.: *Dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen amen dico vobis: quaecumque alligaveritis* etc.; quibus, praeter cetera, potestas excommunicandi contumaces Ecclesiae asseritur: quae quidem potestas (ait Ioannes XXII. Const. citata n. 33.) est utique coactiva; nam inviti excommunicantur. Idem plus semel docet Paulus. Nam loco superius citato mentionem facit *virgae* qua puniuntur mali et 2ª Cor. X. 3. seq. ait: « In carne ambulantes non secundum carnem militamus; nam arma militiae nostrae non carnalia (h. e. infirma: liquet ex opposito) sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei... et in promptu habentes *ulcisci* ἐκδικῆσαι omnem inobedientiam »; subdit porro: « si amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in distructionem (εἰς οἰκοδομήν, καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν)

vestram, non erubescam ». Atqui potestas *ulciscendi* omnem inobedientiam est potestas puniendi etiam invitum. Ea porro est potestas, quam dicit se accepisse a Domino *in aedificationem et non in destructionem;* cuius sententiae sensus, si Patribus graecis Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto credimus (cf. Petavium *Hier. Eccl.* l. 3. c. 9.) is est, nempe potestatem habere a Deo Apostolum *praecipiendi* et *puniendi*, quod vocat ipse *aedificandi* et *destruendi*, ita tamen, ut potestas puniendi sive destruendi non per se ac ex primaria voluntate et intentione Christi sit tradita Apostolo, sed in alterius subsidium et quasi ex accidenti; quod Apostolus exprimit per negationem; *in aedificationem non in destructionem*, h. e. per se data est potestas ut praecipiat, non ut puniat, nisi per accidens, scilicet si inobedientes sint. Ita Chrysostomus in h. l... « Illud ipsum maxime genus est aedificationis, impedimenta tollere.... Et ad hoc quidem potestatem accepimus ut aedificemus. Sin autem reluctetur aliquis et pugnet et insanabilis sit, etiam actione utemur altera, ut eum destruamus ac deiiciamus ». Sane iam prius *de potestate ad destruendum* locutus est; eadem ergo est de qua modo in eodem contextu loquitur: porro dixerat prius se habere *potestatem in destructionem*, sive arma δυνατὰ τῷ θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων munitionum, quibus nempe se muniunt ii, qui se extollunt adversus scientiam Dei; quae sunt proprie illa externa oppositio et resistentia, contra quam dirigitur *iudicium criminale et potestas coactiva puniendi* (Taparelli *Saggio* etc. Dissert. 3. c. 6. a. 4.). Hanc ergo potestatem simpliciter negare postea non poterat: sensus est ergo ille quem dedimus ex Chrysostomo (cf. ibid. XIII. 10.); (a).

(a) Cum Dionysius Petavius l. c. hunc locum Apostoli retulisset ad probandam Episcoporum iurisdictionem, haec pro more suo reposuit cl. Salmasius in Apparatu ad libros de Primatu pag. 161.-62.: « Petavius dogmatum ecclesiasticorum insignis interpres, quae in vita sua nunquam intellexit, ut probet nobis ex eodem Apostolo vel persuadeat potius, potestatem iurisdictionemque illam Episcopi, quam ipse hariolatur, gravissimis iisdemque dissertissimis verbis ab eo commendari, ad Corinthios ita eum scribere ait 2ª epist. X. 8.: Nam si et amplius etc. Non vidit impurus Dogmatista prae stupore ac caecitate mentis hic loqui Apostolum non de potestate ac iurisdictione Episcopi, sed de ea ἐξουσία, quae ipsi a Christo tanquam Apostolo data sit. Et sic recte omnes interpretes exponunt, et in primis Hieronymus, cuius ad eum locum haec verba sunt — Nam etsi magis potestatem a Christo accepisse dixero quam ceteros, ut Apostolus, non erubescam — Praeterea ita fatuus est hic dogmatum ecclesiasticorum improbus consarcinator et Hierarchiae structor, ut non sentiat, ex tota Scriptura sacra non alium locum magis facere contra iurisdictionem et imperium episcopale quam hunc Apostoli, etiamsi accipiendus foret de potestate Episcopi ordinaria et non de apostolica extraordinaria. Hanc enim potestatem Paulus se accepisse dicit a Christo non in destructionem sed in aedificationem, idest non ad coercendum,

Porro in hoc vinculo poenae, quo ligantur mali, duo distinguenda sunt, nempe ipsa obligatio, qua tenetur subditus ad subeundam poenam et exsecutio eiusdem. Obligatio oritur ex lege vel sententia iudicis, qua cogitur reus ut sit debitor poenae. Exsecutio vero non uno modo se habet. Si enim poena consistit in privatione boni spiritualis vel iuris alicuius, quod citra ullam adhibitam vim exteriorem perfecte amitti potest, tunc vel nulla exsecutio requiritur, vel exsecutionis locum tenet ipsa lex aut sententia iudicis, quae eam privationem inducunt. Huiusmodi est poena excommunicationis. Si autem poena posita sit in aliquo malo, quod nisi adhibita aliqua causa physica esse nequit, tunc exsecutio obtinetur per actionem quorundam ministrorum, qui physice cogant reum ad poenam subeundam; cuiusmodi est poena carceris. Eademque actio requiritur ut physice impediatur quis agere contra sententiam poenae dictae superius. Huiusmodi porro actio exercetur per eam, quae dici solet *vis publica*. Rursus distinguendum est inter potestatem iuridicam cogendi et expeditam facultatem exercendi coactionem. Haec enim deesse potest, quin desit iuridica potestas. Si enim quis reus legitime condemnatus, a territorio principis aufugit, nequit in ipsum exercere suam potestatem Princeps, cuius tamen potestas est vere coactiva.

Iam vero si Ecclesia potest infligere poenas, quibus rei, velint nolint teneantur, iam hoc ipso potestas coactiva puniendi continetur in potestate Ecclesiae; illud autem posse constat ex demonstratione allata, qua

---

puniendum, occidendum, sed ad aedificandum, beneficia impertienda et bene cuilibet faciendum. Longe haec ab illa iurisdictione ecclesiastica sive tyrannide potius, quam Episcopis tribuunt adversum invitos exercenda et quae in coercitione inobedientium consistit... Enim vero si Apostolatus διακονία vocatur in Actis Apostolorum, idest ministerium: quis mentis compos episcopatum contendet fuisse imperium et magistratum? » et ita porro. Haec vero recitavimus ut specimen habeatur impudentiae istius haeretici, qui nec viris, omnium existimatione etiam acatholicorum summis, cuiusmodi fuit Petavius, parcere didicit. Sed iste superbus haereticus prodidit insciliam et caecitatem suam in eo ipso quod exprobrat Petavio. Non vidit enim, commentarios illos in epistolas Apostoli, ex quibus verba allegavit, non esse Hieronymi, sed haeretici hominis pelagiani aut ipsius Pelagii, quod iam sec. XIII. quidam persenserant et postmodum omnes eruditi noverunt. Nec vidit, obesse nihil argumentationi Petavii distinctionem suam inter iurisdictionem extraordinariam Apostolorum et ordinariam Episcoporum. Nam quod spectat ad iurisdictionem, specie non differt sed solum universalitate et amplitudine auctoritas singulorum Apostolorum ab auctoritate singulorum Episcoporum, eademque est prorsus auctoritas totius collegii Apostolici et totius Episcopatus. Nisi quod hic haereticus negat Episcopos esse successores Apostolorum et quales modo in Ecclesia exsistunt, esse ex divina institutione; qua in re bene castigata est eius ignorantia a Petavio. Cetera contumeliae sunt.

certe probatur aliqua potestas invitos puniendi, saltem quoad poenas positas in privatione bonorum spiritualium vel certorum iurium, quas rei vel inviti subire debent vix ac sententia lata est. Quamvis enim quis e. g. excommunicatus spernens sententiam iudicis, se gerat veluti non excommunicatus et depositus pergat violenter in ministerio: attamen vere semper ille est excommunicatus coram Deo et Ecclesia bonisque iis caret spiritualibus, quibus excommunicatio privat et qui depositus est, caret reapse iuribus, quae prius habebat, ita ut amplius non possit licite et valide quoque, si de iurisdictione agitur, ministerium exercere. Potestas vero quae bona et iura tollit invitis (et omnes sane eam privationem aegre ferunt) est coactiva. Coactio enim potestatis ex eo per se pendet quod efficaciter vim suam exerat in invitum. Quapropter haec potestas privat bonis, privatio bonorum est malum et cum sit propter culpam, est poena: privat autem bonis invitos; ergo ea poena est coactiva, sive coguntur eam pati rei et sic potestas est coactiva. Utrum autem haec sola potestas coactiva competat Ecclesiae, an alia quoque quae per vim physicam exercetur, qua violentiae resistitur, qua corporalibus poenis constringuntur et puniuntur rei, id mox disputabimus, de potestate puniendi per poenas corporales speciatim loquentes.

Quod autem hactenus probatum est auctoritate Scripturarum, idem confirmatur auctoritate Traditionis: cuius tamen non est opus nunc testimonia in verbis vel factis posita congerere; est enim omnibus notum Ecclesiam Romanosque Pontifices leges vel canones edidisse, quibus fidelium conscientiae obligarentur: iudicia exteriora a Romano Pontifice, aliisque inferioribus Episcopis, vel seorsim vel in synodos collectis habita fuisse poenasque ut censuras, depositiones, degradationes inflictas passim fuisse pravis et contumacibus: ergo (a).

V. Sic demonstrato primo membro restat alterum de quo maior est controversia. Quaeritur utrum in potestate Ecclesiae sit ferre leges ac iudiciales sententias circa res exteriores ac temporales, atque poenas corporales infligere. Praesupponendum est, quod Ecclesia sit 1° societas

(a) Advertunt eruditi. Episcopos olim, societate exsistente christiana, exercuisse iurisdictionem iudicialem erga fideles in causis quoque, quae per se spectarent ad forum mere laicum: id vero fecisse aiunt Ecclesiam, secutam ordinationem Apostoli 1. Cor. VI. 1. seqq.; ideoque hoc ius Episcoporum Constantinum aliosque Imperatores probasse quidem et confirmasse, non vero contulisse (Revue des qq. Historiques. Paris 1877. 7. Octob.). Factum profecto certum est. Ius vero illud non ex consensu Principum, sed ex ordinatione Pauli descendisse, aegre demonstrabitur, qui nec de Episcopis sed de iis, qui contemptibiles sunt in Ecclesia, constituendis iudicibus loquitur. Aliud sane est suadere fidelibus, ut lites inter se, electis arbitris, amice componant, quod facit Apostolus, aliud iurisdictionem civilem asserere et conferre.

religiosa, quod adversarii facile dabunt et 2° societas perfecta: quod iam demonstratum est: sit 3° societas hominum adunatorum, quae proinde iuxta naturam propriam hominum uti debet mediis ad consecutionem sui finis. Indoles enim mediorum, quibus a societate obtinetur finis, determinatur quidem obiective a natura finis, sed subiective determinari debet a natura subiecti utentis illis: sunt enim actiones vel res circa quas versantur actiones, haec vero necessario dependent a natura subiecti agentis.

His veluti ἐν τύπῳ praestitutis, manifestum est societatem hominum religiosam indigere mediis visibilibus seu exterioribus quibus colligatur, quibus cultus religiosus exhibeatur, ut sunt ritus sacri, altaria, templa, liturgia et huiusmodi: indigere quoque rebus exterioribus, quibus praestari possint ea, quae ad cultum spectant ac sustentari personae ad cultum divinum deputatae, ut bona sunt mobilia vel immobilia. Quae licet per se temporalia sint, extrinsece tamen, ratione nempe finis, ad quem ordinantur, evadunt sacra. Iam vero circa haec omnia, quae plus minus sacra sunt, potestas Ecclesiae se exercere potest ferendo leges et sententias iudiciales. Nam perfecta societas ferre potest leges circa ea omnia quae tanquam media, sive simpliciter necessaria sive utilia, ad finem suum conducunt: est autem Ecclesia perfecta societas (§. praec.): ergo certe ei competit auctoritas ferendi huiusmodi leges. Qui autem potest ferre leges, potest et sententias iudiciales ferre circa observationes aut violationes legum: ergo et haec vis Ecclesiae competit circa omnia quae ad finem Ecclesiae conducunt. Cum igitur inter haec sint plures res exteriores et temporales, etiam circa eas potestas legifera et iudicialis Ecclesiae exercenda est.

VI. Ad poenas corporales quod spectat, dicimus poenam corporalem eam, quam secundum corpus patimur, sive quae consistit in privatione bonorum sensibilium. Duo quaeruntur: utrum Ecclesia possit huiusmodi poenis scelestos punire: utrum eadem, vi extrinseca adhibita, possit exsequi punitiones tales. Quoad primum responsio est affirmativa. Etenim huiusmodi potestas competit certe Ecclesiae, si *a)* ipsa habeat plenam in suo genere potestatem puniendi, si *b)* corporalis punitio non sit contra indolem societatis huius, si *c)* huiusmodi poenae corporales conducere possint ad finem, quem potestas vindicativa in eadem societate intendit. Atqui evidens est α) Ecclesiam habere plenissimam potestatem puniendi; habet enim potestatem universalem ligandi subditos. Evidens est β) punitiones corporales non adversari indoli huius societatis, quae est Ecclesia; eatenus enim, ut volunt haeretici, adversaretur, quatenus Ecclesia est societas spiritualis; atqui turpis aequivocatio heic latet. Ecclesia enim spiritualis societas est et dicitur ratione *finis*, non

ratione elementorum, quibus constituitur et mediorum quibus utitur; unde ex eo sequitur quod finis poenae debet esse spiritualis, non quod ipsa poena debeat esse aliquid spirituale. Cum ergo Ecclesia societas sit hominum visibiliter ideoque sensibiliter et corporaliter adunatorum, media sensibilia et corporalia, quibus unitas et pax promovetur, quibus inordinationes et dissidia removentur, sunt secundum indolem eius et idcirco etiam poenae possunt esse quoque corporales. Evidens est γ) poenas corporales posse ad finem intentum a potestate vindicativa societatis huius, imo frequenter eas solas conducere. Finis enim proprius potestatis vindicativae est defensio societatis contra violatores ordinis; quae quidem defensio tum praeventiva est, cum poenam lex minatur ut deterreantur homines ab ordine violando, tum exsecutiva, cum poena infligitur. In societate vero, qualis est Ecclesia, cuius finis est institutio etiam privata uniuscuiusque, finis potestatis vindicativae (etsi non necessarius ut ea exerceatur) est emendatio quoque nocentis. Atqui violatores ordinis (nisi ex errore tantum id faciant) non ratione, qua non ducuntur, sed vi cohiberi possunt: quique ex amore sensibilium a iustitiae tramite deflectunt, per timorem sensibilium pariter malorum ad eundem tramitem reduci possunt. « Si enim (ait Agust. epist. 93ª ad Vincentium n. 3.) terrerentur et non docerentur, improba quasi dominatio videretur: sed rursus si docerentur et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur », qui (ut ait n. 1º.) nescio qua vi consuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarent, nisi hoc terrore perculsi sollicitam mentem ad considerationem veritatis intenderent ». Quocirca (ut ait ibid. n. 6.) « quidquid facit vera et legitima mater, etiamsi asperum amarumque sentiatur, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinae, expellendo malum iniquitatis, apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi ». Idem Augustinus eadem in epistola n. 17. fatetur « suam primitus sententiam fuisse, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus ». Hanc tamen sententiam ait se mutasse, convictum exemplis quae a suis collegis afferebantur.

Etsi haec Augustini testimonia, sicut et alia in epistola 185ª ad Bonifacium n. 21., directe de legibus latis ab Imperatoribus Christianis loquantur; ostendunt tamen, poenas corporales utiles esse et iuste adhiberi ad correptionem et emendationem malorum, ut iusti et sancti libere evadant: hoc porro est quod iis testimoniis volumus demonstrare. Competere autem ipsi auctoritati Ecclesiasticae hanc potestatem, ex integra demonstratione sequitur a nobis prolata.

Id constanti Ecclesiae praxi firmatum est. Ita sane arguit Ioannes XXII. Constit. citata n. 33. « Cum excommunicatio maior nedum excommunicatum a perceptione Sacramentorum removeat, sed etiam a communione fidelium excludat, *corporalis est a Christo coactio Ecclesiae permissa* » (a). Porro hic effectus excommunicationis ab initio Ecclesiae exstitit, ut liquet ex Paulo 2ª Thessalon. III. 14. 1ª Cor. V. 2. 2ª Ioan. 11. Sed et alias poenas corporales Ecclesia imponere solita fuit. Gregorius M. l. XIII. epistt. 8ª, 9ª, 10ª, concessis privilegiis circa res quoque temporales Xenodochio et Monasterio et Ecclesiae a Brunechilde regina constructis, subdit: « Si quis vero regum, sacerdotum, iudicum personarumque secularium hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat. » Privilegium hoc non spurium esse, sed authenticum, evidens fit iis quae habentur in Nota ad epistolam 8ᵐ editionis Venetae Ioannis Bapt. Galliccioli et editionis Migne. Concilium Lateranense IV. cap. 3. haec decernit « Si dominus temporalis requisitus vel monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac haeretica foeditate, per Metropolitanum et ceteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos et terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis haereticis, sine ulla contradictione possideant ». Innocentius IV., approbantibus Patribus Concilii oecumenici Lugdunensis I., Constitutione data, in qua plurima crimina Friderici II. Imper. enumerat, ex potestate sibi in Petro a Deo facta Matth. XVI. 18. ipsum Fridericum imperio, regnis omnique honore ac dignitate sententiando privat. Idem ibidem c. 1. *de Homicidio* in 6ª, sacro approbante Concilio, statuit ut quicumque princeps, praelatus etc. quempiam

---

(a) Negant regalistae cum Richerio (*De Potestate Ecclesiae in temporalibus* l. 3. c. 4. §. 3.) potestatem excommunicandi se extendere ad effectus temporales, seu posse privare vitae civilis commercio aut opibus terrenis, vel aliis humanae vitae subsidiis. Unde etiam negat ibidem c. 2. §. 3. excommunicationem esse coactionem « quando coactio et coercitio proprie in vi externa, quae a politico magistratu irrogatur, consistit, si verum amamus ». Ratio cur illud negetur ea est, « quia potestas coactiva Ecclesiae respondet proportionatim potestati eius directivae secundum causas essentiales potestatis ecclesiasticae spirituales et temporales. Quando igitur potestas Ecclesiae directiva *animam habet pro materia et subiecto*, quae eum per actus hierarchicos informat, relinquitur pariter coactivam potestatem ad animam necessario referri oportere » scilicet exclusive. Atqui falsum est, potestatem Ecclesiae esse tantum *directivam*, per consilia scilicet et persuasiones; est enim potestas vere legislativa et coactiva: falsumque est subiectum passivum huius potestatis esse animam tantum; est enim homo super terram vivens.

christianorum per assassinos interfici fecerit etc., sententiam incurrat ipso facto excommunicationis et depositionis a dignitate, honore etc. et a toto Christiano populo sit diffidatus. Ille porro diffidatus in iure dicitur, erga quem datur omnibus potestas eum impune occidendi. Cf. Suarez *de Fide* disp. 20. sect. 3. n. 23. Item Tridentinum Concilium Sess. 4. in decreto de editione et usu SS. Librorum prohibet, sub poena anathematis et multae pecuniariae, impressionem quorumvis librorum de rebus sacris sine nomine auctoris et sine approbatione Ordinarii. Itaque certum esse debet esse in Ecclesia potestatem huiusmodi coactivam.

VII. Verum quaestio restat quomodo possit Ecclesia huiusmodi poenarum exigere solutionem: an possit ipsa scilicet vi externa adhibita cogere reos. Et quia si potest vi externa adhibita cogere reos ad poenam sustinendam, poterit simpliciter vim externam adhibere quotiescumque opus est et ad poenas infligendas et ad violentiam comprimendam; hinc absolute quaeritur an in potestate Ecclesiae sit vim externam adhibere.

Primo quidem advertere licet quod usus vis externae potest duplici modo esse in potestate Ecclesiae. Scilicet 1° quatenus ministri eius ab ipsa instituti et ab ipsa facultatem immediate accipientes vim externam, cum opus est, exerceant: 2° quatenus ipsa Ecclesia iubeat seculares Principes vim suam exercere in defensionem suam eaque et violentias quasvis coercere et poenas debitas exigere. In hac hypothesi vis externa Ecclesiae esset vis ipsa potestatis civilis, sed Ecclesiae mancipata ab eiusque nutu pro suis causis dependens. Iam vero certum est hoc saltem modo nempe *mediate* esse in potestate Ecclesiae vim externam adhibere. Id nos docet Bonifacius VIII. in Bulla *Unam Sanctam* inter Extrav. comm. l. 1. tit. 8. c. 1. et in Concilio Lateranensi sub Leone X. confirmata. « In hac (Ecclesia) eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem evangelicis dictis instruimur... Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem *pro Ecclesia*, ille vero *ab Ecclesia* exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. » Quibus in verbis animadvertendum est, distinguendam esse doctrinam assertam a probatione adducta eiusdem; nam doctrina asserta est id, circa quod magisterium versatur et pro qua, si ex cathedra proponitur, infallibilitatis charisma promissum est. Probationes quidem doctrinae assertae ex verbo Dei petitae utique adesse debent, sed non est opus, ut ipsae afferantur disserte; sed fieri potest ut vel probabilis tantum ratio afferatur, vel

afferatur quidem verbum Dei, sed modo obscuriore propositum, nempe per quandam interpretationem accommodatam alicui testimonio, quae interpretatio ea aetate satis recepta sit, ideoque sit testis sententiae communis Ecclesiae quoad rem ipsam. Utrumque contingit in probatione allata a Bonifacio VIII. quam lege sis l. c.; nam scire oportet eam ad verbum desumptam esse ex s. Bernardo *de Consid.* l. 4. c. 3. (a); quare Pontifex, eius ipsissimis verbis utens, 1° eiusdem auctoritatem proferre voluisse dicendus est: auctoritas vero unius Doctoris argumentum probabile saltem est s. Th. 1. p. q. 1. a. 8. Tum 2° ipsa auctoritas Bernardi efficere potuit ut ea accommodata interpretatio communiter reciperetur pro repraesentanda doctrina duplicis in Ecclesia potestatis, quam ipse Bernardus iis verbis evangelicis declaravit: eam ergo interpretationem proferens Pontifex, reapse ad sensum communem Ecclesiae provocavit. Non erat ergo, cur Protestantes quidam adeo commoverentur propter huiusmodi argumentationem Bonifacii VIII., quem omnes hostes Ecclesiae ipsique soli contemptui semper habuerunt. Haec est ergo doctrina, quam Bonifacius VIII. in bulla dogmatica sollemniter promulgavit. An autem haec pars Bullae definitionem fidei contineat, disputabimus commodiore in loco inferius: modo nobis satis est hanc esse doctrinam publice et sollemniter assertam a Romano Pontifice et in corpus Canonicum relatam.

Haec autem doctrina evidentissime probatur. Supposita enim exsistentia Ecclesiae institutae a Deo inter homines, qua ii adducantur in ultimum finem eumque supernaturalem, ex ipso iure naturae ordinatur potestas civilis ad subsidium et protectionem ferendam potestati regenti Ecclesiam, quemadmodum bonum societatis civilis ordinatur in bonum intentum ab Ecclesia; ultimo enim fini omnia subordinantur eaque auctoritas, quae ad ultimum finem adducit homines, regulam praescribit usui omnium mediorum quibus iidem homines ad eius finis assecutionem disponuntur. Cum ergo potestas civilis exercenda sit in bonum societatis, quod est unica ratio eius exsistentiae bonumque societatis civilis ordinetur in ultimum finem assequendum a singulis: huiusmodi subordinatio requirit, ut ipsa societas civilis eiusque elementa, inter quae potissimum est auctoritas, iuvet socios ad consecutionem ultimi finis, ideoque iuvet eam auctoritatem qua iidem in hunc

---

(a) Huius interpretationis mentionem etiam fecit Imp. Ioannes Comnenus in epistola sua 1ª ad Honorium 2ª (in appendice Operum Demetrii Pepani, Romae 1781.) « Hinc quidam, et quod in Evangelio a summo discipulorum de duobus gladiis dictum est, quod *satis esse* dixit Salvator, ad hos duos principatus assumpserunt; quasi nostris rebus indigentibus pariter utraque potestate ».

finem promoventur: qua de re uberius in sequente Tractatu Th. XXI. Quia proinde auctoritas ecclesiastica potestatem habet decernendi poenas corporales et in potestate civili est vis inflictiva earundem et haec potestas subordinata est auctoritati ecclesiasticae, ita ut pro bono eius, seu pro fine quem intendit haec, sit illa exercenda: ideo Ecclesia potest praecipere potestati politicae, ut gladio suo utatur in tutelam Ecclesiae. Sane hoc esse munus et officium civilis potestatis Ecclesia semper docuit. Ita Episcopi Concilii Byzaceni Domino Constantino Augusto « Omnipotens Deus Ecclesiae suae providens, praescitos ac praedestinatos *in praesidio eius constituit romani nominis reges*, ut quoties turbo diabolicae factionis quiddam contra eam excitare tentaverit, a vestrae clementiae rigore valeat comprimi, *quatenus quies eius procurata vestrae potentiae suffragio debeat defensari;* quia ei potestatem vestram serviendo subiicitis, cuius munere et protectione regnatis ». Leo M. epist. 156ª ad Leonem Augustum, ait: « debes incunctanter advertere, *regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam*, ut ausus nefarios comprimendo et quae bene sunt statuta defendas et veram pacem his quae sunt turbata restituas. » Et Gregorius M. epist. 65ª l. 3. ad Mauritium Imper.: « Ad hoc potestas super omnes homines dominorum nostrorum pietati caelitus data est, ut qui bona appetunt adiuventur, ut caelorum via largius pateat, *ut terrestre regnum caelesti regno famuletur.* » Augustinus epist. 185. ad Bonifacium n. 20.: « quis mente sobrius regibus dicat: nolite curare in regno vestro a quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertinet in regno vestro quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus? quibus dici non potest: non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse quis impudicus ». Tridentina Synodus Sess. 25. de Reform. c. 20. Seculares Principes officii sui admonens, eos dicit *Deum sanctae fidei Ecclesiaeque protectores esse voluisse* monetque inter cetera, ut « quae ecclesiastici iuris sunt... laedi non patiantur a suis ministris, sed severe in eos, qui illius (Ecclesiae) libertatem, immunitatem atque iurisdictionem impediunt, animadvertant. » Et Pius IX. Encycl. *Quanta cura* his verbis Episcopos hortatur « atque etiam ne omittatis docere, regiam potestatem non ad solum mundi regimen sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam ». Hinc non infrequens Romanis Pontificibus, cum poenas temporales decernunt, monere inferiores iudices ut, si opus est, invocetur quoque brachii secularis auxilium. Confer quae dicemus data opera in Th. XXI.

Corollarium. Ergo adeo falsum est, Ecclesiam non habere potestatem coactivam poenis temporalibus exercendam, eo quod est eius potestas

spiritualis, ut vult De Dominis l. 5. c. 1. seqq., ut e contrario illud potius ex hoc ipso sequatur, si bene intelligatur. Potestas enim spiritualis inter homines exercenda, cum in finem supremum homines dirigat, subordinat sibi cetera et ad temporalia media quoque extenditur, quibus humana quaevis societas opus habet.

Ceterum hac in re advertendum est, quod potestas haec coactiva Ecclesiae, licet tota exstiterit habitu ab initio, non se tamen tota statim explicavit aut potuit explicare; exercitium enim eius, quod est opus etiam prudentiae, ex adiunctis pluribus et ab indole societatum, in quibus Ecclesia vivit, dependet. Quare perperam ad primitiva secula exclusive provocatur, ut plena notio potestatis ecclesiasticae habeatur. « Quis enim (ait Augustinus ad Bonifacium epist. citata) tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret? » Quia vero Ecclesia quavis aetate semper eadem est, iure ex actis eius in sequentibus seculis non secus ac ex iis quae gesta sunt in prioribus, licet Theologo argumentari, imo necesse est.

Dices: Si principes negant in his Ecclesiae parere, quo redit potestas haec coactiva Ecclesiae? Respondeo: Quod si milites aliive custodes ordinis nolint Principi obedire? Scilicet id non arguit defectum potestatis moralis seu iuris, sed solum impotentiam eam physicam, quae cuivis humanae potestati insita est.

Defectus sane mediorum ad vim inferendam potest esse duplex: 1° defectus personalis: 2° defectus realis. Personalis in eo est quod persona aucta suprema auctoritate nequeat viribus propriis cohibere et punire scelestos: hoc defectu principes omnes laborant unusque est Deus rex regum, qui ex se exsequi valeat sententiam suam suppliciumque sumere de iniquis. Realis defectus est, cum quis iure etiam caret utendi ministerio aliorum ad poenas sumendas. Hoc iure potiuntur reges seculares erga inferiores suos; sed hoc iure quoque gaudet Ecclesia erga ipsos reges. Discrimen quidem est quod ministri regis sunt in eodem ordine sociali ac est ipse rex, reges vero sunt in alio h. e. inferiore ordine ac est Ecclesia; verum cum hoc discrimen non tollat subordinationem et dependentiam Regum ab Ecclesia, imo ipsam statuat, nequit impedire quominus reapse habeat illa reale ius cogendi reges seu rectores civilis societatis ad praestandam ipsi opem suam: ideoque dici nequit, deesse Ecclesiae media ad vim adhibendam pro tutela ordinis. Constat autem ex historia praeteritorum seculorum, Ecclesiam auctoritate usam esse in ipsos reges christianos poenisque eos subiecisse, quarum exsecutionem societati christianae committebat, quod quidem cum ageret Ecclesia opportunis utique in adiunctis, pro-

vocabat semper ad potestatem sibi a Christo Domino divinitus factam. Cf. Conc. Lugdunense 1. et Lateranense 4.

Adverte Censuram Sacrae facultatis Parisiensis datam 17. Decembris 1527. (Vide Historiam Ecclesiasticam De Graveson tom. 9. Tabula Chronolog. undecima, observationes) in quasdam Erasmi propositiones. Dixerat Erasmus: « Ego Principes ad trucidandos haereticos non hortor nec dehortor: quid sacerdotalis sit officii demonstro ». Porro sacra Facultas ait: « si Ecclesiasticis licet iuxta iuris dispositionem indicere bella aut ad indicenda temporales magistratus inducere adversus Turcas et Iudaeos, non minus utique illis licebit adversus notorios haereticos... et ubi Principes seculares graviter delinquerent non exterminando haereticos in perniciem reip. christ. conspirantes et in suam haeresim plurimos trahentes, tenentur omnibus modis illos inducere Orthodoxi Episcopi ad id faciendum; alioquin ipsi peccarent... » Dixerat quoque Erasmus: « Veteribus Episcopis ultima poena erat anathema ». Sacra Facultas inquit: « propter infestationem tyrannorum in primitiva Ecclesia non poterant haeretici severiori poena mulctari quam excommunicationis: postea tamen quam Principes seculi Ecclesiae submisere colla, perspecta contumacia atque impietate haereticorum necessarium fuit, nedum conveniens in illos gladio temporali animadverti ». Alia censura statuitur haereticos, qui nihil aliud sint quam haeretici, posse et debere exstirpari gladio temporali.

Aliam quaestionem an Ecclesia seu Romanus Pontifex possit per ministros suos poenas corporales infligere, non censemus opus esse pertractare. Ex his omnibus patet quod potestas coactiva quoad omnes suas partes competit Ecclesiae de iure divino. Id autem ex eo evidens est quod huiusmodi potestas probata sit vel iis ipsis testimoniis, quibus institutio divina potestatis ecclesiasticae est probata, vel analysi facta potestatis quae instituta est a Deo.

VIII. Necesse est non paucas solvere difficultates. Marsilius Patavinus l. c. monet quod Christus dum in terris ageret, nullam potestatem regalem aut coactivam habuit; neque enim regnum eius erat de hoc mundo (Ioan. XVIII., 36.) negavitque se iudicem esse constitutum super alios (Luc. XII. 14.) ab iisque se subtraxit qui eum regem facere volebant (Ioan. VI. 15.) tributumque solvit Caesari non condescensive ex liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus et ad tribunal Romani Praesidis adductus, is non excepit iudicem esse incompetentem sed imo eius auctoritatem supra se probavit (Ioan. XIX. 11.). Atqui Ecclesia et Romanus Pontifex non potiuntur ea potestate, qua Christus in terris caruit; neque enim amplior est potestas Ecclesiae quam Christi: ergo. 2° Christus habet potestatem coactivam in omnes fideles

cunctosque homines, sed eam Vicario suo in terris non commisit; nam eam exercet in altera vita, ubi iudicium futurum est et praemii ac poenae distributio, non autem heic, ubi locus poenitentiae semper datur. 3° Christus noluit Apostolos dominari veluti reges, quorum propria est vis coactiva Luc. XXII. 25. Matt. XX. 25. Omnes praeterea fideles, Apostoli, Episcopi ceterique iubentur potestatibus sublimioribus sine ulla exceptione subditi esse (Rom. XIII., 1.): porro potestates sublimiores, de quibus loquitur Paulus, sunt principes seculares; horum est ergo iudicia contentiosa in fideles quoad omnia exercere: prohibentur e contrario iidem fideles se implicare negotiis secularibus (2. Tim. II. 4.); at iurisdictio contentiosa est negotium seculare. 4° Coactio repugnat fini Ecclesiae, qui est adducere fideles in salutem per eorum meritoria opera; coactio vero opponitur merito sicut opponitur libertati, quae requiritur merito. Haec a Marsilio corroborantur auctoritate Patrum loca adducta Scripturarum interpretantium. Addunt alii 5° Ecclesiam esse Societatem spiritualem (Richerius opere citato c. 11.). 6° Non habere territorium (ibid.). 7° Clericos a causa sanguinis removeri. 8° Patres et Doctores negasse Ecclesiae potestatem cogendi per poenas temporales; quorum Patres viginti quinque, Doctores viginti affert Richerius in opere *De Potestate Ecclesiae in rebus temporalibus* l. 3., c. 3. 9° Cui media desunt exercendae potestatis coactivae, hanc quoque deesse. 10° Tandem moderni clamant quod si potestas coactiva Ecclesiae competit, habetur *status in statu,* quod repugnat.

Iam vero ad 1^{m} intoleranda est haeresis, Christum in terris fuisse iure obnoxium potestatibus mundi principesque seculi habuisse in ipsum potestatem coactivam. Christus quidem propter oeconomiam redemptionis ab usu abstinuit regiae supremae potestatis; sed ius sibi essentiale independentiae et potestatis abdicare a se non potuit. Ceterum modo non est quaestio de potestate civili, sed de potestate sacra, qua Ecclesia regitur: hanc porro Christus in terris agens ipse solus exercuit nec alii humanae potestati permisit: ipse unus magistratus in Ecclesia instituit, formam regiminis praescripsit, leges tulit, omnemque auctoritatem Petro concessit et Apostolis. Nec si nunquam vi extrinseca coactiva est usus, id ex defectu potestatis accidisse putandum est. Argumentatio autem Marsilii, si quid probaret, id probaret, nempe Ecclesiam esse quoad causas civiles subiectam potestati civili, seu carere immunitate; non vero probaret, eos qui in Ecclesia praesunt carere potestate iurisdictionis coactivae erga fideles in negotiis ecclesiasticis: quod tamen demonstrandum esset. At neque aliquid probant testimonia a Marsilio recitata.

Nam *a)* Christus accusatus quod se faceret regem Iudaeorum et

interrogatus a praeside an esset rex Iudaeorum, respondet *regnum suum non esse de hoc mundo* ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, non esse scilicet regnum mundanum, civile, quod a mundo h. e. ab ipsa hominum natura originem habet, non esse nempe illud regnum quod prius reges Iudaeorum habuerunt, cuiusmodi tantum a praeside poterat cogitari; sed esse regnum caelorum, a caelis originem habens, ad caelum homines adducens, supernaturale, divinum. Cuius rei indicium Christus exhibet Pilato subdens: *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis;* nimirum si regnum meum esset quale Reges mundi habent, illud ego moriendo amitterem, et idcirco ministri mei (quos non negat se habere Christus) certarent, ut me e manibus Iudaeorum eriperent, et a morte liberarent: at cum regnum meum aeternum sit, illudque ego morte mea sim acquisiturus, nolo ministros meos decertare ut non tradar Iudaeis. Hoc autem Christi regnum ipsa est Ecclesia, peregrina in terris, triumphans in caelis. His porro Christi verbis nulla negatio continetur potestatis coactivae Christi sive in suo regno, sive erga omnes homines generatim; quemadmodum nec negat Christus se habere regnum *in hoc mundo*, imo affirmat Pilato interroganti rursus: *ergo rex es tu?* respondens: *tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc* εἰς τοῦτο *natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate audit vocem meam.* Quibus verbis et regnum suum inter homines esse significat, eiusque finem docet, non vero formam regiminis. Responsio ergo Christi tota versatur circa indolem sui regni, quod sit supernaturale, spirituale ratione finis, inter homines exsistens: cum ergo huic indoli non repugnet, potestas coactiva, imo ratio regni eam exigat; nihil Marsilius hoc testimonio efficit.

b) Christus negat se velle agere iudicem et divisorem inter eos negatque se ad hoc esse constitutum; neque enim ad hoc agendum fuit missus a Patre neque, quod indignum fuisset, missionem hanc ab ulla potestate humana acceperat. Sed non negat potestatem se habere ad hoc. Verum et responsio Christi eo modo interrogante proposita ita accipi potest, ut nihil neget, sed tantum exposcat fidem iuvenis illius, quem scilicet credat esse Christum, an putet eum habere huiusmodi potestatem a Deo.

c) Ea fuga Christus actum detrectavit, non potestatem.

d) Falsum est tributum fuisse solutum tunc Caesari. Nam Christus (Matth. XVII. 24.) ita disserit: *quid tibi videtur Simon? reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis an ab alienis? et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Iesus; ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos* etc. Manifestum est Christum concludere eo ar-

gumento se esse liberum a tributo. Concluserat autem expresse liberos esse filios: significat ergo se esse liberum, quia est filius. In argumento Christi una praemissa est explicita: *Reges non accipiunt tributum a filiis,* et concluditur: ergo *Ego sum liber:* patet quaenam sit minor supplenda, nempe: atqui ego sum filius regis, illius nempe pro quo exigitur tributum, ergo ego ab eo solvendo sum liber. Atqui Christus non est filius Regis nisi Dei; ergo didrachma illud solvendum erat Deo. Cur ergo dixit Christus: *Reges terrae?* ut nempe a simili argueret: reges terrae non accipiunt tributum a filiis, sive filii regis sunt immunes a tributis, quae suo patri solvuntur: atqui ego sum filius: ergo liber sum a tributo debito Patri meo. Aliter quidem interpretatur Ioannes XXII. in citata Constitutione, quod nempe Christus se immunem dixerit ab ea obligatione, quia filius Regis Davidis secundum carnem: verum haec explicatio nec ut unica aut necessaria exhibetur, nec est censenda definitio. Ceterum Christum non necessitate coactum sed sponte solvisse ipse Christus docet, qui declarata sua libertate se solvere ait, ut non scandalizaret illos exactores.

e) Christum non excepisse incompetentiam iudicis, id tantum probat Christum noluisse uti suo iure, sed permisisse violentiam inferri sibi. Distincta vero potestate *iuris* a potestate *facti*, Christus iis verbis concessit quidem Pilato potestatem facti in se ipsum, nimirum permissum fuit caelitus Pilato, ut potestatem, quam iure exercebat in alios, exerceret quoque, licet iniuria, in Christum: at non concessit Christus potestatem iuris; nihil est enim quod exigat hanc interpretationem, quae praeterea Christi dignitati repugnat.

Ad 2^{m}. Christus in altera vita potestatem coactivam exercet erga omnes homines, non tantum erga fideles, et quoad violationem legum nedum naturalium aut divinarum, sed et humanarum, quas homines potestate, quae tandem est a Deo, legitime statuerunt et omnibus prorsus hominibus, quandiu in hac vita sunt, poenitentiae locus datur pro admissis contra quamvis legem; ergo si quid probaret argumentum hoc Marsilii, probaret quoque principes seculares carere potestate coactiva. Itaque distinguenda duplex potestas prout duplex est forum. Potestatem propriam fori externi, qua consulitur bono ipsius societatis visibilis, Christus non exercet in altera vita, in qua non habet locum, sed in hac et quidem in Ecclesia per ministros: in societate vero civili Christus ut Deus eam exercet per Reges, quatenus potestas Regum a Deo derivatur. Potestatem vero propriam fori interni, qua consulitur bono cuiusque in ordine ad finem ultimum immediate, Christus in hac et in altera vita exercet, in altera iudicium proferendo finale, quo per-

petuum praemium vel perpetua poena statuitur, in hac remittendo aut retinendo peccata, atque hanc per suos ministros exercet.

Ad 3^m *a)* Christus non excludit potestatem quamlibet, sed modum quendam. *Reges gentium*, ait, *dominantur*, κατακυριευοῦσιν αὐτῶν, quo significatur, auctore Salmasio (l. c. p. 10.), dominatio violenta, qualem nimirum principes et reges in gentes sibi subditas vulgo solebant affectare. Porro Christus subdit: *vos autem non sic;* modus scilicet interdicitur, quo solebat exerceri auctoritas, non ipsa per se auctoritas. Cf. quae dicemus in fine th. 2. tract. seq.

b) Verbis Apostoli ad Romanos: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* etc. duplicem in finem abutuntur haeretici, nimirum tum ut probent potestatem coactivam quoad omnia esse penes Principes seculares et ideo omnem potestatem coactivam, quae in terris exercetur, esse secularem, nullam ecclesiasticam; tum ut probent potestatem principum secularium esse prorsus vel indirecte independentem a potestate ecclesiastica, atque ecclesiasticos viros in temporalibus subiici directe potestati coactivae seculari, seu non gaudere immunitate personali et reali. Ad utrumque adstruendum affertur l. c. a Marsilio et a Richerio in opere *de Potestate Ecclesiae in rebus temporalibus* l. 2. c. 1. §. 4. seqq. Modo nobis quaestio non est de altera haeresi, quam confutare opus erit, cum de potestate indirecta Romani Pontificis eiusque immunitate disputandum erit. Nunc tantum de priore solliciti sumus. Porro, dato quod ibi Apostolus directe de potestate civili loquatur, ut ex ea sententia colligi posset nullam potestatem coactivam competere Ecclesiae, oporteret demonstrare asserere Apostolum omnem potestatem coactivam, quae exercetur in terris, esse penes principes civiles. Atqui id nec efficitur, nec effici potest. Docet enim parendum esse principibus, sed non dicit quod exercenda sit obedientia huiusmodi quoad omnia in quibus homines obedire tenentur, ita ut ii soli sint superiores quibus obediendum sit. Subiectos esse oportet ergo principibus civilibus, sed et principibus ecclesiasticis subiectos esse necesse est, nec unum alterum excludit.

c) Graece legitur: οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγμετείαις, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ. Monet Bellarminus (*Rom. Pont.* l. 5. c. 10.) nec in omnibus latinis codicibus haberi illud *Deo.* Πραγματεία τοῦ βίου non est regimen aliquod vel potestas coactiva, sed negotiatio, mercimonium, seu cura sollicita parandi victum. Sensus itaque, interprete eodem Bellarmino, est: Dixi ut labores (v. praeced.) sicut bonus miles Christi; porro bonus miles non est sollicitus circa victum et corporis curam, sed parvo contentus est. Quare Apostolus exemplo ducto a militibus huius seculi prohibet nimiam sollicitudinem

circa vitam corporalem Timotheo et cum eo ceteris ad ecclesiasticum ministerium deputatis.

Ad 4^{m}. Ut opera sint meritoria debent esse immunia a necessitate, quae libertatem perimit, non a coactione quae extrinsecus adhibetur et sub qua interior libertas integra manet. Ceterum exterior coactio non eo tantum spectat ut homines revocentur a malo, sed potissimum ad tutelam ordinis socialis, qui a malis violatur.

Ad 5^{m}. Iam huic sophismati fecimus satis in probatione ultimae conclusionis.

Ad 6^{m}. Cum Christus dixerit Apostolis *quodcumque solveritis, ligaveritis, super terram;* patet terram omnem esse territorium iurisdictionis ecclesiasticae. Nec repugnat in eodem territorio duplicem iurisdictionem exerceri, si iurisdictiones diversi ordinis sint et una alteri subordinata, cuiusmodi est iurisdictio politica et ecclesiastica.

Ad 7^{m}. Prohibentur quidem clerici, ne causam sanguinis agant eique active intersint: ita in Decreto c. 30. caus. 23. q. 8. « His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet » etc. et in Decretalibus c. 9. *Ne clerici vel monachi:* « sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit »: si tamen clericus obtineat iurisdictionem temporalem, hanc in ordine ad causam sanguinis debet et potest, metu irregularitatis cessante, aliis delegare c. *Episcopus* tit. eod. in 6°. Verum omisso, quod haec iura positiva non obligant seu non habent vim coactivam in supremam Ecclesiae auctoritatem, quae ipsa iura constituit: aliud prorsus est causam sanguinis clericos agere, quod lenitati sacerdotali non parum adversatur: aliud, personas ecclesiasticas habentes temporalem iurisdictionem delegare aliis hanc potestatem; quo in actu non nisi amor iustitiae elucet absque dispendio lenitatis; aliud rursus est, Ecclesiam sive personas habentes ecclesiasticam auctoritatem praecipere principibus secularibus, ut perturbatores ecclesiasticae pacis et unitatis, haereticos praecipue, prout par est, coerceant et pro merito puniant. Ecclesia sane probat leges civiles inferentes poenam capitalem haereticis, imo eas vult cum iustae sint, exsecutioni mandari c. *ad Abolendam, de haereticis.* (Cf. Suarez *de Fide* disp. 23.). Quocirca foret contra lenitatem et mansuetudinem propriam Ecclesiae poenam capitalem per se exsequi, *transm.:* per brachium potestatis secularis, *subd.,* si ordo caritatis eam non exigat, *transm.,* si esigat, *nego* suppositum, scilicet quod in hac hypothesi lenitas virtus esset, nam vitium potius foret. Item Ecclesia abhorret a sanguinis effusione per suos ministros, *transm.,* per ministerium brachii secularis, *subd.,* in causis in quibus ea non est neces-

saria, *conc.* secus, *neg.* « Alia quippe (ait Gerhohus exposit. in Ps. 64. n. 31.) sunt negotia, quae spiritualis homo sedens in cathedra Moysi per semetipsum potest administrare, alia quae debet sensatis laicis committere, praecipue quae spectant ad vindictam malefactorum, contra quos minister armatus et iudex cinctus non sine causa gladium portat; quem nemo debet sua praesumptione accipere, ne gladium accipiens gladio pereat, sed ecclesiastica potestate ordinante secularem atque interdum fraenante, interdum stimulante, sic per sanctos iudicentur nationes, ut ipsis iuste dominantibus, munda sit manus et lingua sacerdotis a sanguine ». Et Ecclesia quidem primum lenius cum haereticis processit excommunicatione, tum etiam confiscatione, donec intelligens parum eas poenas proficere, iussit quoque a laica potestate affici eos supremo supplicio, quae est poena ipsis debita tranquillitati politicae et ecclesiasticae societati necessaria; voluit scilicet ut ea plecterentur poena, quam iura civilia decreverant quae erat poena capitis. Cf. Constitutionem *Licet* Urbani IV. §. 12. et Constit. *Cum adversus* Innocentii IV. et can. 27. Conc. Lateranensis 3. (Cf. Suarez ibid. Sect. 2ª). Hinc et proscripsit articulum 33ᵐ Lutheri, quod *haereticos comburi sit contra voluntatem Spiritus S.*

Ad 8ᵐ. Ad auctoritatem Patrum quod spectat, advertimus 1° testimonia Patrum eum in finem a Richerio afferri ut demonstret Ecclesiam Romanam ab aetate potissimum s. Gregorii VII. sibi usurpasse quod iure divino ipsi vetitum erat atque errasse gravissime, cum doceret potestatem coactivam corporalem sibi competere; ex quo consequens est haereticas esse e. g. bullas Bonifacii VIII. et Ioannis XXII. Cum res huc tandem redeat, iam exsistit pro catholico praeiudicium certum, quod vel non bona fide testimonia Patrum allata sunt, qui aliud prorsus doceant, vel non bene concluditur ex sententia unius vel alterius Patris, qui errare potuit.

Sane 2° distinctione accurata opus est tum inter actus potestatis, tum inter diversos modos ipsius exercendae. Quoad primum hi actus distinguendi sunt: *a)* potestatem civilem, qua humanae societates reguntur, sibi directe usurpare, *b)* armis sive poenis corporalibus adigere infideles ad fidem, vel generatim armis aut poenis corporalibus velle flectere mentes ad fidem, *c)* seditionem ciere erga proprios reges, *d)* arma aut poenas corporales adhibere in eum finem directe, ut subditis ipsis Ecclesiae fides persuadeatur, *e)* potestatem coactivam corporalem adhibere in tutelam ordinis atque etiam in correptionem subditorum malorum. Quoad modum distinguendum est α) inter modum proprium ministrorum Christi, quo haec potestas exerceatur, et modum quo seculi principes cum pompa et fastu suam potestatem exercent, β) inter usum

immediatum vel *mediatum* coactivae potestatis, γ) inter usum *licitum* eiusdem vel *illicitum*, non enim semper licet uti potestate, quae habeatur.

Discrimen esse inter illos priores actus evidens est. Nam quod ultimo loco ponimus, quod est id quod nos defendimus, differt certe a primo: potestas enim Ecclesiae est potestas sacra erga Christianos prout tales exercenda pro assecutione sempiterni finis, quae potestas est prorsus alia ab ea, qua cives reguntur in finem temporalem; quare qui illam sibi vindicat non adserit sibi principatum civilem. Differt quoque ab altero; nam potestas ecclesiastica exercetur in subditos, haec exerceretur in non subditos, in quos nulla est potestas. Tum quando agitur de flectendis mentibus ipsis ad fidem, medium ad id non est vis extrinsecus illata, sed persuasio; potestas vero coactiva eo per se spectat ut tueatur ordinem socialem: quatenus porro eo quoque pertinet, ut subditus interius resipiscat, ea non ad id immediate tendit sed mediate, nempe *mediante persuasione*, fitque per poenam ut velit contumax, positis pravis affectibus, ad veritatem attendere, quae iam ipsi proposita fuit rursusque proponitur et ita persuasione flecti. Quare si quaeritur, quomodo sit flectenda mens ad fidem, respondendum est simpliciter: *persuasione:* si vero quaeritur, quibus indirectis mediis uti liceat, ut quis disponatur ad amplectendam veritatem, quemadmodum plurima sunt haec media, ita cum quis subditus est teneturque credere, et hoc quoque medium praesto est, nempe correptio corporalis. Sed si nullum sit ius exercendae potestatis coactivae in ordine ad fidem, ea perperam et iniuste adhiberetur.

Differt quoque a tertio tum quia conceptus est prorsus diversus, ea enim est potestas superioris in subditos pro ordine servando in societate Christiana, haec est perturbatio ordinis civilis contra superiorem societatis civilis; tum quia ex ea potestate coactiva in subditos Ecclesiae non sequitur quod fideles seditionem facere possint in proprium regem. Differt quoque a quarto: nam potestas coactiva corporalis est per se in tutelam ordinis socialis per violentiae repressionem et cum ad emendationem adhibetur, supponit culpam et est essentialiter punitiva: unde coactio inflicta est iusta eumque in finem adhibetur, ut quis poena admonitus velit sponte facere quod debet. Hoc porro aliud est ac directe cogere vi subditum ad certam fidei professionem, vel aliquid aliud volendum: nam ut paulo ante diximus, coactio sive poena corporalis iuste adhibita non eo directe spectat, ut fides vel virtus alia interior eliciatur, sed cum pro emendatione adhibetur, eo spectat ut propter timorem exuat homo affectus pravos, quibus ab assensu fidei aut amore virtutis impeditur et sic dispositus sit ad obsequendum interius doctrinae, quae ei exterius simul cum coercitione proponitur, quaeque sola in eum finem

directe spectat. Cf. Augustinum in epistolis citatis ad Vincentium et Bonifacium.

Iam vero Patres fere omnes, qui ab adversariis adducuntur, ea ab Ecclesia excludunt quae vel primo vel altero vel tertio vel quarto loco enumeravimus, vel excludunt illicitum modum utendae potestatis quae ei competit. Qua in re illud praesertim habendum est prae oculis, quod, salvo iure Ecclesiae adhibendi in suam defensionem temporalia media, si tamen civilis potestas renitatur armaque sua conferat adversus Ecclesiam, prudentia frequentissime suadebit, non licere Ecclesiae vim vi repellere; esset enim plerumque resistentia inutilis nec nisi damnum allatura. Id porro Patres considerabant, cum sub Imperatoribus viverent, qui nondum didicerant, se ut par est subiicere Ecclesiae. Distinguendum est proinde in sententiis Patrum id quod ex Ecclesiae iure dimanat et id quod ex circumstantiis temporum et personarum a prudentia determinatur. Vel tandem quidam Patres immediatum usum physicae potestatis improbant. Non vero excludunt Patres potestatem coactivam corporalem, quam quinto loco posuimus, eiusque exercitium saltem mediatum. Speciosiora afferamus testimonia.

Ambrosius oratione *de Basilicis tradendis* negat, se seditionem ciere posse contra Principem, qui per arma occupabat templa catholicorum, negat etiam sibi suisque licere vim vi repellere: non tamen dicit id per se esse illicitum, nec vere affirmare potuit; ius enim defensionis competit cuilibet erga eos quoque qui superiores sint: ergo ex circumstantiis operis oriebatur, quod armata defensio tunc esset illicita; ad nihil enim profuisset, nisi ad exacerbandos animos magis adversariorum. Sic Ambrosius temperat ac emollit furorem fidelium, qui vim vi repellere volebant: « volens nunquam ius deseram, coactus repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere, adversus arma, milites, Gothos quoque lacrimae mea arma sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere ». In Luc. c. 10. negat vim coactivam adhibendam pro trahendis hominibus ad fidem. « Eos misit ad seminandum, qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent ». Et ibid. c. 12. in ea verba Christi: *quis me constituit iudicem* etc., excludit principatum civilem ac mundanum.

Gregorius M. I. 3. Ep. 53. reprehendit Episcopum Constantip., quod passus sit presbyterum et monachos Isauriae caedi, vel ipse caedi iusserit: « quod autem de Episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene vestra fraternitas novit. Pastores enim facti sumus, non percussores. Et egregius praedicator dicit: argue, obsecra, increpa cum

omni patientia et doctrina. Nova ergo et inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem ». Verum, ut iam monuimus, Ecclesia non utitur potestate coactiva directe ad hoc ut exigat fidem; sed doctrina patienter adhibetur: id tamen non impedit quominus contumaces puniantur aliorumque corruptio per coercitionem malorum impediatur. Affertur et eiusdem epistola 5ª l. 5. in qua arguit Episcopum carthaginiensem, qui pro investigandis haereticis statuerat in Synodo eos, qui negligerent illos deferre, plectendos privatione substantiarum et dignitatum: « quanquam ergo haec ita se habeant et desideremus omnes haereticos a catholicis sacerdotibus vigore semper rationeque compesci: tamen subtiliter intuentes nos tetigit, ne per ea quae apud vos gesta sunt, aliorum conciliorum primatibus, quod avertat Dominus, generetur scandalum. Sententia namque a vobis prolata est in conclusione gestorum, in qua dum pro investigandis illis haereticis admonetis, subintulistis eos, qui negligunt, substantiarum dignitatumque privatione plectendos. Optimum est igitur, frater carissime, ut in his quae foris corrigenda sunt, prius caritas interna servetur et simus mente subiecti (quod maxime proprium vestrae gravitatis iudicamus) etiam personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus haereticorum commodius obviatis erroribus, cum secundum morem sacerdotii vestri Ecclesiasticam studueritis custodire concordiam ». Iam vero 1º heic Gregorius non negat potuisse eam poenam statui ab Episcopo: neque 2º simpliciter improbat factum: imo initio epistolae eum laudat, quia « nullatenus devias haereticorum sectas cum fervore sacerdotali coercere negligeret ». Sed tantum 3º monet, ut prius seu potissimum caritatis interiorisque unionis ratio habeatur, ut schismata vitentur: nimirum potestas ita exercenda est, ut usus eius conducat bono Ecclesiae, quod est praecipue bonum unitatis: quod si malum schismatis timeatur maiusque sit malum quam celari haereticos, ab iis poenis est abstinendum. Huiusmodi vero normam non negant qui potestatem coactivam Ecclesiae adstruunt. Porro qui normam praescribit pro exercitio potestatis, ille potestatem non inficiatur, imo affirmat: ergo.

Provocatur quoque ad s. Martinum qui, ut refert Severus Sulpitius l. 2. n. 50. Sacrae Historiae, et in Dialogo IIIº vitae s. Martini n. 2., noluit communicare cum Ithacio Episcopo Hispano, qui Maximo Imperatori persuaserat, ut Priscillianistas haereticos capite mulctaret, satis superque, inquiens, sufficere si episcopali sententia haeretici iudicati ab Ecclesiis pellantur: novum esse et inauditum nefas, ut causam Ecclesiae iudex seculi iudicaret. Verum vel id reprehendebat Martinus quod causam ecclesiasticam iudex secularis, auctoritate scilicet sua, iudicaret et apud eum accusator Episcopus assisteret et quidem in causa

sanguinis, quod certe nefas est: vel aliquid in eo negotio erat quod pravam Ithacii intentionem demonstrabat, ut Sulpitius in historia et dialogo significare videtur, licet res per se bona esset; vel si Martinus censebat, in haereticos praesertim etiam civili societati infestos, cuiusmodi erant Priscillanistae, non licere seculari potestati gladio animadvertere Ecclesiaeque ad id hortari Principes, errasse dicendus est; licet enim hostes capitales reipublicae supremo supplicio plectere Ecclesiaeque licet ad id alios hortari, quod bonum est. Certe id licitum arbitratus est Leo M. epist. 15ª ad Turibium Asturicensem Episcopum respectu eorumdem haereticorum. « Merito patres nostri, sub quorum temporibus haeresis haec nefanda prorupit, per totum mundum instanter egerunt ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem eius cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent... Et profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum principum constitutionibus adiuvatur ».

In Chrysostomo potissimum exsultat De Dominis suumque hac in re praecipuum doctorem vocat l. 5. c. 2. n. 33. Quid vero tandem Chrysostomus docet? Homilia 3ª in Acta (quas homilias quidam eruditi negant esse Chrysostomi) difficultates ministerii episcopalis exponens ait: « Annon orbis est Imperatori subditus, hic (episcopus) vero unam tantum civitatem regit? at tanto maiores sunt huius sollicitudines, quanto maius est pelagus tumens ac furens aqua fluminis. Quam tandem ob causam? quia illic multi sunt ministri omniaque lege et mandato peraguntur, hic vero non item. Neque enim licet ex auctoritate praecipere, οὐδὲ ἐπ' ἐξουσίας ἔστιν ἐπιτάξαι, h. e. liberum non est mandata ferre ». Verum 1° loquitur Chrysostomus historice non iuridice: 2° officium episcopi spectat, ut fere semper solet, respectu illius finis qui est institutio hominum in fide et doctrina ac morum emendatione virtutumque cultura, pro quo fine obtinendo ea media requiruntur, quae persuasionem valeant gignere in mente liberasque voluntates sponte flectere. Sed non negat Episcopum aut Ecclesiam ius habere puniendi poenis corporalibus perturbatores ordinis socialis ecclesiastici et rebelles suae auctoritati, atque iisdem poenis compescendi malos ne aliis noceant, atque exigendi a civili potestate subsidium pro exercitio huius potestatis. Idem hom. IV. in illud *Vidi Dominum* ex verbis Isaiae, affirmat Sacerdotum esse tantum arguere et libere monere et negat eorum esse movere arma, clypeos usurpare, vibrare lanceam etc. At 1° loquitur de Sacerdote T. V.: sed, hoc omisso, 2° quod neget sacerdotum esse *arma movere* etc. id convenit inter omnes: quod autem

affirmet sacerdotum esse tantum *arguere* etc. id si de sacerdotibus generatim sumptis intelligatur, facile concedimus; neque enim quod Ecclesiae competit, competere asserimus cuique sacerdoti: si vero de summis sacerdotibus id intelligatur, historice loqui dicendus est Chrysostomus et excludere coactiones physicas, quae eorum iussu immediato exerceantur. Libro autem 2. *de Sacerdotio* c. 3. ait quidem « Christianis minime omnium licere peccantium lapsus vi corrigere »; sed ideo hoc dicit quia agit de modo emendandi et efficiendi meliores homines gignendique in iis certum propositum abstinendi a peccatis. « Sed oportet persuadere hominem eumque efficere meliorem... cum Christus eos aeterna corona donet non qui coacti, sed qui certo proposito a peccato abstineant ». In id ergo intentus Chrysostomus, quod per se ad emendationem pravorum conducit, negat id vi obtineri debere, sed persuasione. Addit etiam « neque nobis facultas tanta a legibus data est ad delinquentes coercendos »: verum advertimus 1° haec prout historice dicuntur et significant Ecclesiam non esse tunc usam potestate coercitiva in peccantes, vera esse possunt, quin nostrae thesi officiant; potestas enim huiusmodi non se tota ab initio, sed paulatim per temporum vices explicavit: 2° prout autem significare videntur potestatem coercitivam per poenas corporales non iure proprio Ecclesiam habere, sed solum per concessionem Principum obtinere posse, id obiter a Chrysostomo dictum adversaretur sententiae ab Ecclesia deinceps authentice assertae: neque ita opus est interpretari Chrysostomum, qui solum significat ad excercitium actuale pacificum huius potestatis pro Ecclesia requiri liberum consensum Principum, qui tamen, ut demonstravimus, debetur.

S. Petrus Damiani l. 4. ep. 9. improbat in Sacerdotibus usum armorum seu belli pro defendendis bonis temporalibus Ecclesiae sibique obiicientibus « bellicis usibus Leonem (IX.) se frequenter implicuisse Pontificem, veruntamen sanctum esse »: respondet « quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum quia negavit; nec David idcirco prophetiae meretur oraculum, quia torum alieni viri invasit ». Verum ad actionem Leonis quod spectat, id alterius est quaestionis, de dominio nempe temporali Romanae Sedis, quo posito auctoritati Damiani opponere licet auctoritatem ipsius Leonis pariter sancti et doctissimi Pontificis, tum manifestam rationem; qui enim ius habet ad bona temporalia, idem ius habet ad ea conservanda mediis opportunis, cuiusmodi sunt arma contra hostes: et si is sit princeps supremus independens, ius habet vindicandi sibi per se ipsum ea bona. Licere armis patrimonium temporale Ecclesiae tueri universa Ecclesia cum suo capite hac nostra aetate testata est.

In Decreto causa 33. q. 2. can. 5° *Inter*, haec Nicolai verba referuntur « Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat ». Decernit nempe ibi non licere viris adulteras uxores occidere, quod leges civiles permittebant. Ecclesiae autem non negat potestatem coercitivam corporalem, sed eam tantum, quam per se ipsam exerceat et quidem solum disserte agit de poena mortis. Ceterum Correctores Decreti notant dubiam esse epistolam Nicolai, e qua canon ipse sumptus est.

Causa 23. q. 5. can. 20. *Principes*, dicitur quod « intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi quod non praevalet Sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc impleat per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum caeleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiae agunt, rigore principum conterantur ipsamque disciplinam, quam ecclesiae humilitas exercere non praevalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat ». Scilicet non negat Isidorus (cuius hic est canon excerptus ex lib. 3. Sententiarum seu *de Summo Bono* cap. 51.), esse in Ecclesia potestatem coercitivam corporalem, sed docet quinam sit eius minister et idcirco quodnam sit officium potestatis secularis, quae vim suam exercere debet pro defensione Ecclesiae, ut ait Bonifacius VIII., praesertim cum humilitas et mansuetudo Ecclesiae suadet ut ipsa immediate vi sua non utatur. Unde concludit « cognoscant principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt ».

Praecipue provocatur ad auctoritatem Gregorii II. in sua epistola dogmatica 2ª ad Leonem Isaurum circa cultum imaginum. Ait enim: « Alia est ecclesiasticarum constitutionum institutio et alius sensus secularium... Et ecce tibi, palatii et ecclesiarum scribo discrimen, imperatorum et pontificum... Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi et electiones in clero peragendi neque consecrandi, vel symbola sanctorum sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera Sacerdotis. Sed unusquisque nostrum in qua vocatione vocatus est a Deo, in ea maneat. Vides, Imperator, Pontificum et Imperatorum discrimen. Si quispiam te offenderit, domum eius publicas et spolias, solam illi vitam relinquens tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas... Pontifices non ita, sed ubi peccat quis et confessus fuerit, suspendii vel amputationis loco evangelium et crucem eius cervicibus circumponunt eumque tanquam in carcerem in secretaria sacrorumque

vasorum aeraria coniiciunt, in ecclesiae diaconia et in catechumena ablegant ac visceribus eorum ieiunium oculisque vigilias et laudationem ori eius indicunt. Cumque probe castigarint probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartiunt et sancto illum sanguine potant et cum illum vas electionis restituerint ac immunem peccati, sic ad Dominum purum insontemque transmittunt. Vides Imperator Ecclesiarum Imperiorumque discrimen? »

Primum digna est animadversione interpretatio Richerii. Citantur haec verba Pontificis tanquam certa norma propriae potestatis Ecclesiae; aequitas postularet ut auctoritas Gregorii reciperetur integre cum de iuribus Ecclesiae disserit, sive cum docet quid in Ecclesia non possit Imperator. Huius enim rei iudicium ad Ecclesiam certe spectat. At audiatur Richerius; colligit ille quidem absolute non habere Pontificem potestatem introspiciendi in palatium et dignitates regias deferendi; verum subdit haec: « Tertio cum dicit Imperatorem non habere potestatem introspiciendi in Ecclesiam etc., verum est, ut se regularibus vel etiam spiritualibus rebus tractandis aut constituendis non immisceat: *falsum autem, si negare velit, illum auctoritate pollere cogendi ecclesiasticos ad canonum observationem* ». Quid est autem in Ecclesias introspicere, si hoc non est? Iura ergo Ecclesiae ampliabat Gregorius, ignorabat hanc dependentiam eius ab Imperatore et proinde iam ante Gregorium VII. iura sua amplificabant Pontifices. Si vero censuit Richerius licere sibi circumscribere verba Gregorii, facit igitur et nobis potestatem addendi quasdam limitationes verbis Gregorii, ea porro modestissime utemur. Respondemus quidem primo his verbis potestatem asseri Ecclesiae infligendi poenas corporales et quidem immediatam, qua posita determinatio eorum qualitatis et modi ex extrinsecis adiunctis et Ecclesiae arbitrio dependet. Respondemus secundo, quod Gregorius volens proprios utriusque potestatis characteres assignare, finem proprium Ecclesiae, qui est hominum salus, praestituit et ea quoad Ecclesiam enumeravit quae propria Ecclesiae sunt, quaeque per se ipsa exercet, eaque Pontifex omisit quae non per se ipsam, sed mediante potestate principum solebat Ecclesia exercere, cuiusmodi est quaedam durior coercitio corporalis. Sed non negat, quod Ecclesia ius habeat exigendi ut ad eius nutum illam coercitionem adhibeat potestas secularis. Sic autem accipienda esse verba Gregorii, praxis quoque subsequentium Pontificum satis evincit. Porro eodem sensu quo Gregorius loquitur Nicolaus I. epist. 8ª ad Imperatorem Constantip. versus finem.

S. Bernardus *de Consider.* l. 1. c. 6. negat Episcopis ius exercendi iudicia, nimirum ius iudicandi « de terrenis possessiunculis hominum »

et potestatem « praedia dividendi ». Negatur scilicet ea potestas civilis secularis, quae est ordinata ad bonum terrenae societatis. « Habent haec infima et terrena iudices suos reges et principes terrae. Quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? »

At contendit iis datum esse iudicium in maiora... « ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa et non propter has accepistis claves regni caelorum ». Ibid. l. 2. c. 6. negat Romanum Pontificem habere *apostolico iure* aurum et argentum; Petrus enim non ei aliud dimisit quam quod habebat: non negat autem Bernardus haec a Romano Pontefice haberi posse, sed negat haberi hereditario iure a Petro. Ibidem negat *dominationem*, de qua Christus Luc. XXII. 25., competere Romano Pontifici; quoniam vero iam tunc a pluribus seculis Romanus Pontifex erat Princeps ditionis secularis; non id reprobat Bernardus, imo probat et tuetur epist. 243[a] ad seditiosos Romanos directa Sedemque Apostolicam ait divinis regalibusque privilegiis singulariter sublimatam esse; ea proinde dominatio negata intelligenda est respectu ovilis Christi et secundum eum modum, quem Christus exclusit. « Consideres, inquit l. 4. c. 7., sanctam Ecclesiam Romanam, cui Deo auctore praees, Ecclesiarum matrem esse non dominam tu vero non dominum Episcoporum, sed unum ex illis », ita tamen ut continuo subdat, ipsum esse doctorem gentium, Christianorum ducem, ultorem scelerum, malorum metum, regum Patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, vicarium Christi, Deum Pharaonis etc.

Ex hac simplici animadversione in potiora testimonia Patrum allata a Richerio, patet quam falsum sit, traditione catholica contineri eam doctrinam, quae negat potestatem coactivam corporalem Ecclesiae. Cum ergo et ratio deducta ex ipsa natura potestatis Ecclesiae demonstret potestatem huiusmodi ei convenire et Ecclesiae testificatio ac usus per plura secula idem evincat, impium est id negare ineptumque negationem fulcire argumento ducto ex non usu primorum seculorum; nam 1° hoc non est omni ex parte verum; 2° non usus potestatis non probat defectum potestatis, praesertim si rationes habeantur cur ab usu abstineatur.

Ad 9[m] iam fecimus abunde satis in fine demonstrationis.

Ad 10[m] *Status in statu* (h. e. duae societates ex iisdem membris coalescentes, atque utraque perfecta) *repugnat*, si habeant eundem finem, vel si diversos, habeant oppositos fines et quidem absolute; non autem si habeant fines subordinatos, qui identidem per accidens opponi possunt. Tales porro sunt finis potestatis civilis et finis Ecclesiasticae; unde potestas Romani Pontificis simul regit eos, quos potestas civilis

regit; utraque autem potestas amico foedere ex natura sua consociari potest et debet: sed obest plerumque perversitas mundi.

Probata est ergo thesis: ex qua probatione corollarii gratia illud inferto, verbis Christi Matth. XVIII: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, non contineri omnem poenam, quam irrogare possit Ecclesia, neque excludi coactionem corporalem; verba enim Christi positiva sunt, non exclusiva. Quia vero habendi sunt quidem tales homines a fidelibus tanquam ethnici quoad communicationem, non vero sunt reapse tales, sed adhuc manent subditi Ecclesiae; ideo eos potest ipsa punire. Cf. Suarez l. c. Illud autem perperam quidam ex eo negant quod Ecclesia sit societas voluntaria: nam negandum est antecedens in sensu adversariorum (§. VII.). Cum ergo Ecclesia sit societas ex divina institutione necessaria et Ecclesiae potestas sit vere coactiva, postquam quis Ecclesiae membrum factus est, nequit ullo actu rebellionis se ab eius auctoritate subtrahere ut immunis evadat vi illius actus ab obligatione parendi Ecclesiae: quemadmodum ex pessime concepta Ecclesiae notione quidam Protestantes aut increduli affirmarunt.

§. XX.

Voluit Christus Ecclesiam suam infallibilem esse circa omnes veritates revelatas.

1. Duplex primum secernenda quaestio: an Ecclesia sive fidelium universitas sit infallibilis: tum quo medio, Christo auctore, obtineatur infallibilitas Ecclesiae. Rursus quaeri simpliciter potest factum, an Christus voluerit Ecclesiam suam esse infallibilem et deinde an aliqua necessitas fuerit ut id ipse vellet.

Protestantes cum Socinianis negant Ecclesiae visibili praerogativam infallibilitatis, imo ipsi verae Ecclesiae negant esse necessariam praerogativam infallibilitatis in omnibus revelatis. Infallibilitatis notio huc redit, ut 1° factum erroris excludatur h. e. nunquam futurum sit quod Ecclesia erret idque certo constet: 2° ut sit in Ecclesia divinum principium seu causa efficiens huius exclusionis erroris, quae causa est assistentia Spiritus S.: qua exsistente et perseverante, consequitur quod possibilitas quoque erroris excludatur. Unde patet, distingui inerrantiam Ecclesiae ab inerrantia quadam simpliciter humana. Quae vero ad rationem spectant huius assistentiae, inquiremus cum de Pontificis infallibilitate disputabimus.

Nunc demonstramus voluisse Christum Ecclesiam suam immunem semper esse ab errore in iis quae fide divina credenda sunt. Quo quidem

facto constituto sequitur infallibilitas. Nam huiusmodi immunitas in rebus rationi imperviis eademque certa nobis nequit esse nisi ex promissione certa assistentiae Dei, quae, ut diximus, possibilitatem erroris excludit statuitque veram infallibilitatem.

II. Porro immunitas Ecclesiae ab errore in iis quae fide divina credenda sunt potest demonstrari primum hoc simplici argumento. Ecclesia Christi perpetua esse debet ex Christi institutione: ergo et immunis ab errore ex eadem institutione. Ut rectitudo consequentiae pateat, adverte quod Ecclesia est essentialiter societas fidelium, h. e. eorum qui non solum pio affectu credulitatis adhaerent Deo revelanti sive errent sive non errent circa obiectum creditum, sed qui secundum veritatem credunt id quod revelavit Deus tum externa professione, ut ad corpus Ecclesiae spectent, tum etiam interiore assensu, ut fides eis prosit ad salutem. Vera enim fides ea est, quam Deus voluit esse initium salutis, ut non tantum homines se subiicerent Deo revelanti subiectione formali, sed per se etiam materiali (licet per accidens in aliquibus formalis identidem sufficere possit), in iis nimirum determinatis veritatibus credendis, quas ipse revelavit. Regnum enim Christi est regnum veritatis Ioan. XVIII. 37. est regnum luminis 1. Petri II. 9. 10. et lucis 1. Ioann. I. 5.-7. et fundamentum pietatis est fides vera, ea scilicet quae est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium Heb. XI. Itaque vera fides ea est, quam Deus voluit et externa professione in Ecclesia celebrari et proinde ab Ecclesia sua doceri; nam hinc pendet interior fides; illud enim credimus quod Ecclesia docet. Quare Ecclesia non docens veram fidem non est amplius medium illud institutum a Deo, quo homines veram fidem assequi possint credendo veritates a Deo revelatas et per fidem assequi iustitiam et sanctitatem. Ecclesia scilicet desinit esse societas fidelium, si credant homines quod ipsa docet et ipsa non doceat amplius quod Deus revelavit: desinit proinde esse medium salutis; unde tandem desinit ipsa esse Ecclesia, quae est essentialiter societas fidelium et essentialiter medium salutis. Ergo si perpetua est Ecclesia, est quoque perpetuo immunis ab errore, ideoque infallibilis secundum id quod ab initio praestituimus.

Praeterea 1. Timoth. III. 15. Ecclesia dicitur *columna et firmamentum veritatis.* Locus est parumper impeditus; unde integer recitandus est. Ait Apostolus: « *haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te* (a graeco abest vocula *te;* scilicet sermo generalis est) *in domo Dei conversari,* ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς (quidam codices cum Claromontano habent ὁ quod et Vulgatus legit: alii praestantes

cum Sinaitico habent ὅς) (a) ἐφανερώθη ἐν σαρκι, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμω, ανελήφθη ἐν δόξῃ) ».

Quaestio est quodnam sit subiectum, de quo dicitur quod sit *columna et firmamentum veritatis.* Quidam enim putant esse ipsum Timotheum, ac si diceretur: quomodo te oporteat, in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, ὡς στῦλος vel στῦλος ὤν tanquam columna scilicet, vel columna cum sis et firmamentum veritatis. Porro, aiunt, ellipsis τοῦ ὡς vel τοῦ ὤν frequens est. Sic Aug. Dathius in Salomonis Glassii Philologia sacra l. 2. tract. 1. c. 13. Ratio huius interpretationis est *a)* quia *columnae* appellatio Ecclesiae proceribus sive membris praecipuis alibi tribuitur Gal. 2. 9. Apocalyp. III. 12. *b).* Quia cum Ecclesia repraesentata sit modo sub figura *domus,* incongruum est eandem in eodem contextu sermonis repraesentari sub figura columnae: columna autem est pars quaedam praecipua domus, sicut Episcopus Ecclesiae. Alii contendunt primam partem sermonis absolvi verbis *Ecclesia Dei vivi;* sequentibus autem initium fieri alteri orationis parti: nimirum verba *columna et firmamentum veritatis* coniungenda sunt cum iis quae sequuntur ut ita sit legendum: *Columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum est pietatis mysterium* etc. Rationes sunt, *a)* quae secundo loco in priore sententia est recitata: *b)* quia Paulus non solet a coniunctione *et* exordiri orationem: *c)* quia haec est usitata formula Iudaeis, cum tradunt praecipua dogmata religionis, ut ea vocent columnam et fundamentum sapientiae, ita Maimonides initio Misnae. Imo ipse Paulus doctrinam de Iesu Christo, quae heic quoque proponitur, vocavit *fundamentum* 1ª Cor. III. 11: *d)* quia id suadet series orationis; cum prius enim docuerit Apostolus qualis pastor esse debeat, nunc docet quid potissimum tradere debeat tanquam fundamentum religionis: *e)* quia ita quoque legisse videtur Irenaeus l. 3. c. 1. (cf. si licet Sviceri Thesaurum v. στῦλος).

Verum nulla est ratio cur has interpretationes admittamus. Nam quoad primam, Episcopi quidem simul sumpti dici possunt columna et firmamentum veritatis auctoritate sua, at unum simplicem Episcopum ita vocari nimium est nec satis logice in contextu cohaeret eum, qui instruitur et instructione indigere ostenditur, appellari simul columnam et firmamentum veritatis. In loco autem citato Gal. II. 9. appellatio

---

(a) Si credimus Liberato diacono in *Breviario* c. 19. ex lectione ΟΣ, factum est a Macedonio episc. Constantinop. sub initium sec. VI. ΘΣ h. e. ΘΕΟΣ. Cf. Hincmarum Rhemens. in Opusc. ad Hincmarum Laudunensem. Probabilius est primitivam lectionem fuisse ὅς, utpote quae difficilius potuisset ab amanuensibus substitui et ex qua aliae facile explicantur.

columnae fit Apostolis, qui primum locum in Ecclesia tenentes eam sua auctoritate ac doctrina sustentabant ac regebant. In Apocalypsi vero nec occurrit metaphora *columnae veritatis*, sed solum *columnae* eâque specialis significatur praerogativa stabilitatis in fide concessa vincenti. Porro ellipsis sine causa asseritur, tum quia Paulus generatim de omnibus loquitur, ut scias πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι; tum quia inter subiectum, cui praedicatum hoc *columna* etc. tribuendum esset, ipsumque praedicatum, intercedit aliud subiectum, h. e. Ecclesia. Columna autem esse dicitur non immediate ipsa domus, sed Ecclesia Dei vivi, quae sub duplici imagine repraesentatur, domus quoad Deum qui in illa habitat, columnae et firmamenti quoad veritatem. Neque abhorret a Scripturarum loquendi ratione quod duae differentes metaphorae simul pro eodem subiecto adhibeantur. Cf. Ieremiam l. 18. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum.*

Quoad alteram porro interpretationem, falsum est generatim quod non liceat exordiri partem orationis particula coniunctiva: sicut enim membra unius periodi, ita et plures periodi invicem coniungi possunt. Tum falsum est Paulum non solere ita exordiri orationem suam. Cf. 1. Cor. II. 1. 3. 1. Ephes. II. 1. Quod autem doctrina de Christo incarnato seu mysterium pietatis possit dici columna et firmamentum veritatis, non est ratio sufficiens cur heic dicatur. Irenaeus vero l. c. dicit tantum quod Evangelium ab Apostolis scriptum futurum erat nobis columna et firmamentum veritatis contra Gnosticorum errores, qui divinam revelationem ab Apostolis traditam pervertere conabantur. Usus est scilicet Irenaeus ea metaphora qua usus est Apostolus; quae metaphora et penes Irenaeum habet sensum verum, qua uti ille potuisset etiam non praeeunte Apostolo: at nihil est quo pateat, ibi Irenaeum interpretari verba haec Pauli, ut de eodem subiecto eadem res ab utroque praedicetur. Nec series orationis hanc interpretationem flagitat, ut mox patebit.

Itaque tenenda est lectio communis omnibus Patribus et interpretibus, ut verba *columna et firmamentum veritatis* coniungantur superioribus: atque communis eorundem interpretatio, ut ea de Ecclesia dicantur (a). Et sane Paulus scribens hanc epistolam habebat prae oculis

(a) « Verum considerans omnia exemplaria Graeca, Latina, Syriaca, Arabica legere et interpungere non secus ac biblia nostra ac praeterea cunctos Patres ita pariter interpretatos esse, relatis extremis verbis ad Ecclesiam, non ad mysterium pietatis; censeo his contentos esse oportere, nec novam interpretationem inducendam esse absque necessitate. » Ita Daillé auctor Protestans in Sermonibus Gallicis in 1^m Timoth. c. III. v. 15., Serm. 21.

Gnosticos, contra quorum falsam scientiam tutos studebat reddere fideles curae Timothei commissos (I. 4-7. IV. 1. seq., VI. 3-5. 20-21.). Horum ἑτεροδιδασκάλων (VI. 3.) doctrina ψευδώνυμος γνῶσις (20.) dicitur eratque adversa Fidei quam Apostoli praedicaverant et Ecclesia Dei vivi profitebatur. Hinc cum docuisset Apostolus Timotheum (cp. III.) quales esse deberent in Ecclesia Episcopi, Diaconi ipsaeque mulieres, advertit se ea scripsisse ut, etiamsi ipse tardaverit venire, sciat Timotheus quomodo oporteat tum ipsum tum alios in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi: mentione autem facta Ecclesiae, ut se opponat Gnosticorum novae falsaeque doctrinae, monet eam esse *columnam et firmamentum veritatis;* ut scilicet fideles intelligerent ab ea, non ab iis novis doctoribus quaerendam esse veritatem. Cum scopo ergo epistolae Pauli optime cohaeret quod ea verba de Ecclesia dicta intelligantur. Et re quidem vera nequeunt ea coniungi cum sequentibus; in hac enim hypothesi, quoniam subiectum est μυστήριον quod articulo gaudet, sensus hic foret: *mysterium pietatis est columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum:* quid autem attinebat dicere mysterium illud esse magnum, postquam dictum fuerat esse columna et firmamentum veritatis? et cum incrementum orationis exspectares, vides illam desinere in praedicatum minoris momenti nullamque novam afferens notitiam. Itaque quemadmodum duo sunt subiecta huius orationis, *Ecclesia* nimirum et *mysterium pietatis*, ita duo sunt distinguenda, quae de singulis praedicantur: *columna et firmamentum* veritatis de Ecclesia, *manifeste magnum* de mysterio pietatis. Quod autem ea verba sint appositum Ecclesiae non alterius subiecti, liquet ex immediato nexu; cum praeterea nullum sit aliud in oratione subiectum, cui ea adseri possint.

Ecclesia autem, quae est columna et firmamentum veritatis, est universa Ecclesia, etsi principium formale huius praerogativae sic Magisterium, ut mox videbimus; nam universa Ecclesia nomine Ecclesiae intelligitur, cum nullum est appositum circumscribens, heic vero nullum est: nam non ex eo quod praecepta tradita sunt Timotheo, ut sciat quomodo oporteat ipsum conversari in Ecclesia, sequitur Ecclesiam hanc esse Ephesinam, cuius Timotheus Episcopus erat; etenim in universa pariter Ecclesia ipse ceterique conversabantur, cuius partes et membra erant. Et sane universa Ecclesia est domus Dei et Ecclesia Dei vivi.

Item veritas ἡ ἀλήθεια non est haec aut illa veritas, sed est universa doctrina revelationis seu fides obiectiva quae simpliciter dicitur ἡ ἀληθεία sive ἀληθηία in Scripturis, ut in hac eadem epist. II. 4. eaque opponitur τῇ ψευδωνύμῳ γνώσει τῶν ἑτεροδιδασκάλων.

Ecclesia ergo universa est στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Non dicitur quid Ecclesia esse debeat ex lege aliqua morali, sed quid sit; unde Timotheo dictum est: *ut scias, quomodo oporteat:* quoad Ecclesiam vero simpliciter affirmatur quod est columna veritatis. Metaphorice autem στῦλος est omne id cui aliquid innititur, a quo aliquid firmitatem stabilitatem, securitatem mutuatur. Ἑδραίωμα est vocabulum ἅπαξ λεγόμενον hoc in loco tantum occurrens; occurrunt tamen ea, a quibus derivatur: ἕδρα, quae sellam primum significat, tum quod subiicitur sustentandae aut fulciendae rei; hinc ἑδραῖον quod est firmum (1. Cor. VII. 37. XV. 58.: Coloss. I. 23.); unde ἑδραιόω stabilio, firmo (cf. Stephanum in h. v.). ex quo ἑδραίωμα, quod teste Phavorino et Svida est στήριγμα, firmamentum, stabilimentum. In ἑδραιώματι itaque conceptus est tum sedis, in qua aliquid sedet, tum sustentantis et firmantis, sive firmitatem stabilitatemque conferentis ei quod ipsi insidet. Metaphorice proinde ἑδραίωμα est omne id, quod ex se firmum est ac stabilitatem firmitatemque impertitur ei quod ipsi innititur. Porro licet columna in eum usum quoque adhibeatur ut aliquid attollens in conspectu omnium proponat, attamen ex hac sola ratione metaphoram non ducit usus loquendi, sed ex ratione roboris et firmitatis, quam in se habet et alii communicat, sive ex hac ratione sola sive coniuncta alii quoque rationi. Et quidem rationem roboris et firmitatis esse fundamentum translationis manifestum fit ex eo quod στῦλος simul et ἑδραίωμα copulentur tanquam apposita unius subiecti. Columna autem et firmamentum veritatis potest aliquid dici duplici ratione: ut nempe *a)* quatenus στῦλος et ἑδραίωμα sunt sedes quaedam, illud dicatur columna et firmamentum veritatis, quod est eiusdem sedes, in quo veritas obtinet sedem suam: ut *b)* quatenus στῦλος et ἑδραίωμα sunt sedes firma et stabilis firmitatem stabilitatemque incumbenti et sedenti impertiens, illud dicatur columna et firmamentum veritatis, quod ei firmitatem et stabilitatem impertitur. Utraque vero ratio simul esse debet: prior enim sine altera nequit metaphora columnae et firmamenti repraesentari. Alterum autem rursus dupliciter contingere potest: nimirum 1° ut veritas *in se ipsa* firmetur: 2° ut veritatis manifestatio, sive doctrina veritatis sit firma. Quamvis enim veritas in se ipsa sit firma, indigere tamen potest extrinseco praesidio, quo firmetur notitia eiusdem: hoc autem praesidio indiget divina veritas, quae hominibus per homines manifestanda est; quod quidem praesidium nequit esse nisi auctoritas. Et licet veritas sive divina revelatio spectata ontologice firmet Ecclesiam, notitia tamen et certitudo eius firmari potest magisterii Ecclesiastici auctoritate.

Cum igitur Ecclesia sit columna et firmamentum veritatis, est pri-

mum sedes veritatis, sed deinceps sedes firma stabilisque veritatis, stabilitatem et firmitatem conferens non quidem veritati in se ipsa; non enim Ecclesia veritatem constituit, quam imo accepit a Deo, sed notitiae eiusdem, certam scilicet auctoritate sua penes omnes gentes gignens notitiam veritatis. Auctoritas autem nullam vim exereret, nisi certo constaret, fieri non posse, ut Ecclesia erret; si enim de hac re dubitare licet, nulla est firmitas fidei, quae illi adhibeatur. Posita vero ea certitudine, habetur ipsa praerogativa infallibilitatis. Nec dicas, Patres vocasse quosdam columnas et firmamenta fidei, quin voluerint tamen eos dicere infallibiles; nam his titulis insigniti sunt qui strenue tuebantur doctrinam Ecclesiae iidemque infallibiles habebantur non potestate sed facto, non ex se, sed propter doctrinam infallibilem Ecclesiae, quam sequebantur et propugnabant: unde neque quoad omnia, sed quoad quaedam tantum dicti sunt columnae veritatis. Huiusmodi ergo appellatione infallibilitas aliqua semper significatur. Discrimen vero est, quod cum ea appellatio fit singulis doctoribus, qui doctrinam ab Ecclesia accipiunt, infallibilitas a doctrina iam tradita ab Ecclesia derivat ad personas et se in illis habet ad modum facti transeuntis non habitus permanentis: Ecclesia autem, quae a solo Deo docetur, quae columna est omnis veritatis et semper, auctoritate sua infallibili ratio est certitudinis nostrae circa veritates eamque infallibilitatem habitualiter ex se ratione nempe sui muneris possidet.

Porro Ecclesia hanc praerogativam sibi semper ipso facto asseruit, sententias ferens definitivas in controversiis fidei, vel simpliciter proponens fidem, ita quidem utroque in casu ut a se propositis veritatibus assensum eum exigeret qui verbo Dei debetur, assensum scilicet certissimum et nulla in hypothesi mutabilem; quem quidem assensum fideles praestare deberent etiam citra ullam ex parte ipsorum scientificam inquisitionem, hoc tantum supposito quod Ecclesia locuta sit. Atqui id tantundem est ac infallibilitatem ex divina assistentia sibi asserere. Id vero non impedit quominus aliquando Patres consensum universalem Ecclesiae urgerent sub ea quoque speciali ratione quod est consensus quidam universalis qui ad normam purae rationis exactus moralem certitudinem gignit argumentumque esse solet veritatis. Cum Tertullianus ait (in lib. *de Praescript.*): « quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum », hoc morale principium, etsi non exclusive, prae oculis habuisse videtur. Cum vero Augustinus ait (contr. epistolam Manichaei c. 4.): « Ego Evangelio non crederem nisi me catholicae Ecclesiae firmaret auctoritas », divinam considerat auctoritatem, est enim auctoritas, ut paulo ante locutus fuerat, *miraculis inchoata.*

Nec sola Ecclesia catholica sed omnes antiquae haereticae sectae sibi infallibilitatis praerogativam sicut et dignitatem verae Ecclesiae vindicabant. Unde synodis coactis sententias peremptorias ferebant, quibus ab omnibus exigebant fidem qui in sua secta, seu, ut ipsi aiebant, in vera Ecclesia esse vellent.

III. At voluit ne Christus Ecclesiam suam infallibilem esse quoad omnes veritates revelatas, an solum quoad quasdam, quae sint praecipuae et veluti fundamentales pro pietate et iustitia quae ducit ad salutem? Discrimen inter articulos fundamentales et non fundamentales potest triplici sensu adhiberi: 1° respectu scientiae, ut comparatione facta inter eos, illi dicantur fundamentales, qui praestantiores sunt aliosque virtute continent: 2° respectu explicitae vel implicitae fidei, ut ii dicantur fundamentales qui explicite credendi sunt, non fundamentales quos sufficit implicite credere: 3° respectu necessitatis credendi, ut ii sint fundamentales quos necesse est credere ut unitas fidei servetur, non fundamentales, quos etsi revelatos non opus est credere, ut incolumis sit unitas fidei licetque negare. Non primo et altero sensu, qui penes theologos catholicos occurrunt, sed tertio tuentur Protestantes et quidem omnes, distinctionem articulorum in fundamentales et non fundamentales et sic contendunt, veram Ecclesiam esse eam quae in fundamentalibus non errat, licet erret in aliis; ideoque probari non posse voluisse Christum ut Ecclesia sua in nulla re revelata erret. Atqui 1° haec distinctio prorsus reiicienda. Sane *a)* argumento ad hominem, ea a Scripturis non suppeditatur, ex quibus demonstrare deberent Protestantes tum hanc distinctionem exstare, tum quinam ad priorem, quinam ad alteram classem spectent, ne inutilis prorsus esset distinctio. Doctrina vero 1. Cor. III. 11. spectat ad distinctionem primo et altero modo sumptam, non tertio, qui est proprius Protestantium. *b)* Imo a Scripturis aperte refellitur, ut Matt. XXVIII. 20. Galat I. 8. 2. Thessal. II. 14. *c)* Haec est doctrina nova, ignota prorsus Ecclesiae ante Protestantes: quae e contrario *d)* disserte ei refragatur, sive cum anathemate perculit eos qui articulos non crederent quos nemo Protestantium inter fundamentales recenset; cuiusmodi sunt plura circa errores Origenis, rebaptizantium, errorem Novatianorum etc.: sive cum docuit quaenam sit norma credendorum; hanc enim non in dignitate aut necessitate obiectiva veritatum posuit, sed in divina revelatione per authenticum magisterium manifestata. *e)* Distinctio huiusmodi omni criterio est destituta, ut videre est in ipsis Protestantibus auctoribus, quorum tot sententiae sunt quot capita viamque per se aperit latitudinarismo et indifferentismo. *f)* Rationem fidei prorsus subvertit et contradictionem implicat: motivum enim formale fidei non est dignitas

aut necessitas veritatis, sed est sola auctoritas Dei revelantis quae fidem exigit: ea ergo omnia credenda sunt, quae constat esse a Deo revelata et quidem credenda sunt eadem ratione eademque obligatione, quia idem est motivum, ideoque vel omnia vel nulla credenda: at haec oportere credi, illa non, contradictorium est; oporteret scilicet et non oporteret credere Deo revelanti.

Quocirca 2° infallibilitas Ecclesiae circa veritates revelatas non aliquas tantum, sed omnes complectitur. Nam infallibilis sit oportet circa ea, quae sunt credenda fide divina: huc enim spectat institutio Ecclesiae ut infallibiliter proponat divinam revelationem: ergo infallibilis esse debet circa omnia quae sunt fide divina credenda; nam pro singulis et omnibus eadem valet semper ratio collatae infallibilitatis: atqui omnia revelata sunt credenda; ideo enim revelata sunt ut credantur et idem motivum formale fidei pro omnibus valet: ergo.

Ex dictis sequitur, quod si questio fiat, an Ecclesiae competat infallibilitas quam declaravimus necessario necessitate consequente Christi voluntatem, patet respondendum esse affirmative; ex allatis enim satis constat voluntas divina.

IV. Restat ergo quaestio duplex: prior, an necesse fuerit Christum velle quod sua Ecclesia esset infallibilis: altera, quomodo Christus voluerit infallibilitatem obtineri in Ecclesia. Agimus nunc priorem quaestionem, an sit huius praerogativae infallibilitatis aliqua necessitas antecedens, ita ut nempe oportuerit Christum ea praerogativa locupletare Ecclesiam; quaestio autem fieri potest tum generatim de infallibilitate Ecclesiae, tum speciatim de infallibilitate alicuius magisterii. Porro advertere licet, quod huiusmodi quaestio proponi et solvi nequit nisi iam supposita notitia aliqua Ecclesiae, ex cuius natura vel destinatione colligas quid ab eo necessario postuletur. Si enim ab Ecclesiae notitia praescindas, nec habes quod quaeras, nec rationem ullam reperis cur potius aliud prae alio reponas.

Iam vero Ecclesia Christi est coetus profitentium veram fidem neque esse potest Ecclesia sine professione verae fidei; necessitas autem verae fidei est exclusio necessaria erroris in fide, haec porro est infallibilitas; ergo aliqua infallibilitas est necessaria Ecclesiae ratione suae naturae. Necessitatem verae fidei et quidem interioris atque ita infallibilitatis necessitatem in Ecclesia ipsi Sociniani et Protestantes admittunt. Cum enim velint Ecclesiam esse coetum eorum qui interiore fide Deo adunantur et ad hunc coetum per se invisibilem quemlibet spectare qui veram fidem habeat veraque fide Deum colat, etsi se invicem tales fideles non agnoscant et eo ipso quod quis deficiat a vera fide desinat esse membrum huius coetus; et ipsi concedunt veram Christi Ecclesiam

non posse non esse immunem ab errore. Quamvis propter distinctionem articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, veram fidem Ecclesiae necessariam eam tantum velint esse quae fundamentales articulos complectitur. At negant Ecclesiam visibilem esse in professione fidei infallibilem. Atqui certum est, Ecclesiam esse societatem visibilem visibilemque in ea esse professionem fidei: ergo ea infallibilitas, quae Ecclesiae Dei necessaria dicitur, ipsi Ecclesiae visibili asserenda est.

Gradum facimus ad aliam quaestionem; quomodo Ecclesiae universae infallibilitas obtineatur: sed quaestio longior est et pluribus §§. tractanda. Sit itaque.

DE MAGISTERIO ECCLESIAE

§. XXI.

Controversia Protestantes inter et Catholicos sec. XVI. etsi primum circa dogmata specialia versata fuerit, facile tamen ad hoc caput praecipuum dilapsa est, quod est de Magisterio Ecclesiastico.

Protestantium sententia huc redit: Christus, ut in Ecclesia sua consuleret notitiae habendae veritatum credendarum fideique integritati ac perennitati, 1° emisit et spargi iussit in vulgus librum quendam divinitus inspiratum, qui liber quidem partim iam scriptus erat in veteri oeconomia (Testamentum vetus), partim scribendus erat a primis Ecclesiasticae doctrinae propagatoribus (Testamentum Novum), quem librum singuli homines legerent. 2° Ut librum hunc legentes homines certo discant quid eis credendum, quid agendum sit pro aeterna consequenda salute, instruuntur interiore directione Spiritus Sancti. 3° Solum hunc librum Christus hominibus dedit pro regula certa fidei et morum, excluso quovis magisterio humano divinitus instituto, quod librum istum auctoritate sua infallibili et commendaret fidelibus et authentice interpretaretur.

Antithesis Catholica haud est Christum voluisse doctrinam fidei suae non solum scripto sed et verbo tradi: id est quoddam consequens institutionis Christi, ut utraque methodo uti valeat pro opportunitate Ecclesia. Catholica Antithesis haec est. Christus, pro gignenda, propaganda, conservanda fide, instituit Magisterium vivum, personale, ex hominibus nempe docentibus coalescens, auctoritate sua divina instructum docendi quidquid in Ecclesia credi et agi debeat: quod Magisterium voluit Christus esse perpetuum. Huic infallibili Magisterio, vices suas, donec veniat, gerenti in terris, subiecit Christus omnes oves suas, ut ab ipso omnem veritatem revelatam ipsasque Scripturas acciperent. Hoc autem

Magisterium in iis esse voluit, quibus regendi et sanctificandi fideles suos potestatem commisit.

Haec catholica Thesis contra deliramentum Protestantium defendenda est quoad omnes suas partes. Idcirco demonstranda est 1° Institutio huius Magisterii, 2° eius Perennitas, 3° eiusdem Necessitas, 4° eius Unitas, 5° Infallibilitas. Argumenta propria in hac quaestione cum Protestantibus, quoniam ii Scripturas sacras admittunt voluntque iis solis rem confici, petenda erunt primum ex Scripturis, inspectis ut certis monumentis historicis, referentibus quid Christus gesserit, quid ordinaverit: tum etiam (a quo argumento nec Protestantes abhorrent) ex antiquis historicis monumentis illius societatis, quae ab illis constituta fuit, quos Christus misit. Opus haud est monere nos heic supponere authenticitatem Scripturarum, quae alio in loco demonstratur.

§. XXII.

Christus instituit Magisterium vivum, personale, auctoritate instructum docendi suo nomine, obligatione ceteris imposita ipsum audiendi et credendi quae ipsum doceret.

1° Magisterium vivum, personale, ut iam monuimus, est persona vel personarum coetus auctus auctoritate docendi. Quae auctoritas perfecta est, si una cum institutione magisterii imponitur aliis obligatio audiendi illud et profitendi quod idem docet. Quod Christus in Apostolis tale magisterium instituerit, dubitare haud licet. Matth. XXVIII. 18. 20. Christus ait Apostolis: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo* μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*, Marci XVI. 15. 16. *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Itaque 1° Christus homines mittit in mundum, qui discipulos faciant: μαθητεύσατε, cum sequatur διδάσκοντες, nequit esse simpliciter *docete*, sed discipulos facite, μαθητὰς ποίειτε (cf. Ioan. IV. 1.): sunt ergo Magistri, scholam habituri: discipuli vero adsciscendi sunt ex omnibus gentibus, ex omni creatura h. e. ex omnibus hominibus. 2° Huiusmodi missio nexa est et est consequens potestatis, quam Christus obtinet in caelo et in terra, h. e. in universas prorsus creaturas: *euntes ergo.*

Particula οὖν, etsi desit in pluribus codicibus, eam tamen exhibent nonnulli praestantes codices ut vaticanus eaque occurrit in pluribus versionibus antiquis praeter vulgatam: verum quamvis abesset, supplenda esset mente; nam nexus est inter haec verba Christi: quorsum

enim praemissa est mentio potestatis Christi, nisi ut appareat ratio sequentis mandati? Scilicet Christus vi supremae suae potestatis, qua omnes creaturas, omnes homines subiectos habet, mittit Apostolos ad faciendos discipulos ex omnibus hominibus. Apostoli ergo potestate Christi sunt Magistri, h. e. non auctoritate sua sed auctoritate Christi docent et discipulos faciunt. Cum data sit mihi omnis potestas in caelo et in terra, potestas proinde, mihi discipulos aggregandi ex omnibus hominibus, hanc vobis participatione communico: discipulos proinde facite omnes homines auctoritate mea, meo nomine. 3° In ipsa voce μαθητεύσατε, iam onus docendi significatur: si μαθηταὶ formandi sunt, aliquid profecto discere debent: istud est quod Marcus expressit: *praedicate Evangelium omni creaturae.* Porro completur et perficitur id, quod verbis *discipulos facite* significatur, per baptismum. Verba μαθητεύσατε... βαπτίζοντες (quidam codd. habent βαπτίσαντες) non perinde sunt ac si dixisset Christus: μαθητεύσαντες βαπτίζετε, postquam discipulos feceritis, baptizate; sed per secundum verbum prioris modus et complementum exhibetur. Discipuli Christi perfecti fiunt homines suscipientes baptismum, quo profitentur fidem et ingrediuntur Ecclesiam Christi. 4° *Docentes eos...* hoc verbum coordinatur simul cum *baptizantes:* utrumque scilicet nectitur cum μαθητεύσατε: conditio discipuli, sicut et magisterium, est quid habituale et permanens: actus magisterii est docere. Porro 5° quod actus magisterii praevertere debeat baptismum (sermo est de adultis), patet ex verbis Marci: *praedicate Evangelium... qui crediderit et baptizatus fuerit:* quod vero et sequi debeat, colligitur ex verbis Matthaei, ubi mentio doctrinae fit post baptismum (Hieronymus in h. l.) et ubi per baptismum dicuntur homines fieri discipuli Apostolorum. Si baptizati sunt discipuli, ergo docendi sunt. Itaque discipuli Christi, qui eius Ecclesiam constituunt, sunt iugiter et ante et post baptismum sub Magisterio et disciplina Apostolorum. 6° Obligatio facta aliis audiendi et credendi id quod Magistri hi docent, sponte oritur ex ipsa missione Magistrorum a Christo facta, vi potestatis, qua ei omnia et omnes subiiciuntur. Eadem obligatio manifeste enunciatur ab eodem Domino apud Marcum: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Fides in Evangelium requiritur, sed in Evangelium praedicatum ab Apostolis: idcirco haec fides continet etiam subiectionem intellectus praedicationi et Magisterio Apostolorum. Est scilicet credendum Evangelium, sed Evangelium praedicatum ab Apostolis ideoque credendum est Apostolis praedicantibus; quia ipsi sunt, qui discipulos sibi facere debent, ut dicitur Matthaei l. c. Salus vero, de qua Marci *salvus erit*, ea est, de qua idem Christus apud Ioan. IV. 17. *Non misit Deus filium suum in*

mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, nempe ut immediate ante dixerat v. 16. v. *ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quod sub sanctione damnationis vel vitae aeternae praecipitur, cadit profecto sub gravissima obligatione

II. Et sane quorsum Christus ex suorum discipulorum numero quosdam elegit et Apostolos nominavit ideoque ut tales essent effecit Luc. VI. 13.? Officium profecto eis iniunxit erga alios exercendum, ad quos scilicet missi erant; nam Apostoli sunt *Missi.* Quorsum ergo? Nempe ut mitteret eos praedicare Mar. III. 14. non solum se vivente in terris (quae fuit quaedam potius agonistica praeparatio), se ut eosdem sibi substitueret in Magisterio mundi, ut patet ex verbis Salvatoris apud Ioannem XVII. 18-20. ad Patrem: *sicut tu me misisti, et ego misi eos in mundum et pro eis sanctifico me ipsum ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt* (partic. praesens πιστευόντων nequit heic nisi indefinite accipi pro quovis tempore post missionem) *per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in Te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Scilicet quicumque exstituri sunt unum cum Deo, h. e. Christiani, credituri sunt in Christum per verbum Apostolorum et per hanc fidem adducentur ad unitatem cum Deo. Elegit idcirco Dominus noster Apostolos ut essent ipsi Domino testes in universa terra Act. I. 8. cf. Matth. XXIV. 14. Luc. XXIV. 48., testes, qui referrent quae viderant et audiverant 1. Ioan. I. 1. Act. I. 21. 22., ut quicumque testimonium reciperent Apostolorum, ipsis Apostolis sociarentur et cum ipsis Deo 1. Ioan. I. 1-3., qui non reciperent sive illi testimonio assensum non praeberent, Deo quoque assensum denegarent Luc. X. 16. Matth. X. 40.

III. Et re quidem vera huiusmodi institutio Magisterii ratio est, cur dixerit Apostolus Rom. X. 17. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi*, verbum scilicet fidei, quod Apostoli praedicant ibid. 8. *Quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?* 14. 15. Missio ergo Apostolorum ad praedicandum, ad docendum, est medium institutum a Deo pro fide gignenda in cordibus hominum. Habemus ergo in Apostolis institutum a Christo quoddam Magisterium vivum, personale, eiusdem auctoritate auctum.

§. XXIII.

Duplex in Apostolorum Magisterio distinguenda est formalitas, nimirum formalitas testis *et formalitas* doctoris: *illa prior est, haec universalior.*

I. Testis est, qui factum, quod vidit vel audivit, refert aliis: testis authenticus est generatim, qui ius habet, ut ei credatur, speciatim, qui vi legis auctoritatem testandi habet et ius ut eius testimonii ratio habeatur. Talis certe est, qui a Deo mittitur, cum obligatione aliis imposita eidem credendi, quo pacto evadit etiam testis necessarius; etsi haec ipsa missio signis divinis probanda sit.

Doctor generatim est, qui notitiam alicuius veritatis, quam ipse tenet, alteri communicat: sub hac universali notione testis quoque est doctor. Specialiter *doctor*, prout a simplici teste distinguitur, ille appellari solet, qui notitias veritatum rationalium, quas ipse novit, alteri impertitur. Quod quidem dupliciter fieri contingit, nimirum vel simpliciter affirmando alteri quod ipse cognoscit, vel illius mentem per ordinatam idearum seriem dirigendo ad claram notitiam veritatis. Hoc alterum est proprium officium doctoris, quo scientiam in alio gignit. Cum priore modo utitur doctor (quo quidem modo se gerit frequenter apud rudes ille, qui iam nomen adeptus est viri sapientis), assensus doctrinae ab eo traditae praestatur propter auctoritatem seu sapientiam docentis atque fides gignitur, non scientia. Talis vero assensus, cum doctor est simplex homo, per se est infirmus, sive redit ad assensum probabilitatis rei: quae tamen probabilitas in rebus practicis plerumque sufficit, ut quis honeste acquiescat responso doctoris. Doctor, qui solius suae affirmationis vi ita certos reddat alios de veritate rationali, ut nefas sit assensum detrectare, nequit esse nisi doctor infallibilis, cuiusmodi est per se Deus atque per Deum ille, qui ab eo auctus sit charismate infallibilitatis.

Tandem *Doctor authenticus* ille est, qui legitima auctoritate ius habet docendi; qui praeterea erit *Doctor necessarius*, si alii eum audire, vi eiusdem legitimae auctoritatis, teneantur.

II. Praestantissimo officio testis functus est in nova oeconomia primum ipse eius Auctor et Institutor: *quod vidimus* (ait ipse apud Ioan. III. 11.), *testamur et testimonium nostrum non accipitis.* Atque ibid. XVIII. 37. *Ego ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati.* Scilicet loquebatur Christus ea, quae apud Patrem videbat Ioan. VIII. 38. eiusque magisterium non demonstratione continebatur, sed affirmatione rei visae, quae cum realis esset, se habebat tanquam

res in facto posita, ideoque ipsius affirmatio merito testimonium appellabatur, cui fides respondere debebat etiam cum de se ipso, quid esset affirmaret Ioan. VIII. 14. Tum eodem officio testis functus est Spiritus S., aiente Domino : *cum venerit Paraclitus... ille testimonium perhibebit de me.* Ioan. XV. 26.

III. Hoc ipsum testandi munus voluit Christus per Apostolos continuari. Sane praecedentibus verbis immediate subiicit : *et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis:* qua scilicet cum eo societate fiebat, ut possent quae in eo viderant et audiverant ab eo, aliis testari. Hinc ascensurus Dominus noster in coelum, mittens eos in mundum, huius officii meminit: *Et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae.* Conscius eiusdem officii Petrus, cum ageretur electio substituendi in locum Iudae, hanc statuit conditionem: oportere eum eligi, qui ab initio praedicationis usque ad diem assumptionis Christi, conversatus fuerit cum Apostolis et Christo et testis esse valeret eius resurrectionis Act. I. 21. 22. Ipsi Apostoli frequenter se vocant testes Cf. Act. II. 32. IV. 33. V. 30-32. XIII. 21. 1. Ioan. I. 1-3. *Quod vidimus et audivimus*, ait Ioan. ibid., *annuntiamus vobis; neque enim possumus*, aiebat Petrus ad Principes Synagogae, *quae vidimus et audivimus, non loqui.* Act. IV. 20.

Huc certe redibat Magisterium Apostolorum, ut quae viderant in Christo, quae ab eodem acceperant, quae Spiritus S. eis revelaverat, referrent. Ipse Paulus, post Christi ascensionem conversus ad fidem et vocatus ad Apostolatum, per revelationem Iesu Christi acceperat Evangelium, quod praedicabat Gal. I. 11. 12., ut et ipse id traderet quod audiverat 1. Cor. IX. 23. Factum nimirum divinae revelationis, ipsis primum communicatae, Apostoli testabantur, affirmantes haec et haec Christum gessisse, haec Christum tradidisse, haec Spiritum revelasse. Hinc Petrus Act. V. 30-32., anacephaleosi facta totius oeconomiae christianae, subdit: *et nos testes sumus horum verborum* (h. e. harum rerum) *et Spiritus S.* Neque sane aliter veritates captum rationis superantes ipsisque non secus ac aliis obscuras, probare ii auditoribus potuissent, nisi affirmantes ita docuisse Christum, ita eos docuisse Spiritum S. h. e. testantes factum revelationis. Signa vero et miracula eo spectabant, ut sermo Apostolicus scilicet eorum testimonium confirmaretur, Mar. XVI. 20., ostenderetur nempe testimonium esse testium divinitus missorum, cui credere oporteret et idcirco credendum esse factum revelationis, quod Apostoli testabantur.

IV. At praeterea doctoris munus postulabatur. Sane id, quod se divinitus accepisse testabantur Apostoli, vel erat doctrina quaedam, cuius revelationis factum affirmabant, vel erat simpliciter quoddam factum,

puta conceptus virginalis, aut factum, cuius ipsi spectatores fuerant, ut Dominica resurrectio. Porro doctrina quaelibet erat explicanda, captui rationis accomodanda, etiam defendenda et Scripturarum auctoritate probanda atque norma tradenda, secundum quam dogma esset concipiendum. Idem absque dubio et quoad facta revelata praestandum. Id autem exsequentes Apostoli, munere doctoris fungebantur. Quamvis vero ipsum conceptum dogmatis vel facti supernaturalis eadem revelatione accepissent, qua dogma vel factum acceperant, ut illum aeque testarentur ac dogma ipsum vel factum: tamen 1° non omnia, quae pro declaratione rei revelatae afferenda erant, continebantur ea revelatione, sed et ex scientia propria petenda erant, licet sub directione Spiritus S. cum infallibiles Apostoli essent; cf. e. g. Apostolum 1. Cor. XV. disputantem de resurrectione et Gal. III. 15. seqq. et. IV. 1. seqq. disputantem *secundum hominem*. Scientia quoque Scripturarum iis necessaria pro defensione et confirmatione doctrinae ab Apostolis praedicatae, charisma quoddam fuit ipsis gratis collatum Luc. XXIV. 45., sed charisma doctoris, non testis; eo enim spectabat, ut intelligentia rei exhiberetur, non ut ipsum factum simpliciter affirmaretur: vide eiusdem usum in Epist. ad Rom. et ad Gal. pro demonstranda necessitate fidei et libertate christiana. 2° Discrimen inter munus doctoris et testis intrinsecum est, ex ipsa essentia harum qualitatum ortum, quaecumque sit causa, per quam hae qualitates obtinentur; testis enim factum affirmat, cui muneri Apostoli satisfecerunt affirmantes id quod viderunt, quod audierunt, generatim factum revelationis: doctor scientiam rei exhibet, usus nempe rationalibus ideis, quas vel naturale lumen solum vel lumen quoque fidei suggerit, mentem audientis aperit ad rei intelligentiam assequendam.

Cum ergo id praestiterint Apostoli ac necesse fuerit id ab eis praestari, utroque munere dicendi sunt functi esse testis et doctoris. Cf. initium Evang. Ioannis, ubi et revelationis factum asseritur de Filio Dei incarnato et norma traditur cogitandi de eodem.

V. Quia vero qualitates istae ad idem subiectum pertinebant atque in ipso actuali exercitio ita una concurrebant, ut etsi identidem prior sine altera, altera tamen sine priore non esset, ideo eas formalitates duas eiusdem Magisterii appellavimus.

VI. Facile patet testificationem priorem esse doctrinali explicatione; per eam enim sistitur praesens, quod per hanc est declarandum. Sed cur hanc diximus esse universaliorem? Id scilicet pendet ex propria ratione doctoratus. Ut enim dogma aliquod declaretur et vindicetur, oportet in subsidium assumere ideas rationales, quibus illud apprehendi valeat, assumere principia rationis, quae ab illo supponuntur et

veritates quae ex dogmate revelato recto ratiocinio efflorescunt. Haec autem omnia non oportet esse revelata: ut vero doctor tradat cum plena certitudine doctrinam seu scientiam circa res revelatas, opus est ut ea omnia subsidia affirmare valeat cum certitudine, h. e. opus est ut haec quoque docere et tueri possit. Identidem et facta quaedam humana oportet certa esse, ut dogma cum certitudine tradatur.

Habes huius rei exemplum in commendatione versionis Alexandrinae facta Ecclesiae ab Apostolis. Oportebat enim nosse non solum eam versionem esse authenticam, quod Apostoli a Christo vel a Spiritu S. accipere potuerunt, sed et codices, quibus utebantur Apostoli ac sic Ecclesiis commendabant, repraesentare reapse, quoad substantiam saltem, eam versionem, codices scilicet non fuisse corruptos, ut iis tuto fideles uti possent. Id autem Apostoli, non ut testes revelationis, quae nulla erat in hac re, sed ex certa scientia tanquam Ecclesiae doctores affirmabant.

Quocirca munus doctoris non tantum versatur circa res revelatas, sed etiam se porrigit ad tradenda plura, quae revelatio non attingit, quae tamen nisi teneantur, nec certitudo dogmatis integra nobis erit. Cf. dicenda §. XL.

Cum ergo testis versetur tantum in re revelata tradenda, doctor ultra quoque excurrat, sequitur huius munus esse universalius.

VII. Cum autem munus testis et doctoris proprium sit Magisterii Apostolici, Apostoli vero divina auctoritate missi sint, obligatione ceteris facta eos audiendi, sequitur eosdem esse testes et doctores authenticos ac necessarios.

§. XXIV.

Actus huius Magisterii ecclesiastici in Apostolis instituti, tum viva voce tum scripto exerceri poterat.

I. Sane Christus iussit Apostolos docere, modum vero non determinavit: voluit scilicet ut docerent eo modo, quo homines generatim doceri solent ab aliis hominibus, in eorum relinquens arbitrio ut pro opportunitate ea ratione uterentur, quam ipsi utiliorem arbitrarentur. Atqui homines generatim tum ore tum scripto docentur: integrum ergo fuit Magistris a Domino institutis, eodem Christo auctore, alterutro et utroque modo uti. Quocumque autem uterentur modo, actus erat Magisterii vivi personalis, quod non in eo situm est exclusive, ut quis viva voce loquatur, sed in hoc, ut sit actus egrediens a vivente persona, cognoscente quod docet et iudicante ac significante id verum esse quod tradit. Id autem non scripto minus quam dicto fieri potest.

Imo frequenter contingit ut satius sit scripto, quam ore docere. Nam scripto plures doceri possunt, etiam absentes; praeterea scriptura efficit ut doctrina tradita facilius conservetur et ad posteros propagetur.

Hinc videmus Apostolos utroque modo usos esse et doctrinam alterutro modo traditam commendari ab ipsis eodem pacto. *State et tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem sive per epistolam nostram,* ait Apostolus 2. Thess. II. 15.

II. Apostolica scripta, praeter dignitatem hanc, quod scripta sint Magistrorum Ecclesiae primorum, quos Christus misit, ideoque infallibilia singula in rebus fidei et morum, quia Apostoli etiam singuli (quod postea demonstrabimus) erant infallibiles, habent et eam quod singula sint inspirata, ea scripta saltem, quae cognoscimus (qua de re alias est quaestio), ideoque rursus ex hoc capite sint infallibilia et quidem in omnibus, quae scripta sunt, iuxta naturam divinae inspirationis. Sed sub hoc speciali respectu hi libri heic non considerantur.

§. XXV.

Christus Apostolos suos instituens Magistros, non eos exemit ab omni norma at normam praestituit ipsum Verbum Dei sive iam scriptum sive a se vel Spiritu S. revelatum: sed una simul effecit ut Apostoli infallibiliter sequerentur hanc normam ut propterea eorum infallibile magisterium norma esset certa et sufficiens hominibus pro cognoscendo illo ipso Verbo Dei.

I. Apostoli legati Christi erant, missi ab eo ad praedicandum et docendum non quidquid ipsis videbatur, sed doctrinam suam, Verbum Dei: *praedicate Evangelium, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, eritis mihi testes.* Testes erant, qui referrent, quod viderant et audiverant, quod Spiritus veritatis eos docuisset. Habebant ergo normam, quam sequerentur in sua praedicatione et magisterio, scilicet hoc ipsum Verbum Dei ipsis manifestum, a quo discedere non licebat. Quia vero Verbum Dei, ex parte, iam scripto mandatum erat, nec profecto licebat ulli ab eo discedere vel ei contradicere et nexus exsistebat intimus et necessarius, ex divina ordinatione, inter Verbum illud scriptum atque Verbum Apostolis revelatum: consequens erat, hoc ipsum Dei Verbum scriptum, quod Apostoli perfecte cognoscebant ex ipso Christi Magisterio, *aperuit* enim *illis Christus sensum, ut intelligerent Scripturas* Luc. XXIV. 45., normam evadere eorum Magisterii. Et sane Apostoli praedicationem suam confirmabant, vel provocantes ad id quod ipsi viderant et audiverant 1. Ioan. I. 1.-3., aut quod revelatione acceperant Gal. I. 11. 12. vel provocantes ad Scripturas,

quod videre est in cunctis eorum epistolis vel utrumque simul coniungentes, ut rursus apparet in eorum epistolis et in Actibus, ut Act. I. 22.-23. XIII. 26.-37. etc.

Propter hanc subordinationem Magisterii Apostolici Verbo Dei, factum est ut Paulus Gal. I. 8. potuerit dicere: *licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Non enim licebat ei a doctrina tradita discedere: ideoque hypothesi facta quod is discessisset (quae hypothesis non plus est cogitanda possibilis quam alia de Angelo caelesti aliud evangelizante, non fuisset audiendus.

II. Statuimus deinde Apostolorum Magisterium fuisse infallibile, ut in docendo infallibiliter sequerentur normam sibi praestitutam, Verbum Dei revelatum. De distincta notione infallibilitatis vide quae trademus Tract. seq. p. II. c. 2°. Praenotiones. Nunc satis est quod praestituimus §. XX.

Haec veritas est fundamentalis et primi principii loco in religione Christiana. De hoc enim omnes Christiani persuasi sunt, illud esse verum quod Apostoli tradiderunt et se eatenus in re religiosa verum tenere, quatenus eorum doctrina est ipsa doctrina praedicata ab Apostolis sive verbo sive scripto. Cf. Tertullianum *De Praescriptionibus.* Si de veritate doctrinae Apostolicae dubitetur, non est amplius, ubi pedem Christianus figat, nullam certam amplius habere potest notitiam de doctrina Christi neque ei superest amplius quid cum certitudine in re religiosa profiteatur.

III. Persuasio Christiana, quae in ipsis Apostolis cepit, nam et ipsi hoc crediderunt, fundamentum suum nanciscitur tum in institutione Christi, tum in eiusdem verbis. Sane 1° voluit Dominus noster ut Apostoli docerent omnes gentes Matth. XXVIII. 19. 20. voluitque ab omnibus credi quod praedicarent, sub interminatione poenae aeternae Marc. XVI. 16. Quod vero Apostoli praedicant, credendum est Deo revelanti; obiectum namque fidei est quid impervium humanae rationi, soli Deo notum 1. Cor. II. 6.-10., quod Unigenitus Filius Ioan. I. 18. Matth. XI. 28., quod Spiritus S. Ioan. XIV. 26., quod Pater Gal. I. 16. Matth. XI. 25. 26. revelavit, et fides exigitur Deo et in Deum Rom. IV. 3. seqq. Ioan. III. 11.-16. VI. 29. 30. XVII. 20. XIV. 1. Gal. II. 16. 20. etc. Atqui nequit exigi et quidem sub gravissima obligatione fides Deo propter verbum hominis, nisi verbum hominis sit prorsus immune ab errore illudque vere referat quod Deus revelavit idque certo constet iis, qui sunt credituri. Nam non licet Deo credere nisi veritatem et quidem eam quam ipse Deus loquitur et fidei divinae assensus nequit esse nisi firmissimus et infallibilis, cui nempe error subesse nequit;

innititur enim auctoritati divinae. Talis autem elici non potest, nisi praevertat certitudo, quod verbum hominum accipiendum est reapse tamquam Verbum Dei 1. Thess. II. 13.; quamdiu autem de hac re dubitare licet, nec firmus assensus esse potest nec est cur Deo credas et cur aeternum puniaris, si non credis.

Ex his vero consequitur Magisterium Apostolorum esse infallibile non solum quatenus infallibiliter verum cognoscunt, sed et quatenus infallibiliter verum aliis proponunt et manifestant.

2°. Verba Christi sunt Ioan. XIV. 16. 17. *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum nec scit eum: vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit et in vobis erit.* Ibid. 26., *Paraclitus Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque* εἶπον ὑμῖν XVI. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis,* ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν deducet vos in omnem veritatem (in tutta la verità). Act. I. 8. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos et eritis mihi testes.*

Perpende heic agi de charismate gratis dato in bonum aliorum, cuius charismatis promissio est absoluta, sicut absoluta est voluntas, quod homines doceantur, quod Ecclesia fundetur. Iam vero in verbis citatis Domini habes 1° Spiritum veritatis esse Magistrum Apostolorum, *docebit vos omnia:* 2° Apostolos rite intellecturos quod Spiritus docebit: *deducet vos in omnem veritatem* h. e. in notitiam omnis veritatis, totius nempe veritatis tradendae: 3° Magisterium extrinsecum Apostolorum conforme futurum illi notitiae acceptae et magisterio Spiritus Sancti; nam primo nexus iste ostenditur verbis: *accipietis virtutem Spiritus S. et eritis mihi testes*, ipsa extrinseca testificatio erit ex virtute Spiritus S.: deinde hic nexus patet; quia hic est finis magisterii interioris Spiritus, ut Apostoli veritatem alios doceant. Atqui ex his constat immunitas ab errore Magisterii Apostolici et necessaria immunitas; fieri enim nequit ut in docendo errent, qui in apprehendendo et loquendo sequuntur Magisterium Spiritus S.

Huiusmodi asserta infallibilitas competebat certe coetui Apostolorum. De singulis potest esse quaestio. Advertimus enim quod verba Christi, quae in Evangg. prostant dicta Apostolis circa eorum auctoritatem et iura, dicta sunt semper omnibus in communi, si excipias ea, quae dicta fuerunt ad Petrum (quae explicanda erunt in Tract. seq.). Quocirca nullum est verbum Christi, ex quo, saltem immediate, colligas infallibilitatem singulorum Apostolorum, excepto Petro. Verum advertatur 1° quod impletio promissionis dandi Spiritus veritatis, quae

identidem saltem facta est ipsis Apostolis personaliter, ut Ioan. XVI. 13. (ut infra ostendemus) eo redivit, ut singulis daretur iste Spiritus veritatis Act. II. 3. 4. Advertatur 2° decuisse certe primos missos a Christo, fundatores Ecclesiarum, quorum Magisterio fideles ceteris formandi erant, esse infallibiles. Advertatur 3° hanc praerogativam sine dubio sibi vindicasse Paulum Gal. I. 8. 9. anathema dicentem eos, qui aliter ac ipse docuerat, docerent; ubi se non considerat coniunctum cum aliis Apostolis ut ex his omnibus auctoritatem suae doctrinae conciliet, sed se seorsim considerat, cui auctoritas aliorum Apostolorum, etsi perperam, opponebatur sibique infallibilitatem asserit, eo quod esset Apostolus immediate a Deo creatus (I. 1.) et qui a Iesu Christo revelationem acceperat II.

IV. Iam si quaeratur finis, cur hoc charisma infallibilitatis collatum sit Apostolis, apparet eum esse illum effectum, qui ex eadem sponte oriebatur et quem Christus in discipulis Apostolorum exigebat. Voluit nempe Christus ut ceteri Apostolos audirent et crederent quae ab ipsis praedicarentur. Id autem sponte consequebatur, si Magisterium Apostolicum erat infallibile; sic enim evadebat norma certa fidei omnibus eos audientibus, ut nemo detrectare merito posset obedientiam fidei, quemadmodum iam advertimus (III.). Id ergo intendit Christus per charisma Apostolicae Infallibilitatis, ut Magisterium Apostolicum esset certa norma fidei omnibus eos audituris.

Normam fidei, quoad nos utique, qui norma indigemus, duplicem distinguere licet; norma enim talis id est per quod certe cognoscitur verbum Dei credendum. Porro haec norma 1° est ipsa divina revelatio active spectata: sed haec revelatio non est omnibus facta; oportuit ergo, 2° ut infallibili testimonio eorum, quibus est facta, manifestaretur nobis. Hoc testimonium simul prodit et factum divinae revelationis et veritates revelatas ducitque proinde homines in notitiam certam veritatum credendarum. Huiusmodi idcirco testimonium Apostolicum est hominibus norma certa et infallibilis fidei, quatenus infallibiliter manifestat et actum divinae revelationis et res revelatas. Id autem, quo certus fit haec esse credenda est ipsa revelatio Dei seu auctoritas Dei revelantis, quae proinde potius quam norma, solet appellari *ratio fidei.*

Hoc magisterium infallibile erat praeterea norma sufficiens. Scilicet ut cum certitudine nossent fideles cunctas veritates credendas, satis ipsis erat affirmatio Magisterii Apostolici, quin opus iis esset ut Apostoli Scripturas in medium proferentes, doctrinam suam eorum testimonio probarent. Nam, etsi interdum necesse esset, ut doctrina Apostolica conformis esset Verbo scripto T. V., cum traderent nempe quae iam scripta erant, quemadmodum et conformis esse debebat verbo Christi

et Spiritus S. ipsis immediate manifestato; attamen haec ipsa conformitas doctrinae Apostolicae cum Verbo Dei sive scripto sive tradito, iam certa infallibiliter erat fidelibus, propter infallibilitatem Magisterii docentium. Nam Apostoli ex Magisterio Spiritus S. noverant omnia credenda; eorum porro testificatio erat infallibilis: habes ergo testes pollentes scientia et veracitate, qui nempe sciunt quod testantur et nolunt imo non possunt fallere: atqui huiusmodi testimonium sufficiens est, ut tibi certe constet, rem se habere quemadmodum testis affirmat.

§. XXVI.

Ex ista Christi institutione proinde erat Magisterium Apostolicum supremus et irrefragabilis iudex in omnibus quaestionibus Fidei, authenticus et necessarius interpres Scripturarum, quas ab Apostolis accipere fideles oportebat.

I. In qualibet hominum societate, quae doctrinam quandam profiteatur, necesse est, propter diversa singulorum hominum fallibilium ingenia et studia, quaestiones oriri et controversias exsistere. Si doctrina sit ea, quae scientia appellatur, quae investigatione et analysi rationis invenienda et explicanda est, ipsa quaestio non nisi scientifice dirimenda est a ratione, adhibitis legitimis argumentis, quibus veritas evidens fiat: ita ut finis quaestionis sit futurus, cum persuasi singillatim omnes idem videant et affirment, ii saltem, qui in ea re digni sint qui audiantur. Sed quia tandem ratio, quae argumentis allatis quaestionem dirimit, est singularis, huius vel alterius et eadem essentialiter est in singulis, perversa autem methodus vel inordinatus affectus impedit in pluribus, ne id videant quod per se est evidens ac praeterea fieri quoque potest ut falsa opinio obtineat inter doctos viros universalem consensum, quemadmodum per tot secula contigit in rebus astronomicis et physicis; hinc (sepositis supremis rationis veritatibus, quae patrimonium sunt sensus communis) nunquam in quaestionibus scientificis licet inter homines sperare eum finem quaestionis, qui talis sit absolute, ut nempe res pro universo humano genere transeat in rem iudicatam, nisi sint quaestiones facti. Hae enim minus pendent ab artificio rationis et certioribus, sensibilibus argumentis manifesta fiunt: auctoritate scilicet testificationis, quae facile discerni potest et in medium produci, finiuntur. Quae quidem postrema animadversio non parum conducit ad explicandam causam certae a Deo electae methodi pro propaganda et conservanda doctrina revelata; nam omnem quaestionem tandem revocavit ad quaestionem facti.

Itaque si doctrina, quam societas profitetur, sit doctrina fidei, quae auctoritate Magisterii tenetur, quaestiones, quae circa eam in societate natae sunt exoriri, auctoritate quoque finiendae erunt; definitio enim quaestionis non est nisi actus quidam Magisterii, quo declaratur, confirmatur doctrina iam tradita huiusque, sepositis dubiis, persuasio gignitur, qui omnes manifeste sunt actus Magisterii.

Et si auctoritas Magisterii sit infallibilis, finitio quaestionis erit irrefragabilis, ut iuridice quaestio sit absolute finita, quamvis quidam propter ignorantiam vel malitiam reluctentur.

II. Iam vero Christus ita in Apostolis Magisterium instituit, ut voluerit certe eos exercere omnes actus Magistrorum, qui pro gignenda et firmanda Fide discipulorum necessarii essent; voluit enim Fidem discipulorum certam esse et firmam Ephes. IV. 13. 14. eamque inniti Magisterio Apostolorum: porro actus necessarius Magisterii pro firmitate doctrinae in animo discipulorum est finitio quaestionum, sententia certa lata: ergo. Pariter Christus voluit Magisterium istud esse infallibile; infallibiliter ergo quaestiones finituri erant Apostoli: idcirco eorum definitio irrefragabilis erat; quid enim licet contra veritatem certam manifestatam? Atqui id fit infallibili definitione.

Et re quidem vera non alio pacto se gesserunt primi fideles, cum exorta quaestione de necessitate legalium, appellarunt ad vivum Magisterium Apostolorum ac seniorum primitivae Ecclesiae Ierosolymitanae, qui sub Apostolis et cum Apostolis docebant eorumque doctrinam certe sequebantur Act. XV. 1. seqq. Dices ideo id factum tunc esse, eo quod nondum exsisterent Scripturae, quae id docerent, quemadmodum exstiterunt postea e. g. Epistolae ad Rom. et ad Gal. Sed vanum est hoc effugium. Nam 1° hae ipsae epistolae fuerunt actus magisterii vivi personalis (§. XXIII.), non secus ac definitio lata Ierosolymis et scripto transmissa ad Ecclesias XV. 23. seqq. 2° Haud recte a Protestantibus Scripturae tunc exstantes dicuntur non continuisse solutionem sufficientem huius quaestionis. Nam Paulus epistola ad Gal. quaestionem tractans, ex Scripturis eam solvit: utique res clarissima non erat; sed nonne ex interiore Magisterio Spiritus S. id didicissent fideles in Scripturis T. V. quod Paulus ibi videbat? Cur ergo Apostoli Ierosolymis, potius quam conventum et concilium agerent, non reiecerunt fideles ad Scripturas? Oportebat sane ab initio docere fideles, quonam modo deberent ipsi sibi notitias comparare veritatum credendarum et controversias finire.

Ceterum verba Christi ad Petrum istud ius Magisterii Apostolici (cuius, ut suo loco probabimus, vertex erat Petrus) luculenter statuunt. Matth. XVI. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et*

in coelis etc. quibuscum conferenda verba dicta ad Apostolos Matheus XVIII. 18. Probabimus tract. seq. verbis Christi ad Petrum praecedentibus citata: *Tu es Petrus* etc. promitti a Christo Petro supremum Fidei Magisterium coniunctum cum suprema potestate regendi: probabimus ibid. postrema verba: *quodcumque ligaveris* etc. exhibere plenum exercitium potestatis antea promissae. Iam vero Petrus docendo ligat, quatenus obligationem imponit fidelibus credendi quod docet. Porro haec auctoritas ligandi tanta est, ut quod ipse ligaverit, ligatum sit quoque a Deo in coelis, ut idcirco nemo solvere possit quod Petrus ligavit, nemo obligationem tollere, quam Petrus imposuit, quemadmodum nemo obligationem tollit, quam imponit Deus. Atqui talis auctoritas imponendi obligationem credendi quod quis docet, est propria ultimi et supremi iudicis in quaestionibus Fidei; evadit enim iudicium Petri necessarium (necessario sequendum) et irrefragabile, post quod in Ecclesia nullum aliud est exspectandum. Huiusmodi est ergo auctoritas Magisterii Apostolici, cuius fastigium in Petro apparet, ut suo iudicio quaestiones Fidei finiantur.

III. Interpres authenticus et necessarius Scripturarum ille est, qui Scripturas ex auctoritate divinitus accepta interpretatur et cuius interpretatio necessario est tenenda: atqui in Ecclesia Dei talis interpres ille est, qui est magister infallibilis, necessarius veritatum omnium credendarum; Apostoli autem fuerunt huiusmodi magistri: ergo. Sane veritates Scripturis contentae sunt et ipsae in Ecclesia credendae: qui ergo est Magister in Ecclesia omnium veritatum credendarum, eas quoque tradere debet et si est magister infallibilis, eas cum certitudine tradet, infallibiliter interpretans Scripturas et si est magister necessarius, oportebit fideles eius interpretationem sequi: ergo. Quod vero Magisterium Apostolicum infallibile fuerit et necessarium, iam vidimus: pariter vidimus quod omnes veritates credendae in Ecclesia et essent ab eo tradendae et eius ope addiscendae a fidelibus: ergo.

IV. Accipere fideles Scripturas ab Apostolis est illos ab his doceri quaenam sint verae Scripturae: atqui, Christo auctore, oportuit fideles hanc rem quoque doceri ab Apostolis et eorum doctrinam necessario tenere: ergo. Prob. minor. Certos libros esse Scripturam seu Verbum Dei scriptum continere, est veritas revelata, credenda, non secus ac alia: atqui omnis veritas credenda in Ecclesia tradenda erat ab Apostolis et ope Magisterii Apostolici discenda a fidelibus: ergo.

§. XXVII.

Magisterium istud Apostolicum ita a Christo inistitutum fuit, ut continua successione esset perpetuum in Ecclesia.

I. Probatur primo ex verbis missionis. Postquam enim dixerit eis: *euntes docete*, subiecit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* Matt. XXVIII. 20. Porro phrasis *Ego vobiscum sum*, sollemnis est pro significando praesenti auxilio Dei praestito homini ad aliquod opus, ad quod a Deo destinatur. Cf. Ex. III. 12. Ios. I. 5. Iud. VI. 16. Ierem. I. 19. etc. Igitur Christus Apostolos spectat, prout opus aliquod sibi a Deo commissum exsecuturi erant; atqui non nisi de Magisterio locutus est Christus, quo discipulos Apostoli sibi facerent, baptismo eos obsignantes et docentes eos quaecumque Dominus mandavit: pro hoc igitur Magisterio auxilium suum Salvator pollicetur. Promittit autem se futurum cum Apostolis usque ad consummationem seculi. Ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος nullum alium sensum habere potest, quam quem alias habet semper apud eundem Matthaeum XIII. 39. 40. 49. XXIV. 3., ut nempe sit finis seculi, adveniente secunda vice Domino. Neque enim quia αἰών perinde est ac עוֹלָם et haec vox identidem pro vita cuiusque usurpatur, licet heic intelligere dixisse Christum se futurum cum Apostolis usque ad finem vitae eorum. Nam cum haec coarctata significatio vocis עוֹלָם ex ipso subiecto sermonis eflorescat de quo עוֹלָם dicitur, heic autem subiectum sermonis proprie sit Christus, qui dicitur futurus usque ad consummationem τοῦ עוֹלָם αἰῶνος ipse autem certe possit auxiliari usque ad finem seculorum, si voluisset; terminum vitae Apostolorum significare, dixisset sine dubio ἕως τῆς συντέλειας τοῦ αἰῶνος ὑμῶν, vel alia simili esset usus phrasi. Maneat ergo sensus, qui ubique alias apud eundem Matthaeum comparet quique solus hac phrasi utitur et quem iam indicavimus. Fieri autem potest, ut Christus sit usque ad consummationem seculi cum Apostolis docentibus alterutro modo: vel quatenus ipsae personae Apostolorum victurae erant usque ad finem seculi, vel quatenus hi continuos successores erant habituri. Nam et in hac hypothesi Christus proprie locutus esset, dicens se futurum cum Apostolis usque ad finem seculi; quod enim toti successioni quis dicere velit, recte primis affirmat spectatis ut primis, habituris perpetuos heredes. Iam vero priorem modum ipsa historia excludit: restat ergo alter. Igitur Magisterium Apostolicum in successoribus Apostolorum perpetuo durabit et Christo auxi-

liante munere suo feliciter fungetur, discipulos faciens, docens h. e. actu se exercens.

Ex his intelliguntur clarius verba Christi apud Marcum XVI. 15. 16. Sunt enim verbis *qui crediderit* supplenda ex contextu haec: *vobis praedicantibus*, non solum *verbum a vobis ab initio praedicatum:* nam haec limitata interpretatio reiicitur a verbis Christi apud Matthaeum, ubi de perennitate actus docendi sermo est.

Huc quoque faciunt verba in oratione Christi ad Patrem Io. XVII. 20. Christus namque oravit pro omnibus in se credituris non tantum primo seculo sed usque ad finem mundi: credituros autem dicit per verbum Apostolorum: ergo huiusmodi verbum, qui est actus Magisterii, perseverare semper debet.

II. Sane Ecclesia Christi non aliter perseverare debet quam quomodo Christus eam instituit: oportet enim ut semper sit Ecclesia Eius, ideoque ea, quam Ipse aedificavit; nequit autem talem esse, nisi semper sit illa eadem quae ab initio fuit, quae a Christo immediate profecta est. Nulla est sane humana potestas mutandi in hoc regno Christi constitutionem, quam ab ipso auctore suo Deo accipit. Atqui ita Christus instituit Ecclesiam suam, ut esset societas Magistrorum et discipulorum ita, ut haec habitudo necessaria foret pro fine ipsius Ecclesiae, qui est professio doctrinae a Deo revelatae et observatio mandatorum Christi, quorum notitiam voluit pendere ex Magisterio: ergo.

Et re quidem vera Christus loquens de Ecclesia a se aedificanda, fundamentum eius constituit, fundamentum situm in auctoritate, collata personae, regendi ac docendi (Matth. XVI. 17. 19. Cf. Th. 1. Tract. seq.): atqui fundamentum necessarium est aedificio et tandiu durare debet quandiu aedificium est duraturum: ergo auctoritas Magisterii personalis perennis esse debet in Ecclesia, quod fieri nequit nisi perenni successione.

III. Dubitare haud licet Apostolos fundasse Ecclesiam secundum normam a Christo acceptam et quam sequentibus seculis iugiter Ecclesia sequi deberet. Iam vero Apostoli fundantes ecclesias, singulis praeficiebant praepositos Act. XIV. 23., cuiusmodi certo erant, qui dicebantur Episcopi, qui Ecclesiae Dei curam gerere debebant 1. Tim. III. 51-5. Porro horum munus erat certe *docere. Noli itaque* (mentio prius facta est ordinationis) *erubescere testimonium Domini nostri... sed collabora Evangelio, secundum virtutem Dei,* ait Paulus ad Timotheum 2. ep. I. 8. (Cf. Rom. I. 15. 16.). Idcirco subdit ibid. 13. 14. *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione, quae est in Christo Iesu: bonum depositum custodi.* Forma sanorum verborum Ma-

gistris certe necessaria est iisque primum commendanda: depositum autem hoc, de quo agit Apostolus, esse depositum doctrinae, patet ex loco parallelo 1. epist. VI. 20. *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.* Sicut ibi pro custodia depositi iubet servari formam sanorum verborum, ita heic praecipit evitari profanas novitates vocum: porro depositum, cui opponitur scientia falsi nominis, est depositum doctrinae. Monet praeterea Timotheum, ut abstineat a stultis et disciplina carentibus quaestionibus 2. Tim. II. 23.; quod consilium magistro opportunissimum est, qui auctoritatem suam tueri debeat. Episcopos fuisse Magistros institutos, constat et ex verbis Apostoli ad Titum I. 9. *Oportet* scilicet *Episcopum amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere.*

Huiusmodi institutionem Magistrorum haud debuisse cessare cum primis illis Magistris, docet idem Apostolus his verbis., 2. Tim. II. 2.: *Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Magisterium ergo erat successione propagandum. Tales Magistri sunt, quos Apostolus iubet Titum constituere per singulas civitates Cretae, quos primum vocat presbyteros I. 5. deinde episcopos I. 7. ad quos Magisterium spectare affirmat I. 5. 9.

IV. Hanc oeconomiam institutarum ab Apostolis ecclesiarum Patres Apostolici agnoverunt et necessariam fassi sunt, ideoque perpetuam. Clemens Rom. epist. ad Corint. 42. 44. ait: « *Apostoli nobis praedicatores Evangelii exstiterunt a Domino Iesu Christo; Iesus Christus missus est a Deo; Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem D. N. I. Ch. plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus S. fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum.* » Agitur de Apostolis ex divina missione docentibus: subdit: « *Per regiones igitur* (perpende hoc *igitur*, nempe consequens enuntiatur praedictae divinae missionis Apostolorum ad praedicandum) *et urbes verbum praedicantes, primitias earum, cum probassent spiritu, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant. Neque hoc nove; multis enim retro seculis de episcopis et diaconis scriptum fuit. Sic enim alicubi dicit Scriptura:* constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide (Isai. LX. 17. cf. text. gr.) ». Probat nimirum institutionem huiusmodi ab Apostolis factam iam fuisse praedictam: quae est ratio cur dicat id non fuisse factum καινῶς... « *Apostoli quoque* (quemadmodum Moyses pro Sa-

cerdotio veteris legis, ut dixit superius) *nostri per I. Ch. D. N. cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus futuram : ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent* » Cave ne putes, institutionem episcoporum per regiones et urbes, ab Apostolis factam, fuisse tantum quandam institutionem per accidens propter praevisas oborituras contentiones. Nam 1. non potuissent praevideri oborituraе contentiones de episcopatu, nisi iam alia praevertente lege statutum fuisset, quod esse deberent in regionibus et urbibus episcopi. Sane 2° id praevisum dicitur, quemadmodum Moyses praevidit futuras dissensiones pro Sacerdotio V. L.: quod non impedivit institutionem esse divina auctoritate factam, ut ex tribu Levi essent Sacerdotes. Scilicet 3° quod dicit ab Apostolis factum pro praecavendis dissensionibus et controversiis est non ipsa institutio Episcoporum et diaconorum, sed quod ipsi Apostoli elegerunt primos Episcopos et Diaconos et simul normam constituerunt, secundum quam deinceps eligendi forent, quemadmodum sensum suum aperit verbis immediate sequentibus: « *Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis, consentiente universa Ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete nec illiberaliter et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos iudicamus munere suo non iuste deiici* ». Mentionem autem facit dissertam praevisarum dissensionum, eo quod ad eos scribat et propterea scribat, quia in hac re inter se ipsos dissidebant.

Quod episcopi constituti in urbibus ab Apostolis, de quibus loquitur Clemens, singuli fuerint in singulis urbibus atque id velle Clementem dicere, non opus est modo demonstrare, qua de re iam locuti sumus §. XIV. n. 3.; satis est enim nobis ex verbis Clementis ostendere quod ex divina ordinatione Apostoli missi ad docendum alios magistros successores sibi statuerunt, qui alios rursus statuerent: censuerunt ergo et voluerunt Apostoli Magisterium personale successione perpetua esse continuandum.

Quod Episcopi Magistri sint iidemque singuli in singulis Ecclesiis, apertius docet aequalis Clementi Ignatius in omnibus suis auro pretiosioribus epistolis. Phil. 2. *Episcopo obedite et presbyterio et diaconis... Spiritus annuntiavit dicens : sine Episcopo nihil facite* ». Smyr. 8. *Seorsim ab Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant* ». Eph. 1. 2. *Episcopum respicere oportet ut ipsum Dominum* ». Ibid. 4. *Decet vos in Episcopi sententiam concurrere* et Trall. 7. « *Ab haereticis vos custodite : hoc autem fiet, si nec inflati nec avulsi fueritis a Iesu Christo et Episcopo et praeceptis Apostolorum* ». Phil. 2.

« *Filii lucis et veritatis fugite divisionem et pravas doctrinas: ubi quidem Pastor est, eodem et oves sequamini* ». Tertullianus pariter libro *de Praescriptionibus*, quo nullus efficacior in Ecclesia editus unquam est contra errores et cuius doctrinam Ecclesia semper suscepit, reiectis haereticis a disputatione Scripturarum, non aliter (15. 21.) probari vult quod Christus revelavit, quam testimonio eorum, qui Apostolis succedunt. « Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, non alii recipiendi praedicatores, quam quos Christus instituit... Quid autem praedicaverint idest quid illis Christus revelaverit, et heic praescribam: non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt », quae, ut ipse subdit, « evolvunt ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamem cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem ».

Quis heic non cernit vivens Magisterium, praeter Scripturas, iugiter perdurans, a quo doctrina Christi sit petenda ? Universa Ecclesia est Tertulliano publica quaedam Schola, in qua Magisterium apostolicum non litteris mortuis sed successione doctorum perseverat.

V. Accedit sensus perennis Ecclesiae. Quoties enim controversiae Fidei exortae sunt, auctoritate decisae sunt vel Synodorum vel Apostolicae Sedis: quatenus ab eis definitus est sensus doctrinae traditae ab Apostolis vel Scripturis contentae. Quorsum haec praxis in hypothesi Protestantium ? Ad Synodos conveniebant non quilibet fideles nec sapientiores, sed Episcopi, qui nempe ius docendi habebant: eorum sententia non quidem independens erat a Scriptura et Traditione, id omnibus erat notum; cum Patres in Conciliis doctrinas suas eorum auctoritate firmarent: sed a Conciliis Ecclesia praestolabatur decisionem, quid in Scripturis aut Traditione contineretur decretumque oecumenicarum Synodorum aut Apostolicae Sedis habebatur ut norma certa et irrefragabilis Fidei. Quî fieri id potuit, si nulli Magistri divinitus instituti aderant in Ecclesia, quos necesse esset audire ? nam certe Episcopi in Synodis et Romanus Pontifex tanquam magistros se gerebant. Si sola lectio Scripturarum, illustrante interius Spiritu S., erat, post Apostolorum mortem, singulis ideoque et omnibus unica norma cognoscendae veritatis, decreta Episcoporum nedum inutilia, sed et contraria institutioni Christi habita fuissent. Persuasum ergo erat veteri Ecclesiae vivos Magistros se habere, a quibus docenda esset, quos teneretur sequi, ut veram Christi doctrinam profiteretur ideoque Magisterium Apostolicum a Domino institutum perenni successione in Ecclesia perseverare.

§. XXVIII.

Ex allatis porro argumentis consequitur successores Apostolorum in perenni Ecclesiae Magisterio esse eos, qui in monumentis ecclesiasticis veniunt nomine Episcoporum.

I. De Episcopis qui et quo iure sint et quod in singulis Ecclesiis singuli sint, iam diximus in praecedd. §§. Quod hi sint in Magisterio successores Apostolorum, facile patet.

Sane ex institutione Christi Episcopi sunt rectores et pastores singularum Ecclesiarum (§. XVII.); regimen vero ovium in societate credentium absque auctoritate docendi esse nequit: sunt ergo, Christo volente, Episcopi Magistri. At sunt ne illi qui successores Apostolorum in Magisterio dici debeant?

II. Difficultas est, quia vel forte unus tantum in Magisterio Apostolis succedit, vel forte alius est ordo Magistrorum, qui Apostolis succedit. Atqui plures debere esse simpliciter Magistros (etsi cum subordinatione ad unum, de qua re postea) patet ex ipsa institutione Christi, qui non unam personam tantum, sed collegium Apostolicum auctoritate docendi instruxit: collegio vero non una persona, sed unus ordo plurium succedit, si Ecclesia eo pacto durare debet, quo instituta fuit. Quod autem non sit alius ordo Magistrorum succedens Apostolorum Collegio, eius iura et officia obtinens, quam ordo Episcoporum, patet 1° ex ratione agendi Apostolorum, qui Episcopis a se institutis munus docendi commiserunt 1. Tim. III. 15. IV. 6. 11. 16. VI. 20. 2. Tim. I. 9. 13. II. 14. 11. IV. 2. Tit. II. 1. 6.-8. III. 1. 2. 9. 10. idemque voluerunt tradi Episcopis, qui ab iis instituerentur 1. Tim. III. 2. (διδακτικὸς aptus ad docendum) Tit. I. 7. 9. 2. Tim. II. 2. Patet. 2° ex antiquae Ecclesiae sensu, qui tum ex testimoniis citatis Clementis et Ignatii, elucet, tum ex eo, quod, cum quaestiones fidei solvendae essent vel quaereretur quid tenendum, cum constaret doctrinam eam esse credendam quam Apostoli tradiderunt, provocabatur, pro ea cognoscenda, ad testimonium Episcoporum, quorum series ab initio decursus habuerit auctorem Apostolum vel aliquem ab Apostolo institutum: quod non est aliud, quam spectare Episcopos ut legitimos successores Apostolorum in Magisterio. Cf. Irenaeum l. 3. cc. 2. 3. « Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint audire et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur... Per successionem Episcoporum pervenientem usque ad

nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo... praeter quam oportet, colligunt et c. 4. « Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis: nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? » Eodem pacto Tertullianus *Praescripp.* post iam (§. praeced.) citata ita haereticos provocat n. 32. « Si quae (haereticae sectae) audent interserere se aetati Apostolicae... possumus dicere: edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris (qui tamen cum Apostolis perseveraverit) habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutas, apostolici seminis traduces habeant ». Loquitur Tertullianus directe de ecclesiis habentes cathedras ab Apostolis vel Apostolicis viris constitutas: adverterat vero ante n. 20. quod ab his ecclesiis « traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum ». Patet 3° evidenter ex eiusdem Ecclesiae universae antiquo et perpetuo usu, quo ad Concilia, ubi quaestiones fidei discutiebantur et definiebantur, soli semper Episcopi nativo iure vocati sunt, persuasione communi exsistente *Concilia Episcoporum esse* Conc. Chalced.

§. XXIX.

Magisterium succcessorum Apostolorum non eo spectat, ut aliquid recens revelatum subinde proponat praeter id quod Apostoli tradiderunt, sed tantum ut conservet in Ecclesia et propaget apostolicam doctrinam, ut idcirco successio apostolica, in magisterio rei revelatae credendae, sit series continuata testium eiusque actus proprius testimonium veritatis.

I. Traditio apostolica active spectata fuit ipse actus docendi Apostolorum: passiva est universa doctrina christiana eiusdemque explicatio tradita ab Apostolis Ecclesiae: quae, ut par est, continebat quoque legitimam Scripturarum interpretationem, vel certam formam eas interpretandi, in iis omnibus saltem, quae ad fidem moresque pertinent. Cf. §. XXVI. 3. 4. Iam vero quaestio est, an quemadmodum Apostoli novam revelationem hominibus attulerunt, ita et eorum successores, praeter id, quod ab iis acceperunt, tradituri sint nova dogmata, quae

per divinam revelationem accipiant, ut sic realis accessio fiat in dies apostolicae doctrinae: an potius Apostolorum successores sint conservaturi et propagaturi tantum in Ecclesia supellectilem illam veritatum revelatarum, quam ab Apostolis acceperunt. Quae quaestio sic solet quoque proponi, an depositum veritatum revelatarum, quae credendae erant in Ecclesia Christi, conclusum sit aetate apostolica per ipsos Apostolos, an incompletum tum manens, successu temporis augeri semper possit et debeat per eos, qui magistri sunt constituti in Ecclesia. Quae ratio proponendae quaestionis supponit vel permittit supponere, quod christiani exeuntis aetatis apostolicae potuerint quaedam dogmata nosse, quae ignorare debuerint christiani ineuntis apostolicae aetatis, quod an recipi possit, disputabimus in fine huius §. Nunc quaestionem tractamus, prout priore modo proposita est, qui est legitimus et clarus atque ab ea incidenti quaestione praescindit.

Distinguendum in primis est inter novum dogma, veritatem nempe, quae in iam facta revelatione neque implicite continetur et clariorem, distinctiorem, pleniorem notitiam dogmatis revelati. Id quod accessio vocatur doctrinae Apostolorum est id quod dicitur novum dogma.

Itaque responsio quaestioni est: depositum veritatum revelatarum credendarum in Ecclesia, integrum fuisse a Deo Apostolis traditum et ab Apostolis Ecclesiae, ita ut eorum successores nullam novam revelationem sibi polliceri, sed quae ab initio facta est conservare et propagare debeant.

II. Id patet primo ex verbis Apostolorum. Ii enim instituentes alios post se magistros, illud disserte monuerunt, ut hi ea traderent, quae ab Apostolis acceperant 2. Tim. II. 2. I. 13., ut depositum doctrinae ipsis traditum custodirent 1. Tim. VI. II. 20. 2. Tim. I. 14., ut permanerent in iis, quae didicerant et ipsis credita fuerant, scientes a quibus didicerant, 2. Tim. III. 14., nulla unquam mentione facta possibilis novae revelationis et modi quo ea discernenda et suscipienda esset. Iam vero qui monetur depositum traditum custodire, permanere in iis quae accepit, sponte cavet ab iis omnibus, quae nova sunt et alia ab acceptis: si ergo exstiturae fuissent novae revelationes, Apostoli monitum incompletum fuisset et periculo errandi obiecisset eos, quos monebat: id autem non licet de Apostolo suspicari. Vel alio modo. In prima institutione eorum, qui opus ab Apostolis ceptum prosecuturi sunt, quae institutio sequentibus quoque prodesse debet, oportet prudentem institutorem secundum indolem loqui oeconomiae, in qua versatur. Si itaque oeconomia est talis, ut eius doctrina progressu temporis augeri debeat, opus est ut qui doctores instruit futuros, idipsum doceat moneatque quomodo nova discernenda sit doctrina. Si vero oeconomia talis est,

ut doctrina ab initio tradita non amplius sit augenda, satis est monere ut in doctrina permaneatur, ut depositum custodiatur. Sic autem agit Apostolus: ergo censuit Apostolus doctrinam traditam non amplius incrementum accepturam.

III. Deinde haec fuit certa persuasio perpetua Ecclesiae. Nam 1° cum ad auctoritatem Magistrorum provocabatur, non ab his requirebatur quid ipsi per se sentirent aut a Deo immediate acceperint, sed quid Apostoli tradiderint, ut hoc patefacto et fideles haberent quod crederent et haeretici revincerentur. Patet vel ex verbis Tertulliani *Praescripp.* 21., ubi praescripto quod quid Christus revelaverit, probandum sit per Ecclesias ab Apostolis conditas, subdit: « constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei. Ita Irenaeus IV. 26. « Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis secundum placitum Patris acceperunt... Ubi igitur charismata Dei posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis successio et id quod est sanum et irreprobabile et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat ». Item Origenes de Principiis Praef. 2. « Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione ».

Quocirca sibi cohaerentes veteres 2° affirmabant Apostolos nihil ignorasse, omnia scivisse, quae unquam credenda forent, atque hoc peremptorio praeiudicio reiiciebant eos, qui nova dogmata proferre auderent.

« Solent dicere, ait Tertullianus op. cit. 22., non omnia Apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursus convertuntur, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integrae mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit?... Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum?... Dixerat plane aliquando: multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere; tamen adiiciens: *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat ». Item Irenaeus L. 3. n. 1. « Non enim per alios dispositionem (*οἰκονομίαν*) salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos evangelium ad nos pervenit, quod

quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante praedicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quam Dominus noster surrexit a mortuis et induti sunt supervenientis Spiritus S. virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt et habuerunt perfectam agnitionem (περὶ πάντων ἐπληροφορήθησαν καὶ ἔσχον τελείαν γνῶσιν) ».

Hinc 3° quotiescumque quaestiones fidei exortae sunt, illud semper proclamatum est, sequendam esse antiquitatem, illud tenendum quod non solum ab omnibus et ubique sed praecipue quod semper creditum est; cf. *Commonit.* Vincentii Lirinensis nn. 2. 3. 27. Quocirca character proprius doctrinae reiiciendae habitus est semper *novitas*: « *Desinat novitas incessere vetustatem* » (Caelestinus epist. 21.) « *nihil innovetur, nisi quod prius traditum est.* « (s. Stephanus apud Cyprianum epist. 74[m]) ». Unde Lirinensis *Comm.* n. 6. « *Quis ergo tum universi negotii exitus? quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas* ».

Et sane 4° si alia doctrina progressu temporis profitenda esset in Ecclesia praeter traditam ab Apostolis, non foret amplius Apostolicitas, quoad doctrinam saltem, proprietas Ecclesiae; imo nec, quoad idem caput, foret amplius Ecclesia Christiana. Nam secundum sensum Patrum doctrina Christiana ea est sola, quam Christus per se vel per Spiritum S. docuit Apostolos, non quam deinceps ipse posset, si vellet, revelare. Constat id ex testimoniis iam citatis.

III. Apostolos novisse omnia, quae in Ecclesia sua credenda essent, ut successoribus eorum nihil aliud sit reliquum, quam doctrinam ab Apostolis traditam custodire et propagare, significavit Christus iis verbis ad Apostolos directis, quibus iam Patres usi sunt ad novas reiiciendas revelationes, Ioan. XVI. 12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν). Ad praecavendam difficultatem advertimus, quod, quamvis Christus alloquens Apostolos, verba sua intendat quoque dirigere ad eorum successores, nihil tamen licet intelligere promissum successoribus, quod non sit etiam promissum ipsis Apostolis; nam ceteris promittuntur bona tanquam successoribus h. e. heredibus Apostolorum: hoc enim tantum pacto Apostoli ceteros tunc repraesentabant: heres autem, qua talis, non plus habet quam decessor. Quod enim Christus non immediate Apostolos et in ipsis et per ipsos alloquatur ceteros successores, sed eodem pacto immediate se dirigat ad omnes ex aequo

sive praesentes sive futuros, est imaginatio gratuita atque aliena a Christi verbis directis certe ad Apostolos; nam in hac hypothesi non ad eos in secunda persona verba direxisset; sed in tertia persona de magistris a se instituendis rem absolute enuntiasset. Iam vero Apostolis promittitur revelatio πάσης τῆς ἀληθείας: quid sit πᾶσα ἡ ἀλήθεια patet, integra nempe doctrina credenda in Ecclesia Christi. Ergo eam perfecte iam obtinuerunt Apostoli: fieri ergo nequit ut supersit aliqua nova revelatio veritatis in Ecclesia credendae, quae post Apostolos in Ecclesia sit habitura locum.

Instituentes hoc argumentum supposuimus vel permisimus supponi, Christum heic in Apostolis alloqui etiam succcessores eorum: verum hanc suppositionem falsam censemus, quo probato, evidentior fiet demonstratio allata. Sane loquitur Dominus ad Apostolos prout sunt determinatae personae, distinctae etiam a suis successoribus nec eos repraesentantes. Perpende enim 1° opponi haec duo: *non potestis portare modo: et cum venerit Ille, docebit vos*, ut eos Spiritus S. sit docturus, qui modo portare nequeunt, h. e. nequeunt assequi doctrinam Christi. Porro haec erat conditio propria, personalis Apostolorum, sub quo respectu non repraesentabant successores suos. Ergo iis solis promissio ea Spiritus facta est. Idem efficitur collatis verbis apud Ioannem in eodem Christi sermone XIV. 25. 26. *Haec locutus sum vobis, apud vos manens: Paraclitus autem Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo, Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero* (εἶπον dixi) *vobis*, subiectum *vos* in verbis *docebit vos* et *suggeret vobis* est illud idem, ad quod dictum est: *locutus sum vobis, apud vos manens:* atque haec immediata conversatio cum Christo propria et personalis fuit Apostolorum; ergo in hac promissione Spiritus, quo docendi sunt omnia, Apostoli spectantur ut singulares personae, a ceteris quibuslibet seiuncti.

Perpende 2° promissionem Spiritus S. factam Apostolis Ioan. XVI. 13. XIV. 26., de eadem esse re, quam Act. I. 4. idem Christus exspectare Apostolos iubet; iubet enim eos exspectare promissionem Patris h. e. donum promissum a Patre, nempe Spiritum S. *quam audistis (inquit) per os meum:* est ergo renovatio et confirmatio promissionis huius doni iam factae, fecit autem locis citatis Ioannis. Atqui talis missio Spiritus S., quae die Pentecostes contigit, fuit propria et priva ipsis Apostolis, in qua nimirum acceptione transeunte Spiritus S. illi neminis alterius personam gerebant: ergo et in verbis Christi Ioan. XVI. 13. promissio Spiritus S. facta Apostolis, qui eos ducturus esset in omnem veritatem, priva fuit Apostolorum.

Et sane in serie continuata eorum, qui quoddam donum divinitus

acceptum sibi veluti transmittunt successive, privilegium est quoddam illorum, qui sunt primi, cui privilegio alii nequeunt participare, quemadmodum nec possunt esse primi. Oportet scilicet ut primi primum immediate accipiant a Deo illud donum, quod debet esse omnibus deinceps commune: idcirco ipsis revelatio veritatis primum facienda est, quae deinde a sequentibus custodienda erit.

Secundum haec duas promissiones Spiritus S. habemus a Christo factas Apostolis: altera est, qua promittitur Spiritus veritatis, qui eos discipulos Christi efficeret esse primos testes et doctores doctrinae credendae, ita ut ipsi heredes possent habere et haec promissio est, de qua loquitur Christus locis iam citatis: altera est, qua promittitur Spiritus, qui cum Magisterio in aeternum maneat et haec exstat Ioan. XIV. 16. Haec autem promissio non promittit Spiritum, qui nova doceat successores Apostolorum, quoniam neque id exigitur ex verbis promissionis et iam, ut demonstravimus, omnia Apostoli docti sunt, sed qui efficiat ut verum prius traditum perpetuo conservetur infallibiliter. Quod quidem colligitur ex verbis *in aeternum,* collatis verbis Christi Matth. XXVIII. 20., quae quidem verba *in aeternum* absunt ab iis locis, ubi promissionem solis Apostolis factam esse diximus.

IV. Custodia igitur depositi, commendata ab Apostolo Episcopis, immune servare illud debet a qualibet mutatione, quae fiat non tantum per detractionem, verum etiam per adiectionem. « Quis est hodie Timotheus (ait Vincentius Lirinensis in *Comm.* 22.) nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus praepositorum?... Quid est *depositum custodi?* custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. Quid est depositum? Id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti, rem non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis, rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse sed custos, non institutor sed sectator, non ducens sed sequens ». Haec quidem et similia his excludunt directe commenta humana: sed in re affirmata continetur semper principium illud christianum: nihil esse in Ecclesia credendum nisi quod Christus Apostolos docuit. Iubentur enim custodes depositi illud tantum docere quod est publicae traditionis, quod ad ipsos perductum est, successiva nempe traditione, nihilque aliud.

Porro si novae revelationes fierent, quibus christianum depositum augeretur, vel eae fierent successoribus Apostolorum, vel aliis. Si primum, oporteret ut illi eas tradentes desciscerent a norma sibi praestituta, illud docendi quod continua successione ad eos ab Apostolis

pervenit: si alterum, oporteret praeterea perverti ipsam Christi institutionem, qua solum Apostoli eorumque successores constituti sunt Magistri; nam alii certe tunc Magistri essent agnoscendi, qui pares profecto essent Apostolis.

Quoniam nomen *revelatio* non semper presse accipitur et doctrina revelata Apostolis atque ab his tradita Ecclesiae, progressum et incrementum admittit in explicata magis et distincta notitia sui (ut mox videbimus): si quando apud veteres formulae occurrant, quibus, exsistente aliqua quaestione fidei, dicatur nondum Deus revelasse doctoribus Ecclesiae quid tenendum aut huiusmodi locutiones, hae non de revelatione proprie dicta novi dogmatis accipiendae sunt, sed de ea assistentia et illustratione Spiritus S. intelligendae, qua dogmata prius tradita paulatim in Ecclesia, progressu temporis et analysis revelationis, in evidentiorem provehuntur lucem.

V. Oeconomiam Magisterii hactenus propugnatam suadet ratio, qua Ecclesia condita fuit. Primum enim Dei Filius venit Sapientia Patris, ipse Apostolos sibi sociavit, quibus suam sapientiam (Ioan. XVII. 8. XV. 15.) et auctoritatem (Matthaeus XXVIII. 18-20. XVIII. 18. Luc. X. 16.) communicavit ac Principes Regni sui constituit (cf. §. IX.), tum eos iussit discipulos sibi facere et successores statuere, qui eorum prosequerentur opus: patet ex dictis. Hoc autem pacto omnia Ecclesiae bona e supremo ad inferiora, a vertice ad talos dimanant, non viceversa, a Christo scilicet institutore societatis et sub eo ab Apostolis in ceteros. Iuxta hunc ordinem decet, ut doctrinam omnem fidei accipiant universi exstituri fideles a summis et primis h. e. ab Apostolis. Licebat quidem ampliari supellectilem veritatum revelatarum in T. V.; quia a Moyse ad Christum fiebat progressus, ab homine ad Deum (Hebr. I. 1.-2.): sed non est cur amplietur modo, cum ab ipso Christo Deo ductum sit initium, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei.

VI. Hactenus dicta valent certe contra novas revelationes credendas in Ecclesia Christi, quae Ecclesiam Christi nihilominus intactam quoad sua substantialia censerentur relinquere.

Si autem sermo sit de nova revelatione, quae inducat novam oeconomiam, quae in locum praesentis Christianae succedat, sicut haec successit Synagogae, haec hypothesis reiicitur tum propter demonstratam perennitatem Ecclesiae Christi, tum speciatim propter demonstratam perennitatem Magisterii Apostolici, quod ab initio iam omnia novit, quae unquam sub eius disciplina credenda sunt.

VII. Itaque proprium est successorum Apostolorum non nova proponere dogmata, sed quae ipsi ab Apostolis acceperunt tradere; ut idcirco prima veluti generatio successorum ea debuerit fideles docere,

quae ipsa docta est ab Apostolis, altera quae ab hac et per hanc ab Apostolis et ita porro. Funguntur proinde isti Magistri munere testium, testantes scilicet haec et haec tradidisse antecessores suos tum Apostolos ipsumque denique Christum. Series igitur exsistit non interrupta testium: cum autem doceant testantes hoc esse traditum, necesse est ut eorum magisterium revocetur ad quoddam testimonium, quod est testimonium veritatis, doctrinae nempe fidei credendae.

VIII. Nunc dicamus aliqua de incidenti quaestione proposita n. I.

Et primo quidem, si quaestio facti fiat, difficile puto demonstrabitur reapse augmentum factum esse aetate apostolica revelatis veritatibus, nisi sermo sit de prophetiis futurorum eventuum, quas accedere potuisse et accessisse primitivae revelationi non negamus. Nam quod ex c. X. Actuum colligitur, parum firmum est. Iam Christus iusserat Apostolos gentes omnes baptizare Matth. ult.: quid ergo adhuc ignorabat Petrus? Ignorabat scilicet vel ignorare poterat gentes immediate ad baptismum admittendas esse, quin per Iudaismum circumcisione transirent, quod quidem didicit ea visione Petrus, non quidem immediate et statim, sed progressu quodam. Cf. vv. 17. 19. 28. 34. Verum 1° etsi id demus, non haberemus heic vere novam revelationem, sed potius explicationem distinctam praecedentis, quam quilibet Apostolus, adhibita reflexione, collatis etiam Scripturis, quemadmodum facit e. g. Paulus in epistola ad Galatas, certe et infallibiliter, propter charisma infallibilitatis, consecutus esset. Et sane 2° idem Paulus, qui doctrinam istam, gentes non egere circumcisione, praedicaverat Gentibus, utique post baptismum Cornelii, scribens tamen ad Galatas, affirmat se hanc doctrinam accepisse per revelationem Iesu Christi, quae ei quidem facta est, cum est conversus ad fidem et creatus Apostolus Gal. I. 6.-16. An putabis soli Paulo, non aliis Apostolis id tunc fuisse revelatum, ut tunc Paulus plus vere edoctus fuerit a Spiritu S. quam alii Apostoli et Petrus? Si id Paulus accepit ea revelatione, quae ipsi facta est, ut Apostolus esset, cur dubitabimus alios Apostolos idem doctos fuisse a Spiritu S. die Pentecostes? Itaque 3° puto dicendum, iam in revelatione ab initio habita et in Christi iussione Matth. ult. Apostolis implicite saltem hanc specialem veritatem fuisse revelatam, *gentes, quin opus esset eas circumcidi, esse in Ecclesiam recipiendas*, ut sola analysi verborum Christi: *docete omnes gentes, baptizantes eos* et collatione aliarum veritatum, quemadmodum Paulus facit, potuerint Apostoli infallibiliter, propter charisma veritatis, ad eam explicitam notitiam pervenire, ut gentes edoctae, solo baptismo, absque praevertente circumcisione, Christo essent adiungendae: hanc tamen explicitam notitiam, eo quod maxime interesset, voluisse praeterea Deum, speciali providentia, aperire

immediate Petro, qui idcirco merito eidem instructioni a Deo acceptae innititur vv. 28. 34. Quapropter non vere heic habemus novi dogmatis revelationem.

Hoc speciali facto seposito, affirmare quidem licet progressu temporis intra ipsam aetatem apostolicam, pro opportunitate, nova dogmata, praeter principaliora ab omnibus explicite tenenda, quae iam ab initio exponi oportuit, fuisse verbo vel scripto proposita: sed ea iam ab initio non fuisse Apostolis revelata, quod prorsus differt a priore, non est cur dicamus.

Inter ea, que scripta sunt, quaeque idcirco propter inspirationem Dei sunt credenda, exstant et facta quaedam, quae cum Ecclesia cepit, nondum evenerant, ut patet conferenti Actus et plurimas Epistolas: sed huiusmodi facta, ad quae scribenda inspirati sunt scriptores sacri, non sunt obiectum revelationis, sed historicae notitiae.

Si quaestio iuris fiat, non negamus, ob reverentiam saltem Theologorum, id fieri potuisse, ut non omnia statim quae Deus in Ecclesia sua volebat credi, revelaverit, sed vigente aetate apostolica novas subinde revelationes addiderit: censemus tamen convenientius videri, si omnia ab initio omnibus fuerint revelata: sic enim magis ad litteram verificata essent verba Christi Ioan. XVI. 13. *Cum venerit Ille Spiritus veritatis* (venit autem die Pentecostes: cf. dicta sup.), ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν

Ceterum sententia Theologorum potius est negativa, quam affirmativa: h. e. potius in eo est, ut neget post Apostolos novam esse exspectandam revelationem, quam ut affirmet, ipsa aetate Apostolorum revelationem christianam reale accepisse incrementum.

§. XXX.

Cum immobilitate apostolicae doctrinae cohaeret scientificus progressus, quo doctrina ab initio tradita evolvatur et explicetur in dies, distinctius scilicet apprehendatur et plenius intelligatur.

I. Explicatio veritatis cuiusdam, facta ope analysis eiusdem veritatis et collatione cum aliis, ut a conceptu minus claro aut confuso perveniamus ad conceptum distinctum et completum eiusdem veritatis, adeoque omnia eius elementa, habitudines, nexus, quoad eius fieri potest, clare percipiamus, talis, inquam, logica explicatio sive evolutio non sistit nobis novam veritatem, seu novam rem cognoscibilem, si habeatur ratio termini cognitionis, sed solum novam, utique praestantiorem, notitiam eiusdem rei. Nam idem est reapse obiectum conceptus confusi et conceptus distincti, quamvis hic novo lumine h. e. novis no-

titiis hinc inde illustretur, quae nunc quidem actu sunt at prius tamen potentia latebant in conceptu confuso, e quo sunt elicitae; ut quod per conceptum distinctum cognoscitur explicite, iam per conceptum confusum implicite cognosceretur. Haec porro est naturalis conditio nostri intellectus rationalis, ut a primis conceptibus involutis et confusis ad claros et distinctos progrediatur.

II. Iam vero si res ita se habet, si talis est habitudo inter notitiam confusam et notitiam distinctam veritatis, ut eadem sit res cognita in utraque notitia, quamvis diverso modo; consequitur quod ex eo, quod nulla nova veritas seu res revelata accedere potest deposito revelationis, non impeditur intellectus catholicus, successu temporis, assequi perfectiorem notitiam, quam quae prius habebatur, earundem veritatum, quae semper creduntur: fieri enim potest ut distinctius et plenius eae nunc percipiantur, quam antea apprehensae sunt.

III. Si autem habeatur ratio tum huiusmodi veritatum revelatarum, quae singulae plura in se secernibilia continent, quam quae ordinarie possint primo obtentu singillatim percipi, tum humani intellectus, qui a notis ad ignota, a confusis ad distincta procedit quique ad analysim instituendam veritatum solet fere determinari aliqua accidentali causa; manifestum est fuisse moraliter necesse, ut in pluribus saltem veritatibus (quarum nempe distincta notitia erat minus necessaria) praeverteret in christianis mentibus notitia confusa notitiae distinctae.

Id historia dogmatum apprime confirmat. Instantibus enim haeresibus vel obortis disputationibus inter ipsos catholicos, factum est, ut mens doctorum acueretur, profundius (quod fit pleniore analysi adhibita) dogma investigaretur et sic in evidentiore collocaretur luce. Ita ex. gr. dogma Incarnationis lucidius expressum post conflictus Nestorianos et Eutychianos, notitia Sacramentorum plenior obtenta post Lutheri errores, ordinis supernaturalis clarius expressa post Baium, et cognitio de iis, quae spectant ad Sacramentum Matrimonii perfectior est nostro seculo, quam quae obtinuerit praecedentibus aetatibus.

Hic profectus vocatur *scientificus*, quia analysi fit, quae est actus proprius scientiae et quia hac ipsa analysi ratio intrinseca, quantum fieri potest, veritatum et nexus huius cum illa percipitur atque ita omnes veritates sive ad unum capitale dogma, sive ad cuncta tandem dogmata, spectantes, coordinari atque subordinari possunt in unum logicum systema, quod totum negotium est opus scientiae.

IV. Rem habes optime declaratam a Vincentio Lirinensi in eius *Commonitorio* 23. « Nullus ne in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maxime... Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Si quidem ad profectum pertinet, ut

in semetipsa unaquaeque res amplificetur, ad permutationem, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia ». Quapropter paulo ante 22. dixerat: « O Timothee, o Sacerdos, o Tractator, o Doctor... intelligatur, te exponente, illustrius, quod ante obscurius credebatur: per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce: ut cum dicis nove, non dicas nova ».

V. Verum nonne Apostoli habuerunt distinctam et clarissimam notitiam omnium dogmatum? nonne illam tradiderunt suis discipulis? non igitur progressus fuit a notitiis obscuris ad claras, a confusis ad distinctas, ab imperfecto ad perfectum, sed e contrario a perfecto ad imperfectum factus est transitus.

Respondeo, seposita paulisper priore quaestione, falsum esse quod discipuli Apostolorum acceperint ab ipsis distinctam et clarissimam notitiam quorumlibet dogmatum. Id patet historice: nam talis notitia certe non comparet in scriptis virorum Apostolicorum et generatim in prioribus Ecclesiae seculis, imo neque apparet tradita in ipsis scriptis Apostolorum, unde colligitur, non hanc fuisse methodum docendi Apostolorum, ut cum dogma docerent, illud in omnes suas partes versarent et plenissime explicarent.

Porro ea minus completa quoad modum notitia accepta a discipulis Apostolorum, possibilem fecit et necessarium eum profectum, de quo hactenus locuti sumus.

Ad priorem quaestionem quod spectat, plures profecto censent (etsi res non sit de fide), Apostolos habuisse eam perfectissimam cognitionem omnium dogmatum idque propter eorum singularem dignitatem. Verum concessa quidem perfecta, quoad certum gradum, notitia dogmatum Apostolis, quae excellentior in iis esset, quam in singulis eorum successoribus; si de perfectissima h. e. distinctissima notitia sermo est, forte praestat hoc pacto distinguere. Apostoli habuerunt distinctissimam notitiam omnium dogmatum, quatenus occasione data, si interrogati fuissent, valuissent, reflexione adhibita, omnes partes dogmatis cuiusque rimari ac cum certitudine definire, *conc.;* id enim praerogativa eorum Magisterii primi et fundamentalis postulabat, ut illud ipsi singuli possent quod et Ecclesia potest: quatenus iam per se a Spiritu S. ipsi acceperint distinctissimam notitiam omnium dogmatum quam vel actu, vel memoria retinerent, *nego* id esse certum; nam non erat necessa-

rium. Quod enim in tota Ecclesia hactenus necessarium non fuit, non est cur credatur necessarium fuisse in primis Ecclesiae doctoribus.

VI. Ex his consequitur, in huiusmodi negotio fidem, quae obiectum suppeditat analyticae reflexioni, praevertere debere intellectum illustrantem et scientiam: tum normam scientificae illustrationis alicuius dogmatis esse ipsam fidem, ut scilicet nihil dicatur quod fidei, sive huius dogmatis sive alterius, adversetur; cuncta enim vera sunt et illud dicatur quod fidei congruit: proferendum est enim id, quod ex ipso dogmate fidei attentius inspecto vel cum aliis collato sponte efflorescit. Si aliter agis, non illustras dogma, sed ipsum evertis et ei aliud ex tuo ingenio substituis.

VII. Cum perfectio notitiae dogmatis, quam in isto caliginoso loco assequi licet, sit certis circumscripta limitibus, quos eminentia veritatis et nostra insita impotentia definiunt; fieri profecto potest, ut plurium dogmatum ea tandem in Ecclesia sit obtenta distincta notitia, ut perfectiorem amplius sperare non liceat. Quo posito, patet non amplius quoad haec locum esse profectui. Quaenam autem sint huiusmodi, id Ecclesiae sensus et iudicium potissimum docet.

§. XXXI.

Cum authenticis Magistris, successoribus Apostolorum, coniungendi sunt secundo loco ii quoque, qui, licet non Episcopi, in unitate tamen Ecclesiae docentes, suffragium tulerunt ecclesiastici Magisterii: tum speciatim Martyres.

I. Sane si qui sunt in Ecclesia viri pii et docti, extra ordinem Episcoporum, qui in consensu ecclesiastici Magisterii docentes, doctrinam Apostolicam referant et illustrent et quorum doctrinalis expositio Magisterio authentico sit probata, iam ex iis habemus notitiam certam et doctrinae ecclesiastici Magisterii et Apostolicae traditionis. Constat autem hos viros probatos esse Ecclesiastico Magisterio, cum vel hoc ab eo declaratur explicito sollemni suffragio, ut si quis Ecclesiae doctor appellatur, vel cum alicuius testimonium invocatur in oecumenicis Conciliis aut a suprema auctoritate docendi, vel cum ad alicuius viri doctrinam generatim in Ecclesia, ipso Magisterio sciente, provocatur in quaestionibus fidei, vel cum viri docti alicuius aetatis aliquid communiter tradiderunt in materia fidei, Ecclesiastico Magisterio non refragante. Quamvis isti omnes non sint authentici Magistri; quia non est divina missio ipsis facta in Apostolis: tamen, quia ex probatione ecclesiastici Magisterii constat eos Apostolicam tradere doctrinam, sponte iidem evadunt fons, unde haurire tuto fideles valeant

traducem doctrinae Apostolicae, in iis profecto rebus, ad quas eadem probatio Magisterii authentici, qua illi muniuntur, certe se porrigit. Ita inter testes traditionis et doctrinae dogmaticae lumina computamus Iustinum, Tertullianum in pluribus, Ephremum, Hieronymum, Prosperum, Cassianum nonnullis exceptis, Vincentium Lirinensem, Beda, Damascenum, Bernardum, Thomam, Bonaventuram, aliosque, quos longum esset enumerare atque generatim doctores scholasticos aliquid unanimiter docentes in materia fidei.

II. Cum his profecto connumerandi sunt ii, quos Ecclesia speciali titulo testium insignivit, Martyres nempe. Eorum namque confessiones et professiones fidei, quas pro opportunitate ediderunt, innitebantur speciali promissioni Christi Matth. X. 19. 20. *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* « Quomodo, ait Ambrosius I. III. *de Fide* c. 7., fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam praedicamus? » Propter eam promissionem Christi, horum testimonium, postquam Ecclesiae iudicio constat eos vere martyrium fecisse, speciali gaudet praerogativa, ut, licet authentici magistri non sint, cuiusmodi sunt successores Apostolorum, iure nihilominus censeantur *divini testes extraordinarii*, quorum ore Spiritus S. veram Fidem praedicavit. Hi propter specialem modum testandi Fidem, in eo situm ut suae fidei professionem sanguine suo obsignarent, meruerunt κατ' ἐξοχήν μάρτυρες h. e. testes appellari, ut testibus extraordinariis, quorum testimonium cum heroica virtute coniunctum tantam laudem Ecclesiae pepererat, illud nomen haereret, quod iure nativo competit et asseritur ordinariis Magistris a Christo institutis.

XXXII.

In memoratis Magistris primi ordinis et secundi duplex, sicut in Apostolis, distinguendum est munus testis et doctoris. Tum duplex propterea praerogativa distinguenda, antiquitas et sapientia: propter priorem vocantur Patres, propter alteram pressiore sensu Doctores et pro diversitate quaestionum nunc horum, nunc illorum auctoritas praevalet.

I. Argumenta, quae probant Apostolos non solum testes sed et doctores fuisse (§. XXIII.), valent etiam in successoribus eorum, tum quia eiusdem Magisterii heredes sunt, tum quia sequentibus aetatibus post Apostolos, non solum necesse fuit continue testari quod ab initio traditum erat, sed illud declarare, explicare, tueri: nam proficere potest intellectus catholicus (§. XXX.) et novi semper hostes exspectandi.

II. Iam vero cum series talium Magistrorum sit series non interrupta ab Apostolis ad nos, quae illud refert quod prius traditum fuit, ita ut illud obtineat: *illud verum quod prius*, praerogativa necessaria huius continuae seriei est *antiquitas*, ita ut realiter cum primis h. e. Apostolis nectatur. Ex hoc autem consequitur quod illi, per quos haec praerogativa obtinetur, qui priores sunt aliis et Apostolis proximiores, sub hoc respetu praecellant ceteris. Et sane id est naturae ipsius rei congruum, ut in serie successiva testium, qui priores sunt et facto quod testantur, viciniores, maiori habeantur in pretio, quam posteriores. Fieri quidem potest ut singulae per secula successiones testium aequali potiantur auctoritate, si omnes charismate infallibilitatis auctae sint: attamen et in hac hypothesi (quae utique vera est, ut dicemus), manet antiquioribus quaedam excellentia prae aliis propter rei ipsius naturam, quae excellentia vim suam certe exerit in iis quaestionibus, quae habeantur cum illis, qui non recipiunt infallibilitatem Magisterii.

Rursus cum Magistri sit doctrinam bene callere, quam alii tradit, ut idcirco opus sit scientia revelationis imbutos esse Magistros a Christo institutos, qua revelationem proponere, explicare, tueri valeant, consequitur sapientiam esse generatim praerogativam necessariam huius Magisterii. Quocirca qui inter eos sapientia excellunt, qua dogmata illustrarunt et propugnarunt contra argumenta falsi nominis scientiae, praestare sub hoc respectu aliis dicendi sunt. Porro manifestum est, utramque praerogativam et excellentiam in iisdem viris reperiri posse, qui antiquitate et doctrina inter alios emineant.

III. Iam vero receptum est usu ecclesiastico, ut Magistri revelatae veritatis, habita ratione antiquitatis, vocentur *Patres*. Haec, prout est appellatio priva cuiusdam aetatis, est appellatio personalis, quae singulis fit: si enim Magistri authentici h. e. Episcopi una docentes considerantur, ii qualibet aetate vocantur Patres: ita dicimus Patres Tridentinos, Patres Vaticanos. Sed prout singulis appellatio fit, ii vocantur Patres, qui ad antiquam aetatem pertinent. Considerantur scilicet sub hac appellatione promiscua Magistri primi ordinis et secundi et considerantur ratione antiquitatis, quatenus propter eam testes idonei sunt antiquae doctrinae et apostolicae traditionis.

Ad hos iure spectant qui vere antiqui sunt prioresque fuerunt: sed quoniam ex rerum naturis nullus est certus terminus, in quem desinat series antiquorum, Ecclesiae iudicio constitutum est, ut ibi censeatur desinere aetas Patrum, ubi series cepit scholasticorum theologorum, qui et ipsi, nisi sint etiam Episcopi, ad eam seriem magistrorum spectant, quos diximus esse secundo loco. Ratio determinationis huius aetatis haec fuisse videtur, quod, cum labentibus seculis congrueret

antiquum a recentiore secernere, aetas scholarum eo se insignem charactere ostendebat, quo a praecedentibus seculis, quoad tractationem rerum divinarum, facile discerneretur. Ultimus proinde Patrum Bernardus, quocum floruerunt duo principes Scholarum, Victorini.

Alia aetas est Scholasticorum, quae etiamnum durat: qua aetate pergit eodem pacto ac prius Magisterium authenticum Episcoporum et sub his magisterium eorum, quos magistros secundo loco diximus; at singuli in ea docentes non amplius dicuntur Patres, propter defectum antiquitatis.

Itaque duodecim priora secula sunt aetas Patrum et quicumque viri catholici, ea currente, scripta ad religionem pertinentia reliquerunt, possunt et solent non raro appellari, communi vocabulo, Patres. Nihilominus quaedam adhuc distinctio fieri consuevit. Scilicet appellatio *Patris* latiore et pressiore sensu accipi potest. Latior sensus is est, quem dedimus, qui antiquitate continetur: pressior est, qui complete exprimit conceptum Patris, eius nempe qui filios gignit, nutrit et educat: secundum hunc sensum Patres κατ' ἐξοχήν illi vocantur, qui propter scripta sua emolumentum insigne doctrinae catholicae attulerunt, ut subsequentibus seculis in Ecclesia celebrarentur veluti doctrinae duces vel, quod magis est, doctoris nomen consequerentur. His quidem connumerare licet et illos, qui pauca scripta reliquerunt, si propter auctoritatem scriptorum ea magni sint momenti, cuiusmodi sunt Patres Apostolici, praesertim Clemens Romanus et Ignatius Martyr. Ceteri vocari potius solent *Scriptores ecclesiastici*, non ut eis detrahatur ea dignitas, quam ab antiquitate obtinent, sed ut distinguantur ab iis, qui eadem viventes excelluerunt ac praecipuo in pretio habiti sunt ab Ecclesia.

IV. Ratione ergo habita sapientiae, illi, qui hac praestantes fuerunt, *doctores* appellati sunt. Isti autem eminuerunt praesertim in explicanda, confirmanda, tuenda Apostolica doctrina. Huiusmodi viros quaelibet aetas tulit sive Patrum sive Scholasticorum; imo in priore aetate eos reperias, quorum praestantiores posterior aetas nondum habuit. Eminent inter Patres sapientia Irenaeus, Tertullianus quoad catholice scripsit, Athenagoras, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus Alex., Hieronymus, Augustinus, Gegorius M., in doctrina morum praesertim, Damascenus, Anselmus. Tulit posterior aetas Alexandrum Alensem, Albertum M., Thomam, Bonaventuram, Suarez, Bellarminum, Petavium, qui fontibus sapientiae veteris iterum reclusis arentia Scholasticorum prata uberrime irrigavit, Alphonsum Ligorium in re morali, Franciscum Salesium in mystica doctrina. Doctoris vero titulum iure ipsis ab universa Ecclesia deferendum non

gerunt nisi quos ipsa Ecclesia decreto suo probavit, quae praeterea eos tantum hoc nomine honestare solet, qui in Sanctorum Canonem meruerint referri et inter istos, non illos sub titulo doctorum colere, quos dignitas Martyrii ad excelsiorem provexit gradum.

V. Duplex in re dogmatica quaestio fieri potest: 1ª quid traditum sit ab Apostolis: 2ª quomodo dogma ab Apostolis traditum sit intelligendum. Utraque quaestio potest utique immediate solvi auctoritate vigentis in Ecclesia Magisterii authentici. Verum 1° quia et ipsum praesens Magisterium sequitur Maiorum traditionem et quia 2° potest ea duplex quaestio privatim a quovis theologo scientifice tractari et non quidem authentice sed doctrinaliter solvi; non immerito quaeritur quam vim obtineant hac in re Patres (latiore sensu accepti) et doctores. Dicimus ergo quod prior quaestio est per se quaestio historica, testificatione dirimenda, quae idcirco non solvitur nisi ostendas quid antiquitus traditum sit. Huc autem conducit testimonium veterum Patrum, quorum si testificatio prostat, ea est necessario sequenda et ceteris serioribus praeferenda, qui videantur (si forte id contingat) aliter docere; quia illud verum quod prius. Ita in quaestione de institutione ecclesiasticae hierarchiae testimonia eminent, quae exstant in epistolis Clementis et Ignatii et praevalent, puta, assertionibus Hieronymi. At si quaestio fiat de intelligentia dogmatis, non necesse est, ut ea perfectior exstiterit aut aeque perfecta apud priores ac apud posteriores; quoniam, ut diximus, intellectus catholicus proficere in dies potest (cf. quae dedimus in tract. *de Deo Creante*, circa quaestionem de Spiritualitate Angelorum, Th. 18.). Quapropter in hac re auctoritatem, praeter semper vigens authenticum Magisterium, illi obtinent, qui ipsius Magisterii iudicio, dogma Apostolicum plenius et sincerius declararunt, Doctores scilicet. Ita intelligentiam dogmatis de Trinitate petes potius ab Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Augustino, Thoma, quam a non paucis Patribus antenicaenis.

Et haec summatim dicta in hac re modo sufficiant. Quod autem pertinet ad usum auctoritatis Patrum et Scholasticorum ac Doctorum, tractabitur distinctius infra suo loco.

§. XXXIII.

Cum successores Apostolorum in authentico Magisterio sint omnes Episcopi, voluit Christus, ut hi Magistri, non secus ac primi a se missi, in unitate docerent principiumque inter eos constituit efficiens unitatis, ut idcirco tunc ius haberent illi docendi, cum huic principio unitatis adhaererent.

I. Seponimus nunc magistros secundi ordinis, quorum auctoritas pendet a Magistris primis et quos ea tantum causa recensuimus, ut notionem Magisterii, quoad suam quoque integritatem, exhiberemus. Prima pars propositionis iam est demonstrata §. XXVIII. Argumentum huius propositionis est unitas Magisterii.

II. Missio docendi Matt. XXVIII. 19. 20. sicut et regendi Matt. XVIII. 18. ac sanctificandi Ioan. XX. 23. Matth. XXVIII. 19., facta est a Christo non singulis Apostolis seorsim (excepto Petro, cuius rei causam mox indicabimus), sed omnibus simul unitis: quocirca et Patrem pro eis oravit ut essent consummati in unum, Ioan. XVII. 29. Scilicet collegium Apostolorum auctum est auctoritate docendi: hoc autem facto Christus significavit certe se aliquam velle unitatem: non autem significavit velle se unitatem actionis, eo scilicet pacto, ut nonnisi simul una Apostoli docerent, quod ineptum fuisset et inutilem reddidisset electionem plurium: sed, quod reliquum solum est, significavit velle se unitatem principii, ideoque velle se, ut singuli docerent prout membra erant unius collegii. Perinde est enim conferre collegio seu corpori morali alicui auctoritatem docendi ac unum principium magisterii constituere.

III. Et sane haec unitas Magisterii, quam Christus voluit, non est sola unitas *obiectiva* in docendo, seu unitas in eodem termino actionis singulorum doctorum, sed est aliquid ipsa prius. Unitatem illam Christus voluit eo ipso, quod iussit suam doctrinam ab omnibus a se missis praedicari, quae necessario una est, ut idcirco inferat unitatem obiectivam in Magisterio. Sed quia potestatem praedicandi fecit Apostolis non singillatim, sed una simul coniunctis, ut propterea unum corpus morale constituerent, cui ea potestas competeret; corpus autem unum morale auctoritate auctum, unitatem obtinet *subiecti*, quod est prius qualibet actione sua; hinc Christus voluit unitatem quandam in Magisterio, quae prior esset unitate obiectiva in docendo.

Unitatem ergo in docendi exercitio praevertere debet unitas collegii, unitas corporis, veluti conditio necessaria ipsius exercitii, ut nempe singuli agere illud possint, quod proprium est totius. Quod autem in

Apostolis valuit, valet et in eorum successoribus; Collegio nempe Apostolorum succedit Collegium Episcoporum.

IV. Et re quidem vera unitatem corporis moralis Magistrorum in Apostolis instituit Christus, instituens principium efficiens unitatis perpetuum, nempe Petrum, auctum suprema auctoritate, cui tanquam capiti subessent ceteri doctores et quocum efficerent corpus. Quae auctoritas capitis, superior ea, qua corpus sub ipso potiretur et perpetuo exstitura eadem in suis singulis successoribus, ratio fuit cur ipsi uni, seorsim ab aliis, promissiones fierent et iura conferrentur. Demonstrationem quidem huius rei oporteret heic dare; verum quia eam daturi sumus in seq. Tract. qui totus huc spectat, prudens lector aequi bonique consulat, ut illi nunc supersedeamus, requisiturus eam ibi, si illam desiderat. Realis ergo unitas moralis, qualis intercedit inter corpus et caput et membra corporis inter se, unitas idcirco quaedam socialis, vigere debet, auctore Christo, inter Magistros a se statutos, ut singuli iure docere valeant.

V. Hoc autem posito, sequitur coetum Magistrorum, quos Christus voluit instructos auctoritate docendi, ab iis constitui, qui cum principio efficiente unitatis ab eodem Christo instituto cohaererent: qui idcirco huic conditioni non faciunt satis, non sunt membra Magisterii ecclesiastici, carent iure docendi.

§. XXXIV.

Hoc magisterium ex pluribus unum, auctum est a Christo perpetua praerogativa infallibilitatis.

I. Infallibilitatis notio haec certe continet: 1° Quod factum erroris excludatur: 2° excludatur autem necessario, sive necessitate absoluta, ut in Deo, sive necessitate hypothetica, supposita e. g. aliqua speciali assistentia Dei: idcirco ut non solum error, sed erroris possibilitas excludatur; non enim infallibilem dicimus, qui tantum non errat, sed qui non potest errare: 3° quod talis praerogativa Magisterii publice certo constet; Magisterium enim non pro se sed pro universa Ecclesia est institutum, cui nullo pacto prodesset, si de eius immunitate ab errore dubitare liceret: constet autem non propter examen institutum a nobis circa Magisterium, quotiescumque docet, sed antecedenter ad ipsum actum docendi. Haec est infallibilitas alia ab ea, quam logici rationi asserere solent, cum recte se exercet, puta cum recte ratiocinatur, recte experitur, recte testatur aut testimonium admittit. Haec enim in eo est sita, quod, praevertente possibilitate inveniendi veri, propter rectum exercitium rationis, singulis vicibus veritas obtineatur, quo facto exclu-

datur ex consequenti in eo casu possibilitas erroris: quia verum et falsum nequeunt esse simul. In hac ergo infallibilitate, quae humana est, exclusio possibilitatis erroris est quid consequens facti exclusi erroris, quae possibilitas semper adest, quamdiu durat inquisitio veritatis. At infallibilitas, de qua loquimur, ea est, in qua iam per se possibilitas errandi est exclusa, in qua exclusio facti erroris est consequens exclusae possibilitatis et secundum hanc tantum vere quis appellari solet infallibilis. Specimen quidem huiusmodi infallibilitatis habetur in natura quoad veritates primitivas per se evidentes, puta exsistentiam sui: sed haec limitata est et naturalis, alia potest esse circa plurima vera cuiuscumque generis et supernaturalis atque de ista nunc loquimur. Haec clara sunt et quia sufficiunt quaestioni, quam tractamus, abstinemus a penitiore investigatione notionis infallibilitatis, quam in seq. Tract. suo loco prosequemur.

Talis igitur est infallibilitas, quam Magisterio ecclesiastico vindicamus circa ea omnia, quae ipsum iussum est docere. Reapse demonstratio huius rei praeoccupata iam est in demonstratione infallibilitatis Ecclesiae. Hanc autem oportet paululum declarare; nam duplici saltem modo concipere quis posset consuluisse Deum immunitati ab errore in successione perenni Magistrorum. Prior modus hic esset. Post editam praedicationem apostolicam infallibilem, providit Deus ut eius notitia servaretur successione perpetua testium historicorum, qui per se pares essent aliis testibus humanis; quorum testimonio ad singulas aetates propagaretur notitia traditae olim doctrinae ab Apostolis, propagaretur autem ea certitudine, quam humanum testimonium praestare valet. Ut idcirco praesentes testes humana certitudine certiores nos facerent hanc et non aliam esse doctrinam ab Apostolis traditam; quia vero Apostoli infallibiles erant, ipsorum tantum auctoritate infallibili efficeremur infallibiliter certi de veritatibus revelatis. In ista hypothesi duo essent necessaria consectaria. Primum: cum medium, quo nos assequimur doctrinam Apostolorum, sit solum testificatio subsequentium testium et hi, pares ceteris testibus humanis, humanam tantum certitudinem gignant suo testimonio, hinc, quamvis notitia doctrinae ab Apostolis traditae sit, propter eorum infallibile Magisterium, infallibiliter certa; notitia tamen nostra, quam de eadem doctrina obtineremus, si ex illis praemissis tanquam principiis suis colligenda sit, non est notitia infallibilis; quia non pendet solum ab infallibili Magisterio Apostolorum, cui eam credimus, sed et a testimonio humano testium, quod praesens veluti sistit nobis Magisterium Apostolorum, non sistit tamen infallibiliter: unde cum non infallibiliter nobis constet ipsum Magisterium Apostolorum, sive eos haec et haec docuisse, nondum

infallibiliter certi sumus, si iis praemissis inniti velimus, de veritate revelationis divinae, quam ipsi dicuntur promulgasse: conclusio enim, ut dici solet, sequitur peiorem partem. Alterum consectarium est: quandoquidem certitudo testimonii testium humanorum tunc adest cum hi recte ratione sunt usi, semota voluntate decipiendi; haec autem rectitudo a priori non constat, sed sita est simpliciter in recto exercitio rationi et affectu ad veritatem; ius est nobis, quotiescumque eorum testimonium audimus, subiicere examini huiusmodi testimonium ut sciamus an decepti nec ne fuerint, antequam assensum praebeamus.

Alter porro modus, quo concipere licet, providisse Deum perpetuae conservationi doctrinae Apostolicae cum immunitate ab errore, is est, ut eadem infallibilitas, qua Apostolorum Collegium auctum fuit, perseveraret iugiter in collegio successorum, ita ut et hi ex divina assistentia reddantur immunes a periculo errandi cum testantur et docent; possibilitas scilicet errandi ab eis excludatur non quia singulis vicibus actu non errant, sed quia propter divinam praevertentem assistentiam fieri nequit ut errent. Patet quod hoc adhibito modo, non amplius habent locum consectaria duo prioris, sed contraria.

Iam vero sic dicimus Deum consuluisse conservationi depositi veritatum revelatarum, ut perpetuo exstiturum Magisterium perpetua Infallibilitatis praerogativa gauderet, ut singulis aetatibus, non secus ac Apostolica aetate, collegium Magistrorum, in sua unitate perseverans, esset infallibile.

II. Non puto opus esse praemittere demonstrationem possibilitatis huius privilegii hominibus a Deo collati. Quod Protestantes adeo in illud stomachentur, stomachum reapse movet. Nonne ipsi admittunt aut admittebant olim infallibilitatem Scripturae? An putant difficilius esse Deo hominem, quam librum, infallibilem reddere? cum praesertim infallibilitas libri supponat, ex Dei speciali auxilio, infallibilitatem hominis scriptoris tum cum scribit.

III. Iam vero ex iam demonstratis patet Magisterium, de quo loquimur, esse Magisterium authenticum, quod ex auctoritate scilicet Dei docet ceterosque, qui illud audiunt, ex ipsius Dei praescripto obligari ad credenda, quae ipsum docet. *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. XVI. 15. 16. His verbis Christus non solos Apostolos, sed et eorum successores affatus est (§. 29.). Porro fides praestanda Evangelio est fides divina, qua Deo nempe revelanti Evangelium credimus. Atqui 1° nequeunt puniri aeterna poena, qui non credunt id, quod, cum sit rationi impervium, accipitur praeterea

tantum ab iis, qui doctrinam erroneam proferre possunt, vel accipitur per eos, qui errare possunt in referenda doctrina primitus tradita a Magisterio infallibili; nam tunc suspensio assensus est honesta. Eodem pacto nequit credi Deo revelanti id quod constat posse esse falsum, quod iure dubitamus an sit a Deo revelatum; hic enim esset actus contradictorius et iniuriosus Deo. Id vero contingeret, si Magisterium horum doctorum potiretur sola auctoritate testis humani historici, non esset immune ab errore aut id nobis certo non constaret. Immunitas vero ab errore, quae postulatur, ea est, quae ratio esse possit, cur audita praedicatione, adsit obligatio gravissima credendi: *Praedicate... qui crediderit:* cur verbum praedicatorum accipiendum sit *tanquam verbum Dei* (2. Cor. V. 20.), cur, semoto quovis alio examine, illud credatur quod praedicatur.

IV. Et sane Christus locum non fecit examini, quo fideles uterentur, ut certiores fierent, an Magistri et testes ab eo instituti vera traderent: sed posita eorum praedicatione exegit fidem, obedientiam fidei, ut in captivitatem redigeretur omnis intellectus in obsequium Christi 2. Cor. X. 5. eorum quoque, qui pares essent examini. Neque alia est christianorum fides aetate Apostolica, alia subsequentibus aetatibus.

Praeterea promissio, quam Christus fecit assistentiae suae suique Spiritus, unde infallibilitas Magisterii pendet, ad successores quoque Apostolorum se porrigit. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*: Alium Paraclitum dabit vobis, *ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Porro Spiritus veritatis non est Spiritus verus, sed Spiritus ab eo procedens, qui est veritas et missus ad inspirandam ac docendam veritatem.

V. Pariter ex historia ecclesiastica constat, semper creditum esse, quod causae fidei finitae sint semel ac Magisterium sententiam suam dixerit; quin unquam, post eam sententiam latam permissa fuerit fidelibus disquisitio, qua, antequam assensum praeberent, facta collatione doctrinae praesentis cum vetere traditione et notitia accepta idoneitatis Magistrorum aut rationis, qua verum hi assecuti sint, fideles certiores fierent, an doctrina tradita certe esset illa, quam primitus primi Magistri tradiderunt.

VI. Ergo certa norma fidei nostrae est istud Magisterium. Origines *de Princip.* in praef. n. 2. « Cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant: servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens. *Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione* ».

VII. Ex dictis patet Magisterium hoc authenticum et infallibile, non esse simplicem seriem testium historicorum et humanorum doctorum, sed testium et doctorum divinorum.

Non negamus quidem testimonium eorum, cum factum revelationis testantur, habere eam vim, qua gaudet testimonium pure humanum: imo haec vis supponitur, sed perficitur et completur charismate divino. Testimonium proinde eorundem sub eo solo respectu potest contra illos urgeri, qui ipsis detrectant aliam excellentiorem praerogativam et reipsa ita agimus cum Protestantibus.

Pariter non negamus eorum Magistrorum doctrinam in explicandis dogmatis ea reverentia suscipiendam esse, quam vel mera hominis doctrina exigere possit.

Sed negamus haec in eis tantum spectanda esse; testes enim et doctores sunt altioris ordinis, non humani, sed divini.

§. XXXV.

Universalis consensus Magistrorum una cum suo capite docentium est infallibilis, sive una simul sint collecti, sive singuli in suis cathedris sedeant.

I. Quod primo loco dicitur, non est nisi praecedentium consequens necessarium. Etenim Magisterium, cum docet, est infallibile; atqui exsistente eo consensu, quem diximus, nihil amplius desiderari potest, ut habeatur Magisterium docens: ergo.

Perpende conditiones: *universalis consensus*, docent Magistri *una cum suo capite.*

Qualis vero in hac infallibilitate Magistrorum si habitudo Magistrorum inferiorum ad principem Magistrum, qui est successor Petri (§. XXXIII.), non heic dicimus: sed explicabimus in sequenti Tractatu, ubi de Infallibilitate Pontificis; ad quem locum idcirco reiicimus lectorem.

Diximus: *sive una collecti sint, sive in suis sedibus singuli maneant;* nam ad exercitium Magisterii non opus est certo loco, nec opus est conventu eorum locali. Nam et singuli in suis Ecclesiis manentes unum coetum constituunt, non secus ac Ecclesia per universum orbem dispersa atque illum coetum constituunt, cui facta est promissio infallibilitatis: *ecce ego vobiscum* (docentibus) *sum omnibus diebus*, non tantum cum conveniatis omnes in unum locum, quod rarissime contingere potest, sed omnibus diebus, semper.

II. Utique in civili societate, cuius legislativa potestas insit alicui ad id deputatorum coetui, contingit, ut coetus ista auctoritate non po-

tiatur, nisi eius membra una conveniant unaque disquisitionem faciant et suffragium ferant. Sed haec est tandem positiva institutio, in ordine civili maxime rationi consentanea: at eam Christus in sua Ecclesia noluit esse necessariam. Ex divina enim institutione singuli ad hunc coetum spectantes, etiamsi in suis maneant seorsim ecclesiis sunt vere Magistri (sicut et legislatores) pro suis ovibus, qui ut actum communem magisterii exerceant, satis est ut in unitate manentes, eandem normam secuti idem doceant.

Hoc enim posito, iam infallibilitas magisterio huic necessario competit, quemadmodum infallibilis est Ecclesia magisterium illud audiens: quae infallibilitas praerogativa est nunquam desinens. Secus, cum omnes singulares Ecclesiae suos pastores audiant, si hi omnes idem docentes errant, haberemus Ecclesiam errantem; quod repugnat.

Atque ita divinam institutionem fundatoris sui semper Ecclesia intellexit, quae eodem pacto ad consensum Episcoporum dispersorum, ac ad consensum convocatorum provocavit. Cf. Conc. Vatic. sess. 3. c. 3. *de Fide*, in quo statuitur: « Fide divina et catholica ea omnia credenda esse, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia, sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ».

Id quidem non impedit, quominus identidem pro nova definitione condenda, sicut et pro nobis legibus ferendis, utilis sit vel moraliter necessaria convocatio Synodorum generalium; qua de re cf. dicenda in tract. sequenti, ubi de Conciliis: at id non perinde est ac dicere: auctoritatem Magisterii erga universam Ecclesiam in solis Synodis exerceri.

§. XXXVI.

Si dissensus sit inter Magistros, nequit pro regula statui, ut maior pars praevaleat: sed haec est regula, ut doctrina eius, qui primas inter eos tenet, sit sequenda, sive cum eo maior sive minor pars ante definitionem consentiat.

Haec demonstrabimus in seq. tract.

§. XXXVII.

Corollarium 1^m^. Infallibilitas magisterii est propter Ecclesiam universam, ut unitas sit totius corporis in vera fide. Haec unitas finaliter intenta a Christo nunquam deesse potest Ecclesiae, ut mox videbimus; obtinebit proinde semper consensus universalis in veram fidem. Hinc ex consensu universali omnium fidelium inferre semper licebit, quae-

nam sit veritas revelata, ea nempe quae est obiectum eiusdem universalis consensus. Ita arguit Irenaeus l. 1. c. 10. At cum ita probaveris veritatem revelatam ex universali consensu, alia adhuc restat quaestio: quo medio scilicet exsistat hic universalis consensus in Ecclesia. Ea autem solvitur dicendo, exsistere talem consensum ope magisterii instituti a Christo, cui Spiritus S. assistit. Quocirca provocatio ad universalem Ecclesiae consensum pro stabiliendis dogmatis fidei non adversatur doctrinae infallibilitatis activae magisterii, sed eam potius supponit, ut videre est penes eundem Irenaeum collato loco citato cum c. 3. l. 3.

Quaeres an Synagoga fuerit infallibilis? Tenendum est Deum providisse ut vera fides in Ecclesia sua ante Christum, quae in Synagoga potissimum reperiebatur, intacta penes non paucos perseveraret. Verum, ut vidimus, Deus non uno modo id consequi poterat. Cum fides non esset bonum proprium veteris foederis, dubitamus sane, an Deus consuluerit tunc integritati fidei collato dono infallibilitatis auctoritati religiosae illius coetus: sed aliis viis forte consuluit, puta missione prophetarum, oraculis a se datis, ac generatim suavi providentia, quae eum ordinem elegit, in quo veram fidem non pauci essent semper professuri. Ex verbis autem Deuteronomii XVII. 8. collatis quoque 2° Paralip. XIX. 9. 10. non liquet satis Summum Sacerdotem constitutum fuisse iudicem in causis fidei, nec obligatio acquiescendi eius iudicio sub poena mortis demonstrat Summi Sacerdotis infallibilitatem, sed solum supremam auctoritatem, quae in civili quoque societate locum habet et merito obedientiam exigit, quaeque suo quodam modo infallibilis est h. e. inappellabilis. Cf. tamen Becanum *De Iudice controversiarum*, qui partem affirmantem tuetur.

Corollarium 2^m^. Nimirum ex principio isto primum demonstrato: institutum nempe a Deo fuisse perenne vivum Magisterium authenticum et infallibile, procedendum est ad solvendam quaestionem, utrum habeantur in Ecclesia divino apostolicae traditiones non scriptae ab Apostolis, quas suscipere oporteat non secus ac verbum Dei scriptum. Quidquid enim istud Magisterium tradit credendum, id credendum est. Si ergo aliquid credendum docet, quod Scripturis non continetur, consequens erit, non omnem apostolicam doctrinam fuisse a canonicis scriptoribus litteris consignatam et idcirco esse aliquas traditiones seu veritates non scriptas. Utrumque per se fieri potuit, ut vel omne depositum fidei scriptis canonicis consignaretur, vel non omne; utrum vero factum fuerit, id discendum est ex ipsa doctrina Magisterii collata cum Scripturis.

Inepte proinde praescribitur a priori: id solum esse credendum, quod in Scripturis continetur: nisi prius falsa demonstretur thesis de Institutione Magisterii vivi, perennis et infallibilis.

§. XXXVIII.

Necessitas huius Magisterii, quod ab Apostolis inceptum in eorum successores perenniter continuatur, cum ex iam probatis manifesta sit, tum ex eo confirmatur, quod perperam Protestantes obtendant sufficientiam Scripturarum, vel vindicent sibi interius magisterium Spiritus S. docentis singulos verum sensum s. Scripturae.

I. Sane necessarium heic intelligimus quod ex Christi institutione non potest non esse in Ecclesia. Atqui ex iis, quae dedimus in prioribus propositionibus (§. 22. — §. 26.) de hac re, manifesta fit haec voluntas Christi: ergo.

II. Et re quidem vera oportet esse aliquod medium, quo fideles certo cognoscant id quod Deus vult eos credere et agere, ut salutem consequantur. Iam vero huiusmodi medium vel est Scriptura eaque sola, vel est interius magisterium Spiritus S. singulos per se docens quid Scriptura contineat certioresque reddens, vel est aliquod vivum perenne magisterium, quod revelationis depositum possidens doctrinam Fidei proponit, seu Scripturas interpretans seu etiam, sine usu Scripturarum, auctoritate sua docens, cui magisterio adstipulatur in singulis Spiritus S. eos movens ad ei credendum. Nos non negamus, Scripturam esse aliquod medium quod cum legitimo interprete coniunctum prodesse certe potest, sed negamus, ipsam solam valere et affirmamus requiri vivum magisterium personale, quod et Scripturas ipsas nobis tradat easque legitime interpretetur doceatque nos, utrum necne plenitudo revelationis in Scripturis contineatur et si qua ibi desint, ipsum universam revelationem possidens suppleat auctoritate sua quae desunt.

III. Quod Scriptura sola non valeat, facile demonstratur. Nam 1° quomodo mihi certo constat, ipsam esse librum divinum, infallibilem, inspiratum? constat, inquam, ea certitudine quae assensum fidei divinae exigat? Quid iuvat compilare plura huius libri testimonia id docentia? semper manebit eadem prorsus quaestio? verumne est quod his testimoniis enunciatur? Haeremus ergo in ipso limine nec ulterius progredi licet in inquirendis veritatibus credendis, si solus hic liber habeatur, cum nondum constat, hunc esse librum divinum. Scilicet Protestantes, qui ad Scripturam semper provocabant Scripturamque extol-

lebant, oportuisset primo demonstrare, hunc librum esse reapse Scripturam, continere Dei Verbum atque his et illis non aliis partibus constare. Quomodo id probas? an auctoritate Ecclesiae docentis? admittis ergo Magisterium vivum personale. An probas sola historica traditione? Ita quidem Socinus *Biblioth. FF. Polonorum* I. 278. et Contraremonstrantes, ut Episcopius *Inst. Theol.* l. 4. sect. 1. c. 5. « Ad hoc ut sciamus libros hos esse divinos, sufficit, si certum est, esse scriptos ab auctoribus iis, quorum nomina praeseferunt. Isti enim quin divini fuerint et a Deo docti et inspirati, dubitari non potest, *si modo vera est historia, quae de iis refertur* ». At omissis aliis, quae notari possent, certa ne est haec historia et qua certitudine? Non habes nisi testimonium historicum humanum: vidimus vero id non suffi-cere §. 34.

Solos ergo hos libros habentes, nondum scimus, an habeamus Scripturas divinas. An recurres ad auctoritatem Synagogae? Sed 1° quid facies de libris N. T.? 2° qui negas magisterium Ecclesiae, quomodo recipies magisterium Synagogae? 3° Unde infallibiliter constat canon Synagogae? dices, ex scriptis N. T. At 1° id de omnibus libris T. V. falsum est falsumque est ex scriptis N. T. cognosci integros libros T. V. et singulas partes eorum: 4° quomodo scriptorum N. T. auctoritas ostenditur? Igitur si sola Scriptura exstet, nihil credere licet.

2°. Quamvis supponamus librum esse divinum, manet adhuc difficultas. Quaestio enim oriri potest circa sensum dictorum quae continet, e. g. *Pater maior me est, Hoc est corpus meum, Deus vult omnes homines salvos fieri, Tu es Petrus* etc.; in his enim explicandis non omnes christiani, qui Scripturas reverentur, conveniunt.

Quo ergo pacto his quaestionibus finis imponetur? Eo pacto respondent Protestantes, quo veteres solverunt controversias cun haereticis, nempe provocantes ad ipsam Scripturam h. e. ad alia loca eiusdem clariora, ex quibus lux affunditur testimoniis controversis. Ita enim Patres, contra Arium et Eutychen e. g., provocarunt ad Scripturam, ut eorum falsas interpretationes quorundam locorum convincerent et sic quaestio finita fuit.

Inepta est haec responsio, quae vel celat veritatem historicam vel huius ignorantiam prodit. Nam causa, cur quaestio pro catholicis finita fuerit, non fuit tantum productio quorundam testimoniorum Scripturae, quibus convincerentur haeretici, sed fuit productio testimoniorum *facta ab authentico magisterio*, penes quod esse ius interpretandi Scripturas suamque interpretationem fidelibus imponendi, catholici credebant. Hinc est enim, quod ad Synodos Episcoporum provocabatur, ut certo sciretur quid credendum esset, quaenam esset doctrina Scripturarum.

At alia est prorsus conditio Protestantium. Deest enim istud magisterium et habemus tantum Scripturam. Quocirca integra adhuc restat quaestio: quo pacto finiuntur quaestiones circa Scripturas ipsas exortae?

Remittes contendentes ad ipsius Scripturae loca clariora? sed quilibet contendens affirmabit locum, cui ipse innititur, esse clarissimum et ad eum cetera Scripturae de eadem re testimonia exigenda esse.

In quanam bene ordinata republica quaestio exorta inter cives de sensu Codicis seu de vi alicuius legis, remittitur expedienda ipsis civibus totum codicem attentius lecturis? In nulla profecto et quidem ob hanc simplicem causam, quia hoc pacto nunquam finirentur lites. Quid ergo venit in mentem Protestantibus, hoc modo finiri posse et debere quaestiones de Scripturis in Ecclesia? In Ecclesia, inquam; nam id Protestantes vel non advertunt, vel subdole praetermittunt. Agitur enim de finienda lite in ipsa societate christiana ita ut, sive consentiat sive dissentiat alter ex contendentibus, cetera societas et certo sciat, quis ex duobus peccet contra codicem et ius habeat contumacem puniendi et etiam ex se ipsa eiiciendi.

Huiusmodi vero finis quaestionis nequit obtineri, cum ipsorum litigantium studio tandem relinquitur decisio litis. Igitur dicendus esset Deus non consuluisse Ecclesiae suae, quae est credentium societas, medium instituens necessarium, quo in ipsa lites de Verbo Dei finiantur, ita ut proinde in ea simul legitime esse valeant et qui verum et qui falsum credunt.

3° Necesse est ut id, quod revelationem divinam continet, si unicum est, eam integre contineat idque certo constet fidelibus: secus in dubio semper ii versabuntur, an credant quod Deus vult credi. Iam vero quomodo constat Protestantibus, omnia dogmata credenda contineri Scripturis? Id profecto Scriptura non dicit. An Deus non poterat alio medio, quam scripto quodam uti, ut veritates credendas manifestaret? ut idcirco ad solos litteratos potuerit loqui Deus. Quî ergo sciunt Protestantes omnia dogmata credenda contineri Scripturis?

Si autem id certo non noscunt, parum sunt de sua salute solliciti, si in Scriptura sola acquiescunt. Aiunt, et veteres Patres omnia dogmata hausisse ex Scripturis atque ex iis tantum. Itane vero? Quomodo ergo veteres ex Scripturis demonstrarunt, infantes baptizari posse et debere? Inquies, ex verbis Christi apud Ioannem III. 5. Scilicet haec verba vim habent pro catholicis, qui sciunt, interpretationem hanc contineri traditione apostolica perseverante in Ecclesia: at si verba ea apud Ioannem tantum sumas, profecto id non efficies, nisi demonstres primo infantes ex Christi praescripto capaces esse baptismi. Qua de re, si

solas Scripturas haberemus, valde dubitandum esset; quoniam cum Christus missionem baptizandi Apostolis dedit, de solis adultis locutus est Matth. XXVIII. 20. Rebaptizabat ergo Ecclesia vetus infantes, edocta Apostolica traditione. Ita Origenes l. V. in Epist. ad Rom. « Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulos baptizare ».

Neque profligatam causam satis commodo iuvit Ligtfootus (*Hor. heb.* in Ioann. III.) monens, quod cum Salvator adoptaverit ritum baptizandi, quo iam Iudaei proselytos sibi adiungebant, quoniam hi et infantes baptizabant, eo ipso et Salvator significavit, velle se infantes quoque baptizari. At quî probas, Christum voluisse aut debuisse omnia retinere quae homines antea statuerant, eum, qui ritus mosaicos abolevit? Tum habitudo baptismi Christi ad baptismum proselytorum traditurne in Scripturis? Certitudo baptismi huius proselitorum est tantum historica: unde ergo certitudo fidei de valore paedobaptismi? Cur non potius dicis Christum adoptasse ritum Ioannis Baptistae?

Rursus quomodo probavit Ecclesia vetus haereticos quoque valide baptizare? Stephanus quidem solam traditionem produxit. Sed Augustinus Tract. in Ioannem provocavit ad verba Ioannis Baptistae *Hic est qui baptizat*, ut inde inferret, valorem baptismi non pendere a merito ministri ideoque et haereticum posse valide baptizare.

Verum quis non videt, hoc argumentum non esse nisi quandam confirmationem veritatis, quae aliunde h. e. per traditionem supponitur certa? Nam si ea sola verba urgeas, respondebunt adversarii: esto, quod Christus sit princeps collator baptismi, esto, quod ministri meritum non influat in effectum baptismi: at nihilominus requiritur minister, minister porro est is, quem Christus misit: atqui Christus non misit eos, qui sunt extra Ecclesiam suam, Christus misit Apostolos eorumque successores; at haeretici non sunt successores Apostolorum: quod erat argumentum Cypriani. Itaque et hoc dogma Ecclesia tenebat ex Apostolica traditione. Alia dogmata proferunt Catholici, quae Protestantes negantes sibi contradicunt, qui contra Anabaptistas paedobaptismum defenderunt. Igitur nunquam probabunt Protestantes omnia dogmata credenda contineri Scripturis. Ex quibus omnibus patet immerito Protestantes praedicare sufficientiam, quam ipsi iactant, Scripturarum.

Nonne postquam audivimus Protestantes tam acri studio tueri sufficientiam et plenitudinem Scripturarum atque omne humanum Magisterium divinitus institutum reiicere, quod Scripturam ipsam tradat et authentice interpretetur, dubitare licet, serione egerint an comice Calviniani contra Remonstrantes in sua pseudosynodo Dordrectana? Quid enim? negatis magistros esse in Ecclesia, qui ius habeant suam Scri-

pturarum interpretationem imponendi fidelibus et nihilominus morem secuti Magisterii catholici in Synodo sedetis, iudicium fertis de doctrina Scripturis contenta, damnatis adversarios vestramque doctrinam iubetis omnes tenere, qui velint esse in vestra Ecclesia, h. e. iuxta vos ipsos, in Ecclesia Christi; hanc enim vos censetis vestram esse Ecclesiam. Nonne mentita est iniquitas sibi?

Praeterea si ita res se haberet, ut solus liber sufficeret pro obtinenda certa notitia rerum credendarum, iam dissoluta esset societas fidelium inter se. Nam abest certe nexus magistrorum et discipulorum: quo deficiente perit quoque nexus rectorum et regendorum. Etenim quî coges aliquem obedire tibi, qui ex solis Scripturis immediate docetur, quid ei oporteat facere? obiicienti sane illi, quod praeceptum tuum adversatur doctrinae, quam Scriptura eidem suggerit et idcirco oportet se obedire magis Deo quam hominibus, quid repones? Nec se tuebuntur administratores sacrorum seu sanctificatores, si fideles contendant docere Scripturas, quod omnes immediate a Deo sanctificantur; quod quidem cum alio dogmate congruit: omnes immediate a Deo doceri.

Nulla esset ergo societas hominum inter se: homines tantum singuli unirentur Deo. Homines quidem inter se possent esse similes, sed unitas socialis, quae mutuam cooperationem plurium et subordinationem poscit, nec visibilis nec invisibilis haberet locum. Atqui demonstravimus Ecclesiam societatem esse eamque visibilem: ergo.

Tandem sufficientia Scripturarum, si qua esset, ea valeret pro iis, qui legere Scripturas sciunt et quidem in ea lingua, qua scriptae sunt; nam ceteri doceri ab aliis debent quid ipsae contineant iique qui versiones legunt, credere debent interpretibus, hoc esse Verbum Dei quod ipsis sistitur in versionibus. Porro si qui haec testantur, non sunt infallibiles, quo pacto audiens praedicantem aut versiones legens, certus erit infallibiliter de iis quae credit? Necessitas scilicet magisterii extrinseci erumpit ex omni parte.

IV. Verum Protestantes monent se, cum Scripturarum sufficientiam praedicant, Scripturas considerare non prorsus solas, sed coniunctas cum interiore illustratione Spiritus S. qui singulos fideles docet interius quod exterius prostat in libro divinitus scripto. « Fundamentum (ait I. H. Scholtens doctor leidensis *De Leer der hervormde Kerk* etc. 1855. p. 1. pag. 108. seq.) cui Ecclesiae reformatae persuasio innititur de historica origine christianae religionis, ex ipsa rei natura, nihil aliud esse potest, quam historica demonstratio, qua stabiliatur veritas historiae evangelicae. E contrario fundamentum, super quod ipsa reformata ecclesia incumbere facit veritatem religionis et propter quod acceptat Verbum Dei in Scripturis tanquam expressionem fidei suae,

neque situm est in testimonio Ecclesiae neque in testimonio ipsius Scripturae, multo minus in demonstratione historica authenticitatis et veracitatis librorum sacrorum, sed in testimonio Spiritus S. h. e. in consensu eorum, quae Deus per suos legatos secundum Scripturam revelavit, cum iis, quae ipse per suum Spiritum revelat in ratione et conscientia hominis, cuius oculus, in societate cum Christo, ad veritatem patet ». Atque haec est ea claritas, quam Protestantes iam ab initio asseruerunt Scripturis, claritas non naturalis sed supernaturalis, ope nempe magisterii interioris Spiritus S. Nemo enim, aiunt, credit Scripturis nisi doctus a Deo, docetur autem a Deo per fidem infusam, quae donum est Spiritus S.: quocirca nostrum credere Scripturae pendet a Spiritu S. ideoque ipsa auctoritas Scripturae, quae dogma quoddam est et quam credimus, pendet a Spiritu S. agente in conscientiis nostris. Quis neget inter ea, quae nobis credenda fides proponit, esse Scripturarum auctoritatem? omnis autem fides est infusa a Spiritu S. Patiantur ergo Catholicos (ita olim doctores Protestantes vocabant sectam suam) Papistae asserentes Spiritum illum esse, qui nos de Scripturis dubitare non sinit. Ita Daniel Chamier in suis מִלְחֶמוֹת יי tom. 1. lib. VI. c. 3. (Genevae 1626.). Cf. et Confessionem Gallicae Reformatae Ecclesiae art. 5. Utile non negat is Ecclesiasticum magisterium, sed negat necessarium; cum Spiritus S. satis superque sit. Ibid. n. 11. Sane, aiunt, testimonium Spiritus S., qui in nobis per fidem testatur veritatem Scripturarum et singula dogmata ibi contenta, est testimonium summum: nulla enim auctoritas est praestantior auctoritate Spiritus S. aut ei comparanda: facessat ergo auctoritas magisterii Ecclesiastici. Ibid. c. 4.

At hic est verborum lusus et putida aequivocatio. Scilicet Spiritus S. per habitualem fidem infusam idoneos nos reddit ad supernaturaliter credendum ea, quae magisterium Ecclesiae, sive proponendo Apostolicam traditionem sive Scripturas interpretando, docet et idem Spiritus per interiores illustrationes actuales facit, ut supernaturaliter apprehendamus ea, quae Magisterium extrinsecus proponit et per inspirationes voluntatis nos movet et adiuvat, ut libere assensum praebeamus veritatibus apprehensis, *conc.* Spiritus S. singulis fidelibus interius loquitur, affirmans doctrinam contentam Scripturis et sua manifestata seu quam sentire facit, auctoritate confirmans, ita ut proinde veritatem manifestet de eaque certiores singulos interius faciat independenter a magisterio Ecclesiae, *subd.* posset, si vellet, in alia oeconomia, *transeat*, praestat id in hac oeconomia Ecclesiae a Christo institutae, *nego.* Spiritus S. dicitur interius docere, quatenus interius praeveniendo et adiuvando praeparat atque deinceps operatur nobiscum actum fidei,

efficiens id proinde quod ad rationem *subiectivam* actus pertinet. Qui actus *obiective* ab extrinseco tantum determinatur, accipiens a magisterio extrinseco id, quod credendum est ipsique magisterio extrinseco innixus, ex eo certitudinem mutuatur quod revelatum sit a Deo ideoque Deo credendum id quod proponitur. Id prorsus aliud est a propria dicta locutione interiore Dei, qua Deus se manifestat homini tanquam affirmantem ea, quae cognoscere facit et sua auctoritate confirmantem. Hoc pacto se gerit Deus cum homine aliquid revelans: ita agebat in Prophetis.

Porro Protestantes vellent Spiritum S. tum frequenter saltem, immediate proponere menti obiectum credendum, cum scilicet littera Scripturae obscura est et pluribus fidelibus nullum sensum fundit, tum immediate per se gignere certitudinem in mente, ideoque auctoritate sua manifestata, quod haec sit veritas revelata, hoc Verbum Dei, haec sit auctoritas Scripturae et hic liber sit Scriptura. Haec autem foret proprie dicta interior locutio, quae est vera revelatio, quae et ad veritates iam traditas se porrigere potest. Id vero falsum esse ipsa experientia testatur. Quis enim sibi conscius est huiusmodi interioris disciplinae seu divinae locutionis? ea profecto non ad solos Protestantes sed ad omnes, qui Scripturas pie legunt, pertinere deberet. Quî fieri rursus potest, ut Spiritu veritatis interius hoc pacto docente, ii, qui se ab eo edoctos praedicabant, non convenirent in interpretatione Scripturae? Praeterea, quod Remonstrantes Contraremonstrantibus iure obiiciebant, « sic committitur circulus. Si enim interrogentur, unde sciant Scripturam esse divinam, respondent, ex testimonio interno Spiritus S.: si urgeantur, unde cognoscant testamentum illud, esse testimonium Spiritus S. (non suam opinionem), respondebunt, e Scriptura. » Ita Limborch *Theol. Christ.* l. 4. 17. Tum purus putus subiectivismus inducitur. « Pone (ait Episcopius *Institut. Theol.* IV. sect. 1. c. 5.) Iudaeum aut Muhamedanum asserere pari animo et fiducia, Spiritum S. sibi testari, libros istos non esse divinos, quam viam inibit ut suum testimonium verum, horum falsum esse doceat? » Burmann quidem *Synop. Theol.* I. c. 4. 21. respondet « testimonium illud propriam lucem secum fert, nec dubitare fidelem sinit, si quis sperans, credens, amans sit, se credere, amare, sperare ». Sed haec verba sunt. Nimirum hic Spiritus S. interius docens non est nisi ipsa ratio humana singulorum; quod posteriores haeretici, patres suos irridentes, aperte testantur. Ita I. II. Scholtens l. c. pag. 191. seqq. (cf. pag. 200. seqq. edit. 3ª.) et ita obtinet rationalismus. Merito proinde Catholici primos Protestantes reprehendebant, quod Scripturae interpretationem *spiritui privato* h. e. individuali cuiusque rationi subiicerent.

V. Itaque ut ad argumentum redeamus: necesse est, exstare certum medium, quo veritates revelatas certo cognoscamus: id vel erit Scriptura sola, vel interius magisterium Spiritus S., vel exterius authenticum magisterium; atqui non primum et alterum: restat ergo tertium. Nullum vero circulum haberi in catholica demonstratione, demonstrabimus in ultima propositione de hac re.

VI. An magisterium quodvis reiecit Ignatius verbis illis non satis per se claris ad Philadelph. 8. « Cum audirem quosdam dicentes: nisi invenero ἐν τοῖς ἀρχείοις (al. ἀρχαίοις), non credo Evangelio et dicente me ὅτι γέγραπται, respondebant mihi ὅτι πρόκειται. Mihi autem αρχεῖα (al. ἀρχαῖα) sunt Iesus Christus, incorrupta αρχεῖα (al. αρχαῖα) crux eius et mors et resurrectio eius et fides per ipsum ». Loquitur contra contentiosos probabiliter Iudaeos. Videtur lectio duplex ἀρχεῖα et αρχαια in idem tandem redire. Illi requirebant testimonia veterum librorum, quos Iudaei in archivis suis custodiebant. Cum Ignatius responderet in Scripturis V. T. contineri, puta in vaticiniis, quod Evangelium tradit, illi reponebant ὅτι πρόκειται, nempe id est quod proponitur, inquisitioni scilicet, circa hoc versatur quaestio, hoc est nempe demonstrandum. Subdit Ignatius: mihi vero pro archivis et omnibus antiquis monumentis seu documentis est Iesus Christus, eius crux etc. Qui Christum iam novit ex magisterio Ecclesiae et Scripturis eumque diligit et in hac dilectione eum sibi praesentem experitur, ita profecto loquitur, non ut reiiciat auctoritatem Magisterii aut Scripturae, sed ut inutiles quaestiones praecidat cum contentiosis, qui non amore veritatis sed studio partium ducuntur.

§. XXXIX.

Non bene contra institutionem Magisterii authentici producuntur testimonia Scripturae Ierem. XXXI. 33. 34. Isaiae LIV. 13. coll. Ioan. VI. 45. Matth. XXIII. 8. 11. 1. Ioan. V. 10. II. 20. 27. IV. 1. 1. Thess. V. 21.; *haec enim aut huc non spectant aut cum prioribus a nobis allatis componenda sunt, ita ut haec testimonia vel actus suadeant quorum exterius magisterium sit norma, vel interiorem gratiam significent, qua salutariter efficax evadit magisterium.*

I. Ex testimonio Ieremiae duo urgeri possunt; alterum positivum; *dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam*, alterum negativum *et non docebit ultra vir proximum suum dicens: cognosce Dominum*, quibus una et institutio magisterii interioris et negatio exterioris traduntur: quae est ipsa thesis Protestantium.

Respondeo, prophetam hoc in loco comparare T^m N^m veteri et illius prae isto excellentiam exponere. Ut autem verba sonant, loquitur quidem de Foedere novo, sed quatenus ineundum erat cum domo Israel et cum domo Iuda. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum.* Iam vero excellentia foederis Novi, quam propheta exponit, haec est, interior gratia et sanctificatio, qua possint, ut oportet, implere legem; gratia interior illustrationis, qua cognoscitur lex et inspirationis, qua amatur et fit.

Gratia enim interior propria est Testamenti novi; qua de re in Tract. de Gratia. Hoc sane pacto Deus dat legem non solum exterius per litteram, quae sola occidit; quia per eam solam sola habetur cognitio peccati, sed interius quoque per Spiritum vivificantem: huc ergo spectat haec prior pars vaticinii, ut gratiam interiorem promittat, qua lex et doctrina exterius proposita valeat salutariter adimpleri. Quod spectat ad alteram partem; eius expositionem iam dedimus in libro *de Veritate historica libri Iudith aliisque Scripturarum locis.* §. 3ª, quam expositionem breviter heic perstringimus.

Scilicet propheta, qui de foedere novo ineundo a Deo cum Iudaeis locutus est in priore parte vaticinii, nunc praedicit, quod aliquando omnes Iudaei illud foedus suscipient; ut idcirco non amplius futurum sit opus, quempiam Israelitas hortari, ut Dominum cognoscant; eo quod nempe omnes cognoscent Dominum. Quocirca verba haec: *non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum, dicens: cognosce Dominum* spectant ad solos filios Israel et Iuda et, promissa plena eorum in fine seculorum conversione ad Dominum, edicitur non amplius futuros, qui eos hortentur ut Dominum suum cognoscant. Perperam vero heic symbolice acciperentur domus Israel et domus Iuda; nam agit Deus de iis, quorum cum patribus iam iniit foedus, quos et eduxit de Aegypto, qui et foedus prius fregerunt: hi autem soli Israelitae sunt. Promittitur ergo illis pactum novum, quod quidem iam ab initio oeconomiae novae cepit per Christum et Apostolos cum eis sanciri; pauci tamen Israelitae tunc et deinceps illud susceperunt. Porro propheta praedicit tempus fore, quo omnes Israelitae amplectentur hoc foedus.

Conversio nimirum praenuntiatur omnium reliquorum Iudaeorum, quae aliquando futura est, cum nempe plenitudo gentium Ecclesiam Christi intraverit. Itaque in hoc vaticinio sermo quidem est de foedere novo, sed cum respectu ad Israelitas.

Haec interpretatio, quod in hac parte vaticinii sermo sit de finali conversione Iudaeorum ad Christum, confirmatur auctoritate Apostoli

Rom. XI. 26. 27. qui idem promittens, nempe, *postquam plenitudo gentium intraverit, omnem Israel salvum futurum*, citat ad id probandum tum vaticinium Isaiae LIX. 20. tum hoc ipsum Ieremiae. Verba enim, quae Paulus subnectit Isaiae verbis, nimirum; *et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum*, non ibi apud Isaiam extant, sed apud Ieremiam hoc in loco. Ergo Paulus vidit in iis Ieremiae verbis eam, quam diximus, promissionem contineri. Nec est cur credas (Wolph. *Cur.* in h. l.) haec verba esse desumpta ex Isaiae XXVII. 9. ubi de testamento nulla est mentio. Citat ergo Apostolus hoc Ieremiae vaticinium, recitatis primis et postremis verbis; nostra itaque interpretatio Apostolo debetur. Non obstat autem quod in epist. ad Hebr. X. 15.-18. provocatur ad idem vaticinium Ieremiae, ut demonstretur id quod non in fine temporum sed in oeconomia nova semper obtinere debet. Nam 1° illud sacer scriptor demonstrat, habita ratione tantum eius boni, quod promittitur, lex nempe scripta in cordibus et remissio peccatorum, ex quo infert non amplius esse locum oblationi pro peccato. Hoc tamen bonum ibi a Ieremia promissum Israelitis, spectat in nova oeconomia ad omnes, ut merito Apostolus indefinite arguat. Non vero heic Apostolus in afferendo vaticinio Ieremiae rationem habet temporis quo impleri debet. 2° Etiam quoad Israelitas vaticinium illud secundum verba, qua in epist. Hebr. citantur; iam impleri ceperat, etsi ex parte, pluribus Iudaeis conversis. Concludimus, vaticinium hoc perperam afferri in quaestione de Magisterio Ecclesiae.

II. Verba Isaiae LIV. 13. sunt: *Ponam... universos filios tuos doctos a Domino* hebr. *discipulos, alumnos Iahveh* gr. πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς θεοῦ. Ioannes referens verba Christi scripsit ἔσονται πάντες διδακτοὶ θεοῦ. Διδακτὸς iuxta 70. respondet τῷ לָמוּד discipulo, qui docetur. Erunt ergo omnes discipuli Domini. Vulgatus forte voluit consuetudinem rei et actus continuationem significare.

Porro his prophetae verbis enuntiatur donum gratiae interioris tum illustrationis tum inspirationis; utraque enim necessaria est, ut quis sit actu discipulus Domini h. e. ut non solum audiat sed et discat h. e. libere credat, ut Christus explicat verbis immediate seqq. Quod hoc donum gratiae interioris enuncietur verbis Isaiae, patet ex citatione Christi, qui in hanc rem ea adhibet. Scilicet Christus locutus de se ipso erat Iudaeis et sic magisterium externum exhibuerat. Id tamen satis esse negat, sed affirmat requiri tractionem Patris, quae alia nequit esse quam interior operatio eius in mente et voluntate hominis. Qui audit a Patre non solum, sed et discit h. e. libere credit, ille venit ad Iesum. Absque hac interiore tractione, quae est etiam operatio Filii,

quia operatio Dei, magisterium externum vel ipsius Christi nihil proficeret.

Itaque Christus non negat necessitatem magisterii externi, quo ipse quoque tunc est usus et quo postea voluit suos Apostolos uti, sed affirmat necessitatem interioris gratiae seu interioris magisterii Patris. Ergo et Isaiae verba heic citata a Christo idem dicunt.

III. In verbis Domini Matth. XXIII. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis*, doctrina moralis continetur.

Reprehenderat Christus in immediate praecedentibus fastum et arrogantiam Scribarum et Pharisaeorum, qui amabant primos accubitus in coenis et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et vocari ab hominibus Rabbi. Post haec subdit: *vos autem* etc. Verba proinde *nolite vocari Rabbi* valent, nolite ambire hunc titulum, ne desideretis hoc nomine insigniri et hac appellatione vocari a discipulis vestris. Inquam, a discipulis vestris: nam id ipsum Christus supposuit, Apostolos suos nempe habituros esse discipulos: nam ordinarie hi sunt, qui aliquem magistrum vocant. His ergo spiritum superbiae, quam Iesus in Scribis et Pharisaeis damnaverat, amoliri vult a suis. Et ratio, quam affert, huc profecto facit, ut hunc tumidum sensum reprimat: *Unus est enim magister vester,* magister omnium, qui vos ipsosque vestros discipulos docet: cum vos quoque discipuli sitis huius unius universalis Magistri, quaenam esse causa potest cur inflemini? *omnes vos fratres estis;* quae qualitas non perimitur accessione dignitatis aut auctoritatis. Christum moralem sensum intendere patet et ex seqq., ubi iterata sententia: *nec vocemini magistri; quia magister vester unus est Christus,* subdit: *qui maior est vestrum, erit minister vester: qui autem se exaltaverit, humiliabitur* etc. ubi, ut vides, supponitur quod aliquis ex Apostolis sit futurus maior et modus se gerendi ei praescribitur.

Verba igitur Christi non excludunt institutionem magistrorum in Ecclesia, imo supponunt futuros huiusmodi magistros seu eos, qui habituri sint discipuli, a quibus vocentur Rabbi: quemadmodum verba: *et patrem nolite vocare vobis super terram* v. g. non negant futuros patres ratione magisterii et directionis; quemadmodum se esse Apostolus Corinthiis professus est 1. Cor. IV. 15.; sed normam tantum moralem praescribunt, qua tales Magistri se gerant, modestiam nempe et humilitatem.

IV. 1. Ioann. V. 10. sermo est de testimonio Dei, quod in se habet ille, quid credit in Filium Dei. Id vero non est ea locutio interior, quam volunt Protestantes, sed est vita aeterna (utique in germine)

quae per fidem nobis inest. Ita enim se explicat Apostolus v. 11. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus.* Cohaerent haec cum verbis Iesu apud Ioannem XVII. 3. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum.*

V. 1. Ioann. II. 20.-27. ut intelligatur, perpendere oportet haec. 1° Ait Apostolus se scribere iis, qui iam veritatem sciunt v. 21. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem sed quasi scientibus eam.* Unde vero eam noverant? ex seqq. patet, quod a magisterio apostolico eam acceperant. Sane 2° hortatur Apostolus fideles, ut retineant, quod ab initio audierunt v. 24. *Vos, quod audistis ab initio, in vobis maneat.* Subiectionem ergo perennem magisterio extrinseco postulat Apostolus. 3° Conditionem necessariam, ut fideles maneant in Filio et Patre, esse ait, si in ipsis permanserit quod audierunt ab initio v. 24. *Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis.* 4° Ait, se quae heic scripsit, scripsisse de iis, qui eos seducunt v. 26. *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Tum subdit immediate verba controversa: *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis* (habes hebraismum. *Vos* nominativum absolutum: *ad vos quod spectat*, atque figuram attractionis, *unctionem* pro *unctio*) *et non necesse habetis ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus..., manete in eo.* Idem iam dixerat ab initio v. 20. *Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia.*

Iam vero manifestum est, quod cum dicit fidelibus: *non necesse habetis ut aliquis vos doceat*, non reiicit omne magisterium extrinsecum; quoniam postulat ut pergant tenere ea, quae audierunt, utique a magisterio, sed reiicit magisterium alienum, quod, nova docendo, eos seducere vellet; haec enim testatur se eis scripsisse propter *seductores.* Cum itaque fideles omnia iam ab Apostolis edocti essent, opus profecto non habebant ut ab aliis, qui alieni erant ab Apostolis, docerentur. Hortatur scilicet eos, ut caveant sibi a doctoribus, quos antichristos paulo ante v. 18. vocavit, qui doctrinam excellentiorem apostolica promittebant, certiores eos faciens quod ipsi omnia iam noverant instructi ab Apostolis. Cogita aggressiones erumpentium sectarum Gnosticorum, qui se doctiores Apostolis venditabant in ipsa Christi doctrina et facile assequeris sensum Apostoli. Eodem pacto nunc dicimus catholico, quem haeretici magistri obsident: habes doctrinam Ecclesiae, habes Deum te per Ecclesiam docentem: non opus est, ut alius te doceat. Unctio vero, quam ipsi acceperant a Sancto et quae ipsos docebat omnia vv. 25. et 27., non est seiungenda a magisterio, a quo audiverant id quod constanter tenere debebant, ut in Filio

et Patre manerent v. 24. Certe si abiecta subordinatione ad illud magisterium desinerent esse in Patre et Filio, desinerent quoque habere unctionem Spiritus S.; ergo utrumque coniungit Apostolus, magisterium externum et unctionem Spiritus. Unctio ista ergo est interior gratia quae aperit intelligentiam eorum, quae Magisterium externum docet, ut illud prout oportet intelligamus, diligamus et abhorreamus ab haereticis alia docentibus et nova promittentibus.

VI. 1. Ioann. IV. 1. vult Apostolus fideles probare spiritus, si ex Deo sint, quia multis pseudoprophetae exierunt in mundum. Paulus quoque 1. Thess. V. 21. ait *omnia probate, quod bonum est tenete.* Haec vero contra magisterium externum authenticum nihil faciunt. Nam qui probat ita ut aliquid recipiat, aliquid reiiciat, utitur aliqua norma: non est autem opus, ut ipse sit auctor normae, sed norma potest uti ab extrinseco accepta. Atqui haec est conditio fidelium, qui secundum doctrinam, quam a magisterio authentico accipiunt, probare omnia possunt, bona ne sint an mala, vera an falsa. Neuter autem Apostolus dicit, normam, quam sequi debeant fideles in probatione sua, esse internam vel esse solam Scripturam: quid ergo habes contra institutionem authentici Magisterii? Nonne eodem pacto urgeri possent haec verba contra Protestantes: fidelium est omnia probare; ergo ex Scripturis non pendent. Negas consequentiam? negamus et nos atque meliore iure, qui demonstramus institutionem magisterii, cui subiecti homines evadunt et manent fideles. Nam, puto, uterque Apostolus fideles alloquitur; supponunt ergo eam subiectionem. Quapropter Ioannes suis fidelibus l. c. tanquam normam proponit dogma de adventu Iesu Christi in carne: quod dogma per Apostolorum magisterium notum factum fuerat. I. 1. seqq.

Igitur testimonia hactenus expensa ne minimum quidem pugnant cum doctrina de instituto authentico Magisterio in Ecclesia.

§. XL.

Hactenus asserta infallibilitas Magisterii et Ecclesiae ad alia se porrigit, quam meras veritates revelatas.

I. Scilicet non paucae sunt veritates, quae revelatae quidem non sunt, connexionem tamen specialem habent cum veritatibus revelatis. Connexio in eo est, quod earum veritatum licet non revelatarum certitudine deficiente, sive admisso seu permisso errore iisdem adverso, vel subiectiva fides fidelium circa aliqua dogmata consistere non possit, deficiente veluti aliqua conditione, vel fidei obiectivae integritas penes fideles animarumque salus plus minus periclitetur; unde oportet certo

sciri quid his in rebus tenendum sit. Spectant ad priores ea quae dicuntur facta dogmatica. Ad aliam classem spectant *a)* alia rursus in facto posita, nimirum *textus* qui dicuntur *dogmatici;* textus nempe humanae quidem originis, at quoad doctrinam, quam continent, conformes vel difformes doctrinae revelatae. Veritas in his necessaria scitu haec est, utrum hi textus sint necne conformes veritati, utrum necne haeresim aut errorem contineant. Spectant *b)* ad hanc classem plures veritates sive speculativae sive practicae adversae iis propositionibus falsis ex quibus periculum fidei vel animarum salutis consequi potest.

Quod ut clarius intelligatur, distinguendum est inter id cuius *certitudo* nobis necessaria est ut aliquid aliud sit *certum*, et id cuius veritas necessaria est, ut aliquid aliud sit *verum*. Id enim cuius certitudo (utique subiectiva) nobis necessaria est, potest esse aliquid prorsus extrinsecum rei verae, quae a veritate illius sit independens: ita certitudo immaculati conceptus B. V. requirit certitudinem de auctoritate illius qui eum definivit; haec tamen veritas extrinseca est veritati immaculati conceptus, nec necessaria ut hic sit verus. Id autem cuius veritas necessaria est ut aliud sit verum, quod idcirco huiusmodi est ut si ipsum sit falsum, et aliud quoque falsum sit oporteat, est ita intrinsece nexum cum veritate huius alterius, ut sit elementum quoddam adaequatae veritatis eius contineaturque comprehensione eius veritatis. Ita elementum veritatis de animi immortalitate est eiusdem spiritualitas. Quare intellectus qui rem comprehendit, cum unam veritatem affirmat, intendit quoque affirmare implicite quidquid cum ea veritate est necessario nexum *connexione veritatis:* secus enim contradictio quaedam in affirmatione haberetur. Contingit quidem frequenter, ut cum aliquid affirmant homines, non intendant, imo positive nolint affirmare id quod tamen cum eo quod affirmant est intrinsece nexum; sed id ex eo oritur quod homines non comprehendant res atque errori sint obnoxii: intendunt nihilominus affirmare quidquid censent esse cum re affirmata connexum intrinsece. Cum ergo Deus omnia comprehendat, si quid affirmat, eo ipso implicite affirmat quidquid cum eo intrinsece nexum est connexione veritatis. Attamen non exinde sequitur, has omnes veritates esse revelatas. Etenim veritas revelata ea dicitur, quae sit terminus talis divinae locutionis, ut ad eam tenendam non opus sit, tamquam motivo, nisi auctoritate Dei loquentis. In ea comprehenduntur etiam omnia quae sola analysi in revelata reperiuntur, nam ea sunt veluti partes aut elementa veritatis revelatae, eademque nobis a Deo loquente manifestantur. Eae autem veritates, quae ope alterius veritatis ex revelata, deductione plus minus proxima, colliguntur, licet implicite affirmentur a Deo, supposito veritatum neces-

sario nexu, non tamen a Deo sunt revelatae; quia non manifestantur nobis a Deo loquente: nam ut eas teneamus non sufficit auctoritas Dei, sed requiritur etiam principium aliquod rationis, quae in ratiocinio instituendo falli tandem potest. Sunt ergo revelatae quaedam veritates, quaedam sunt nexae cum revelatis, non revelatae. Iam vero si veritates illae deductae negentur, periclitari potest fides; nam admisso opposito errore, potest ope ratiocinii ex eo deveniri ad negandum id quod est de fide. Et si veritates eae spectent ad mores, potest, iis negatis, periclitari pietas et salus animarum propter eandem rationem. Sicut ergo errores iis veritatibus adversi detrimentum afferre possunt fidei et saluti animarum, ita propugnatio earum veritatum utilis et necessaria esse potest, ut fides integra servetur animarumque salus sit in tuto.

Quemadmodum veritates nexae cum revelatis sunt eae quae ex his colliguntur ope alterius veritatis non revelatae: ita esse possunt et aliae quae a Deo revelante supponantur, licet non revelentur; quibus negatis nec certitudo circa veritates revelatas possit consistere. Cum enim ordo revelationis supponat ordinem rationalem nec omnes veritates huius ordinis Deus revelaverit, nihil impedit quominus aliquas Deus supposuerit, implicite quidem affirmans, sed non manifestans. Huiusmodi autem veritates ad priorem classem spectarent.

Ceterum advertendum est quod ut defendamus id quod proponimus in Thesi, opus non est ut definiamus determinate quaenam sint hae veritates nexae cum revelatis; sed probata possibilitate earum, quod iam praestituimus, satis est nobis hypothetice loqui: si nempe sunt huiusmodi veritates et errores proinde iis oppositi; circa haec exerceri potest auctoritas infallibilis Ecclesiae. Refellendi sunt enim adversarii Ecclesiae, qui contra eius auctoritatem excipiunt dicentes, plura, quae ab ea definiuntur, non esse revelata sed rationalia vel philosophica; ideoque extra ambitum auctoritatis Ecclesiae: satis est autem ad hos refellendos statuere, quod etsi hae veritates non sint revelatae, tamen auctoritas infallibilis magisterii Ecclesiae ad eas se porrigit. Hic est enim Ecclesiae sensus, quod nempe ipsa ius habeat auctoritate sui magisterii uti tum circa veritates revelatas tum etiam circa alias. Qui quidem sensus ex his liquet. Primo enim Ecclesia proscribendo propositiones falsas, non eas tantum proscribit, quae censura haeresis dignae sunt; sed quae erroneae, falsae, perniciosae, scandalosae, temerariae, piarum aurium offensivae etc. sunt. Deinde id evidentius declaravit Romana Sedes, scilicet Pius IX. in Brevi *Gravissimas inter* 11. Decembris 1862. et alio *Tuas libenter* 21. Dec. 1863. Cf. Enchiridion Denzinger edit. 4ª pag. 456. et 463.

Circa haec igitur contendimus versari infallibilitatem Ecclesiae.

Quaestio excitata est a Ianseniānis quoad facta dogmatica, occasione damnationis libri Iansenii, cui titulus *Augustinus*. Textus dogmatici speciali ratione nectuntur cum doctrina revelata, nam vel continent ipsam, vel continent oppositam ipsi doctrinam. Cum impossibile sit aliquem librum doctrinalem non continere aliquam doctrinam, quae vel vera vel falsa sit oportet; quemadmodum fieri nequit ut humano more loquaris, quin aliquid dicas: haec duo, doctrina quaedam quae est obiectum libri quaeque per se spectat ad ius et expressio eius per librum quae est ipsum factum, inseparabilia sunt unumque re constituunt, scilicet expressionem doctrinae per scriptum, sive doctrinam scripto expressam. Si definitur, librum aliquem continere doctrinam veram vel falsam, obiectum directum definitionis, in quod nempe tendit directe intentio definientis, est ipsum factum, obliquum est ius, quod simul cum illo definitur; si enim dicis librum hunc continere haeresim, dicis quoque doctrinam, quae eo continetur, esse haeresim. Definitio huius facti huc redit, ut definiatur sensus libri. Sensus autem duplex distingui debet: sensus in mente auctoris exsistens et sensus quem verba simul constructa et ordinata ex se ipsis exhibent nataque sunt gignere in mente eorum qui illa verba intelligunt. Ille prior dici potest sensus subiectivus, hic obiectivus. Ratio cur distinguere oporteat, est quia fieri potest ut aliud quis dicat quam quod mente versat et vult significare, atque de actibus mere internis Ecclesia nequit iudicare. Sensus autem obiectivus merito dicitur intentus ab Auctore; quia iure praesumitur, ipsum voluisse dicere quod dicit. Praeterea significatur ea formula, quod sensus, qui libro tribuitur, non est confictus et ab extrinseco veluti illatus, sed vere exsurgit ex toto contextu scriptionis ab Auctore profectae. Porro definitio Ecclesiae non nisi super hunc sensum cadit. Neque cum liber definitur haereticus, definitur eo ipso quod auctor fuerit formaliter haereticus: potuit enim imprudenter errare.

II. His positis, ut demonstrationem ingrediamur, praestituere oportet, Ecclesiam non esse tantum *testem* veritatis, sed *magistram* et *iudicem*. Scilicet Ecclesia instituta est ut homines in salutem deducat: deducit autem primo docendo, tradendo nempe salutarem doctrinam et errores saluti infestos removendo. Finis ergo Ecclesiae postulat ut ipsa sit magistra veritatis omnis salutaris et per eam cavere possint homines errores omnes, qui salutis consecutionem impedire possent. Unde Ecclesiae magisterio promissus est Spiritus veritatis, qui ducet illud in omnem veritatem, omnem nempe necessariam saluti hominum. Prout ergo Ecclesia veritatem docet erroresque proscribit idque exsequitur auctoritate coactiva, est *magistra veritatis*. Et quia necesse fuit ut eadem auctoritate controversiae circa doctrinam finirentur, quatenus

id praestat Ecclesia, dicitur esse *iudex doctrinae*. Prout vero docens vel iudicans refert eam veritatem, quam a Deo revelante accepit, dicitur esse *testis veritatis;* exsequitur enim munus testantis. Haec nequeunt ab ullo negari. Quaestio est autem an eatenus pateat munus *magistri*, quatenus patet munus *testis:* munus vero testis intelligitur munus authentice testandi factum revelationis alicuius veritatis: veritas autem revelata intelligitur ea, quam superius definivimus. Huc redit omnis nostra controversia cum adversariis, qui volunt Ecclesiam illud solum docere posse, quod Deus revelavit. Probamus ergo 1° auctoritatem magisterii Ecclesiae se porrigere ad alias veritates, ad eas nempe quarum iam notionem dedimus: 2° in his quoque docendis, sicut et in proscribendis erroribus oppositis, infallibile esse Ecclesia magisterium.

Sane quoad 1^m^ Magisterium Ecclesiae eo spectat ut per veram doctrinam dirigat fideles in salutem: oportet ergo ut illud omne docere possit, quod scitu necessarium vel utile est ad salutem omnesque eos possit removere errores, qui impedimento esse possent consecutioni salutis. Item Ecclesiae commissum est depositum revelationis integre et inviolate custodiendum: munus proinde Ecclesiae incumbit sollicite curandi, ut Christianorum fides pura sit et intemerata, ut veritas immunis ab omni commixtione erroris conservetur et deceptionis periculum removeatur. Officium proinde incumbit Ecclesiae curandi, ne credendum aut tenendum proponatur, quod veram notitiam fidei labefactare posset. Atqui plures sunt veritates praeter revelatas, quas necesse est vel utile scire: plures sunt errores, etsi non directe oppositi veritatibus revelatis, quos tamquam tales cognoscere rursus necesse est vel utile, ut fides integra et illibata in fidelium mentibus conservetur, ut periculum verae amittendae fidei caveatur atque ita viam salutis tuto arripere valeant fideles: ergo. Maior est evidens: minor patet ex iam dictis: fac enim dubios fideles exsistere circa ea facta, quae diximus dogmatica, aut illa negare, concilium puta vaticanum non fuisse legitimum: neque fides eorum circa definita ab eo perseverare poterit: fac eos putare librum aliquem haereticum continere doctrinam catholicam, cum plurimi praesertim idonei non sint ad diiudicandum inter verum et falsum, decepti facillime amplectentur doctrinam haereticam: fac eos tenere doctrinas oppositas deductionibus ex veritatibus revelatis, eo tandem adduci poterunt ut ipsas veritates revelatas negent. Ita vero et puritas fidei violatur et impeditur via salutis, a qua error praesertim in re morali abducat necesse est. Porro his occurri non potest nisi magisterio: ius autem et officium docendi habet Ecclesia, quae instituta est magistra omnium in iis quae salutem spectant, cuique soli concreditum est depositum revelationis. Ergo.

Idem confirmatur praxi et doctrina Ecclesiae quae, praeter haereses, proscripsit quoque errores adversos veritatibus, quas fides supponit, vel quae ex fide et ratione deducuntur: cf. articulos Nicolai de Ultricuria damnatos a S. Sede an. 1348. (Denzinger p. 183.), articulos Wiclephi et Hus damnatos in Concilio Constantiensi et tot propositiones a sequentibus Pontificibus damnatas. Speciatim quoad textus dogmaticos, Concilium V. coactum est pro proscribendis tribus capitulis: quoad facta dogmatica, Martinus V. in Bulla *Inter cunctas* praecipit interrogari suspectos « utrum credant quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor b. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei ». Non solum ergo definitur, credendum generatim hoc verum, nempe quod canonice electus in Romanam Sedem sit successor Petri: sed quod haec persona (id enim sibi volunt ea verba: *eius nomine proprio expresso*), puta hic homo, qui dicitur Leo XIII., est successor Petri, habens auctoritatem in Ecclesia: hoc porro est factum dogmaticum. Ecclesia ergo censet auctoritatem sibi competere proponendi huiusmodi vera et exigendi in ea fidem a subditis.

III. Dicimus 2° magisterium Ecclesiae quoad has quoque veritates esse infallibile. Etenim id requiritur illa eadem ratione, qua requiritur in his auctoritas Ecclesiae, quae facere non posset satis suo fini, si fallibilis esset. Hoc enim posito nec ipsa obligare valeret fideles ad credendum quod proponit, nec certo constaret verum esse quod ipsa docet: ideoque finis huius magisterii non obtineretur. Et sane Ecclesia infallibilis esse debet in custodiendo deposito fidei; est enim columna et firmamentum veritatis: oportet ergo ut infallibilis sit in iis actibus, quibus depositum fidei custoditur; atqui huiusmodi actus non sunt solum definitiones dogmatis revelati haeresumque condemnationes, sed et ii sunt quibus errores proscribuntur, ex quibus damnum fidei oriri potest oppositaeque veritates statuuntur, quibus textuum dogmaticorum sensus determinatur: ergo in his quoque definiendis infallibilis est Ecclesia. Item infallibilitas est dos necessaria magisterii Ecclesiae; eo ergo se porriget quo ex officio sibi imposito se porrigit auctoritas docendi: atqui haec se extendit quoque ad alias veritates; ergo.

Et re quidem vera id semper creditum est in Ecclesia, in qua semper absolute affirmatum et retentum est Ecclesiae magisterium esse infallibile; in qua, licet ea definita sint, quae non erant revelata ut e. g. tria capitula esse haeretica, nihilominus semper postulata est fides ea quae debetur magisterio infallibili. Ecclesia praeterea huiusmodi suis definitionibus assensum mentis interiorem praecepit eumque necessarium esse decrevit et declaravit Clemens XI. (Constit. *Vineam Do-*

mini) et ex conscientia deberi Pius IX. locis superius citatis. Atqui auctoritas fallibilis nequit praecipere assensum mentis suis definitionibus, qui ex conscientia debeatur, sub poena proinde aeternae damnationis: censet ergo Ecclesia se in his quoque infallibilem esse (a).

Speciatim autem quoad textus dogmaticos possunt Ianseniani refelli argumento ad hominem. Nam et ipsi concedunt Ecclesiam in damnandis propositionibus haereticis e. g. quinque Iansenii, infallibilem esse. Atqui qui id concedit, concedit Ecclesiam falli non posse in determinando sensu propositionis damnatae; nisi enim id verum sit, Ecclesia poterit tanquam haereticam traducere propositionem catholicam et ita haeresim docere cum propositionem proscribit. Atqui propositio aliqua et libri contextus integer non differunt specie, sed tantum materialiter secundum plus et minus: ergo si infallibiliter determinat Ecclesia sensum propositionis, potest et totius libri determinare infallibiliter sensum. Et sane si potest unius propositionis, poterit et alterius et ita porro: ex propositionibus autem exsurgit liber. Aut dicant nobis Ianseniani quanta debeat esse propositionis magnitudo, ultra quam desinit infallibilitas Ecclesiae.

IV. Diximus Ecclesiam definire infallibiliter posse veritates eas, quarum notitia certa sit necessaria vel *utilis*. Ratio cur hoc addiderimus est quia si notitia certa eius veritatis utilis est pro conservanda integritate dogmatis aut salute animarum collocanda in tuto, vel si pariter ad eundem finem utile est nosse propositionem aliquam falsam esse et reiiciendam, iam adest connexio eius veritatis cum dogmate, quatenus conducit ad integritatem eius servandam et pariter connexio erroris cum dogmate, quatenus conduceret ad illud labefactandum. Porro Ecclesia ius habens ad finem, ius habet quoque ad media h. e. ad id quod est utile ad finem, ideoque et ad definiendam veritatem cuius notitia utilis est ad finem quem intendere debet.

Ex demonstratis liquet auctoritatem Ecclesiae eiusque infallibilitatem in huiusmodi definitionibus esse veritatem revelatam, quamvis obiectum definitum non sit revelatum. Cuiusmodi sit hic actus fidei dicemus mox in sequentibus.

Corollarium. Ergo merito Ecclesia ius sibi vindicat censuris aliis praeter censuram haeresis notandi propositiones, quibus fides et morum honestas quomodocumque impetatur.

(a) Cf. Dissertat. 4^m^ Garnerii in Marium Merc. p. 7. *de Subscriptionibus* etc.; ubi bene demonstrat, huc spectasse Ecclesiam, cum non solum errores, sed et personas damnabat exigebatque subscriptionem utrique damnationi, ut in causa haeresis Pelagianae.

V. Quaeritur, cuiusmodi sit hic actus fidei, qui praestatur Magisterio haec, quae revelata non sunt, docenti. Non est actus fidei divinae, quae auctoritati Dei revelantis innititur; cum revelatio desit: sed est actus fidei religiosae, quae innititur auctoritati Magisterii infallibilis divinitus instituti. Haec fides debetur; quia Magisterium divinitus institutum et infallibile habet ius exigendi assensum ad ea quae docet.

Porro adverte, quod haec fides religiosa praestita Magisterio docenti tunc quoque habet locum, cum Ecclesia proponit credendas veritates revelatas; credimus enim Ecclesiae docenti quod ea Deus revelaverit; quamvis et hoc idem fide divina amplectamur, ut in Tract. de Fide docent Theologi.

VI. Doctrinam Ecclesia proponit per signa sensibilia, quae sunt generatim propositiones ex verbis constantes, quorum significatio iam fixa et nota est ac esse debet, ut quod Ecclesia dicit valeant assequi homines: quod tamen non impedit, quominus Ecclesia nova vocabula composita, cum vis componentium sit cognita, cudere possit atque, si multiplex sit possibilis vocabuli significatio, determinare sensum, quo ab ea accipitur et ab aliis in doctrina fidei accipiendum sit. Porro ex hac necessaria ratione docendi, ut nempe signis Ecclesia uti debeat et quidem verbis cum definit (quamvis enim et aliis signis doctrina proponi possit, quia tamen definitiones Ecclesiae clarae esse debent ita ut quaestiones dirimant, huiusmodi autem signa non sunt nisi verba, opus est ut cum controversiae in ipsa Ecclesia exsistunt, verbis sententia definitiva Ecclesiae proponatur) atque ex fine definitionis, qui est ut veritas manifestetur hominibus errorque profligetur, consequitur necessario, Ecclesiam infallibilem esse in usu formularum quibus doctrinam proponit. Quae infallibilitas in eo est posita, ut verba ab Ecclesia adhibita illud reapse repraesentent quod Ecclesia vult docere, nec fieri possit ut Ecclesia erret in electione et usu huiusmodi signorum: fieri scilicet non possit ut Ecclesia vel contrarium vel diversum extrinsecus per signa dicat ab eo, quod concipit et dicere vult. Sane si id contingere posset, inutilis prorsus esset institutio magisterii Ecclesiae eiusque infallibilitatis; nihil enim homines discerent nec de ulla re certiores fieri possent; cum posita locutione Ecclesiae, adhuc ignorarent, quid ex Ecclesiae decreto credendum sibi esset. Vel si homines crederent quidquid Ecclesia docendo manifestaret per verba, cum credere non valerent nisi quod per ea verba intelligerent, frequenter homines a magisterio Ecclesiae ducerentur in errorem. Cum ergo magisterium Ecclesiae sit sensibile et in suo exercitio sit infallibile, necesse est, ut et forma quoque sensibilis, qua veritas repraesentatur, infallibiliter sit

vera. Neque haec est alia infallibilitas, sed est ipsa infallibilitas magisterii, quod est essentialiter sociale et sensibile: magisterium enim refertur ad discipulos et cum referatur ad homines, refertur modo sensibili; unde magisterium Ecclesiae infallibile est magisterium infallibiliter docens homines sensibili modo.

Et re quidem vera *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. X. 10.); professio nempe fidei postulatur, quae sine certis verborum formulis fieri nequit: ea autem vera esse debet et sub magisterii Ecclesiae directione facienda est. Oportet ergo ut Ecclesia immunis sit ab errore in determinatione earundem formularum.

Unde Apostolus praecipit Timotheo epist. 2ª I. 13. ut *formam habeat sanorum verborum* atque utrumque requirit *formam nempe sanorum verborum* et *custodiam boni depositi: Formam*, inquit, *habe sanorum verborum, quae a me audisti, in fide et in dilectione Iesu Christi: bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis.* Cf. 1ª Tim. VI. 20.

Hinc tot professiones fidei propositae ab Ecclesia cum obligatione illud credendi, quod iis continetur h. e. per eas secundum usum communem loquendi significatur: hinc sanctio certorum terminorum, quibus Fidei dogma certissime repraesentaretur, ut ὁμοούσιος θεοτόκος, *transubstantiatio*, ut haeretici habiti sint, qui eorundem verum sensum negarent eosdemque improbarent.

Quod de infallibilitate magisterii Ecclesiae in formulis verbalibus professionis Fidei diximus, id et de aliis signis, puta picturis et imaginibus, dicendum est, quibus Ecclesia ordinario et universali magisterio doctrinam fidei repraesentat; est enim eadem ratio.

§. XLI.

Si cum authentico Magisterio Scripturae Sacrae comparentur, illud primo tenendum est: etiamsi verum foret omne verbum revelatum Scripturis fuisse consignatum, vim et necessitatem Magisterii integram manere ac decipi Protestantes, cum omnem quaestionem revocant ad exsistentiam quarumdam traditionum non scriptarum.

I. Sane necessitas in Ecclesia Magisterii non oritur ex eo, quod supplere debeat id, quod omissum sit a Scripturis; istud officium erit quid cohaerens cum Magisterio, si forte Scripturae non omnia contineant: sed oritur ex ipsa institutione Christi, qui sicut voluit Ecclesiam suam esse Societatem visibilem perfectam constantem subditis et praepositis, ita voluit etiam esse perpetuos Magistros, qui sibi discipulos facerent, ita ut Christiani fierent et adsciscerentur Ecclesiae suae, functione

huius Magisterii. Hanc institutionem Ecclesiae Christi essentialem non perimit ulla perfectio Scripturarum; quemadmodum in societate civili institutionem iudicum non tollit vel plenissima perfectio Codicis.

II. Vis quoque Magisterii, etsi omne Verbum revelatum scriptum esset, integra maneret. Etenim exercendi huius magisterii continua necessitas se proderet. Nam ab eo docendi essent quicumque Scripturas legere nesciunt aut intelligere: tum et qui Scripturas legere sciunt, primum ab eo recipere deberent Scripturas; istud enim dogma, hos et hos libros, non alios esse Scripturas Dei, nullibi scriptum fuit (quid quid sit quod Apostoli hoc quoque scribere potuerint) et etiamsi scriptum fuisset, Magisterii necessaria functio esset perpetuo testari hos, quos nunc habemus, esse illos eosdem libros, quos Apostoli commendarunt. Praeterea his ipsis fidelibus, qui Scripturas accepissent, Magisterium ius haberet et officium Scripturas authentice interpretandi.

§. XLII.

Pressius comparatis invicem Magisterio et Scripturis et prima ratione habita rei contentae, haec est eorum habitudo: utrumque continet Verbum Dei at non eodem pacto; quoad modum enim originis huius Verbi a Deo, praestant Scripturae, quoad plenitudinem eiusdem Verbi, si sermo sit de Verbo propter se *revelato, praestat Magisterium; si autem consideretur etiam Verbum, quod* propter aliud *Deus est locutus, praestant rursus Scripturae.*

I. Scripturas continere obiective Verbum Dei, certum est nec de hac re modo est quaestio. Magisterium quoque authentice docens, sive eius vel locutio vel scriptio, eius nimirum διδασκαλία (insegnamento) continet Dei Verbum; veritates enim revelatae, quas praedicat, sunt Dei Verbum: cf. e. g. definitiones Conciliorum. Utrumque Verbum origine est divinum unumque est Verbum in Deo, a quo revelante processit Verbum ab Apostolis praedicatum ac partim postea scriptum, a quo inspirante atque etiam revelante processit Verbum Scripturis canonicis consignatum.

II. Cum utrumque origine sit divinum, in hac ipsa origine modus utriusque non est par. Verbum scriptum est verbum ab hominibus quidem scriptum sed inspiratis a Deo, ita ut hoc Verbum, prout quoque scriptum est, ad Deum auctorem directum scriptionis et causam principem determinantem referatur, quae mentem scriptoris dirigit et voluntatem suaviter ac efficaciter movet, ut illud omne et solum scribat, quod Deus vult scribi: patet id ex notione Inspirationis, quam supponimus. At verbum a Magisterio praedicatum et scriptum (excipe primos

Magistros, qui in scribendo inspirati fuerunt, quod heic per accidens est) non ita se habet. Verbum enim eorum utique obiective nempe doctrina seu veritas praedicata, est Verbum Dei; subiective vero, prout est praedicatum aut scriptum, nempe ipsa praedicatio aut scriptio eiusdem non refertur ad Deum veluti directum eius auctorem et causam principem determinantem h. e. efficaciter dirigentem mentem ac moventem voluntatem ad haec determinata loquendum vel scribendum: sed auctor directus et causa princeps determinans est homo (utique sub influxu gratiae), Deus autem solum assistit, ne erret homo loquens aut scribens in iis, quae ad Magisterium spectant. Idcirco praestantior est modus, quo verbum scriptum a Deo pendet. Id tamen nihil officit certitudini verbi praedicati; nam istud ex aequo divinitus infallibile est ac illud, cum divina assistentia satis sit ad eam comparandam et ipsa infallibilitas praeterea non admittat gradus.

III. Si autem sermo sit de plenitudine Verbi, censemus distinguendum esse inter ea, quae in Scripturis continentur, ut comparatio rite institui valeat. Nimirum praestituenda est doctrina s. Thomae 2^a 2^{ae} q. 1. a. 6. ad 1^m, quae huc redit. Ex iis, quae in Scripturis continentur, quaedam sunt credibilia, de quibus est fides *secundum se*, alia sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se sed solum *in ordine ad alia*, sicut etiam in scientiis quaedam proponuntur ut per se intenta, quaedam ad manifestationem aliorum. Porro ea, de quibus est fides *secundum se*, sive ea, quae *per se* ad fidem pertinent, sunt illa quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sive speculativa tantum sint sive moralia: talis est fides mysterii Trinitatis, mysterii Incarnationis Christi, praeceptum caritatis et alia huiusmodi. Alia vero non principaliter intenta, sed tradita ad praedictorum manifestationem sunt e. g. plurima historica, ut quod Abrahamus duos filios habuit, quod ad tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus et alia huiusmodi, quae narrantur in sacra Scriptura in ordine ad manifestationem divinae maiestatis vel Incarnationis Christi, vel in ordine ad ipsam historiam, quacum contexitur manifestatio priorum veritatum, sive speculativarum tantum sive etiam moralium.

Distinctio haec, ut patet, non eo spectat, ut aliqua in Scripturis dicantur esse de fide, alia non, vel alia necessaria ut credantur (fundamentalia), alia quamvis a Deo dicta non necessaria creditu ad salutem (non fundamentalia); alia Verbum Dei, alia verbum tantum hominum. Hoc pacto loquuntur ii haeretici, qui *Verbum Dei* in Scripturis solam vocari volunt *Revelationem Dei* (ita Scholtens op. cit. p. 97. seqq.). Verum omnia in Scripturis dicta sunt Verbum Dei; quia omnis Scriptura (scripturae nomine quaelibet propositio in libris canonicis con-

tenta appellatur) est θεόπνευστος, ideoque omnia quoque sunt credenda: Deo enim loquenti, quidquid sit quod ab eo dicatur, fides est adhibenda; idem enim semper viget formale motivum fidei. At discrimen esse potest ratione habita materiae et finis, propter quem scripta sint. Omnia quidem, quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt Rom. XV. 4. et omnis Scriptura divinitus inspirata est et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia 2.Tim. III. 16.: sed id non postulat ut quaecumque scripta sunt, fuerint et eiusdem dignitatis ac necessitatis et eodem modo intenta a Deo auctore Scripturarum. Nam et quae propter alia intenduntur, ad manifestationem nempe et declarationem doctrinae principaliter intentae, possunt et debent utique valere ad docendum ad arguendum etc. Cf. quamlibet vel minimam partem historiae sacrae.

Haec distinctio s. Thomae hoc etiam pacto efferri potest: distinguenda ea sunt in scripturis, quae *revelata* fuerunt a Deo (sive ipsi scriptori sive alii ante ipsum) et quae *tantum inspirata* sunt.

IV. Hac itaque posita distinctione sic statuimus. Si comparatio fiat inter eas veritates, quae per se credendae sunt. Magisterium auctum fuit in Apostolis plenitudine totius doctrinae necessariae ad salutem; Spiritus enim S. docuit omnia, omnem veritatem Apostolos Ioan. XIV. 26. XVI. 13.

Atqui terminus *omnia, omnem,* quamlibet veritatem, quae credenda in Ecclesia sit, includit integramque complectitur revelationem.

Evangelium sane, quod Apostoli praedicabant, omnem veritatem per se credendam, per quam ad salutem homines directe ordinantur, continebat; id autem Paulus per revelationem Iesu Christi immediate acceperat Gal. I. 11. 12.: par autem erat conditio ceterorum Apostolorum, ut a Christo in terris aut a Spiritu S. idem acceperint.

Scilicet Apostoli usi magisterio Christi et Spiritus S. omnem veritatem per se credendam, quae nondum scripta erat, immediate ab eo acceperunt, sed simul immediate acceperunt et alias eiusdem ordinis veritates, etsi iam scriptas; cum hae pars essent et elementum necessarium veritatum, quas immediate edocendi erant. Plenissime sunt ergo accipienda verba Christi: Spiritum S. docturum Apostolos omnem veritatem, quam nempe Ecclesia credere debet.

Idcirco depositum revelationis Apostolis commissum et per continuam traditionem ad successores transmissum, quod est ipsa traditio Apostolica, integrum prorsus est, continens omnia per se credenda. « Apostoli (ait Ierenaeus 3. 4.), quasi in depositarium dives plenissime in Ecclesiam contulerunt omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae... Quid autem si neque Apostoli quidem

reliquissent nobis Scripturas? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? ». Ergo traditio Apostolica, quam obtinet Magisterium, integra est, omnes veritates possidens, ita ut, quamvis Scripturae deessent, eae tradi certissime a Magisterio possent.

At Scriptura non item: neque enim continet omnia, quae tenenda sunt. Nec mirum id esse debet; quoniam nec necesse fuit aliqua sub inspiratione scribi, cum Magisterium sufficiat et libri singuli Scripturarum determinatae occasioni originem debeant, quae non poscebat omnes veritates scribi. Quod autem reapse Scripturae non contineant omnem veritatem, quae scitu necessaria est in Ecclesia, patet collatione harum veritatum, quarum quaedam exempla iam superius dedimus: quorum numerus augeri potest. Ubi enim scriptum est, hunc canonem his libris constantem esse sacram Scripturam divinitus inspiratam? ubi scriptum est, septem esse Sacramenta? ubi scriptum est ita saltem, ut dubitare non liceat, matrimonium esse Sacramentum, h. e. signum efficax gratiae? Tridentinum quidem Concilium contentum est dicere, id ab Apostolo innui Ephes. V. 25-32.: ubi est scriptum in Apostolis non solum Episcopis sed sacerdotibus secundi ordinis factam esse potestatem remittendi peccata, iis tamen negatam potestatem confirmandi? ubi scriptum est, praeceptum Scripturis consignatum de non edendo suffocato et sanguine (Act. XV. 29.) a tot seculis non amplius valere, ut nec Protestantes observent illud? ubi est scriptum, ita ut ex Scriptura sola certa sit potestas facta Ecclesiae remittendi poenas temporales Deo debitas extra sacramentum? et ita porro. Protestantes huic doctrinae adversantur, non quidem affirmantes esse scripta aut clare scripta quae Catholici negant scripta esse aut sufficienter scripta, sed hoc dato, negantes ea esse dogmata revelata, eo ipso quod scripta non fuerunt. Obtendunt scilicet suum principium ex arbitrio constitutum de plena sufficientia Scripturarum. Qua de re iam plura diximus in superioribus.

V. At si Scripturarum et Apostolicae traditionis comparatio instituatur ratione habita non tantum Verbi revelati, sed cuiuslibet Verbi Dei inspirati; opus non est adstruere, vel pleniorem esse traditionem, vel aeque plenam ac sit Scriptura. Id tantundem esset ac dicere: Spiritum S. docuisse immediate Apostolos, independenter a Scripturis omnem vel minimam historiam, quae Scripturis continetur.

At quid opus erat, Spiritum S. haec per se Apostolos docere? Nonne satis erat, propter ordinem, quem haec ad veritates primi ordinis habebant, aperire Apostolis sensum Scripturarum, quod et Christus fecit Luc. XXIV. 45.

Qui sensus Apostolis inditus Scripturarum non est coarctandus ad sola dogmata revelata in iis contenta; nam plurimae sunt leges, ritus, historiae, quam mysticum sensum continent, ex quo Apostoli argumentantur et omnia tandem ad nostram doctrinam scripta fuerunt. Horum ergo intelligentia indita Apostolis fuit saltem habitu, ut possent, occasione data, recta Scripturarum interpretatione, dogmata et praecepta confirmare et declarare.

Hic ergo integer sensus Scripturarum, cum elementum quoddam fuerit Apostolici Magisterii, perseverasse credendus est in successione Apostolica, non quidem apud singulos, sed in universo corpore Magistrorum vel eius Capite, neque semper actu, sed saltem habitu seu potestate; quatenus Magisterium ecclesiasticum, assistente Spiritu S., facultatem habeat et ius declarandi authentice et infallibiliter quinam sit sensus, quem Spiritus S. intendit quolibet in loco s. Scripturae, qui cum veritatibus revelatis sive speculativis sive practicis aliquam habeat connexionem.

Quoad has ergo veritates secundi ordinis Magisterium ecclesiasticum se exercet, interpretando Scripturas, cum ei visum fuerit.

§. XLIII.

Ratione deinde auctoritatis, absolute quidem pares sunt Scriptura et Magisterium: relative vero quoad nos, a) *prius est Magisterium, quod Scripturas tradere debet,* b) *Scripturae sunt quidem authenticum instrumentum, at Magisterium est earum authenticus interpres, quic) et quaestiones de eo exortas sua auctoritate finire debet. Tandem* d) *Magisterium, non Scriptura, necessarium est pro Evangelii propagatione et fundatione Ecclesiarum.*

I. Cum et Scriptura et Magisterii authentice docentis sermo Verbum Dei contineat infallibiliter, oportet ut in se paris sint auctoritatis. Inspiratio enim etsi addat dignitatem verbo scripto, auctoritatem tamen non addit maiorem: nam auctoritas huc redit, quod sit verbum infallibile, Deo auctore propositum, exigens fidem: atqui tantundem est in verbo Magisterii: etsi modus, quo infallibilitas obtinetur, sit alius.

At si utrumque relative ad nos spectatur, manifestum est ex dictis, quod auctoritas Scripturae nos movere nequit, nisi prius sciamus, quaenam sint Scripturae: id autem non ab ipsa sed a Magisterio discere tantum licet. Certe hoc dogma, nempe libros hos esse inspiratos, Verbum Dei continere, uno verbo esse sacram Scripturam, docere Magisterium potest, quod potest omnia dogmata docere. At non solum

potest, sed debet docere. Nam haec veritas, libros hos esse inspiratos, nec est per se evidens nec demonstrari ratione potest, sed solum certa fieri testificatione. Non autem testificatione humana, sed tantum divina: quia factum inspirationis non subest experientiae humanae vel illius, qui inspiratur, ut a solo Deo sciatur, qui eius est auctor. Testificatio autem divina est ea, quam proferunt testes authentici ab eo missi. Ergo Christus voluit, ut illi hoc ipsum docerent et non nisi ab illis id nos scire possemus.

Ergo oportet ut prius se exerceat in nos Magisterii auctoritas, qua posita, utique Verbo Dei scripto credemus propter eius auctoritatem. Non ergo ab auctoritate Magisterii pendet auctoritas Scripturae, sed ab auctoritate Magisterii auctoritatis Scripturae exercitium in nos ac pendet non tanquam a causa, sed tanquam a conditione. Scire enim quinam sint libri divini est antecedenter nobis necessarium tanquam conditio, ut eis credamus: hanc autem scientiam gignit in nobis Magisterium, quod proinde se tenet ex parte conditionis.

II. Quoniam Scripturae codex sunt divinus, legem continens credendi et operandi, cuius in Ecclesia auctoritas certa est et irrefragabilis, sunt idcirco in hac societate authenticum instrumentum. Sed Magisterium est eius authenticus interpres. Interpres authenticus ille est, qui non solum optime secundum rectae exegeseos principia sensum auctoris exponit, sed id ex auctoritate praestat, quatenus et legitima potestate ius habet exponendi et ius habet ut eius expositio ab aliis recipiatur. Tale vero est in Ecclesia Magisterium respectu Scripturarum. Et sane primo hoc est ius proprium cuiuscumque supremae auctoritatis in societate interpretandi codicem iuxta quem societas se regit: at suprema auctoritas in Ecclesia est hoc Magisterium.

Et re quidem vera Magisterium possidens infallibiliter notitiam plenam revelationis, scit quoque infallibiliter, quaenam sint dogmata, quaenam morales leges, quae Scripturis continentur: cum vero missionem habeat docendi omnem veritatem et expositio Scripturarum sit docendi modus ac maxime naturalis: ius ergo habet exponendi Scripturas: quia vero tandem fideles audire tenentur et sequi idem Magisterium ac non licet certe detrectare assensum infallibiliter docenti: ergo Magisterium ius habet exigendi assensum suis interpretationibus Scripturarum.

Exsistentia huius iuris independens est a quaestione: an Scripturae sint obscurae necne; nam etsi probares Scripturas clarissimas esse, liceret ad summum tibi inferre, non esse necessarium exercitium huius iuris, non vero deesse ius, quod necessario oritur ex ipsa essentia huius Magisterii.

Ceterum 1° etsi Scripturae clarae sint vel ubi clarae sunt, non est inutilis, sed imo frequenter necessaria authentica earum interpretatio. Nam etiamsi clara sit fideli cuilibet vel theologo expositio alicuius testimonii Scripturae, certitudo, quam per se obtinet homo, quocumque medio scientifico adhibito, est tantum humana, per se fallibilis: at certitudo orta ex interpretatione Magisterii authentici infallibilis est certitudo altioris ordinis et firmior, certitudo divino-infallibilis: additur ergo per interpretationem Magisterii aliquid praestantius; non ergo ea est inutilis. Imo, quia sponte contingit ut propter nobis perspectam infirmitatem nostri ingenii nostraeque scientiae, anxii simus et suspicemur, an in huiusmodi rebus divinis verum simus assecuti, quae anxietas et suspicio tolli nequit, nisi intercedente infallibili magisterio et quia praeterea oportet ita tutos reddere fideles a cavillis et fraudibus haereticorum, ut immobiliter in veritate consistant, quod rursus nisi infallibili auctoritate docente fieri non potest: hinc frequenter necessaria est interpretatio huius Magisterii etiam in rebus claris.

2° Falsum est Scripturas in ipsis dogmatis tradendis et praeceptis morum claras esse, multoque magis falsum est claras eas esse omnibus fidelibus. Id demonstrare velle est reapse operam et oleum perdere. Quot Catholici et Protestantes bona fide Scripturam legentes iudicant post accuratum studium se assecutos esse verum sensum alicuius testimonii et tamen utrique dissentiunt! quot Catholici inter se ipsos! pariterque quot Protestantes vel eiusdem vel diversae sectae rursus inter se ipsos dissident! Id nequit semper praeconceptis opinionibus dogmaticis tribui, quae vitiaverint examen, sed causa etiam repetenda ex obiectiva obscuritate rei. Etiamsi Scripturae divinam revelationem docerent methodo scientifica, definitionibus, divisionibus adhibitis, suo proprio loco quamlibet rem pertractantes; adhuc in pluribus claritas desideraretur: liquet id in operibus scientificis maxima cura elaboratis, puta in Summa s. Thomae: quî ergo potest ubique claritas fulgere in opere, quod plerumque historiam narrando, pro re nata, dogmata proponit, e. g. in Pentateucho et Evangeliis? Pro cunctis vero fidelibus difficultas quoque accedit ex stilo, quo haec scripta sunt, alieno in pluribus a stilo nostrorum idiomatum et ex altitudine, sublimitate rerum et ex morali impossibilitate Scripturas omnes simul conferendi et ad certas leges exegeseos exigendi, quod tamen necessarium est ei, qui velit per se ipsum extundere sensum Scripturae. Quis nisi insanus a quolibet homine sciente legere versionem Platonis exspectaret interpretationem omnium sententiarum huius Philosophi? Patres profecto obscuritatem Scripturae agnoverunt, qui et eius rationem non unam reddiderunt. Cf. Bonfrerium in Praeloquio c. 9.

Adverte, quod cum Magisterium et generatim Patres ex notitia traditionis apostolicae Scripturas interpretantur, traditio, quam iidem ita interpretis munere fungentes proferunt, vocari solet *exegetica*, non eo sensu quod a Scripturis tantum sit desumpta, sed hoc sensu quod nempe talis traditio idem quod Scriptura dicit et ad Scripturae intelligentiam h. e. exegesim valet.

III. Consequens necessarium hactenus dictorum est, quaestiones, si quae exoriantur, circa sensum Scripturarum, finiendas esse auctoritate huius Magisterii. Quod finiendae sint, patet: neque enim fides Ecclesiae fluctuare debet aut quiescere in falso aeque ac in vero. Finiri autem nequeunt ratiociniis, quando ipsa ratiocinia sunt, quae quaestioni vires subministrant, non auctoritate hominum, quae nemini imponi potest: sed in societate credentium finiri non possunt, nisi auctoritate publica, sociali eaque divina, cui propter eius missionis et infallibilitatis praerogativam nefas sit detrectare assensum. Quemadmodum ergo in qualibet societate quaestiones circa sensum codicis finiuntur iudicio supremorum magistratuum (etsi identidem erronea), ita et quaestiones huiusmodi in Ecclesia finiri debent auctoritate Magisterii a Christo ipso instituti, ut veritatem omnem doceat et infallibiliter doceat, ideoque inappellabiliter tum quia infallibile est, tum quia super ipsum nullum aliud est in Ecclesia.

Solent Protestantes heic provocare ad verba 2. Pet. I. 19. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem* etc. Sed in opusc. (§. XXXIX. 1.) cit. §. 4. iam ostendimus, hunc esse eorum sensum: *Et habemus* (id nempe assequimur), sermonem propheticum (vaticinia omnia de Christo) firmiorem fieri seu confirmari verbis Patris (*hic est filius meus* etc.), quae Petrus audivit et retulit. Nulla est imaginata comparatio inter auctoritatem Scripturae ac Magisterii. Cf. opusc. cit.

IV. Magisterium necessarium est pro Evangelii propagatione et Ecclesiarum fundatione. Nam propagatio Evangelii commissa est a Christo Apostolis eorumque successoribus *Euntes docete* Matth. XXVIII. 19. *Praedicate Evangelium omni creaturae* Marc. XVI. 16. *Eritis mihi testes... usque ad ultimum terrae* Act. I. 8. Scripturae autem solae nihil conferre possunt, cum non sint, qui illas tribuant et testentur esse Scripturas ac eas rudibus hominibus idololatriae deditis interpretetur. Praeterea nequit fundari et esse ulla Ecclesia sine praepositis (§. II.): hi autem sunt et Magistri, qui proinde regunt et docent. Christus sane voluit Magistros a se missos coadunare sibi discipulos et eos baptizare et baptizatos edocere omnia, quae ipse Christus mandaverat Matth. XXVIII. 19. Baptizandi ergo et baptizati Magisterio subiiciuntur:

porro ex solis istis constat Ecclesia, ergo Magisterium est necessarium propagationi Evangelii ac Ecclesiarum fundationi.

Scripturae autem non sunt necessariae. Nam Magisterium omnia ex se solo praestare valet, docere scilicet quidquid necessarium est saluti suaque auctoritate confirmare. Id patet etiam historice. Nam primis annis Apostoli fundarunt ac rexerunt ecclesias sine Scripturis T. N., quibus christiana dogmatica potissimum continentur. Ita et aliae ecclesiae deinceps sine Scripturis, solius Magisterii ope fundatae et conservatae fuerunt. Huius rei testis est Ireaneus III. 4. « Cui ordinationi (oportere nempe sequi ordinem traditionis) assentiunt multae gentes barbarorum, eorum, qui in Christum credunt sine charta et atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes etc.... Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem barbari sunt, quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conservationem propter fidem sapientissimi sunt et placent Deo ».

Hinc intelligitur quam inepta sit et Christi institutioni contraria methodus missionum Protestantium, qui distributione sacrorum bibliorum lingua vulgari fideles Christo aggregare Ecclesiamque propagare sibi imaginantur totque a se conversos suaeque sectae addictos iactitant, quot eum librum, quemcumque tandem in usum, acceperunt.

§. XLIV.

In demonstratione hactenus allata institutionis Magisterii eiusque auctoritatis et infallibilitatis nulla est petitio principii, nullus circulus.

I. Id nobis Protestantes tribuunt, in nos reiicientes, quod in ipsis merito reprehendimus. Aiunt enim nos probare auctoritatem et infallibilitatem Magisterii ex Scripturis et harum divinam auctoritatem ex illo.

Verum nihil est. Nos innixi sumus in hac demonstratione Scripturis, sed 1° Scripturis materialiter spectatis h. e. iis libris, qui dicuntur Scripturae, sed tanquam monumentis historicis authenticis, quibus (sermo est de T. N.) origo Ecclesiae describitur et voluntas fundatoris declaratur. 2° Scripturis innixi sumus, quia Protestantes eas recipiunt, imo volunt ex solis libris controversias inter ipsos et nos finiri. Ex illis itaque libris tanquam monumentis historicis certis, id Protestantibus exigentibus, demonstramus institutum Magisterium, Magisterium perenne, cui iniunctum officium et facta potestas docendi atque infallibiliter docendi ac tradendi sacras Scripturas (sive eae sint illa ipsa mo-

numenta, a quibus in demonstratione profecti sumus sive alia; id enim ab ipso Magisterio edocendi erimus) easque interpretandi. Ab hoc autem Magisterio discimus tum eos libros, quibus tanquam historicis documentis usi sumus, tum alios esse libros divinitus inspiratos seu sacram Scripturam, ex quibus Verbum Dei hauriri possit.

Atqui heic nulla est petitio principii, nullus circulus. Petitio principii est, cum tanquam principium demonstrationis adhibetur id ipsum, quod est demonstrandum vel id quod merito negetur, donec illud prius sit demonstratum. Circulus est, cum ex duobus aeque incertis prius probas per alterum et alterum per prius.

In nostra demonstratione instituti Magisterii haberetur petitio principii, si supponeremus auctoritatem eiusdem ex eaque argumentaremur. Eam autem supponeremus, si ex libris iis, quos Scripturas dicimus, probantes institutum tale Magisterium, supponeremus eas esse *Scripturas* h. e. libros inspiratos et ex auctoritate libri inspirati, prout talis, efficeremus institutum Magisterium; notitia enim certa inspirationis supponit iam notum Magisterium, notam eius auctoritatem et infallibilitatem; quare ea eodem iure negatur, quo haec omnia nec admittenda est nisi prius haec probentur. Hoc pacto agentes circulum quoque ageremus; nam ex inspiratione librorum demonstraremus Magisterium et ex hoc illam.

Iam vero nos supponimus tantum auctoritatem historicam horum librorum, quae independenter prorsus ab inspiratione demonstratur, ut per accidens omnino sit eosdem libros notos deinceps nobis fieri simul cum aliis tanquam divinam Scripturam. Idque supponimus nostrae demonstrationi tum quia illud demonstratur argumentis aliis et independentibus a nostra quaestione tum quia id dant Protestantes, quibuscum pugnamus.

Imo in hac controversia cum Protestantibus liceret quoque supponere sine ullo vitio logico inspirationem Scripturae et ex ea nostram thesim probare. Eam enim supponeremus, non innixi auctoritati Magisterii adhuc demonstranda, sed eam tanquam principium certum accipientes ab ipsis adversariis. Ut idcirco tunc nostra demonstratio esset *ad hominem* et *ad absurdum*, qua scilicet, posita notitia huius libri tanquam divinae Scripturae, notitia quidem independente a Magisterio, ex eo ipso libro efficeremus institutum Magisterium authenticum et infallibile quodque solum docere nos potest quaenam sint verae Scripturae. Quo pacto consequens esset ex ipso principio Protestantium id quod ipsum destruit: quae est demonstratio eiusdem falsitatis et contradictionis.

II. Errant tamen Protestantes, cum censent hac una via nos demonstrare posse institutionem Magisterii authentici et infallibilis. Nam nobis licet prorsus abstrahere a Scripturis. Praesto est nimirum nobis demonstratio independens omnino a Scripturis, quam adhibeamus erga illos, qui Scripturas vel ignorant vel non recipiunt. Brevi, ipsa est demonstratio christiana. Hac enim quemadmodum efficitur, exsistere societatem religiosam divinitus institutam, quae verum Dei cultum profitetur, quae docet quid de Deo credendum sit, quidque agendum, ut salus obtineatur, hac ipsa, inquam, demonstratur exsistentia Magisterii divinitus instituti ad docendas omnes gentes veritates necessarias pro cultu, quem Deus exigit. Nam id, quod hac demonstratione primo efficitur, est reapse exsistentia Ecclesiae docentis, quam omnes audire debent, cui omnes aggregari tenentur: atqui Ecclesia docens ipsum est Magisterium, de quo loquimur.

Infallibilitas autem huius Magisterii ex ipsa consequitur divina institutione et obligatione omnibus imposita eidem adhaerendi. Cum ergo haec demonstratio, signis divinis innixa, sit independens a Scripturis, patet quod nostra thesis et sine his demonstrari potest. Nullo ergo vitio laborat persuasio catholicorum de instituto divinitus Magisterio.

Nota. Ex hactenus demonstratis de institutione divina Magisterii patet falsitas et absurditas affirmationis Lessingii, parentis moderni Rationalismi, certitudinem nempe religionis christianae esse independentem ab extrinseca quavis auctoritate sive Magistrorum sive ipsorum librorum canonicorum, eam quippe religionem se ipsam probare rectae rationi suamque veritatem manifestare.

§. XLV.

Ipsa auctoritas in Ecclesia docendi, quam consequitur in fidelibus obligatio credendi id quod a magisterio proponitur, pars est potestatis iurisdictionis.

I. Auctoritas scilicet docendi est quaedam potestas iurisdictionis; quia et ipsa sub hoc genere continetur quod est potestas iurisdictionis. Quid vero sibi vult auctoritatem docendi esse potestatem iurisdictionis? Christus scilicet non ita instituit magisterium in Ecclesia, ut infallibile quidem foret, obligatio vero credendi id quod ab eo proponitur, oriretur solum ex iure naturae vel divino positivo, eo quod nempe Deo loquenti credendum est et docente magisterio infallibili constat Deum esse locutum. Haec quidem ratio est cur magisterio Ecclesiae adhibenda sit fides, at non est sola. Sed praeterea obligationem credendi ipsum Magisterium imponit, quod praecipit assensum fidei Deo reve-

lanti id quod Ecclesia docet poenisque positivis punire potest inobedientiam erga sua decreta fidei.

II. Et primo quidem nequit negari, potuisse Christum tali potestate instruere eos, quos doctrinae suae praedicandae, propagandae et conservandae praeposuit in Ecclesia sua. In hac enim re versari certe potest iurisdictio: Christus autem potuit participare aliis eam potestatem, quam iure proprio ipse obtinet. Quaestio est ergo facti, an talis sit auctoritas docendi a Christo in Ecclesia instituta. Affirmantem partem ita probamus.

Christus praepositis Ecclesiae suae plenam contulit potestatem ligandi et solvendi Matth. XVI. 19. XVIII. 18. se porrigentem ad ea omnia, quae propria sunt huius regni quod est Ecclesia (cf. Th. I. seq. tract.): atqui imponere subditis obligationem credendi ea, quae iidem docentur, est actus quidam ligandi et versatur circa ea, quae propria sunt Ecclesiae, quae est societas credentium: ergo cum potestate ligandi et solvendi Christus contulit praepositis Ecclesiae potestatem quoque imponendae obligationis credendi: porro potestas ligandi et solvendi est potestas iurisdictionis.

Praeterea fidelis credens et assentitur Deo revelanti quae credit et assentitur Ecclesiae manifestanti quae Deus revelavit: hunc autem assensum sibi docenti iure Ecclesia exigit ex auctoritate docens et infallibiliter docens; hunc ergo assensum imperare potest: atqui hic est actus potestatis iurisdictionis. Iurisdictio enim est potestas publica regens et gubernans actus aliorum, quod profecto Ecclesia facit, cum docet quid est credendum et assensum exigit tum Deo tum sibi docenti.

Idem evidentius elucet, cum Ecclesia docet, quae Deus non revelavit, sed nexa sunt cum revelatis: assensus fidelium innititur auctoritati Magisterii authentici et infallibilis: ius ergo habet Magisterium exigendi et imperandi hunc assensum sibi; ergo.

Quapropter Ecclesia consuevit semper praecipere professionem fidei illius, quam ipsa doceret ipsumque actum fidei, eodem nomine decretorum sive canonum appellans tum leges fidei tum leges disciplinares consuevitque poenis spiritualibus et corporalibus quoque plectere contumaces; censurae enim feruntur in eos, qui Ecclesiae non obediunt (si Ecclesiam non audierit): censura autem excommunicationis plectuntur haeretici. Porro potestas puniendi supponit potestatem prohibendi id quod punitur, vel praecipiendi id cuius omissio punitur; ergo obedientiam sibi quoque praecipit Ecclesia docens et definiens.

Ne dicas Ecclesiam non posse praecipere actum saltem internum fidei; quia generatim nequit praecipere actus internos. Nam 1° cum agitur de actibus internis qui per se connectendi sunt cum actibus

externis ut hi honesti sint atque hi praecipi possunt, ad internos quoque actus, ut aliquod totum constituentes cum externis, se porrigit iurisdictio exterior. 2° Etiamsi habeatur ratio tantum actus mere interioris fidei, advertere licet non admodum firmum esse fundamentum, cui innititur sententia negans. Aiunt enim, iurisdictionem praecipientem ad ea porrigi, quae punire potest: punire autem posse ea de quibus valet iudicare; de actibus porro internis iudicium ferri non posse, quia sunt occulti. Verum *a)* conceditur, in actus exteriores occultos qui remotis arbitris fiant, protendi Ecclesiae iurisdictionem: dicuntur quidem occulti per accidens non per se; at nescio quid haec distinctio conferat ad defensionem doctrinae statuentis in actus mere internos iurisdictionem haberi non posse. Etenim in illis quoque actibus exterioribus occultis integra formalis ratio reperitur, quae prohibet iuxta hos auctores iurisdictionem; nimirum quod homines de illis iudicare non valeant: unde ex eo quod per accidens sint occulti, potius inferendum esse videretur quod, licet per accidens, sint tamen subducti a iurisdictione externa. *b)* Quamvis sententia per modum iudicii ferri non possit in actus mere internos, ferri tamen potest per modum legis statuentis ipso facto subeundam poenam aliquam, ad cuius applicationem opus non sit ulla exteriore exsecutione: quemadmodum contingit pro actibus exterioribus per accidens occultis, qui excommunicatione plectantur. 3° Cum ergo iurisdictio Ecclesiae sit altioris ordinis quam politica et ordinata in bonum animorum ac vicaria illius qui animas regit, non videtur ad solos exteriores actus restringenda.

III. Discrimen est tamen iuxta indolem obiecti in exercitio potestatis iurisdictionis quoad proponendas veritates credendas et ferendas leges disciplinares. Veritates enim credendae sunt immutabiles, leges vero disciplinares mutabiles: illas Ecclesia proponit, has condit. Hinc decreta fidei abrogari non possunt, leges disciplinares possunt. Id vero non impedit quominus in proponenda fide exerceatur potestas iurisdictionis exigens assensum cogensque professionem fidei; sed tantum efficit ut exercitium huius potestatis exhauriatur in proponenda fide, ita ut non sit locus actui, quo oppositum proponi possit propositumque revocari. Et licet auctoritas magisterii determinata sit ex parte obiecti, non est tamen determinata sed indifferens quoad exercitium sui circa illud obiectum.

§. XLVI.

Demonstrata institutione divina ecclesiastici Magisterii, restat, ut breviter dicamus, quomodo fideles oporteat erga illud se gerere et qualis usus esse debeat veterum traditionum ac doctrinae praecedentium Patrum.

I. Ad prius quod spectat, facilis est responsio: cum Magisterium auctoritate sua plene fungens Ecclesiam universam docet, quaestiones definit, errores proscribit, debet fidelis obedientiam fidei et quidem fidei divinae si de veritate revelata agitur: fidei religiosae, si veritas proponitur non revelata (§. XL.), quae religiosa fides erga ecclesiasticum Magisterium et in priore hypothesi revelatae veritatis locum habet.

Si Magisterium non dirigat immediate doctrinam suam ad universam Ecclesiam, si non plene utatur auctoritate sua, si non omnes Magistri idem doceant, quid faciendum sit, dicemus commodius in seq. Tr. ubi de Magisterio Romani Pontificis agemus.

II. Ad alterum quod spectat, nempe usum veterum traditionum et doctrinae Patrum, officium agitur theologi, qui non debet tantum dogmata fidei proferre, sed et probare ac probare potissimum positiva demonstratione, quae est demonstratio critica seu historica facti revelationis cuiusque dogmatis. Necesse proinde est, ut monumenta antiquitatis, quibus testimonium huius facti continetur, accurate interroget theologus.

Monumenta porro sunt haec, decisiones Synodorum oecumenicarum vel solius Romanae Sedis (ut nunc supponimus, ne verum ex parte tantum dicamus): decreta quoqne aliarum Synodorum. Ita omnia opera Patrum, ea praesertim, quae data opera de doctrina agunt, quae ad fidelium instructionem vel ad refellendos errores diriguntur. Praeterea Acta Martyrum, libri liturgici, historia dogmatum et haeresum ac ecclesiasticae disciplinae, quae ex operibus quoque adversariorum atque relictis qualibet aetate inscriptionibus hauriri potest. Rursus opera succedentium Patribus Theologorum ac Scripturae interpretum atque Apologetarum, qui in communione catholica viventes, doctrinam Christianam plus minus illustrarunt et si qua sunt huiusmodi.

Non omnia profecto, quae in his continentur, pertinent ad revelationem et quae attingunt, non omnia in singulis, etiam in non paucis seorsim sumptis, haberi possunt ut testimonia certa: normae ergo quaedam necessariae sunt. Itaque.

1. Quando divina revelatio quaeritur, quam Apostoli tradiderunt et idcirco Apostolica traditio investigatur, duplex secernenda est traditio

Apostolica. Nam Apostoli veritates sibi divinitus revelatas annuntiarunt Ecclesiamque fundarunt iuxta leges fundamentales a Christo acceptas. At praeterea propter potestatem ipsis factam a Christo, qui non omnia determinavit, Apostoli, auctoritate sua, non paucas disciplinae leges aut regulas tradiderunt Ecclesiis, quas fundabant. Iam vero traditio priora complectens est traditio divina Apostolica atque de ista hactenus locuti sumus in tractatione hac de Magisterio, altera est traditio pure Apostolica. Utique quod ab universa Ecclesia tenetur nec Synodorum auctoritate (aut Romanae Sedis) constitutum fuit, ab Apostolis est repetendum, ut Augustinus ait lib. 4. *de Baptismo* c. 24.: verum adhuc restat discernendum, utra traditio ab Apostolis sit profecta. Differre inter se has traditiones, manifestum est et praesto sunt indicia certa earum discriminis.

Sane si traditio sit de veritate credenda fide divina, de constitutivis Ecclesiae, quae sint quoque fide divina credenda, ut distinctio laicorum et clericorum, potestas Episcoporum, Primatus, septem sacramenta, haec omnia nequeunt esse traditionis pure Apostolicae; nequit enim fide divina teneri nisi quod fuit divinitus revelatum neque a voluntate Apostolorum potuit pendere ipsa essentialis constitutio Ecclesiae, quae Christum habet auctorem. Scilicet traditiones pure Apostolicae in sola disciplina versantur. Disciplina utique per se et leges divinas regiminis ac morum complecti potest: sed heic ex communi usu loquendi, disciplina vocatur quidquid ad regimen Ecclesiae fideliumque culturam spectat, quin sit in dogmate situm.

Hinc alter character utriusque traditionis: traditio divino-Apostolica est immutabilis, pure Apostolica est mutabilis. Ea enim auctoritas, qua haec fuit primitus instituta, perseverat in Ecclesia (in cathedra sane Romana est integra et plenissima auctoritas Apostolica): porro auctoritas potest abrogare, quod olim ipsa praescripsit: exemplum habes in abstinentia a sanguine et suffocato praecepta ab Apostolis Act. XV. 29., quae brevi deinceps in desuetudinem abiit. Quapropter non ex necessitate, sed quia non ipsi visum, noluit Romana Sedes abrogare pro Sinensibus aliquam ceremoniam baptismi sollemnis, quae est ex institutione pure Apostolica.

Sequitur ergo, quod ad demonstrandum aliquid esse traditionis divinae, non satis sit ostendere id esse ab Apostolis perfectum, sed oporteat praeterea ostendere id esse creditum fide divina sive ex ipsa Christi doctrina aut institutione dimanare.

2. Quoniam in operibus Patrum quaerimus antiquam traditionem, oportet in illis secernere id, quod de doctrina primitus tradita referunt

tanquam testes et id, quod de suo penu addere quisque potuit ut privatus doctor. Diximus (§. XXIII.) Apostolos non solum fuisse testes, sed etiam doctores. Diximus subsequentes Magistros posse quidem aliquid tradere *nove* non autem *novi* ideoque oportere, ut quod hi docent sit vel ipsum dogma ab Apostolis traditum aut intelligentia ipsa dogmatis Apostolica vel uberior explicatio et evolutio dogmatis eiusque intelligentiae ab Apostolis praeformatae. Nequit enim eiusdem rei duplex intelligentia recta esse et diversa. Discrimen proinde est inter doctoratum Apostolorum et subsequentium Magistrorum: illi dogmata horumque intelligentiam acceperunt a Spiritu S. ideoque sicut primi ediderunt dogmata, ita et primi eorum intelligentiam praeformarunt: ceteri, quemadmodum dogmata ab Apostolis accepta tradere debent, ita et tramiti intelligentiae dogmatum ab Apostolis praeformatae insistere debent; ut idcirco et in declarando dogmate partes testium agant.

Iam vero fieri potest, ut quilibet ex subsequentibus, sive spectet ad Magistros primi ordinis sive secundi (§. XXXI.), deflectat ab Apostolica norma tum in tradendo dogmate tum in eo declarando, sensum suum privatum sequens, licet id non advertat. Huius autem privata doctrina facile discernitur, si comparetur cum communi aliorum, aut cum doctrina, quam autheticum Magisterium proponit. Compara doctrinam s. Cypriani circa baptismum haereticorum. E contrario explicatio dogmatis ss. Trinitatis, ut secundum intellectum et voluntatem processiones exsistant, est doctrina communis iam ab ipsis Apostolis praeformata Ioan. I. 1.

Oportet ergo, quae sunt privata seponere multumque errant, qui alicuius doctoris amore et existimatione abrepti, quidquid ipse tradit mordicus arripiunt atque obstinate tuentur ac frequenter illud ipsum quod ei est privum.

3. Quoniam in explicatione dogmatis adhiberi solent notiones et principia rationis idque non solum Scholastici, sed plures Patres praesiterunt, ut Cyrillus Alex., Augustinus, Nyssenus, Anselmus, distinguendum est inter eas notiones ac principia rationalia, quae necessaria sunt intelligentiae dogmatis et ea, quae cum quadam tantum verisimilitudine adhibentur quaeque occasione alicuius systematis philosophici invalescentis possunt longa etiam aetate communia evadere, quin certa sint.

Exemplum habes in explicatione 1. Capitis Genesis, ubi dogma traditur de creatione et formatione mundi. Hanc iuxta philosophicas notiones suae aetatis explicavit Basilius tum Nyssenus, postea scholastici horumque explicatio per plura secula obtinuit: modo paululum diversa est explicatio iuxta pleniores notitias rerum naturalium: neu-

tram Ecclesia hactenus iudicavit esse necessariam. E contrario distinctio, quam ratio quidem per se sola invenire potest, inter naturam creatam eiusque hypostasim, non quidem haec determinata distinctio aut illa, sed vera obiectiva distinctio habita semper fuit necessaria pro rationali intelligentia dogmatis de Incarnatione.

Itaque ut eas rationales explicationes certe teneamus, quae cum dogmate magis congruant, non satis est eas amplecti, quae certa quadam aetate etiam diuturna adhibitae sunt a doctoribus ecclesiasticis; sed videndum praeterea, an ex iudicio Ecclesiae eae necessariae sint.

Iudicium Ecclesiae constat vel aliqua sollemni decisione vel perpetua praxi, qua nempe Patres et Theologi non solum ea determinata explicatione utantur, sed simul significent eam necessariam credi, ut recta dogmatis intelligentia custodiatur.

4. Christianae doctrinae duplex est character veritatis, *antiquitas* et *universalitas*. Ex his duobus prius facile constat; cum enim in Ecclesia Christi non sit fide divina credendum nisi quod Apostoli tradiderunt iique fuerint primi: *illud ergo verum, quod prius* (secus ac in scientiis humanis, quarum initia incompleta sunt, incerta et erroribus permixta): quod ergo antiquum non est, sed novum, h. e. quod Apostoli non tradiderunt, nequit esse verum divinum, obiectum fidei divinae.

Alter character accipi potest tum *positive* tum *exclusive*. Nempe si exstat universalitas (utique moralis) fidei, ut aliquid ab omnibus credatur, id verum est et traditum fuit ab Apostolis. Secus universa Ecclesia credens fide divina id quod ab Apostolis traditum non fuit ideoque non revelatum, erraret: quod fieri nequit. Quocirca universalitas argumentum est certum antiquitatis: *quod* scilicet *apud omnes unum invenitur, non est erratum, sed traditum*. Tertull. *de Praescrip.* n. 18. Verum fierine potest ut aliqua doctrina antiqua h. e. ab Apostolis tradita, non sit universalis, h. e. non credatur universaliter? Fieri profecto nequit, ut negetur ab universalitate vel ab ea oppositum credatur: sed fieri potest, ut aliqua veritas tradita, quae implicite continetur in communi professione aut deposito fidei, aliquo tempore non sit explicite nota ideoque non ab omnibus credatur et a quibusdam etiam negetur. Profectus enim in explicatione et uberiore cognitione dogmatis admittendus est in Ecclesia.

Quocirca defectus simplex universalitatis non est argumentum deficientis antiquitatis. Sed haec est accuratius investiganda et dogmata explicite credita penitiori analysi subiicienda, quemadmodum factum est sec. XIV. in quaestione de visione intuitiva beatorum ante iudicium et proxima aetate in quaestione de Immaculato Conceptu et tandem iudicio Magisterii authentici standum est.

Quod hactenus diximus de antiquitate et universalitate, iam praeformaverat Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio sec. V. *Tenendum est, quod semper quod ubique quod ab omnibus creditum est.* Ubi perpende vocem *creditum;* agitur enim de eis doctrinis quae *creduntur*, non quae solummodo, quacumque ex causa, communiter quoque tenentur ab ecclesiasticis viris. Declarationem regulae Lirinensis dabimus commodiore loco in seq. Tr.

Illud autem modo perpende, characteres hos veritatis christianae esse nobis certum criterium eiusdem, non esse autem alterutrum criterium necessarium fidelibus, quando exstet praesentis Magisterii testificatio: iis autem criteriis uti solere et debere authenticos Magistros, antequam definitionem edant; nam quod iam traditum est testari debent: sed cf. l. c.

5. Ut universalitas doctrinae constet, non opus est semper singulos interrogare: frequenter enim paucorum vel unius doctrina sufficit: Sane si constet unius doctrinae accessisse in aliqua re suffragium authentici Magisterii, illius doctrina erit habenda universalis. Ita doctrina Augustini de gratuitate gratiae contra Massilienses probata Apostolicae Sedi: doctrina Cyrilli Alex. de Incarnatione probata Patribus Concilii Ephesini et sequentibus. Qua in re perpendendum quid reapse Ecclesia probaverit; nam generatim cum Ecclesia alicuius viri doctrinam probat, rationem quidem habet summorum et essentialium eius capitum, non autem uniuscumque sententiae aut argumenti, quibus doctor sit usus; neque enim doctori probato infallibilitas asseritur aut is aequiparatur scriptori inspirato.

Sufficit etiam consensus Patrum occidentalis Ecclesiae. Ita Augustinus adv. Iulianum l. I. c. 4. « An ideo contemnendos (Patres quos citaverat) putas, quia occidentalis Ecclesiae sunt omnes nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Episcopus?... Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare etc. ». Quibus verbis ratio continetur specialis pro Ecclesia occidentali; ipsa enim obtinet cathedram eique adhaeret, quae cathedra principium est efficax unitatis Magisterii et per se infallibilis, ut suo loco videbimus.

6. Quoniam singulis aetatibus Magisterium est infallibilis testis Apostolicae traditionis, ut sciatur quid primo e. g. vel secundo seculo traditum sit, non opus est testes huius aetatis citare: sed sufficit cuiusque subsequentis aetatis commune testimonium producere: hoc enim refert illud idem, quod priores testes tradiderunt.

Contra eos tamen, qui negent Magisterii infallibilitatem, item si quaestio scientifice tractanda est, ad priores testes provocare oportet.

7. Eadem methodo, qua consensus Patrum, urgeri potest consensus eorum, qui subsequentibus seculis docuerunt. Patres latiore sensu dicuntur quilibet Christiani scriptores antiquitate conspicui, qui unitatem Ecclesiae servarunt vel saltem quoad ea opera, quae in unitate ista ediderunt. Pressiore seu nobiliore sensu Patres censentur ii scriptores antiqui, qui ab Ecclesia tanquam testes traditionis et doctrinae Magistri probati sunt sive authentico iudicio sive continuo usu et provocatione ad eosdem. Qui in explicanda doctrina sive speculativa sive practica plurimum valent, accedente nota sanctitatis, inter *Doctores* sunt relati, idque in subsequentibus quoque aetatibus locum habuit. Quoniam in doctrina christiana illud verum quod prius, profecto subsequente quavis aetate illud credendum erit, quod universus consensus Patrum tradidit esse credendum; ille enim consensus exhibet consensum Magisterii infallibilis primorum seculorum ipsiusque aetatis Apostolicae.

Attamen quoad propagationem et conservationem Apostolicae Traditionis, nullum est discrimen essentiale inter aetatem dictam Patrum et aetatem subsequentem dictam Scholasticorum. Nam singulis aetatibus viget idem Magisterium infallibile; consensus proinde scriptorum singulis aetatibus cum Magisterio et ipse infallibilitatem participat atque evadit certum criterium Apostolicae Traditionis pro aetatibus futuris, sicut pro nobis consensus Patrum.

Ergo eadem methodus, quae adhibetur ut ex doctrina Patrum hauriatur Apostolica Traditio, adhiberi potest et debet apud scholasticos doctores.

8. Cum possibilis sit profectus in intellectu catholico veritatum revelatarum, intelligentia dogmatis non est semper exigenda ad conceptus antiquiorum, veluti si ope reflexionis et analysis explicari amplius non posset. Cf. conceptum naturae Angelorum apud antiquissimos, cum conceptu subsequentium: formam quoque cogitandi Mysterium Trinitatis penes non paucos Patres antenicaenos et posteriores.

§. XLVII.

Quod de testificatione traditionis dictum est, idem valet in interpretatione dogmatica ss. Scripturarum. In exegesi vero pure historica et philologica Scripturarum ratio quidem habenda est praecedentium PP.^m praesertim si quidam in his excellentes fuerunt ac probati et si plurium consensus existat: attamen in hac re non eadem valet ratio pro urgenda auctoritate PP. ac cum agitur de textibus dogmaticis.

I. Interpretatio dogmatica Scripturarum heic obiective accipitur; ea est interpretatio dogma revelatum in Scripturis exhibens sive de re pure credenda sive etiam agenda, interpretatio nempe textuum dogmaticorum. Cum huiusmodi actus sit idem ac ille quo Magisterium traditionem Apostolicam testatur et tradit, patet cur idem dixerimus valere in tali interpretatione ac in testificatione traditionis. Idcirco in hac re a communi Patrum consensu recedere non licet, quemadmodum Tridentina Synodus Sect. 4. et Piana Professio fidei statuerunt.

II. At 1° praeter textus dogmaticos exstant in Scripturis alii textus, quos vocare possumus sempliciter historicos (cf. §. XLII.), 2° in utraque serie textuum, sive dogmaticorum sive non dogmaticorum, quaestiones exoriri possunt exegeticae et quidem dupliciter.

Nam 1° talis potest esse textus ut eiusdem certa veritas unam solam patiatur interpretationis rationem: 2° talis quoque esse potest textus, ut cum eiusdem certa veritate componi valeat multiplex eius verborum philologica interpretatio. Exempla alterius (nam priores facile prostant) esse possunt ea, quae dedimus in Tract. de Peccato originali Th. LXVI. et de Matrimonio Th. XX.

Iam vero in priori hypothesi, si sententia certa est auctoritate Ecclesiae vel communi consensu Patrum, etiam et unica possibilis exegesis tenenda est vi eiusdem auctoritatis; alterum enim absque altero esse nequit.

At cum agitur de interpretatione exegetica textus dogmatici, quae uno aut altero modo soluta intactum pariter relinquit dogma, quod auctoritas Magisterii subesse textui docet; in hac hypothesi, inquam, primo habenda est semper ratio praecedentis Patrum exegesis, eorum praesertim qui apud universam Ecclesiam laudem sibi praestantium interpretum compararunt. Verum quia eiusdem dogmatis interpretatio in utraque exegesi textus est possibilis atque in explicatione textus, quemadmodum in modo dogma concipiendi progressus potest habere

locum; non adversatur debitae reverentiae Patrum qui retento dogmate textum aliter explicat.

Si agitur tandem de interpretationibus non dogmaticis, quae plurimum pendent ex notitiis historicis et philologicis, affirmamus, in his non illud valere, quod valet in dogmatica interpretatione. Nam ratio cur in hac oporteat sequi Patrum communem interpretationem, ea est quia omnia dogmata tradita sunt ab initio et doctrina dogmatica est immutabilis. Ex his autem duobus consequitur tenendum esse, cum de dogmate agitur, quod priores Patres definiverunt. At quoad alia, Scripturae explicatio, in plurimis saltem, non est tradita ab initio et Patres in iis enarrandis non testium sed doctorum privatorum vice funguntur. Quocirca quoad haec progressus est possibilis circa ipsam rem, quae in scripturis dicitur, non solum circa eiusdem clariorem explicationem.

Igitur non licet eodem pacto ac fit in prioribus, heic urgere auctoritatem Patrum. Exemplum habes in interpretatione 1. cap. Genesis, quoad seriem temporis, qua mundus confectus est.

SCHOLION.

X. Concludimus affirmantes, consensum universalem fidelium cuiusque aetatis in re aliqua credenda, esse, dommodo constet, certum argumentum divinae traditionis. Est enim hic consensus Ecclesiae, quae docetur: ea autem universa infallibilis est ope Magisterii, cui certe adhaeret; idcirco manifestat nobis quid Magisterium doceat quidque proinde prius fuerit revelatum. Cf. August. *adv. Iulian.* l. 1. n. 31.

DE PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

§. XLVIII.

Verae Christi Ecclesiae proprium est ut sit una et quidem unitate triplici, nempe unitate communionis sive sociali, propter quam unica quoque sit Ecclesia: unitate symbolica h. e. professionis fidei tum materiali tum formali: atque unitate rituali eademque pariter tum materiali tum formali.

I. Unitas quaedam Ecclesiae orta ex eo, quod habeat unum fundatorem unumque supremum caput Christum unumque immediatum ac mediatum finem, sanctitatem nempe aeternamque beatitudinem unamque revelationem christianam, unitas talis, inquam, a Protestantibus quoque admittitur, qui hoc pacto asserunt Ecclesiam Christi unam esse et unicam. Huiusmodi autem unitas absque ulla unitate sociali exsistere

potest. At unitatem etiam socialem Ecclesiae admittendam esse patet ex superius demonstratis, quibus efficimus Ecclesiam Christi societatem esse eandemque visibilem (cf. §§. I. II. X.). Quare de hac re sub hoc generali conceptu non est amplius disputandum. Neque pariter quaestionem habere oportet, an Ecclesia Christi sit unica sub aliqua confusa ratione; nemo enim hoc negat. Reliquae tamen sunt adhuc aliae penitiores quaestiones circa determinatum conceptum unitatis ac unicitatis Ecclesiae.

Quaeritur enim 1° qua ratione Ecclesia Christi una et unica esse debeat, an nimirum quatenus omnes Christi fideles unius eiusdemque regiminis auctoritati subesse oporteat, an quatenus satis sit partiales societates christianas, alioquin in suo regimine independentes, amico foedere copulari. Quaeritur 2° an unitas in fide et ritibus sacris exigat consensum fidelium in omnes veritates revelatas iisque connexas atque authentice propositas, tum communionem in eosdem omnes ritus sacros qui sint divinae institutionis an sufficiat consensus in quasdam veritates revelatas fundamentales, atque communio in quibusdam magis necessariis sacramentis. Quaeritur 3° quodnam sit ex Christi institutione principium necessarium huius unitatis.

Quoad 1^m^ quaestionem nota est sententia quorumdam recentiorum Protestantium in Anglia: Ecclesiam Christi posse suam tueri unitatem, etsi tantum amico foedere uniantur diversae communiones, Romana scilicet, Graeca et Protestans (Cf. Patricium Murray *de Ecclesia* disp. VI. sect. 1. n. 57. seq.). Quoad 2^m^ quaestionem constat Protestantes generatim eam mordicus defendisse opinionem, unitatem fidei non violari nisi negatione articulorum fundamentalium, nec requiri communionem nisi in iis ritibus sacris, qui ex sola Scriptura certo demonstrentur. Quoad 3^m^ quaestionem tandem patet, Protestantes docere principium necessarium efficiens unitatis esse solum Spiritum S. qui omnes docet. De his ergo disputandum est.

II. Iam vero unitas socialis non prodit solum ex identitate finis, mediorum, legum: patet in tot societatibus seu regnis distinctis, quae eundem finem habent et frequenter easdem leges et media habent vel possunt habere: nec sufficit identitas regis, qui duo distincta regna gubernare potest: sed requiritur conspiratio mutua omnium sociorum sub directione unius regiminis; hoc enim posito, omnes una conspirantes sub una autoritate, unum corpus, unam societatem constituunt. Non repugnabat Christum tot societates invicem independentes constituere quot e. g. sunt Episcopales Sedes; ast alia in hac hypothesi fuisset oeconomia ab eo constituta. Institutio porro Christi est, ut universa Ecclesia sua sit una societas, h. e. ut omnes fideles constituant

unam societatem, mutuo conspirantes omnes in eundem finem sub auctoritate unius regiminis. Quare haec unitas excludit multiplicitatem Ecclesiarum, quarum singulae sint completae inter se societates proprium habentes regimen, etiamsi quodam amico foedere inter se uniantur, sicut et societates independentes, retenta propria independentia, possunt uniri: ideoque eo redit unitas Ecclesiae, ut Ecclesia, quae prout societas est, debet esse necessario una, sit etiam unica: hoc nempe pacto, ut sub regimine unius supremae auctoritatis omnes Christi fideles comprehendantur.

Haec unio dicitur quoque unio communionis; communicant enim invicem fideles: dicitur etiam frequenter ab Augustino unio caritatis. Verum caritatis nomine non intelligitur immediate virtus proprie dicta theologica, qua proximum propter Deum diligimus; nam haec complectitur eos quoque, qui sunt extra Ecclesiam et qui proximum odit non ideo desinit esse in Ecclesia: sed intelligitur coordinatio ad ceteros fideles et subordinatio Pastoribus in unam societatem; quae proinde per se est caritas socialis, dicitur vero etiam caritas simpliciter, quia speciem ipsius quandam refert et ab ea determinari, veluti effectus, nata est.

Unitas socialis Ecclesiae non id postulat, ut quicumque sunt membra eius, pergant semper esse membra sive ad corpus eius spectare; sed requirit ut, quicumque et quotcumque sint qui recedunt ab aliis, Ecclesia maneat semper una societas, non sit divisa in plures societates ab invicem separatas: ideoque quicumque homo vel coetus non sit membrum vel pars illius, non sit ullo modo Ecclesia Christi vel de Ecclesia Christi.

Huiusmodi unitas dicitur proprietas Ecclesiae. Et quidem prout unitas dicit conspirationem plurium ad eundem finem sub eadem auctoritate, ea est proprietas essentialis Ecclesiae, sicut est ei essentiale esse societatem; ideoque absolute ei competit: nequit enim esse societas sine unitate. Prout vero dicit omnium fidelium adunationem in unam et unicam societatem sub uno regimine, unam in universo orbe sistens Ecclesiam Christi, est proprietas tum necessaria, eo quod necesse est ut Ecclesia talis sit, qualem Christus esse voluit: tum quoque essentialis, si comparetur cum hoc subiecto, quod quidem Deus instituit, nempe cum societate ordinata ad comprehendendum in se ipsa omnes fideles: est enim sic ei essentialis illa unitas. Quae quidem unitas re est ipsa societas: sed id non impedit quominus proprietas eius dicatur; quemadmodum unitas propria cuiusque societatis re est ipsa societas et tamen eius proprietas dicitur, prout cum ipsa comparatur sub alia ratione spectata.

Nobis nunc ergo probandum est, Christum ita instituisse Ecclesiam ut una sit unitate sociali comprehendens sub uno eodemque regimine omnes fideles, qui membra sint Christi; non sit multiplex, vel divisa in partes, quae singulae proprium regimen independens habeant, vel quae etiam quodam foedere consocientur simul, propria independentia non amissa; quemadmodum plures societates invicem independentes uniri possunt.

III. Christi oratio Ioan. XVII. 11-20-23. est oratio efficax, tum quia absolute facta, tum quia quod heic petitur a Christo est signum suae missionis, quae signis manifestanda erat *(ut credat mundus, quia tu me misisti)*, quia tandem effectus ipse orationis consecuturus significatur, cum dicitur: *ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum:* Christo enim exsistente et operante nequit deesse effectus. Porro quod Christus rogat est unitas, unitas omnium credentium perpetua, *non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me,* qua omnes unum sint iuxta divinae unitatis exemplar *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ita et ipsi in nobis unum sint.* Unitas autem exorata a Christo est unitas visibilis; debet enim esse signum hominibus missionis Christi institutoris Ecclesiae: unitas autem haec visibilis omnium credentinm est unitas socialis; et quidem unitas maxima, nam est ad exemplum eius, quae est perfectissima unitas: est ergo unitas socialis sub uno eodemque regimine unius auctoritatis.

Sane Ecclesia Christi dicitur *corpus, corpus utique organicum, corpus unum* (2ª Cor. XII. 12. seqq.; X. 17.) dicitur *regnum* (Matth. XVI, 17.) *domus* (1ª Petri II. 5.) *ovile* (Ioan. XXI. 15. seqq.) *ovile unum sub uno pastore* (Ioan. X. 16.). Iam vero cum haec metaphorice de coetu vel societate hominum usurpantur, significatur *a)* quod unum sit principium unitatis, unum sit regimen; quemadmodum unum est caput in corpore, unus Rex in regno; unus paterfamilias in domo, unus Pastor in ovili. An sit unicum caput, regimen etc. pendebit utique a quaestione, an sit unicum corpus, regnum: sed certe cum dicitur corpus, significatur unicum caput, illius nempe corporis; cum dicitur regnum, significatur unicum regimen illius regni etc., nam neque esse potest corpus sine capite, aut regnum sine rege vel supremo regimine: neque corpus potest esse biceps (nisi sit monstrum) neque regnum cum duplici suprema auctoritate. Significatur *b)* quod illi uni capiti, regimini omnes subsunt qui ad corpus vel regnum spectant, quemadmodum capiti subsunt omnia membra, regiae auctoritati totum regnum, patrifamilias tota domus, pastori totum ovile. Iam vero ad hoc corpus unum constituendum ordinantur quotquot sunt membra Christi 1. Cor. X. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane parti-*

cipamus. Ibid. XII. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles sive servi sive liberi.* Scilicet omnes qui de pane eucharistico participant, omnes qui sunt baptizati, ad unum corpus constituendum ordinantur: atqui hi sunt omnes qui membra Christi sunt; nullus enim esse potest Christianus coetus, qui his Sacramentis careat: cum itaque quotquot his sacramentis perficiuntur ad unum corpus constituendum ordinentur; ergo corpus istud unum complectitur omnia Christi membra, ergo sub uno regimine huius corporis contineri debent omnes qui membra Christi esse volunt: ergo Ecclesia est una unitate sociali comprehendens sub uno regimine omnes fideles atque ita est una, ut sit etiam unica. Atque talis unitas est ei essentialis; est enim essentialis societati aliqua forma unitatis, ideoque ea determinata forma quam vel natura vel institutio in ea exigit. Item ad Ephes. IV. 11. seqq. docemur Deum dedisse Apostolos, Pastores et Doctores in consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi: hoc autem, quod corpus Christi dicitur, repraesentat eos omnes qui sanctificandi sunt; nam pro iis omnibus dati sunt Apostoli, Pastores et Doctores. Iam vero corpus istud non est multiplex, sed unum: non enim sub Christo Capite sunt partes inter se separatae, sed aliquot totum connexum et compactum est, augmentum corporis faciens, in aedificationem sui. Ergo. Quod autem in corpore valet, id et in aliis metaphoris valere evidens est.

Unitatis socialis omnium fidelium necessitas sive adunationis omnium sub uno regimine demonstratur quoque directe ex institutione potestatis quam Christus uni contulit et cui omnes prorsus suas oves subesse voluit: quocirca huiusmodi unitatis plenissima demonstratio repetenda est ex Tract. seq.

Veteres autem Patres idem unanimiter testantur. Etenim non solum docent Ecclesiam Christi esse ex omnibus credentibus unam (Iustinus in Dialogo n. 63. Clemens Romanus epist. ad Corinthios. n. 46. Irenaeus l. I. c. 10. Origenes contra Celsum l. VI. n. 48. Cyprianus et Augustinus *de Unitate Ecclesiae),* sed praeterea docent unitatem Ecclesiae per Episcopum, adeoque per auctoritatem, fieri (Ignatius passim in suis epistolis), iidemque docent unum esse episcopatum, unam esse cathedram, unum Episcopum in Ecclesia, unamque Ecclesiam esse per unius auctoritatem et idcirco unam Ecclesiam esse ex omnibus fidelibus per subiectionem uni auctoritati.

Ex his liquet, Christum non solum voluisse Ecclesiam suam esse unam, sed principium unitatis in ea posuisse h. e. auctoritatem visibilem; constat enim Christum auctoritatem regiminis instituisse: unitas autem Ecclesiae quae est unitas corporis, regni, ovilis etc. per solam

auctoritatem obtinetur. Ut vero huiusmodi unitas socialis vere dicatur competere Ecclesiae, debet esse actualis; si enim actu non sit, habebis partes divisas: quae nihilominus si adhuc dicantur esse Ecclesia, Ecclesiam sistent multiplicem, non unam. Unitas vero socialis perpetua erit; quia Ecclesia perpetua erit: erit autem semper Ecclesia, qualem Christus instituit et voluit esse; ergo actualis unitas perennis erit, nec unquam fiet, ut Ecclesia vera sit et simul multiplex ac divisa socialiter.

IV. Unitas fidei (loquimur nunc de fide theologica) ex duplici elemento constat subiectivo et obiectivo: subiectivum est professio fidei communis omnibus; obiectivum est doctrina eadem, sive veritates eaedem pro omnibus credentibus. Porro ex parte obiecti, *ad habendam unitatem* requiritur, ut ipsae veritates, quae creduntur, sint unum h. e. uni subsint motivo, nihilque in eis sit falsi neque ulla contradictio inter eas. Ex parte vero subiecti requiritur principium determinans professionem fidei communem. Hoc autem principium determinans debet esse evidentia credibilitatis obiecti, quae dupliciter obtineri potest. Vel est enim evidentia credibilitatis obiecti certa ex eo, quod Deus singulis veritatem testatur vel interiore locutione vel exteriore manifestatione per signa, vel est evidentia credibilitatis obiecti certa ex auctoritate quadam inter homines proponente infallibiliter credenda, cuius infallibilitatem Deus certis signis indubiam effecerit. Alterutrum enim requiritur; nam evidentia veritatis haberi nequit. In hac proinde unitate fidei duplex veluti unitas distinguenda est: *unitas materialis* h. e. consensus omnium in easdem veritates, *unitas formalis* h. e. adhaesio omnium eidem principio determinanti consensionem.

Iam vero professio fidei eadem in omnibus potest esse vel explicita vel implicita. Explicita est cum distincte sciuntur et creduntur veritates: implicita est cum aliquibus veritatibus explicite creditis, ceterae in suo motivo formali et principio manifestationis creduntur, quatenus volumus credere quidquid Deus revelavit et magisterium a Deo institutum docet. Fides autem implicita duplex distingui potest: nempe respectu earum veritatum quae iam authentica et infallibili definitione magisterii sunt propositae, quas tamen plures ignorant et respectu earum veritatum, quae in deposito quidem revelationis continentur, nondum tamen peremptoria sententia magisterii sunt definitae. Illud porro est advertendum quod utraque fides sive explicita sive implicita est *formaliter* eadem fides atque earundem veritatum; est enim idem motivum formale idemque principium cui utraque innitur.

Quia vero credenda sunt et ea quae nexu sunt cum revelatis et magisterio infallibili proponuntur, quo duplici vinculo ad unitatem cum revelatis revocantur; hinc unitas fidei postulabit ut haec quoque propter

suum proprium motivum credantur vel explicite vel implicite quemadmodum diximus de revelatis.

Iam vero A) unitas fidei materialis postulatur in Ecclesia Christi, ut sine ea esse non possit Ecclesia; cuius proinde proprietas sit unitas Fidei. Sane liquet 1° ex ipsis rerum naturis: deficiente enim unitate fidei, neque constare sibi potest unitas socialis; est enim essentialiter Ecclesia societas credentium et agentium secundum Fidem, ita ut omnes leges, omnia iura, omnes functiones, quibus invicem cohaerent membra Ecclesiae, sopponant fidem et secundum eam determinentur; quare diversis exsistentibus professionibus Fidei, eo ipso Ecclesia scinditur in plures et fit multiplex, quod repugnat. Rursus Fides, quam profiteri debet Ecclesia, est fides vera eamque integre profiteri Ecclesia debet: *docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Matth. XXVIII. 20.: porro fides vera non est nisi una: ergo unam fidem profiteri Ecclesia universa debet. Liquet 2° ex disserta testificatione Apostolorum, qua voluntas Christi manifestatur. Ita ad Ephesios IV. 3. seqq.: ex quibus habes *a)* servandam esse unitatem Spiritus in vinculo pacis (3.): *b)* quemadmodum Ecclesia est unum corpus, unus Spiritus, quemadmodum una est spes vocationis fidelium, unus est Dominus, unum baptisma, ita unam esse Fidem (4. 5.): *c)* Christum instituisse pastores et doctores, ne circumferantur fideles, veluti parvuli fluctuantes, omni vento doctrinae, ne scilicet diversae sint opiniones in fide, quas sectentur fideles, sed ut occurrant omnes in unitatem Fidei εἰς ἑνότητα τῆς πίστεως, in virum perfectum (11. 13.) (vir perfectus opponitur parvulis fluctuantibus: metaphorica est locutio; significatur autem quod sicut per gradus quosdam aetas hominis ad virilem pervenit perfectionem, perfectio autem virilis aetatis in eo est quod vires corporis firmae sint animusque sit constans et propositi tenax, ita adhaesio nostra fidei, debet esse firma et stabilis, ut simus in fide viri perfecti non parvuli fluctuantes). *d)* Hanc autem unitatem fidei patet obtinendam esse in hac vita; in hac enim ministerium doctorum exsistit atque in hac vita crescere debent fideles in Christo veritatem facientes (15.) ἀληθεύοντες in caritate (ἀληθής enim est qui a vero non aberrat. Aristot. *de Anima* l. III. c. 3.). Quia vero μέχρι *donec* significationem temporis habet, cum dicit Apostolos Doctores datos esse in opus ministerii *donec occurramus omnes* (ipse se Paulus cum ceteris connumerat), sensus est quod huiusmodi opus tandiu durare debet, quandiu ex omnibus gentibus ex omni terrae parte erunt homines congregandi in unitatem fidei, scilicet *donec omnes* (vis est in termino *omnes* non in termino *occurramus*) occurramus (13.) in unitatem fidei. Semper autem ab omnibus, qui occurrunt, conveniendum est in unitatem

Fidei eademque servanda firmiter et constanter; excluditur enim pro omnibus fluctuatio in fide veritasque in caritate facienda omnibus edicitur qui crescunt in Christo (14. 15.). Non itaque is est sensus, quod unitas fidei sit terminus quidam in quem Ecclesia tendit, quem tamen non statim assequitur, ita ut proinde etiam sine eo ipsa esse possit.

Liquet 3° ex historia institutae et propagatae Ecclesiae; primi enim fideles perseverantes erant in doctrina Apostolorum Act. II. 42. iisque praecipitur ut stent et teneant traditiones quas didicerunt sive per sermonem sive per epistolas Apostolorum 2. Thessal. II. 14. praecipiturque Episcopis ut depositum custodiant, devitantes ἀντιθέσεις falsi nominis scientiae 1. Timoth. VI. 20. et quae audierunt ab Apostolis commendent fidelibus hominibus qui idonei sint et alios docere 2. Timoth. II. 2. ac universim edicitur, anethema esse quicumque evangelizaverit praeter id quod Apostoli evangelizarunt Gal. I. 8. 9. Atque ita universa Ecclesia id semper custodivit, ut alienos ab Ecclesia haberet, qui ab unitate fidei deficerent, ab ea nempe fide quam Apostoli Ecclesiae tradiderunt; ut ex universa haereseologia constat.

Liquet id 4° ex unanimi testificatione Maiorum: ex qua, speciminis gratia, haec satis sit producere « Ecclesia enim per universum orbem dispersa, teste Irenaeo l. I. c. 10., praedicationem et fidem ab Apostolis acceptam, velut animam unam et unum idemque cor habens, miro consensu quasi uno ore praedita, praedicat et docet... veraque et universa Ecclesia unam et eandem toto terrarum orbe fidem tenet. » « Apostoli enim in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotide mutuantur, ut ecclesiae fiant », ait Tertullianus *de Praescript.* n. 20. « Tunc enim unitas (Ecclesiae) est cum omnes similiter credimus » inquit Chrysost. in Epist. ad Ephesios hom. XI. « Ecclesia enim *ab una fide genita* ac per Spiritum S. in lucem edita, una est soli et una genitrici (μία τῇ μόνῃ καὶ μία τῇ γεγεννηκυία) », ait Epiphanius in *Exposit. Fidei* n. 5. Et sane huc semper spectavit omnis pugna Ecclesiae cum haereticis, huc editae professiones fidei, huc decreta fidei in Synodis vel ab Apostolica Sede lata, ut una eademque fides integra in universa Ecclesia custodiretur. Neque refragatur Iustinus in Dialogo n. 48. cum ait: « Sunt enim quidam ex genere nostro, qui eum (Iesum) confitentur esse Christum, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient, quibus ego non assentior, nec assentirer etiamsi maxima pars eorum qui mecum sentiunt, idem dicerent ». Homines enim quos *ex genere nostro* vocat Iustinus sunt haeretici, qui cum in Christo fuerint geniti et quadam

ratione Christiani semper sint, ex genere nostro ducuntur esse, idque solebant Patres cum eos Iudaeis aut Gentilibus opponerent. Cf. Origenem *contr. Celsum* L. III. n. 12. Hieronymum praefat. l. XI. in Esaiam. Cum autem haec ratio sit cur ex genere nostro dicantur haeretici, non sequitur eos a Patribus tamquam verae Ecclesiae membra habitos esse; inter plures enim Christianas sectas una est vera Christi Ecclesia.

B) Cum haec unitas materialis quoddam principium determinans requirat, tale principium ex Christi institutione est auctoritas magisterii; ideoque ex Christi institutione et unitas formalis fidei in Ecclesia postulatur eaque per authenticum et infallibile magisterium efficitur. Sane praeterquamquod Deus immediate singulos non docet, vel interius per interiorem locutionem vel exterius per signa testificantia, verum esse quod aliquis nomine suo proponit, constat Christum magisterium authenticum et infallibile constituisse et omnibus obedientiam erga ipsum praecepisse idque solum et omne voluisse credi quod ipsum doceret. Haec ex iam demonstratis evidentia sunt. Et sane hoc pacto semper discreti sunt fideles ab haereticis, quod illi Ecclesiam audirent, hi sibi ipsis magistri essent erroris atque huc spectarunt semper professiones fidei et decreta fidei edita in Synodis, ut tessera communis fidei omnibus proponeretur, qui Ecclesiae filii esse vellent.

C) Porro collatis iis, quibus in praecedd. reiecimus distinctionem protestanticam articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, liquet unitatem fidei, quae ex Christi institutione in Ecclesia requiritur, esse unitatem circa omnia dogmata revelata, sive explicite sive implicite credita. Unde constat, quodnam iudicium ferendum sit de opinione modernorum Protestantium, quam exhibet M. Iurieu in opere cui titulus: *Le vrai système de l' Eglise* pag. 79. inquiens « nostra opinio est, quod ecclesia catholica et universalis sit diffusa in omnibus sectis, habeatque vera membra in omnibus ex harum numero societatibus, quae non diruerunt fundamentum religionis christianae, etsi sint ab invicem divisae et se mutuo excommunicaverint... Nam Ecclesia, ut ait pag. 226., mansit visibilis in cunctis communionibus, quae non obstantibus anathematis mutuo adversus se latis et earum separatione, conservarunt semper veritates principales ». Impie autem furit in Ecclesiam Romanam (ibid. pag. 54.); eo quod doceat se esse unicam Ecclesiam, in qua salus possit obtineri: quid enim aliud sic docendo docet, quam in sola vera Ecclesia haberi posse salutem seque esse exclusive veram Ecclesiam; quae duo evidenter ipsa demonstrat?

VI. Coetus religiosus in Dei cultum destinatus colligari debet quibusdam sacris ritibus, quibus homines et dedicentur Deo et Deo cultum

exhibeant et a Deo vicissim perficiantur. « In nullum enim nomen religionis sive verum sive falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur » (August. *adv. Faustum.* l. XIX. c. 11.). Est de essentia proinde coetus religiosi, ut quosdam ritus sacros habeat. Ritus sacri communes esse possunt cunctis ad coetum pertinentibus duplici modo, nempe 1° immediate actuali perceptione ut in Ecclesia baptismus, seu iure actualis perceptionis, ut Eucharistia: atque 2° mediate h. e. consensione et effectuum eorum participatione, quatenus quidam ritus qui a quibusdam tantum suscipi possunt et debent, ab omnibus admittantur habeanturque ut ritus sacri iisque debita reverentia adhibeatur atque in bonum commune cedant, quemadmodum est Ordo sacer. Actualis vero perceptio ritus sacri rursus duplex esse potest; si enim ritus sacer huiusmodi sit ut immediate in bonum omnium peragatur, vel erit perceptio activa qua ritus ipse fit, vel passiva, qua effectus eius participantur; cuiusmodi est sacrificium. Ex hac communione rituum sacrorum oritur unitas ritualis coetus religiosi. Haec autem unitas rursus duplex distinguenda est, *materialis* nempe et *formalis*. Materialis est ipsa communicatio omnium rituum sive immediata sive mediata: formalis est ratio exsistens in coetu determinans hanc communicationem eiusque stabilitatem ac perennitatem; certos enim oportet esse ritus sacros in aliquo determinato religioso coetu eosque stabiles et perennes, si coetus stabilis et perennis esse debet; ad id autem obtinendum requiritur, ut in ipso coetu sit principium aliquod, quo fiat ut omnes eosdem ritus perenniter servent, si ille coetus sit per se non per accidens coetus religiosus. Porro necesse est, ut hoc principium in Ecclesia illud sit quod Christus instituit.

Quaeres num possint esse quidam ritus sacri proprii tantum alicuius partis coetus religiosi? Si sint quidam ritus accidentales et quorum exclusio non includat negationem alterius unitatis essentialis nempe in fide quique proinde a ceteris quoque probari possint et pro opportunitate usurpari, unitas religiosi coetus haberi poterit, etsi non omnes ritus sint communes. At si e contrario sint ritus necessarii aut essentiales, quorum exclusio includat negationem unitatis in fide, ii omnibus debent vel immediate vel mediate esse communes, ut unus sit coetus religiosus.

Iam vero A) in Ecclesia unitas ritualis *materialis* postulatur. Ratio est quia id exigitur ab essentia coetus religiosi. Et sane communis esse debet omnibus ritus idem initiationis, h. e. baptismi Matth. XXVIII. 19.; Eph. IV. 5.; communis idem ritus Eucharistiae et sacrificii 1. Cor. X. 17.; Ioan. VI. 54. coll. Matth. XXVI. 26.; 1. Cor. XI. 23.; Act. II. 42.

Praeterea professio unius baptismi in symbolis continetur. Patribus autem sollemne est, explicare unitatem visibilem Ecclesiae per consortium eorundem Sacramentorum (cf. Augustini testimonia §. 11. n. 10.). Et Patres Apostolici, ut passim Ignatius in suis epistolis, cum unitatem Ecclesiae commendant, illud data opera praecipiunt, ut in ritibus sacris omnes cum Episcopo uniantur et nihil sine Episcopo fiat, unitas scilicet sacrorum asseritur.

Porro necesse est, ut unitas ritualis Ecclesiae complectatur omnes ritus qui sunt divinae institutionis, qui quidem sunt Sacramenta septem et sacrificium. Sane hi ritus necessarii sunt; quia necesse est ut coetus religiosus a Deo institutus eo modo Deum colat Deoque dedicetur atque a Deo perficiatur, quem ipse Deus instituit. Instituit porro Deus haec fieri per eos determinatos ritus. Et re quidem vera exclusio cuiuscumque horum rituum includeret dissensionem in fide; si enim Deus ritus hos instituit et iussit adhiberi, credendum est eos esse ritus sacros illudque eos praestare quod divina revelatio docet eosque esse ex divina institutione adhibendos et necessarios in Ecclesia Dei: ergo.

B) Oportet autem, ut dixi us, hanc unitatem rationem sui in ipso coetu habere, per quam stabilitas et perennitas eiusdem unitatis efficiatur. Si enim id desit, fieri quidem poterit, ut identidem omnes in idem conveniant, sed id erit per accidens non per se, ex mutabili hominum arbitrio, non ex vi ipsius coetus religiosi. Ideoque non esset Ecclesia in hac hypothesi coetus per se unus unitate sacrorum et sic neque esset per se coetus cui nomen Ecclesiae competat: nam si per se non haberet unitatem sacrorum, fieri per se posset ut ritibus omnibus careret, quibus eum auctor ipsius voluit esse religiosum; ideoque per se non esset, sed solum forte per accidens coetus religiosus: si autem per se non est coetus religiosus, iam nullus est coetus, qui mereatur dici Ecclesia. Iam vero Christus in Ecclesia sua principium posuit unitatis perennis sacrorum et sic voluit utramque unitatem materialem et formalem, ut decebat. Posuit scilicet ministerium ab Apostolis inchoatum in successores eorum iugiter continuandum, cui custodia et administratio sacrorum infallibilis commissa est. Ut proinde communicare quidem debeant fideles sacris, sed ea accipiendo ab iis vel sub eorum directione, quos Christus sacrorum ministros instituit. Haec patent ex ipsa institutione ministerii, qua Christus Ecclesiam suam fundavit. Huc spectat doctrina Ignatii in omnibus suis epistolis. Hinc libri liturgici et rituales ab Ecclesiastica auctoritate editi ab antiquis quoque temporibus, quibus sacrorum administratio regeretur: ergo.

§. XLIX.

Ex demonstratis colligitur publicos haereticos, schismaticos, excommunicatos vitandos, atque etiam catechumenos non esse actu membra Ecclesiae.

I. Praestituendum est initio, posse eum, qui in Ecclesia est, separari ab ea ita ut amplius connumerandus non sit membris eius. Id constat ex ipso communi conceptu societatis, a qua quis sponte vel coacte separari potest separatione totali. Cum praesertim Ecclesia sit societas, ad quam obligantur quidem homines, at lege: unde voluntarie ad eam convenire debent et voluntarie permanere. Est ergo in potestate hominum abrumpere vinculum unionis et se ab Ecclesia separare. Est etiam in potestate societatis rebelles prorsus a se abiicere. Idque semper in Ecclesia retentum est ac suppositum in quavis controversia cum haereticis et schismaticis eorumque proscriptione, ut deinceps patebit. Porro ut quis membrum Ecclesiae sit debet cum corpore coniungi per ea vincula, quibus unitas corporis necessario constituitur. Nec satis est, quod Ecclesiae quomodolibet subsit potestati; nam et qui sunt alieni a quadam societate, possunt esse subiecti, licet inviti, potestati eiusdem e. g. qui bello sunt victi neque satis est, quod certis in adiunctis iurisdictionem per modum actus transeuntis ab ecclesia quis recipiat in subditos eius; nam in bonum subditorum potest Princeps cuivis extraneo potestatem facere exercendi id quod utile sit subditis suis: quemadmodum et Christus fecit potestatem cuivis homini administrandi valide baptismum, etsi non sit in corpore suo. Scilicet aliud est reali aliqua relatione subordinationis aut dependentiae cum Ecclesia necti, aliud est esse membrum eius; id enim postulat, unitatis vinculo cum eius corpore cohaerere. Rursus distinguenda est obligatio unionis cum Ecclesia qua quis teneatur et ius quod Ecclesia habeat ut quis sit ipsi unitus, ab actuali unione; potest enim illud utrumque esse sine hoc. Porro nos loquimur de actuali unione. Iam vero vinculum necessarium unitatis Ecclesiae triplex est: regimen, fides, sacra; triplex enim unitas, socialis, symbolica, ritualis est necessaria et essentialis Ecclesiae (§. praec.).

II. Haereticus est qui fidem susceptam abiicit, sive unum articulum sive omnes neget. Duplex distingui debet, occultus et publicus. Occultus iterum duplex distinguitur, scilicet is qui haeresim mente continet nec ullis exterioribus signis exprimit et is qui exprimit quidem, sed nemine praesente aut sciente: ille *occultus per se* dicitur, hic *per accidens*. Publicus est qui haeresim suam palam profitetur, ita ut constet ipsum

sentire aliter ac Ecclesia docet idque publice constet. Ut haereticus publicus sit, haec duo debent concurrere, haeresis interior eiusque exterior manifesta professio. Si enim ex errore quis profitetur quod haereticum est, putans id esse catholicum, ipse et haereticus non est et eius professio, si praesertim omnia adiuncta spectentur, est formaliter conformis magisterio Ecclesiae; significat enim (licet per accidens id identidem latere possit) se velle credere quod Ecclesia docet. De haereticis occultis iam disputavimus in §. 9. Negamus modo haereticos publicos esse actu membra Ecclesiae.

Sane 1° fac eos esse membra Ecclesiae: in hac hypothesi Ecclesia erit visibiliter societas eorum qui verum et falsum publice profitentur et quia error multiplex est, veritas una, Ecclesia poterit esse societas in qua constat, magnam partem ab alia dissidere, ideoque certos errores et falsa dogmata credi: ideoque hac admissa hypothesi, non amplius dici poterit fidem Ecclesiae esse unam Ecclesiamque veram fidem profiteri atque esse columnam et firmamentum veritatis: hoc autem repugnat: ergo et ea hypothesis repugnat. 2° Huic hypothesi, quod haeretici scilicet manifesti adhuc membra sint Ecclesiae, adversatur sensus universalis et constans ipsius Ecclesiae. « Dubitari non potest (ait s. Athanasius Orat. 1ª adv. Arianos) quin earum (omnium haeresum) auctores ex nobis exierint, sicut scripsit b. Ioannes; quandoquidem neque fuit unquam neque nunc nobiscum est eorum doctrina ». Sane haeretici semper tales habiti sunt ut sint *antichristi* (1ª Ioann. II. 18.) iidemque dicuntur esse *extra Ecclesiam* (Cyprian. epist. ad Iubaian. eos esse *aperte foris* (August. *de Bapt.* l. 1. c. 17.): eorum *coetus non esse Ecclesiam* (Hieronym. *cont. Lucif.*): eos *se habere ad Ecclesiam sicut ancilla ad uxorem* (August. ibid. c. 15. seq.): *cum iis non communicare Christianos; quia eos atheos impios et exleges sciunt Christiani, haereticos non esse christianos* (Tertull. *Praescrip.* c. 37.). Hinc qui converterentur, dicebantur posse *recipi in Ecclesia*, *converti ad Ecclesiam*, *redire ad Ecclesiam*, *restitui Ecclesiae* (Conc. Nicaen. cc. 8. 19. Irenaeus l. 3. c. 3. Tertullianus *de Praescrip.* ibid.). Specialisque modus statutus est quo redeuntes haeretici ad Ecclesiae communionem reciperentur, ut liquet ex Siricii epist. ad Himerium n. 2. et epistola Gregorii M. 72. l. 11. et epist. decret. Leonis ad Rusticum 167. n. 18. Atque ipsi haeretici revertentes dicebant *se adiungere Ecclesiae Catholicae, se ad eam accedere ad communicandum cum ipsa* (cf. subscriptiones quartodecimanorum relatas in Act. VI. Conc. Ephesini). Unde Augustinus Serm. 181. reprehendens Pelagianos ait: « Si non vultis esse Ecclesiam nisi eam, quae sine macula et ruga est, cum rugis vestris et maculis praecidite vos a membris eius, praecidite vos a cor-

pore eius, sed quid adhuc dicam ut se ab Ecclesia segregent, cum hoc iam fecerint? *haeretici enim sunt, foris sunt:* cum tota munditia sua foris remanserunt. Redite et audite, audite et credite ». Et Tertullianus Ecclesiam alloquentem haereticos inducit l. c. his verbis : « Quid in meo agitis, non mei? » Ex quibus omnibus liquet necti immediate haec duo *haereticum esse, esse foris, non esse Ecclesiae ;* ipsi enim exeunt, ipsi foris remanent, ipsi se praecidunt a corpore solaque haeresis mentione facta dicuntur ii esse extra Ecclesiam negaturque eos esse Christianos.

Quod quidem Apostolus Ioannes in 1ª epist. II. 19. docuerat inquiens de haereticis quod prodierunt, exierunt ἐξῆλθον ex nobis h. e. ex nostro coetu ; quod quidem Apostolus asserit generatim de iis qui *antichristi* h. e. haeretici evaserunt ; hac enim conditione enunciata, subdit statim : *ex nobis prodierunt*, qui etiam antequam exirent imperfecto modo ad coetum christianum spectabant (cf. §. 11.). Iam vero qui exit, desinit prorsus esse intus ; nemo enim est amplius ibi, unde exivit. Vim autem vocis ἐξῆλθον eam esse, ut exitum a societate et separationem significet, praeter Patrum interpretationem, ipsa appellatio *antichristi* facta exeuntibus et oppositio cum statu praecedente, in quo neque tum erant ex nobis, demonstrat.

Quae vero Apostolus habet 2ª Tim. II. 20. *in magna nempe domo esse non solum vasa aurea et argentea, sed lignea et fictilia et quaedam in honorem, quaedam in contumeliam*, non refertur ad id quod vv. 17. et 18. de notis haereticis Hymenaeo et Phileto dictum est, sed ad id quod immediate v. 19. praecedit : *cognovit Dominus qui sunt eius et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* In Ecclesia enim esse possunt qui non sint Domini, electione scilicet secundum propositum et finaliter efficaci, qui operentur iniquitatem, quo fiat aditus ad subversionem fidei : discedant proinde ab iniquitate qui invocant nomen Domini et sic haereticorum sermo eorum fidem non subvertet, quemadmodum in quisbudam fecerat Hymenaei et Phileti sermo serpens ut cancer.

Quaeres : cur ergo Ecclesia excommunicat haereticos, si iam sunt foris? Respondeo 1° nihil impedire, quominus Ecclesia positiva lege sanciat illud idem quod iure divino statutum est. 2° Ecclesiam excommunicare etiam haereticos occultos : 3° Excommunicationem habere quosdam effectus proprios, qui a lege Ecclesiae dependent, ut ex. g. privatio commercii civilis et externi, publicorum suffragiorum et huiusmodi.

Porro perperam prorsus affirmatur, quod aetate apostolica haeretici censerentur esse membra Ecclesiae. Id quidem reiicitur etiam propter

praeceptum ab Apostolo factum Tit. III. 10. Verum quidam id demonstrare volunt ex eo quod haeresis fuerit ea sententia, quae doceret necessitatem servandae legis Moysis pro Christianis; eos tamen intra Ecclesiam recensitos fuisse ostendunt Epistolae ad Galatas, Romanos, quae in hoc errore intectando totae sunt. Verum distinguendum est inter Christianos ex Gentibus et ex Iudaeis. Quoad priores in Concilio hierosolym. definitum est, eos ea lege non teneri et Apostolus scribens ad Galatas qui gentiles erant anathemate percellit eos qui docerent Galatas teneri lege Moysis. Ante Ecclesiae definitionem vero nulla erat haeresis formalis. Quoad Iudaeos autem docuerunt Apostoli usum legalium necessarium non esse, sed non prohibuerunt (nec enim in se, seposita prava intentione animi, malus erat) et ex quadam oeconomia tolerarunt: imo identidem ipsi apostoli usurparunt. Ex eo autem quod Apostoli scribentes ad fideles refellant sententiam asserentem non solum honestatem sed necessitatem legalium pro consequenda salute, nullo modo sequitur, eos qui id docerent habitos fuisse ab Apostolis inter fideles.

Infirmus autem in fide, de quo Apostolus ad Romanos XIV. 1. seqq., non est qui fide caret, sed qui perfecta scientia fidei carens, conscientia erronea laborat. In toto enim hoc capite fides est conscientia seu conscientiae iudicium: cf. v. ult. Huius proinde fratris conscientia incerta laborantis rationem habendam esse praecipit Apostolus.

III. S. Thomas 2. 2. q. 39. a. 1. docet quod « schismatici proprie dicuntur qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant, quae est unitas principalis. » Scilicet unitas est quaedam partialis aliquorum membrorum corporis ad invicem et unitas totalis membrorum omnium ad totum corpus, haec est unitas principalis. Ecclesiae autem unitas, ait idem s. Doctor, ex duobus pendet h. e. ex connexione seu communicatione membrorum Ecclesiae ad invicem, et iterum ex ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput, quod est Christus, cuius vicem gerit in terris Summus Pontifex (quod modo supponimus ex tract. seq. ut completa sit rei tractatio). Haec duo distinguenda sunt, quia ut iam indicavimus initio § 48. possunt plures uniri sub uno capite vel rege, quin sint una societas: quare praeter subordinationem uni capiti, debet haberi et coordinatio ad invicem. Quae coordinatio in hoc est posita, ut Caietanus ibid. explicat, ut singuli fideles singulique particulares coetus sint et agant ut partes totius, non ut aliquod totum ab aliis separatum; sed sint alter alterius membrum Rom. XII. 5. Ratio allata distinctionis horum duorum ostendit quidem posse uniri plures sub uno, quin uniantur inter se; ideoque haberi posse unitatem capitis sine unitate corporis: non vero exinde colligere licet,

posse plures uniri inter se quin uniantur in capite sive subiecto auctoritatis, quod in unitate monarchica est una persona et in Ecclesia est Romanus Pontifex. Unitatis enim socialis Ecclesiae tum totius tum etiam cuiusvis particularis principium est caput ipsius h. e. R. Pontifex (tract. seq. Th. 12.). Porro concludit s. Thomas « et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant ».

Quaeritur autem cuiusmodi esse debeat 1° haec negatio subiectionis Summo Pontifici et 2° recusatio communionis cum ceteris membris, ut schismaticus quis sit et 3° utrum ad haec requiratur haeresis. Ad primam quaestionem respondet s. Thomas ibid. ad 2. nempe « quod non obedire praeceptis cum rebellione quadam constituit schismatis rationem. Dico autem cum rebellione, cum et pertinaciter Ecclesiae praecepta contemnit et iudicium eius subire recusat ». Quam doctrinam s. Thomae sic enarrat Caietanus. Tripliciter recusari potest praeceptum vel iudicium Papae, primo ex parte rei indicatae seu praeceptae, secundo ex parte personae iudicantis vel praecipientis, tertio ex parte officii ipsius. Primum fit cum quis non vult obedire aut exsequi quod mandavit Papa, quod quidem fieri potest retenta recognitione ipsius in superiorem et retenta fide quod ipse sit superior. Alterum fit cum quis personam Papae suspectam habet (quot et rationabiliter fieri potest; quia possibile est Papam affectu minus recto duci et in causis particularibus sententiam aut praeceptum non aequum ferre), paratus ad non suspectos iudices ab eo suscipiendos. Tertium fit cum quis Papae praeceptum vel iudicium ex parte sui officii recusat, non recognoscens eum ut superiorem. Porro, ait Caietanus, hic proprie schismaticus est. « Et iuxta hunc sensum intelligenda verba literae huius et similium. Inobedientia enim quantumvis pertinax non constituit schisma, nisi sit rebellio ad officium Papae vel Ecclesiae, ita ut renuant illi subesse, illum recognoscere ut superiorem ».

Ad secundam quaestionem respondet idem Caietanus ibid. « Ex eo aliquis est schismaticus quod renuit ut pars Ecclesiae operari. Nec refert, ex quaecumque causa hoc oriatur: dummodo enim ad hoc deveniatur quod renuit se habere ut partem unius Ecclesiae catholicae, incurritur schisma. Ex quacumque siquidem diversitate vel sententiarum vel affectionum in tantum aliqui exorbitent, ut velint sanctificare vel sanctificari, docere vel doceri, providere vel provideri, non ut pars Ecclesiae, sed tanquam ipsimet sint velut quoddam totum seorsum, schismatici sunt ».

Ad tertiam quaestionem quod spectat, sententia communis est, schisma per se spectatum posse esse sine haeresi sive, spectata rei

essentia, haeresim non esse elementum necessarium schismatis; quamvis ad factum quod attinet, schisma vel ab haeresi oriatur, vel eam gignat ut se tueatur. Ita Hieronymus in epist, ad Tit. III. « Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Et schisma a principio aliqua in parte potest intelligi diversum ab haeresi: ceterum nullum schisma est, quod non sibi aliquam haeresim confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur ». Et sane si sermo sit de schismate posito in eo quod quis membris Ecclesiae subiectis Papae recuset communicare velitque agere separatim ab iis, distinguendi sunt tres actus: primus qui sit formaliter actus intellectus, quo quis non credat seu neget necessariam esse unionem cum membris, vel aliquid aliud contra Ecclesiam: secundus, quo quis nolit esse, nolit se gerere ut partem Ecclesiae nullamque communionem habere cum Ecclesia Catholica: tertius quo quis peccet contra debitam caritatem socialem erga membra. Pariter quoad schisma ex rebellione ortum adversus caput Ecclesiae, distinguendi sunt hi tres actus: primus, quo quis non credit oportere subiici auctoritati Pontificis: alter, quo non vult ipsum esse superiorem suum seu non vult recognoscere aut habere illum ut suum superiorem: tertius, quo in his et illis rebus detrectat obedire. Iam vero manifestum est quod secundus actus utriusque seriei is est in quo positum est schisma, licet per tertium manifestetur, qui tertius tamen per se solus schisma non esset: illius vero schismatici actus requiritur quidem in subiecto aliqua ratio determinans, sed haec non est necessario primus ille actus, sive haeresis: sed aliqua alia inordinata affectio ratio esse potest: contingit enim hominem male agere, manente iudicio intellectus, quod ea actio non liceat: sed fit, quia placet. Unde Caietanus dixit schismaticum eum esse qui recusat Papae iudicium seu praeceptum ex parte officii sui, non recognoscens eum ut superiorem, « *quamvis hoc credat* »: scilicet per ea verba *non recognoscere* significatur actus non intellectus, sed voluntatis, quae non vult habere ipsum ut superiorem.

Ex dictis constat, schisma esse rem in facto positam ac visibilem et publicam: sola enim intentio schismatis faciendi si interius maneat, nondum schisma operatur.

Quaeri autem potest utrum schismaticus, sit, qui ab Episcopo se separat. Si ita se separat ut ceterae Ecclesiae et praesertim Romano Pontifici adhuc adhaereat schismaticus vere non est: secus autem, si se separando ab Episcopo, communionem quoque totius Ecclesiae repudiat, vel subesse renuit Romano Pontifici.

His praestitutis manifestum est 1° schismaticos qui et haeretici sint,

non esse actu membra Ecclesiae; patet ex iam dictis. Quaestio est de iis qui tantum schismatici sint. Nonnullos catholicos de hac re dubitare testatur Bellarminus (*de Ecclesia* l. 3. c. 5.) qui et refert Alphonsum de Castro affirmantem eos esse in Ecclesia: cui addi potest et Suarez *de Fide* disp. 9. sect. 1. n. 14. cuius ratio est tum quia schismaticus fidem retinet, tum quia denegatio obedientiae non est satis, ut quis extra Ecclesiam constituatur. Verum si Ecclesiae sententiam constantem inquiramus, liquebit negandum esse, quod schismatici actu sint membra Ecclesiae. Sane *a)* Pelagius I. id dissertissime et data opera docet duplici in epistola: cf. fragmenta epistolarum eius (a Luca Holstenio primum e tenebris vindicata Concill. tom. 5. pag. 805.) quae et in decreto exstant 24. q. 1. cc. 33. 34. In his docet Pelagius schismaticos partem sibi fecisse, se segregasse ab eo quod unum est, se divisisse ab universali Ecclesia (c. 34), esse palmites abscissos a vite non aptos nisi ad ignem (c. 33). Ecclesiam autem unam esse, in unitate scissuram esse non posse (cc. 33. 34.): ideoque non communicare unitati eos qui schismaticis communicant (c. 34.). Unde concludit: « Ad summam aut illos Ecclesiam esse creditis et cum duae Ecclesiae esse non possint, nos, quod absit, schismaticos iudicabitis: aut si veram in apostolicis sedibus esse constat Ecclesiam, et illos ab unitate divisos cognoscite et communionis quaestionem esse sublatam, quam veram nisi in unitate constat esse non posse ». *b)* Catechismus Romanus in explicatione articuli 9. ait n. 9. tria tantum genera hominum ab Ecclesia excludit, primo infideles, deinde haereticos et schismaticos, postremo excommucatos et ethnicos quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt... haereticos vero et schismaticos, quia ab Ecclesia desciverunt nec illos magis ad Ecclesiam spectare, quam transfugae ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Adverte et heic et a Pelagio schismaticos dici esse extra Ecclesiam, non quia excommunicati sint, sed quia ipsi desciverunt: unde et distinguuntur ab excommunicatis. Rursus *c)* Ecclesia universa in Parasceve orat pro haereticis et schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam Catholicam revocare dignetur; non ergo sunt in Ecclesia. Item in controversia de baptismo collato ab haereticis et schismaticis illud ab utraque parte supponebatur haereticos et schismaticos esse extra Ecclesiam. Praeterea *d)* axioma est, essentialem characterem Ecclesiae exhibens, quod Cyprianus docet epist. 66. ad Florentium Pupianum, inquiens: « Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens: unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse ». Atqui schismatici, sive subesse nolint Romano Pontifici in quo tota Ecclesia est, sive communicare negent universae Ecclesiae, non sunt certe cum Epi-

scopo: ergo. Hinc *e)* Augustinus *de Fide et symbolo* c. 10. schismaticos non secus ac haereticos negat ad Ecclesiam Catholicam pertinere: haereticos, quia Ecclesia diligit Deum, schismaticos, quia diligit proximum. Eosdem esse extra Ecclesiam docet quoque Fulgentius *de Fide ad Petrum* c. 39., eos connumerans cum Paganis, Iudaeis et haereticis. Optatus l. 1. c. 11. advertit per schisma spargi coagulum pacis et deserta matre Catholica impios filios foras exire. Pariter Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Ephesios affirmat schismaticos licet fide et dogmatis cum vera Christi Ecclesia consentiant, esse similes manui a corpore praecisae.

Ratio quoque petita ex ipsa Ecclesiae natura, qualem Scripturae nobis exhibent, idem evincit. Ecclesia enim est una unitate sociali, ita ut sit unum corpus sub uno capite ideoque singuli ad Ecclesiam spectantes sint membra de membro h. e. membra partialia, sint alter alterius membra, cohaereant nempe invicem ut partes et potissimum capiti Vicario Christi. Huiusmodi autem unio actualis esse debet; membra enim in corpore actu sunt unita: secus autem aliquis erit quidem potentia vel obligatione membrum, sed non erit actu membrum; quia deficit a communi communione, sine qua societas non est. Iam vero si schismatici sunt Ecclesiae membra, Ecclesiae corpus ex schismaticis quoque constare dicendum erit h. e. tum ex iis qui habent Romanum Pontificem ut caput eique se subesse profitentur, tum ex iis, qui non habent eum ut caput negantque ei subesse: item constabit ex iis, quorum una pars se ab alia separat nullumque commercium cum ea in docendo, regendo, sanctificando habere vult, sicut enim schismatici a coetu catholicorum se separant, ita et hi eos refugiunt: atqui haec non est amplius societas una, non amplius habetur actu unum totum ex partibus, sed habentur plures coetus totales, qui poterunt habere invicem similitudinem quoad leges et fidem et sacramenta: sed non constituent amplius unum regnum, unum corpus, unam societatem, cum conspiratio communis prorsus perierit; ideoque haberetur vere in hac hypothesi Ecclesia scissa et divisa. « Ecclesia autem, quae catholica una est, scissa non est neque divisa, sed est utique connexa et cohaerentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata » ut ait Cyprianus epist. citata. Ergo. Hinc patet solam fidem non sufficere ut membrum quis sit Ecclesiae, secus ac censuit Suarez.

Et sane schisma est separatio, quomodo in Ecclesia esse possunt qui ab Ecclesia se separant et quos a se separatos Ecclesia tenet?

Basilius Epist. 1ª Canonica ad Amphilochium can. 1° tria distinguit, *haereses, schismata, parasynagogas*. Haereses ait appellatos eos esse qui penitus resecti sunt et in ipsa fide abalienati. Schismata eos qui propter ecclesiasticas causas et *quaestiones non insanabiles* invicem dissi-

dent (exemplum ponit in quaestione de poenitentia). Parasynagogas conventus illos qui ab immorigeris presbyteris aut episcopis et a populis indisciplinatis fiunt; velut si quis in delicto deprehensus a ministerio arceatur, nec se canonibus submittat, sed sibi principatum et ministerium vindicet, ac nonnulli una cum eo, relicta catholica Ecclesia, discedant.

Advertere licet primo, quod doctrina heic tradita a Basilio circa valorem baptismi ab haereticis collati, ad quam declarandam statuit ipse hanc triplicem distinctionem, non esse satis exactam ad normam Catholicae Traditionis aut etiam veritatis historicae. Ceterum *causae ecclesiasticae*, propter quas schisma fit, ea omnia significant, quae ad regimen Ecclesiae spectant, cui schismaticus refragatur. *Quaestiones* vero *non insanabiles* dicuntur comparatae cum quaestionibus Fidei et quidem fidei circa praecipua dogmata, cuiusmodi est dogma Trinitatis; fide enim huiusmodi labefactata nullum est amplius medium reparandae unitatis: at manente fide, sicut manet aut manere potest in schismaticis, facilius dissensiones componi possunt. Discrimen vero inter schisma et parasynagogam est accidentale, si parasynagogi, sive presbyteri sive Episcopi, ita aliud altare constituant, ut nolint esse pars Ecclesiae quae eos punivit; est enim reapse schisma. Erit vero essentiale discrimen, si parasynagogi sint simpliciter inobedientes, conventum seorsim ab Episcopo habentes et ministerium suum exercentes, quo se immerito privatos esse contendunt. Quae quidem ratio agendi facile frequens esse poterat ea aetate, qua fidelium conventus sacri penes unum Episcopum generatim fiebant saltem in urbibus.

Addit vero Basilius: « visum est ergo antiquis, haereticorum quidem baptisma penitus reiicere, schismaticorum vero *ut adhuc ex Ecclesia existentium* admittere ». Schismaticos adhuc ex Ecclesia esse videtur Basilius e sua sententia affirmare, ut rationem reddat illius diversae oeconomiae quam ipse antiquis tribuit. Ratione autem habita scopi Basilii, ita eius verba accipere licet, ut ideo dicantur adhuc esse de Ecclesia schismatici; quia adhuc retinent aliquid proprium Ecclesiae, nempe fidem, quae veram formam suppeditat sacramento. Non secus ac inquit Augustinus *de Baptismo* l. I. a. 3. « Itaque isti (haeretici et schismatici) in quibusdam rebus nobiscum sunt, in quibus autem non sunt, ut veniendo accipiant vel redeundo recipiant, adhortamur ». Qui vero secundum quid nobiscum est, potest esse simpliciter extra, quemadmodum sunt iuxta Augustinum haeretici atque etiam schismatici. Cf. Maurinorum notas ad locum citatum Basilii.

Porro qui censent eos omnes qui veram habent fidem spectare ad Ecclesiam, videntur confundere (cf. Suarez l. c.) Ecclesiam a Christo

institutam cum ea quae exstitit ante Christum, in qua prima solummodo lineamenta divinae Ecclesiae ducta erant et in qua proinde sola fides et aliquis actus sacer etsi non communis sufficiebat tunc temporis citra ullam perfecti nominis religiosam societatem. At instituta a Christo perfecta societate, non licet asserere, id nunc sufficere quod tunc sufficiebat.

IV. Communio Sanctorum est consortium fidelium in participatione eorum bonorum, quibus Christi corpus est ditatum. Haec porro sunt vel inamissibilia, vel amissibilia: ea sunt praedestinatio et impressus animae character; haec vel interna sunt, vel externa: interna sunt tum ea quibus anima Ecclesiae continetur, his per se excommunicatio non privat, tum ea, quae Ecclesiae administrationi subsunt, ut suffragia, indulgentiae: externa sunt illa omnia, quibus exterior socialis vita, commune commercium, sacramentorum praesertim communione sacrorumque officiorum continetur, his et internis secundo loco dictis privat excommunicatio, appellata olim maior; nunc simpliciter excommunicatio; quia minor excessit ab usu.

Excommunicatio et anathema non differunt quoad substantiam: superaddit hoc quidem excommunicationi aliquam sollemnitatem et specialem exsecrationem. « Necatori pauperum, qui res pervadit Ecclesiasticas, psalmus 108. dicatur, ut veniat super eum illa maledictio quae super Iudam venit, ut non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur ». Ita Conc. Turon. can. 24. anno 570. Excommunicati alii sunt occulti alii manifesti et ex his alii tolerati, alii vitandi. Excommunicatos toleratos extra Ecclesiam esse, difficile demonstrabis; cum plures ex iis beneficia, si qua habebant, adhuc retineant et omnem iurisdictionem, ut Episcopus excommunicatus, nondum vitandus. Loquimur ergo de excommunicatis iudicio Ecclesiae declaratis et vitandis; haec enim formula, si quid valet, significat communionem prorsus abruptam esse.

Iam vero certum esse debet, quod Ecclesia ius habeat eiiciendi a se eos, quos suo consortio iudicat nocivos vel indignos: ita ut, licet maneat nexus dependentiae, desinat tamen vinculum socialis communionis et unitatis; id enim iuris competit cuique perfectae societati, quare ius mortis inferendae inest societatibus civilibus. Porro excommunicatio gladius est spiritualis, qui agit in Ecclesia id quod in populo Israelitico agebat interfectio, ut ait Augustinus q. 39. in Deuteron. Ecclesiae ergo negari nequit huiusmodi ius proiiciendi aliquos a se ipsa, ita ut amplius non sint membra eius. Et sane Christus Matth. XVIII., 18. cum dixerit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* subdit rationem: *amen amen dico vobis: quaecumque ligaveritis* etc. Scilicet

auctoritas Ecclesiae competit ita puniendi contumaces, ut ea poena eos plectere possit, propter quam habendi sint sicut ethnici et publicani. Cum publicanos memorat Christus, provocat ad id quod ea aetate inter Iudaeos contingebat, qui maxime abhorrebant ab illis, nec cum illis communicare volebant. Sensus ergo est, quod qui Ecclesiam non audit, habendus est tanquam si ethnicus esset et nunquam nomen Ecclesiae dedisset. Porro qui habendus est veluti ethnicus, nequit censeri Ecclesiae membrum. Ecclesia igitur potestatem habet plectendi hac poena eos, quos ipsa dignos arbitretur.

Quaestio ergo reliqua esse potest, an Ecclesia hac potestate reapse utatur. Atqui id quoque certum esse debet. Sane persuadent id formulae quibus excommunicationis et anathematis vis explicatur. Victoris enim excommunicatio Asianis inflicta, vel intentata ita ab Eusebio refertur: « a communione abscindere conatur et *ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat* » l. 5. c. 24.) Epiphanius haer. 42. quae est Marcionis, loquens de excommunicatione ei inusta ab Episcopo, ait eum a proprio patre fuisse *ab Ecclesia eiectum.* Hieronymus in epist. ad Tit. III. ait, peccatores excommunicatos ab Episcopo *propelli extra Ecclesiam, quo per se ipsos sponte eunt haeretici et schismatici.* Frequentes formulae excommunicationis et anathematis ab Ecclesia adhibitae huc redeunt, ut qui hac plectuntur poena, *dicantur separari a societate omnium christianorum: a limitibus s. Matris Ecclesiae in caelo et in terra excludi: ab omni societate et commercio Christiano excludi: a s. Matris Ecclesiae gremio segregari: a consortio totius Christianitatis eliminari:* praecipitur eos habendos esse *ut paganos non ut Christianos* ac compellendos esse *redire ad ecclesiasticam unitatem* (cf. Capitularia Francorum edita a Baluzio tom. 2. *Formulae excommunicationum.* Theophilum Raynaud *de Monitoriis ecclesiasticis* p. 2. c. 7.). Atqui his formulis manifeste significatur praecisio a corpore Ecclesiae, ut excommunicatus membrum eius actu non sit. Praeterea excommunicatus privatur iure omnis ritualis unionis cum Ecclesia, sive sacramentorum sive sacrificii sive publicarum precum sive conventus ecclesiastici. Scilicet « a communicatione orationis et conventus et omnis sacri commercii relegatur », ut ait Tertullianus Apolog. c. 39., desinit proinde in ipso vinculum unitatis ritualis: atqui omnia membra hoc vinculo coniungi debent; ergo. Quia vero homo ab Ecclesia abscissus non amittit potentiam poenitendi cum gratia Dei et consequendi salutem, hinc proiectio eius ab Ecclesia nequit esse absolute perpetua, sed conditionata, *nisi resipiscat;* si enim resipiscit, recipiendus est in Ecclesia. Unde huiusmodi poena ita est poena ut simul in bonum pecca-

toris ordinetur, ut territus redeat ad bonam frugem; ideoque est poena medicinalis.

V. Catechumenus est, teste Isidoro (*de Eccl. Offic.* l. 2. c. 20.), qui primum de gentilitate (vel alia simili secta non christiana) venit ad Ecclesiam, habens voluntatem credendi in Christum, quippe in fide Christi instituitur, ut tandem baptizetur. Fidem proinde catechumenus habere potest, imo et gratiam sanctificantem, si caritatis actum aut contritionis eliciat. Ipsum posse salvari si absque sua culpa sine baptismo decedat, certum est; quia iam illud in voto habebat et iam voto ad Ecclesiae corpus spectabat. Sed quaestio est utrum catechumenus credens iam hoc ipso sit actu membrum Ecclesiae.

Non esse probatur ita. 1° Christus praestituit normam, secundum quam in suam Ecclesiam homines adunarentur Matth. XXVIII. 19. Docete (discipulos facite) omnes gentes, *baptizantes eos;* ergo. Hinc Act. II. 41. dicitur: qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt et appositae sunt (Ecclesiae Apostolorum) in die illa animae circiter tria millia. Et sane baptismus exhibetur is esse, quo in Christi corpus h. e. Ecclesiam cooptantur homines 1. Cor. XII. 13. coll. Gall. III. 27.; unde et baptismus comparatur circumcisioni, qua populo Dei adnumerabantur olim homines Coloss. II. 11. Et re quidem vera in coetum Ecclesiae coagulari homines non possunt, nisi sacramentorum visibilium consortio colligantur, ut iam demonstravimus: atqui; ergo.

Idem 2° Patres docent. Licet enim catechumeni appellentur Christiani a Patribus (August. in Ioann. tract. 44. Interroga hominem: Christianus es? Respondet tibi: non sum, si paganus est aut Iudaeus. Si autem dixerit: sum, adhuc quaeris ab eo: catechumenus, an fidelis?) non tamen vocantur *fideles,* seu ab iis distinguuntur atque ita repraesentantur, ut fideles fieri debeant, in pietatis vestibulo versentur, adhuc intrare eos oporteat, atrium pertransire (Cyrill. hieros. *Procat.* n. 1. Nazianzenus *in s. Baptisma* Orat. 40.) extra paradisum versentur sociique sint exulis Adami (Nyssenus Orat. *de Baptismo*). Praeterea cautum erat, ut fideles ne domi quidem cum catechumenis orarent (Const. Apost. l. 8. c. 36.): ne praesentibus cathecumenis fas esset sacramenta conficere aut verba proferre, quae ad eorum formam spectarent (Synod. Laodic. c. 4.) et ne praesentibus ipsis sacra oblatio apponeretur (Iulius I. epist. ad Orientales n. 12.) utque sacramentum Eucharistiae celarentur Catechumeni (Tertull. *Praesc.* c. 41. August. in Ioann. tract. 11. Cyrillus hieros. *Procat.* citata. Epiphanius haer. 42.). Atqui huiusmodi censeri nequeunt membra Ecclesiae.

Rursus doctrina est Patrum, Ecclesiam ex Christo filios gignere, viscera vero Ecclesiae in aquis esse baptismi, eodem Spiritu replente

fontem, qui replevit et Virginem, ex alvo Ecclesiae natos effundi per manus Sacerdotis baptizantis, fide tamen pronuba, h. e. fidem praevertere debere, ut quis nascatur: seu institutione quidem fidei in sinu Ecclesiae filios concipi, nasci vero et in lucem emitti baptismo (August. *de Symb. ad Catechumenos* l. 4. c. 1. Optatus l. 2. c. 10. Pacianus Serm. *de Baptismo* n. 6.). Atqui qui membra Ecclesiae sunt, in filios eiusque natos computantur. Quare Rituale Romanum in ritu baptismi adulti, qui institutus prius esse debet et credere, orationem praescribit, qua oratur Deus, ut renovetur ille fonte baptismatis et inter Ecclesiae Dei membra numeretur. Eugenius quartus vero in Instruct. pro Armenis, docet homines per baptismum effici membra Christi et de corpore Ecclesiae: ergo.

§. L.

Altera proprietas Ecclesiae est Sanctitas, eaque tum ipsi Ecclesiae essentialis, tum quae ex divina promissione semper erit in Ecclesia, quae quidem sanctitas cum potestate a Christo instituta veluti obnoxio principio sui est necessario connexa.

I. Sanctum dicitur in creaturis, quod est Deo dedicatum. Sanctitas ethica, propria personarum, nequit haberi sine assimilatione et coniunctione cum Deo: ea est generatim rectitudo moralis personae coram Deo. Eaque est tum habitualis tum actualis: nimirum rectitudinis actualis, positae in exercitio virtutum, principium est intrinsecum quod habitibus continetur idque in praesenti ordine supernaturali sunt habitus infusi et gratia sanctificans. Haec est sanctitas personalis.

Sanctitas realis triplex distingui potest; quatenus vel res sancta dicitur quia est divino cultui dedicata, ut templa, altaria, vel quia principium est quomodocumque sanctitatis personalis, ut sacramenta, leges, vel quia effectus et signum est interioris sanctitatis et inhabitantis Spiritus S., ut sunt charismata miraculorum.

Utramque sanctitatem realem et personalem Ecclesiae vindicamus: realem non tantum, quatenus ea sit Deo dedicata, sed quatenus principium est sanctitatis personalis: personalem non tantum, quatenus possint esse in ea sancti, sed quatenus actu semper sint. Sanctitatem hanc dicimus proprietatem Ecclesiae, cum aliqua tamen distinctione; nam sanctitatem realem dicimus esse proprietatem essentialem, ut sine ea nequeat esse et concipi Ecclesia: sanctitatem vero personalem, sive habitualem completam sive actualem positam in exercitio virtutum, prout utraque non solum potestate (quod essentiale est) sed actu sit, dicimus esse proprietatem seu potius qualitatem necessariam, eo quod

Deus voluit promisitque futuram eam esse in Ecclesia sua. Praeterea adserimus Ecclesiae sanctitatem positam in charismatis eamque proprietatem seu qualitatem eadem ratione necessariam esse contendimus.

Porro ad sanctitatem quod spectat, advertendum est quod subiectum, de quo sanctitatem praedicamus, est Ecclesia prout est una societas: ut autem universa societas dicatur sancta sanctitate personali actuali, 1° opus non est, ut singuli socii sancti sint aut sint sancti perfecta sanctitate quae ex caritate habituali procedit aut qui sancti sunt perseverent omnes; sed satis est, quod plus minus floreat in ea perenniter cultura virtutum, sive perfectarum ut in iustis sive imperfectarum ut in se disponentibus ad iustificationem, quae sanctitas a principio intrinseco dependet: 2° nec opus est ut in singulis suis aetatibus vigeat eximia et late diffusa cultura virtutum, sed satis est, supposita quidem in singulis aetatibus continuatione virtutum, quod collatis omnibus eius aetatibus simul de Ecclesia universim spectata praedicari sanctitas possit. Neque 3° ut Ecclesia universa dicatur florere cultura virtutum, opus est in ea esse plures bonos quam malos, sed per se sufficit, ut absolute multi sint boni ac frequens sit exercitium virtutum idque ex Ecclesiae intrinseco principio procedat praestituente normam sanctitatis et media ad eam suggerente. Hinc excipi nequit contra ea quae demonstrabimus, quod forte praesertim in quibusdam aetatibus plures sunt mali quam boni. Ratio horum omnium est, quia sanctitas quae asseritur est sanctitas totius corporis: denominatio autem, quae ratione actualis perfectionis tribuitur societati, non opus est ut petatur a maiori parte; sed petenda potius est ab ea quae, cum absolute ampla sit ut omnes etiam gradus et conditiones societatis pervadat, cum intrinseco principio societatis ipsius cohaeret. Non tamen concedimus, in Ecclesia plures esse qui male operantur quam qui bene, sive perfecte sive imperfecte. Quia vero virtus humana exerceri nequit, quin extrinsecus se prodat atque Ecclesia visibilis est; haec cultura virtutum manifesta esse extrinsecus debet. Defendimus ergo Ecclesiam Sanctam esse tum ratione habita essentiae suae, tum propter manifestam Christianarum virtutum culturam, tum propter superna charismata, quibus semper splendescet. Haec est prima pars thesis; itaque.

II. Ecclesia est essentialiter Sancta. Sane omnia eius intrinseca constitutiva sunt sancta: sanctum ministerium quod datum est in consummationem sanctorum (Eph. IV. 11.), sancti sunt nexus, quibus vinciuntur fideles, nexus fidei, qua placemus Deo, nexus unitatis socialis, quae a caritate procedit vel ad caritatem adducit, nexus sacramentorum, quibus Deo cultus exhibetur nobisque sanctitas comparatur, praeterea sancta est norma morum h. e. Evangelium legesque ei con-

sentaneae ab infallibili auctoritate propositae, sancta est causa materialis Ecclesiae nempe baptizati, mundati lavacro aquae, filii Dei, qui proinde sancti dicuntur: causa finalis est ipsa sanctitas inchoata in hac vita, consummata in altera; ideo enim Christus se tradidit pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Ecclesia ergo prout est societas ordinans singulos homines in certum finem et media habens in se pro huiusmodi ordinatione eiusque finis consecutione, est essentia sua sancta. Quatenus vero sanctum dicitur quod est Deo dedicatum, eiusque cultui consecratum, Ecclesia rursus essentialiter sancta est, quia est templum Dei, domus Dei, corpus Christi et sponsa Christi.

III. Sanctitas posita in virtutum cultura duplex, ut iam innuimus, distingui potest. Nempe 1° ea sanctitas sive ea virtutum cultura exercitiumve actuum bonorum, quos sola fides et spes parere potest; eae enim vere virtutes sunt, principiumque esse possunt aliorum actuum bonorum e. g. poenitentiae: 2° ea sanctitas, sive illud virtutum actumve bonorum exercitium, qui caritatem habitualem supponunt. Hi actus si extrinsece spectentur difficile discernuntur a prioribus: intrinsece tamen differunt et non raro notitia eorum sive exsistentis intus caritatis, obtineri humana certitudine potest, sicut liquet e. g. in examine virtutum pro canonizatione. Ita vero vindicamus Ecclesiae hanc alteram actualem sanctitatem perfectam, ut non excludamus a demonstratione nostra priorem, nec illi eandem ac huic amplitudinem asseramus. Nam et vi prioris vere dici potest florere in Ecclesia cultura virtutum. Quae profecto habere locum in plurimis potest; plures enim ex iis qui peccant continuo poenitentiam agunt, cuius actus in tot fidelibus ornamentum Ecclesiae certe sunt.

Christus quidem voluit permittere praedixitque futurum quod mali iique non pauci in sua Ecclesia essent (cave autem ne cum his confundas eos qui vel apostasia vel excommunicatione sunt ab ea alieni): id tamen non impedit quominus sanctitas descripta sit in Ecclesia. Iamvero necesse est ut Ecclesia non solum iure sed et facto semper sit talis, qualem Deus praedixit et promisit futuram; praedictio enim et promissio factum respiciunt, quae quidem praedictio et promissio signum sunt voluntatis consequentis et efficacis Dei: necesse est autem ut Ecclesia sit qualem Deus voluntate consequente et efficaci vult esse.

Iam vero considerentur haec: *a)* 1. Tim. IV. 10. *Christus est salvator omnium hominum, maxime fidelium:* Eph. V. 23. *Ipse est salvator corporis sui.* Scilicet omnes quidem homines salvari possunt per Christum ipseque vult antecedente voluntate omnes salvari, salvat tamen actu fideles: salus autem quam Christus hominibus contulit,

quaeque proprie dicitur salus, est salus perfecta; atqui haec sine sanctitate et exercitio virtutum esse nequit: ergo quemadmodum certum est fore salvandos, ita certum est fore actu perfecte sanctos. Quos vero Christus salvat? tot ut dici possit salvator *corporis sui;* tot ergo erunt sancti, ut propter eos, ratione actualis exercitii virtutum, Ecclesia universa secundum amplitudinem suae durationis spectata dici possit sancta.

b) Matth. XIII. 24. seqq. coll. 35. seqq. ex parabola zizaniorum constat, quod usque ad finem mundi cum zizaniis erit bonum semen in agro, h. e. in regno Christi erunt cum malis filii Regni. Porro hi filii Regni sunt iusti, qui in consummatione seculi per Angelorum ministerium discernentur a malis et fulgebunt sicut sol in regno Dei. Ergo usque in finem mundi sancti perfecta sanctitate erunt in Ecclesia. Erunt autem semper continuata serie, sicut bonum semen semper crescit in agro; utraque enim ab eo tempore, quo sata sunt, crescunt usque ad messem: bonum autem semen Filius hominis sevit et messis est consummatio seculi. Igitur quacumque aetate sanctis florebit Ecclesia Christi: « Oportet itaque (ait August. *de Unit. Eccl.* n. 35.) usque in finem seculi crescere utramque per mundum. Unde iam non permittuntur isti suspicari aut asserere quod dicunt omnes bonos defecisse, ut in sola parte Donati remanerent ». Et quidem ratione multitudinis ea erit habitudo bonorum ad malos, qualis est habitudo seminis in toto agro seminati ad zizania superseminata; quod collatis quoque testimoniis superius allatis manifeste docet eam fore multitudinem boni seminis sive filiorum Regni semper ut propter exercitium virtutum universa Ecclesia possit dici sancta.

c) Eph. V. 23. seqq. instituta comparatione inter dilectionem Christi erga Ecclesiam et dilectionem viri erga mulierem, inter cetera ait Apostolus (vv. 28. 29.): *qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Iam vero dilectio Christi in eo est, ut se ipsum tradiderit pro Ecclesia, ut eum sanctificaret eamque exhiberet sibi gloriosam sine macula et ruga: porro Christus nutrit et fovet Ecclesiam, eo quod illam diligit, nutrit et fovet semper, quia nunquam odio habet; nutritio autem haec et hic fotus actualem significant communicationem Spiritus et donorum, quibus actu vegetat et floret caro Christi, h. e. actualem sanctitatem sese explicantem per exercitium perfectarum virtutum: ergo Ecclesia semper quavis aetate florebit cultura virtutum.

Ecclesia quippe iuxta Patres hortus est et paradisus Dei longe lateque diffusus (Optatus l. 2. n. 11.), mons est multa sanctorum millia continens

tanquam cedros et arbores proceras plantatas secus decursus aquarum intelligibilium (Cyrillus Alex. in Amos IX. 13. 15.): civitas est Dei, quae ex meliore sui parte semper cum auctore suo mansit (Aug. in Ps. CXXXI.): torcular est fontis aeterni, in quo caelestis fructus exundat (Ambrosius *de Sp. S.* l. 1. n. 1.) atque hoc etiam titulo catholica appellatur, quod generaliter omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat eademque omne possidet virtutum genus in factis et verbis et spiritualibus cuiusvis speciei donis (Cyrillus hierosol. Catech. 18. n. 23.).

Appellatio vero *Sanctae* facta Ecclesiae in Symbolo non solum significat essentialem sanctitatem, sed et hanc positam in exercitio virtutum: « Sanctam (inquit August. enarrans Symbolum Serm. 214. n. 11.) quoque Ecclesiam, matrem vestram, tamquam supernam Ierusalem sanctam civitatem Dei honorate, diligite, praedicate. Ipsa est quae fructificat in hac fide quam audistis et crescit in universum mundum, quae malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione Sacramentorum ». Et Auctor sermonis 4[i] de Symbolo ad catechumenos (inter opera Augustini vol. 6.) n. 13.: « *Sanctam Ecclesiam*, Ecclesia mater est spiritualis, sponsa Christi, gratia eius dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet quod a viro suo accepit in dote ». Et Cyrillus hierosolym. in catech. citata explicans vim vocum *Sanctam Ecclesiam* ait: « Priore namque (Synagoga) repudiata, in secunda catholica videlicet Ecclesia, Deus, uti Paulus ait, posuit primum Apostolos... tum gratias curationum... et omnem cuiuslibet virtutis speciem, sapientiam dico et intelligentiam, temperantiam et iustitiam, misericordiam et humanitatem, insuperabilemque in persecutionibus patientiam ». Cf. Catechismum Trident. ad hunc artic. in Symbolo.

IV. Verum praeterea non solum perfecta sanctitas generatim esse in Ecclesia debet, sed praeterea quaedam eximia sanctitas, sive eximia cultura virtutum, quae propria Ecclesiae sit iugiterque in ea perseveret, licet minore cum amplitudine. Liquet id ex eo quod Christus voluerit in Ecclesia sua culturam quoque consiliorum. De consiliis praecipuis sermo occurrit Matth. XIX. 12.: 1. Cor. VII. 25. 38.; Matth. X. 9.: Act. II. 44.; Matth. XVI, 24.; XIX, 21. (cf. Bellarmin. *de Monachis* c. 9.). Porro Christum velle, ut observatio eorum semper in Ecclesia vigeat, licet non tanta amplitudine quanta ipsam generatim sanctitatem, quod ex ipsa natura consiliorum patet, velle autem non quidem vi obligationis impositae, sed suavi et efficaci providentia efficiente ut sit, haec persuadent. Christus qui sponsam suam diligit ac nutrit et fovet eam, efficit ut ea sancta sit secundum normam a se ipso in Evan-

gelio propositam; atqui haec norma consilia quoque complectitur: ergo. Et re quidem vera oportet ut Ecclesia, quae est corpus Christi, vitam sui capitis perenniter referat; atqui Christus absolutissimum exemplar fuit omnium consiliorum eorumque exercitio omnis vita eius contexta fuit: ergo. Hinc ab initio Ecclesiae exstitit consiliorum observatio iugiterque perseveravit, veluti spontaneus effectus institutionis christianae.

V. Charismata intelligimus gratias gratis datas quarum plures enumerat Apostolus 1. Cor. XII. 28. 30. et Christus Marci XVI. 17. 18., quaeque praecipue ad miracula redeunt. De horum possibilitate non est cur heic philosophice disputemus. Protestantes rationalistae, qui hanc possibilitatem negant et idcirco negant miracula in Ecclesia Christi esse futura, audiri non merentur. Defectus eorum in suis coetibus haud parum contulit ad eorundem negationem. Iam vero quaestio duplex esse potest: 1ª an simpliciter in Ecclesia esse debeant aliqua saltem: 2ª an perseverare quadam continuitate in eadem debeant. Quod spectat ad hanc alteram quaestionem, nequit profecto postulari continuitas quaedam physica sine interruptione, quem ipsa ratio miraculi, quod extraordinarium quoddam est, excludit et quam finis horum charismatum nullo modo exigit. At si huiusmodi signorum exsistentia nexa est a Deo cum vita supernaturali ipsius Ecclesiae, ea ipsorum perseverantia exigi potest, propter quam dicere liceat, semper eandem esse Ecclesiae vitam et sic eandem esse Ecclesiam; ad quod obtinendum sufficit ut identidem pro opportunitate secundum divinae Providentiae consilium signa huiusmodi in Ecclesia fiant.

Iam vero 1° certum est voluisse Deum, ut essent talia signa in Ecclesia, quibus eius divinitas probaretur: quod quidem ut verum sit, satis est, ea ex divina voluntate exstitisse ab origine Ecclesiae. Sane praedicatio Apostolorum fuit non in sapientia hominum, sed in ostensione spiritus et virtutis Dei 1. Cor. II. 4. 5.; porro virtutes Dei sunt miracula Matth. XI. 21. alibique. Apostoli ubique praedicaverunt, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis Marc. XVI. 20. Idque futurum Christus praedixit Marc. ibid. 17. et Ioan. XIV. 12. ac idcirco id se facturum: miracula enim solus Deus efficienter operatur. Porro 2° ex iisdem testimoniis patet, quod promissio signorum a Christo facta Ecclesiae suae non est determinate nexa cum originibus fidei sed simpliciter cum ipsa fide, qua Ecclesia vivit, ut eiusdem esset divina confirmatio. Iam vero hic nexus exigit ut perseverante eadem fide perseveret quoque operatio signorum; statuta enim sunt a Deo miracula tanquam signa huius vitae supernaturalis, oportet autem vitam hanc manifestam esse semper iisque modis quibus Deus illam ostendi voluit: ergo.

VI. Affirmamus tandem nexum exsistere ex institutione Dei inter sanctitatem quam descripsimus et auctoritatem ab eo in Ecclesia statutam ut haec sub Deo sit principium quoddam illius et citra ipsam sanctitas nequeat haberi. Sane potestas a Christo instituta in Ecclesia posita est in consummationem Sanctorum Ephes. IV., per ipsam solam vera fides habetur, quae est sanctitatis initium, ab ea sola legitime accipiuntur sacramenta, qua legitima susceptione interior sanctitas obtinetur, ea sola Dei nomine et infallibiliter proponit normam certam vivendi secundum Evangelium, ut sanctitatem assequantur et progressus in sanctitate faciant fideles gratiarumque gratis datarum promissio illi soli fidei facta est, quam docet magisterium a Christo institutum. Ergo ut haec omnia bona habeantur, oportet ea mediante hoc ministerio a Christo instituto obtinere et extra illud non nisi specie tenus haberi possunt, quemadmodum seorsim ab illo nulla est Ecclesia Christi: ergo.

§. LI.

Ecclesiae Christi proprium rursus est ut non iure tantum, sed et facto sit catholica h. e. ea communione contineatur, quae absolute ampla sit, relative vero amplior sit quovis coetu, qui Christiani nomen sibi immerito usurpat. Cum autem in catholicitate elementum materiale et formale distinguatur, principium formalis catholicitatis esse debet Ecclesiastica potestas a Christo instituta.

I. Ὅλον est totum sive plenum et integrum, si referatur ad partes: atque est totum sive universum, si referatur ad species aut individua. Καθολικὸν proinde universalitatem aut plenitudinem significat. Multiplex quidem potest distingui plenitudo et universalitas in Ecclesia: nempe plenitudo doctrinae salutaris, mediorum sanctificantium, materiae remotae quae est genus humanum, materiae proximae, quae omnes complectitur orthodoxos: plenitudo seu universalitas temporum ac tandem plenitudo et universalitas locorum et nationum, h. e. plenitudo chorographica et ethnographica. De prioribus non loquimur, quas identidem comprehendunt Patres in appellatione *catholica*, sine exclusione tamen postremae, imo ea supposita et adsignificata: quaestio est modo directe de ultima, inclusa tamen etiam penultima: nempe quaeritur utrum Ecclesia Christi tanquam proprium habeat ut sit catholica universalite locorum atque nationum, et quidem semper.

Ut catholicitatis conceptus perspicuus sit, advertere haec oportet: 1° Catholicitatem vinciri necessario cum unitate: quod enim catholicum dicitur, nisi unum idemque sit, perperam sibi vindicat eum

titulum; cum plura sint et nullum ex his plenitudine gaudeat. 2° Catholicitas alia est *iuris*, alia *facti:* ea est potestas et destinatio ad occupanda loca omnia et nationes omnesque comprehendendas personas: haec est actualis occupatio locorum et comprehensio personarum. Advertendum 3° quod ex malitia quidem hominum infideles alieni prorsus a nomine Christiano atque haeretici et schismatici exsistent semper plus minus usque ad ultima tempora (Matth. XVI. 18. Rom. XI. 25. 1. Tim. IV. 1. 2. Tim. III. 1. 2. Pet. III. 3. 1. Cor. XI. 19.): quare ut Ecclesia fruatur vere ea catholicitate, quam semper sibi vindicavit, postulandum non est, ut omnes prorsus homines universalitate physica ad eam actu pertineant: secus enim nunquam fuisset et forte nunquam foret catholica. 4° Quemadmodum Ecclesia a Synagoga et a ceteris gentilium sectis satis distinguitur eo quod est christiana, ita ab haereticis et schismaticis sectis speciatim secernitur eo quod est *catholica:* unde hoc charactere Patres frequenter eam a sectis haereticis et schismaticis discernebant. Et sane per catholicitatem, ratione habita conditionum Ecclesiae, aperte ostenditur exsistere in ea Spiritum Dei eamque vivere vitam divinam.

His positis, dicendum est, quod catholicitas *negative* in eo est, ut Ecclesia *iure* et *facto* non sit coarctata ad certum locum certamque nationem, quemadmodum Synogoga: *positive* vero in eo est, ut *iure* quidem et aptitudine ad omnia loca omnesque nationes ac personas se porrigat: *facto* autem amplitudinem quandam moraliter universalem obtineat. Quae amplitudo moraliter universalis ut declaretur, distinguenda est catholicitas *absoluta* et *relativa*. *Relativa* in eo consistit quod Ecclesia, quae catholica dicitur, sit amplior singulis aliis coetibus qui Christianum nomen sibi usurpant: *absoluta* in eo consistit, quod Ecclesia ita sit per orbem diffusa, ut omnibus locis conspicua sit atque ita moraliter dici possit τὴν οἰκουμένην occupare. Ita a Maioribus Ecclesia appellabatur catholica, non quoad omnibus esset in locis omnesque homines comprehenderet, sed quod nulla esset terrae pars praecipua, in qua non exsisteret omnibusque esset conspicua adituque facilis. Liquet autem de iis locis iisque nationibus sermonem esse, quae cognoscantur, erga quae nempe Ecclesia, quae hominibus constans humano modo agit, missionem suam exercere valet. Porro ut vere Ecclesia obtineat nationem aliquam, opus non est ut omnes personae illius nationis ad Ecclesiam spectent: neque proinde nomine loci quaecumque minima pars telluris significatur, sed quae populo, genti aut nationi respondet: neque est necesse ut princeps vel regimen sit Ecclesiae subiectum, neque idcirco habenda est ratio illius appellationis religiosae, quae propter gubernium nationi tribuitur; sed habenda est ratio eorum, qui eam nationem constituunt. Insuper recolendum est,

omnes infantes, legitime baptizatos inter haereticos et schismaticos, ad veram Ecclesiam pertinere; eosdem vero adultos factos, qui prima fidei rudimenta tenent, donec sunt in bona fide, apparenter quidem haereticis aut schismaticis accenseri, re autem ipsa ad veram Ecclesiam Christi pertinere, voto quidem ad externam visibilemque societatem, actu vero ad eius interiorem animam (§. XI.).

Quia vero Ecclesia successivis aetatibus exsistit, catholicitas rursus distinguitur in *successivam* et *simultaneam*. Successiva est, si nationes omnes unam post aliam obtineat Ecclesia, ut ab una recedens, ad aliam se porrigat; simultanea est cum omnes nationes, sive physice sive moraliter omnes simul, obtinet. Simultanea rursus potest haberi vel una tantum aetate, aut aliquibus, aut omnibus aetatibus, quibus exsistit societas. Perperam vero quis postularet ut actualis catholicitas simul esset cum primordiis societatis illius, quae ex adunatione hominum a quibusdam paucis a Deo electis constituenda est per praedicationem verbi, quod illi ferant ad omnes gentes. Sed satis est, quod actualis catholicitas adsit, cum ea prima praedicatio universalis praecessit, quae sufficiens esset ad hunc effectum assequendum. Illud vero prae oculis praecipue habendum est quod catholica societas nequit haberi nisi sit *una eademque societas* ubique diffusa: quare cum distinguitur catholicitas in *materialem* et *formalem*, ut materialis sit, si tantum extensio spectetur, formalis, si unum idemque sit quod extenditur: id ita est accipiendum, ut quod catholicitas materialis dicitur, sit ipsa materia catholicae societatis.

Si vero res penitius perpendatur, facile liquet catholicitatem terminum esse illius vitalitatis, qua Ecclesia viget, per quam obtinet fecunditatem ex sese immarcescibilem, quo filios procreando se amplificare valet sine fine

Dicimus itaque catholicitatem simultaneam perennem iuris et facti esse proprietatem Ecclesiae et quidem catholicitatem iuris esse proprietatem essentialem; quamvis enim Christus potuisset per se instituere Ecclesiam pro aliqua tantum natione aut humani generis parte, sicut potuisset per se vel redimere solum aliquos homines; tamen inspecto fine proprio huius Ecclesiae, qui est applicatio fructus redemptionis salusque eorum, qui a Christo sunt redempti, liquet Ecclesiam Christi talem esse intrinsece ut ad omnes prorsus homines sit destinata; unde omnibus est necessaria. Actualis vero catholicitas, quae ex libera quoque hominum voluntate dependet, posset deesse, manente eadem essentia rei, sicut deest diffusio universalis universalitate physica. At voluntas Dei est, ut Ecclesia sua actu quoque catholica sit: quae voluntas divina non laedit libertatem humanam, sicut non eam laedit voluntas

perpetuitatis Ecclesiae (§. 8.). Est ergo catholicitas actualis proprietas necessaria Ecclesiae atque hanc modo defendimus. Probandum est ergo, catholicitatem actualem tum absolutam tum relativam, simultaneam et perennem esse Ecclesiae necessariam proprietatem.

II. Sane si Scripturas consulamus, praeeunte Agustino in lib. *de Unitate Ecclesiae*, Ecclesia talis esse debet, qualis describitur et promittitur futura in Lege, in Psalmis et in Prophetis: atqui ibi describitur et promittitur futura simultanee et perenniter in universo orbe; ergo. Testimonia haec sunt Gen. XVIII. 18.; XXII. 18. (coll. Gal. III. 15.) XLIX. 10. Psal. XI. 8. XXI. 28. 29. LXXII. 8. Isaiae II. 2. IX. 6. XVIII. 6. Dan. VI. 27. Mal. I. 11. In quibus invicem collatis advertendum est 1° sermonem esse non tantum de iure, sed et de facto, idque in pluribus disserte: 2° regnum Christi exhiberi ut ubique diffusum et quidem simultanee: *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* Psal. LXXI. 8. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae* Psal. XXI. 29. *Dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* Psal. II. 8. *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.* Psal. XVIII. 5. coll. Rom. X. 18. *Ad dexteram et ad laevam penetrabis et semen tuum gentes haereditabit* Isai. LIV. 3. 3° diffusionem hanc exhiberi ut propriam dotem regni Messiae atque ut signum Messiae qui iam venerit. Atqui *a)* signum adventus Messiae nequit referri ad finem mundi; sed moraliter coniunctum esse oportet cum ipso Christi adventu. *b)* Quia vero haec ampla simultanea diffusio exhibetur ut qualitas propria regni quod Christi meritis tribuitur, oportet eam sicut et regnum, esse perennem: debet enim perdurare regnum quod sibi Christus acquisivit cum iis dotibus, in quibus ratio praemii praecipue consistit. Rursus stabilitas huius diffusionis universalis indicatur quoque a Daniele II. 34. 35. 44. 45. ubi lapis, qui in montem magnum crevit et implevit universam terram, Christus est cum sua Ecclesia. Porro visio haec significat regnum quod Deus caeli suscitabit, regnum quod stabit in aeternum. Stabit ergo semper mons ille magnus qui implet universam terram: ergo. Praeterea talis Ecclesiae diffusio (Malach. I. 11.) repraesentatur, ut sit in omni loco (in omni loco sacrificatur et offertur) sit simul (ab ortu solis usque ad occasum) absque ulla temporis limitatione (sacrificatur et offertur): atqui haec est diffusio simultanea perennis: ergo.

Nota quod cum formulae: omnes gentes, omnes nationes seu tribus terrae et huiusmodi, accipi possint universalitate tum physica tum morali, universalitas vero physica ex aliis Scripturae testimoniis excludatur, restat ut accipi debeant de universalitate morali.

Si autem sensum Christiani coetus consulamus, idem luculentius quoque constabit. Nam a Maioribus Ecclesia talis praedicata semper fuit quae ubique universalis esset quoad gentes et loca et propterea *catholica* appellata sub hac explicita significatione quod sit ubique diffusa atque sub ratione catholicitatis opposita sectis haereticis et schismaticis. Iam sec. II. penes Ignatium ad Smyrnaeos n. 8. et in epist. Smyrnaeorum de martyrio Polycarpi occurrit titulus *catholicae*. Eius vero vim declarant Patres cum adversus haereticos fidem totius Ecclesiae eiusque catholicitatem proponunt. Ita Irenaeus l. 1. c. 10.: « Hanc fidem cum acceperit Ecclesia utique in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans et similiter credit iis quasi unam animam habens et unum cor et consonanter haec praedicat et docet quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sint, tamen vis traditionis una eademque est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt, neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Agypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol in universo mundo unus idemque est, sic et praedicatio veritatis ubique lucet. » Optatus l. 2. n. 1.: « Ergo ut in particula Africae, in angulo parvae regionis apud vos (Donatianos) esse possit (Ecclesia), apud nos in alia parte Africae non erit? In Hispaniis, in Galliis, in Italia ubi vos non estis, non erit? Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Maesia, Thracia, Achaia, Macedonia, et in tota Graecia, ubi vos non estis, non erit? Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia et in tribus Syriis et in duabus Armeniis et in tota Aegypto et in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit? Et per tot innumerabiles insulas et ceteras provincias quae nunumerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit? Ubi ergo erit proprietas nominis, cum inde dicta sit catholica quod sit rationabilis et ubique diffusa? »

Hinc Augustinus *De utilitate credendi* c. 8.: « Eorundem Christianorum, cum sint haereses plures atque omnes se catholicos videri velint aliosque praeter se haereticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine, ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate sincerior ceteris omnibus. Sed de veritate alia quaestio est: quod autem quaerentibus satis est, una est catholica, cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae propriis vocabulis quae negare non audent, appellentur ». Quocirca «Si quando (ait Cyrillus hierosol. Catech. 18. n. 26.) peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit Dominicum, nam et ce-

terae impiorum sectae atque haereses suas speluncas Dominicorum nomine honestare nituntur, neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit *catholica* Ecclesia; hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum ». Pacianus epist. 1ª ad Sympronianum redarguentem appellationem *catholicae*, monet ideo eam usurpari ut a sectis ceteris discernatur Ecclesia, hancque appellationem ex usu veterum probat subditque: « Christianus mihi nomen est, catholicus cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit ». Hinc Augustinus *contr. Faustum* l. 13. c. 13. advertit praemonuisse Christum « ut non audiantur illi qui ad religionum scissuras traducunt dicentes: *ecce hic est Christus, ecce illic;* partes enim ostendunt: cum illa civitas supra montem sit qui factus est mons magnus ita ut impleret universam terram ».

Quocirca consequitur, ut quicumque post Apostolorum praedicationem non ostendit Ecclesiam Christi ubique diffusam, non ostendat Ecclesiam Christi. In qua argumentatione Patrum adversus haereticos se prodit manifeste iste conceptus quod vera Ecclesia semper sit et debeat esse catholica. Quae quidem doctrina evidens, ut puto, fit ex disputatione Augustini cum Donatianis. Hi enim asserebant veram Ecclesiam, quae antea catholica actu fuit, sua aetate ad minimam partem orbis esse redactam. Iam vero ex hoc ipso quod eorum secta tunc catholica actu non esset, demonstrat Augustinus eam non esse veram Ecclesiam Christi. Neque ex eo arguit tantum quod eorum secta uno angulo orbis esset conclusa, sed ex eo quod universum orbem non occuparet; talem enim contendit debere esse Ecclesiam Christi. Atqui si fieri posset ut vera Ecclesia desineret actu esse catholica, argumentatio Augustini falso supposito laboraret nihilque efficeret. Et tamen Augustini demonstratio omnibus catholicis semper probata fuit. Verum est ergo et catholicum, quod Augustinus supponebat, catholicitatem debere quovis tempore Ecclesiae verae competere. Quod et supponebat Epiphanius Haer. 11. n. 2. ita arguens: « Ergone Ecclesia, quae ad utrosque terminos terrarum porrigitur, exscinditur nec amplius in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum: nec illud valet quod a Servatore dictum est: eritis nihi testes ad ultimum terrae? »

Porro symbolica professio fidei est, ut Ecclesiam credamus *catholicam;* haec professio in pluribus formulis symboli et in symbolo nicaeno ceterisque sequentibus invenitur. Quid vero hac appellatione significetur constat ex Patribus, qui catholicitatem propriam et nunquam Ecclesiae verae defuturam praerogativam se habuisse monstrarunt. Idcirco ea professione fidei quemadmodum credimus Ecclesiam non solum quae fuit et erit sed et praesentem, ita credimus Ecclesiam non tantum quae fuit, aut erit, sed et praesentem esse catholicam.

III. Cum catholicitas esse nequeat nisi sit una eademque societas ubique exsistens, neque idcirco esse poterit sine principio unitatis, ideoque catholicitas Ecclesiae nequit esse sine principio suae unitatis quod Christus instituit. Hoc autem est potestas ipsa Ecclesiastica in Apostolis a Christo instituta, ut iam patet ex superius dictis. Ergo seorsim ab hac potestate, deficiente formali catholicitate, vel nulla est reapse catholicitas vel non ea est quam Christus esse voluit. Idem rursus principium formalis catholicitatis est principium quoque fecunditatis Ecclesiae; solis enim Pastoribus Doctoribus et sanctificatoribus a se missis Christus suam perennem assistentiam in praedicatione verbi et propagatione Ecclesiae promisit: quapropter sola illa Ecclesia, quae obedit ministerio a Christo instituto catholica esse potest.

Nota. Licet facta hypothesi quod Ecclesia quae actu catholica fuit, per accidens aliqua aetate ad parvum numerum coarctata, adhuc ea dici posset esse Ecclesia catholica, h. e. esse eadem ipsa Ecclesia quae actu catholica fuit et iure semper catholica manet (quae videtur esse sententia Bellarmini *de Eccl.* l. 4. c. 7. post alios): tamen ex dictis negandum esset tum Ecclesiam esse catholicam eo modo quo Christus voluit, qui modus in eo est, ut actu semper Ecclesia sit talis, non solum sit ea, quae talis fuit aut esse potest et debet.

§. LII.

Proprietatibus Ecclesiae ea connumeranda est, ut sit Apostolica h. e. ab Apostolis instituta, ab Apostolorum successoribus, qui nedum materialiter sed formaliter tales sint, ita regatur, ut ad Apostolos rursus, interrupta nunquam Pastorum successione, eius auctoritas revocetur.

I. Triplici ex capite dicitur Ecclesia *Apostolica,* ratione originis, quatenus est ab Apostolis profecta: ratione doctrinae quatenus profitetur fidem ab Apostolis traditam: ratione ministerii seu regiminis, quatenus regitur et pascitur ab iis qui continuata serie sunt successores Apostolorum. Si hoc tertium adsit, habentur et duo priora: nam adest certe origo apostolica, cum series Pastorum succedentium ab Apostolis inceperit: adest et doctrina Apostolica, quoniam seriei continuae successorum Apostolorum promissa est infallibilitas.

Verum ut haec adsint, necesse est, ut illud tertium exsistat non tantum *materialiter*, sed et *formaliter;* sit nempe formalis successio Pastorum. Successio materialis est mera series successiva Pastorum seu Episcoporum non interrupta usque ad Apostolos vel aliquem ex Apostolis ex quibus inceperit: successio formalis est haec series, quae

praeterea potitur auctoritate ab Apostolis derivata in singulos successores; hac enim formaliter constituuntur successores, quorum proinde singuli auctoritatem ab Apostolis derivatam accipiunt ab iis vel ab eo qui eandem auctoritatem actu obtinent et communicare aliis possunt: sic enim formaliter fit ut auctoritas per successionem perseveret. Utraque successio necessaria est, nec altera sine priore esse potest: prior tamen notior est; altera autem tum cognoscitur cum vera Ecclesia cognoscitur. Quia vero heic de proprietate agimus, eam integre spectamus et vindicamus Ecclesiae.

Omissa speciali disputatione de Apostolicitate ratione originis et doctrinae, quam Sociniani et Protestantes non negant, probamus Apostolicitatem ratione ministerii, quam iidem inficiantur, contendentes quod semel ac Verbum Dei in mundo per Apostolos praedicatum est scriptisque consignatum, quisquis illud intelligit facultatem habeat, illud alios docendi coetusque fidelium colligendi qui sint Ecclesia Christi.

II. Sane 1° requiritur successio materialis. Etenim Christus instituit ministerium Apostolicum, illudque perpetuum esse voluit: *ecce ego,* inquit, *vobiscum sum omnibus diebus* etc. Atqui non foret illud perpetuum, si ministri Ecclesiae non essent continuata serie successores Apostolorum: ergo. Item Ecclesia una esse debet eademque semper. Unitatis autem Ecclesiae principium est ministerium a Christo institutum; ergo unum ministerium semper esse debet in Ecclesia: oportet ergo ut eo ministerio Ecclesia regatur quod Christus primitus Apostolis commisit. Id autem fieri nequit nisi regatur semper per eos qui continuata serie ab Apostolis derivent; si enim per alios regitur qui ad Apostolos referri nequeunt, regitur reapse eo ministerio quod a se incipit, non eo quod Christus instituit: multiplex proinde esset auctoritas et Ecclesia una esse desineret, sed multiplex evaderet multiplicato principio unitatis. Quocirca etiam liquet quod series successorum nunquam interrumpi debet; si enim aliquando desinit, cessat ministerium illud quod Ecclesia regenda est, cessat principium eius unitatis; ideoque cessat ipsa Ecclesia: si autem aliquando cesset Ecclesia, non amplius instaurari potest; principium enim eius efficiens est ministerium Apostolicum docendi, regendi, sanctificandi, quod in hac hypothesi non amplius esset. Ministri autem a se ipsis nasci non possunt; quia ministerium debet esse Apostolicum et ut sit Apostolicum, per traducem successionis derivandum est: « Si contaminabantur (boni consortio malorum), iam tunc (Cypriani aetate) non erat Ecclesia; respondete: unde huc existis? unde exstitit origo Donati? ubi baptizatus, ubi ordinatus? » ait Donatianis Augustinus *de Baptismo* l. 2. c. 6.

2° Haec autem successio *formalis* esse debet. Haec enim est vera successio, ita ut materialis sola non sit successio nisi specie tenus. Sane Ecclesia regenda est, ut diximus, semper ea auctoritate eaque sola quam Christus instituit; auctoritas enim in Ecclesia est supernaturalis, quae a solo Deo proficisci potest atque ut hac auctoritate regatur perpetuo Ecclesia, exsistit perpetua series successorum: oportet ergo ut auctoritatem illam eandem successores mutuentur, quam Apostoli obtinuerunt. Ut autem qui succedit auctoritatem obtineat, oportet ut eam accipiat ab iis vel ab eo qui derivatam in se ab Apostolis actu obtinet eamque communicare potest; nam nec ille a se ipso eam acquirere potest, quia tunc non succederet nec potest eam mutuari ab illo, in quem ab Apostolis non sit derivata; quia tunc non acciperet auctoritatem Apostolicam nec satis est, quod eam dicatur accipere ab eo qui aliquando illam habuit; quia ipsa amitti potest nec satis est quod dicatur eam accipere ab eo qui eam habet, sed communicare nequit; quia tunc reapse acciperet nihil. Ergo. Haec autem est successio formalis. Nimirum ut quis in Ecclesia auctoritatem habeat, requiritur missio Rom. X. 15. coll. 1. Tim. V. 22. 7.; Tim. II. 2.; tit. I. 5.: mittere vero nequit nisi is qui et auctoritatem Apostolicam actu obtinet eamque communicare potest; ergo ab eo accipienda est auctoritas: ergo successor formaliter succedere debet. Qui igitur sic succedunt, ii solum possunt vere dici successores Apostolorum; quia hi soli obtinent auctoritatem eam quam a Christo Apostoli acceperunt.

Necessitatem Apostolicae successionis Maiores nostri luculenter demonstrarunt; nam eam ut tesseram habuerunt verae doctrinae, quae nonnisi in Ecclesia esse potest. Ita Tertullianus *de Praescript.* c. 32.: « Ceterum si quae haereses audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Edant ergo (haeretici) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. ». Hinc praeterea catalogos successionum accuratissime servabant, ut veram Ecclesiam veramque traditionem tuerentur: « Habemus, ait Irenaeus l. 3. c. 3., enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt ». Et Optatus in controversia de vera Ecclesia provocat ad successionem Romanam, cuius singillatim Episcopos usque ad suum tempus recenset l. 2. c. 2. Ita Augustinus in Psal. contra partem Donati. Nec obest huic successioni quod requiratur ordinatio eaque

valida, cuius tamen valor certus non est. Nam etsi certus non sit in singulis, attamen certus est in universo coetu §. X.: iurisdictio vero haberi quoque potest sine charactere episcopali.

Successio autem, quam necessariam Patres praedicabant, non est tantum materialis sed formalis. Inde enim arguebat Cyprianus epist. 76.: « Ecclesia una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo *legitima ordinatione* successit, Novatianus in Ecclesia non est: nec Episcopus computari potest *qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens a se ipso ortus est.* Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est ». Et Nazianzenus Orat. in laudem Athanasii n. 8. distinguit inter successionem nomine tenus et veram realemque successionem. « Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpessus est nec qui leges violavit, sed qui legitime creatus est nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide praeditus est, nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et mentis alienationem prudentiae succedere dicimus ». Et sane inter schismaticos et ab Ecclesia alienos Episcopi quoque computati sunt, quamvis Sacramento ordinis initiati et suffecti in locum eorum qui decesserant: quia nempe non legitime vocati, non missi a legitima auctoritate, quia, ut ait Cyprianus *de Unit. Ecclesiae* « nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt ».

Quocirca maxima cura adhibita semper fuit in Ecclesia, ut formalis successio esset in tuto. Huc enim 1° spectant canon Apostolorum 4us et Nicaenus 2us, praecipientes ut electio Episcopi ab Episcopis Provinciae fieret firmitatemque electioni Metropolitanus tribueret. Huc 2° spectat usus Synodicarum litterarum, quas Episcopi electi primarum Sedium ad suos collegas ac praesertim Romanam Sedem mittebant, Fidei quoque suae professionem edentes, ut constaret eos esse in communione Ecclesiae catholicae eorumque nomina in diptycha referrentur. Huc 3° spectat confirmatio electionis Episcoporum primarum Sedium, quae ab Episcopo Romano fiebat, cuius exemplum suppeditat Damasus ep. 5. ad Ascholium, Leo in causa Anatolii epist. 104. et Simplicius in causa Ioannis electi Episcopi Alexandrini ep. 17. (cf. Leonem IX. epist. ad Petrum Antiochenum), qui quidem primarum Sedium Episcopi ceteros Episcopos sibi subditos olim confirmabant, ut ex Innocentii epistola constat 24. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum n. 1. Cf. pro aetatibus sequentibus Humbertum Cardinalem Silvae Candidae *adv. Simoniacos* l. 3. cc. 10. et 11. disputantem contra *investituras*,

quae sibi seculares Principes in Ecclesiae ministris constituendis usurpabant.

Et sane ex hac Ecclesiae proprietate, ut Apostolica scilicet esse debeat, necessario consequitur, Principibus ius nullum competere in constituendis Episcopis ceterisque Ecclesiae ministris. Qui enim ab his constituerentur, auctoritatem Apostolicam non acciperent neque essent idcirco successores Apostolorum. Etsi vero Principes non sibi arrogent ius instituendi ministros Ecclesiae, sed tantum id agant ut libertatem Ecclesiasticam in electione et institutione eorum impediant; peccant primum contra libertatem Ecclesiae, quae ab ipsis in hac re prorsus independens est §. XVIII.; tum adversantur quoque Ecclesiae Apostolicitati: Episcopi enim sic invita Ecclesia electi nequeunt in numero haberi successorum Apostolorum, cum apostolicam auctoritatem censendi non sint accepisse ab iis, qui eam obtinent et communicare possunt. Hinc huiusmodi investiturarum abusus eo per se spectabat, ut universam Ecclesiam prorsus subverteret; Ecclesia enim non est, quae non sit Apostolica.

Hactenus tradita satis esse arbitramur, ut distincta notio Ecclesiae Christi habeatur, quae pro sequenti tractatione requiritur. Si quaestionem desideras de Notis, eam dabimus post exactam sequentem tractationem: primam enim notam censemus esse ipsum Primatum Petri eiusque successorum.

FINIS PROLEGOMENI.

TRACTATUS

DE

ROMANO PONTIFICE

DE ECCLESIAE CAPITE

SEU

DE ROMANO PONTIFICE

Vidimus in prolegomeno, Ecclesiam Christi totam originaliter esse in potestate ab eodem Christo constituta. Haec autem potestas tum ferendi leges tum docendi tum sanctificandi, in pluribus h. e. episcopis reperitur. Quaestio ergo eademque praecipua adhuc reliqua est. Ut enim vera notio Ecclesiae habeatur, quae ab auctoritate tota pendet, oportet accuratius nosse subiectum potestatis iurisdictionis in Ecclesia. Quaeritur scilicet, an omnes Episcopi ex aequo participent potestatem, an unus inter eos emineat an honore an etiam iurisdictione et quidem ita ut habeat tantum praecipuas partes, an ut etiam tota iurisdictio originaliter sit ab ipso. Quaeritur, an fideles immediate quidem singulis pastoribus subiiciantur, mediate vero per istos illi uni, an eidem uni omnes et oves et pastores ex aequo subiiciantur immediate ita ut, quemadmodum vidimus in confuso potestatem a Christo institutam esse sub Deo principium efficiens unitatis ceterarumque proprietatum Ecclesiae, ita re distinctius percepta id per se de suprema potestate unius affirmandum sit. Quaestio scilicet restat de auctoritate asserenda ex Christi institutione Romano Pontifici successori Petri. Nefas proinde est, tractationem de Romano Pontifice a tractatione de Ecclesia avellere, veluti si duplex esset materia, altera ab altera independens, cum e contrario nihil magis ad Ecclesiam spectet, quam ipsius Fundamentum et Caput et, quemadmodum, docente Augustino *de Unit. Eccl.* c. 4. totus Christus caput et corpus est, quod est Ecclesia; ita vicissim tota Ecclesia corpus et caput est, quod invisibile quidem est Christus (cf. 1. Cor. XII. 12.), visibile vero huius Vicarius.

Quanti momenti sit ista tractatio nemo ignorat. « Privilegium (aiebat s. Petrus Damiani in epist. ad Hildebrandum archidiaconum, de legatione sua mediolanensi) Romanae Ecclesiae quantas habeat vires ad servandam canonicae aequitatis et iustitiae regulam quantumque vi-

gorem contineat ad disponendam ecclesiastici status disciplinam solus ille dilucide comprehendit, qui ecclesiasticis consuevit insudare negotiis. Quod utique privilegium qui inexpertus est parvipendet, exercitatus amplectitur... Armis autem privilegium Romanae Ecclesiae non incongrue comparaverim; quia dum haec una per cathedram b. Petri totius christianae religionis caput effecta cunctis in orbe terrarum principetur ecclesiis, velut dux ante aciem fidelium cuneis fulta ac specialis praerogativae auctoritate munita, et evangelico mucrone veritati resistentium cervices obtruncat et ad invictissime dimicandum totam Christi militiam in unius caritatis ac fidei unanimitate conspirat. Hoc tu subtiliter, ut et alia multa, perpendens, frequenter a me caritate, quae superat omnia, postulasti, ut Romanorum Pontificum decreta vel gesta percurrens, quidquid apostolicae Sedis auctoritati specialiter competere videretur, hinc inde curiosus excerperem atque in parvi voluminis unionem novae compilationis arte conflarem ». Quod quidem sanctissimi Archidiaconi consilium cum prius insuper habuisset s. Petrus, demum tandem maxime comprobavit, dum, ut ipse narrat, in legatione mediolanensi « liquido persensit, in Ecclesiasticis causis quantum Romanae Ecclesiae nosse privilegium valeat ». Id vel a Religionis hostibus docemur. Ii enim post Marsilium Patavinum, Lutherum, Richerium, de Dominis, Salmasium, Febronium, Ianseniános, Regalistas, collatis viribus in unam Petri cathedram impetum modo faciunt eiusque iurisdictionem vel prorsus labefactare conantur, vel saltem minuere. Quocirca Romani Pontificis iurisdictionem (a) eiusque praerogativas accurate pro virili nostra parte declaraturi singillatim et vindicaturi sumus.

Quia vero omnes praerogativae Romani Pontificis eae sunt, quas Christus contulit Petro et hae ex Scripturis certissime nobis constant, aggrediemur Tractationem ab ipso Primatu Petri, quem ex Scripturis demonstrabimus. Duplex enim distinguenda est quaestio, ut veritatis inquisitio plena sit et accurata. Altera qua quaeritur, an personae Petri promissus et collatus sit Primatus, altera, an in Primatu perpetuos habere successores Petrus debeat. Has tamen quaestiones permiscere maluit Dr. Langen, ut veritati tenebras facilius obfunderet. Demonstra-

---

(a) A iurisdictionis nomine abhorret cum ceteris Febronius *De statu Ecclesiae*, c. 2. §. 1. et mavult uti nomine *auctoritatis* munitque se exemplo Tridentini Sess. 6. praef. de Reformat. et Sess. 25. c. 21. Latine scientibus et systema Febronii non ignorantibus patet, cur alterum vocabulum potius habeatur ab huiusmodi hominibus. Quare et nos *iurisdictionis* nomen usurpabimus potius ; quia usu Ecclesiastico firmatum est, quia verissimum sensum exprimit, quia haereticis non placet. Iurisdictionis sane vocabulum illud ex usu ecclesiastico atque civili recentiore comprehendit quod romanae leges *imperium* vocabant.

bimus vero Primatum Petri ex Scripturis, adhibita quoque Traditione *exegetica* Patrum, ad cuius normam, Scripturarum oracula Catholicos enarrare oportet. Quare huiusmodi exegetica Traditio sive interpretatio Patrum regulae instar nobis erit ad enarranda testimonia Scripturarum, ita tamen ut simul certis adhibitis interpretandi legibus demonstremus scientifice (hoc enim opus est Theologi), oracula Scripturae cum Patrum Traditione congruere legitimamque prorsus esse interpretationem Patrum. Illud autem monemus, quod difficultates praecipuas, quae ex historia Ecclesiastica, ex sententiis quorundam Patrum, ex actis aliquorum Pontificum petuntur, reiicimus in alteram partem, in qua de Romano Pontifice directe agimus; tum quia ibi est proprius earum locus, tum ne bis eadem repetamus.

PARS I.

DE PRIMATU B. PETRI

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE PRIMATUS B. PETRI

THESIS I.

Tenendum est « *iuxta Evangelii* (Matth. XVI. 16.-19.) *testimonium Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum a Christo Domino fuisse* ». (Conc. Vatic. Sess. 4. c. 1.).

Declar. Verbis his Patres Concilii Vaticani testantur 1° in testimonio Scripturae citato contineri promissionem primatus iurisdictionis Petro factam a Christo eamque proinde promissiones ex Scriptura probari posse et debere: porro 2° primatum istum esse primatum non honoris tantum sed iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam eundemque vero primatum 3° *immediate* et *directe* b. Petro promissum esse. Nempe, ut hoc tertium declaremus, verba Christi continentia praerogativam primatus referuntur ad personam singularem Petri et ad eam solam, non ad ceteros Apostolos simul cum Petro: ideoque promissio primatus facta est soli personae singulari Petri. Idcirco promissus Petro primatus *immediate* h. e. non mediantibus Apostolis aut Ecclesia, cui primo promissus sit: *directe* h. e. ipsi soli, non prout erat quid unum cum aliis, sed ut erat persona ab aliis distincta. Cum autem dicitur *sola persona singularis Petri*, non excluduntur eius successores, qui *ab ipso* sunt et in ipso virtualiter continentur (de qua tamen successione modo non disputamus), sed excluduntur ceteri Apostoli qui *cum ipso* erant ceterique fideles, ac si simul cum ipso et in ipso fuerit illis potestas promissa iurisdictionis. Item cum dicitur *sola persona singularis Petri*, non intelligitur quod haec persona, secundum id tantum quod naturaliter habet, acceperit promissionem primatus, vel quod primatus sit dos futura personae privatae, sed intelligitur unica persona Petri aucta quidem propria fide et quod haec persona, quae est antecedenter per se persona privata, futura sit consequenter per pri-

matum persona quoque publica in societate, cuius supremam obtineat potestatem. Tandem cum dicitur *immediate* et *directe* b. Petro promissus primatus, qui alicui certe immediate et directe promitti debuit sive uni singulari personae sive pluribus, ratio habetur subiecti, cui inhaerere debet primatus, non subiecti, *in cuius bonum et utilitatem* promissus est: quod subiectum est universa Ecclesia singulique fideles. Quocirca non negamus *mediate* h. e. per alium et *indirecte* h. e. ratione alterius, cui primatus promissus est, promissionem factam fuisse Ecclesiae, in cuius bonum facta est et in qua esse debebat tanquam praecipuum membrum ille qui primatum gereret.

Sunt porro qui contendunt verba ea Christi, quae ad Petrum referri concedunt, dicta esse Petro, prout ipse repraesentabat collegium totum Apostolorum, imo totam Ecclesiam in illo contentam et idcirco potestatem quamlibet verbis Christi expressam promissam esse immediate et directe Apostolis omnibus simul vel universae Ecclesiae. Unde consequens est, nullam potestatem specialem prae ceteris Apostolis promissam esse personae singulari Petri falsumque esse, quod ipsi promissus sit primatus iurisdictionis in Apostolos universamque Ecclesiam. Accurata interpretatione verborum Christi doctrina catholica est defendenda: omnes autem partes sermonis Christi singillatim enarrabimus.

Dem. I. Matth. XVI. 13. seq. *Venit Iesus in partes Caesareae Philippi et interrogabat discipulos suos dicens: quem me dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam aut unum ex prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Interpretatio, quam postremis his verbis plures haeretici adhibent, est, Petrum aliorum Apostolorum nomine respondisse, quatenus vel ab ipsis delegatus pro omnibus sit locutus, vel saltem quatenus communem Apostolorum sententiam intelligens, ipse ferventior ceteris eam prius edixerit. Negant id catholici et contendunt confessionem hanc fuisse propriam Petri, independentem prorsus a delegatione vel sententia prius cognita Apostolorum: quod verum esse potest, etsi Apostoli iam antea cognoverint veritatem, quam nunc Petrus confitetur. Non ergo dicitur, quod cognitio huius veritatis tunc primum habita fuerit primumque edita eius confessio, sed dicitur quod hac vice confessio Petri ab eo processit independenter a delegatione Apostolorum vel sententia prius cognita eorundem.

Etenim 1° quod illi fingunt, verba Evangelistae explicite non dicunt; imo 2° implicite evidentissime negant. Totus enim contextus repugnat huic interpretationi. Nam *a)* Christus primum interrogat universim omnes discipulos suos: *quem me dicunt homines esse filium hominis?*

et pariter secundo omnes interrogat: *vos autem quem me esse dicitis?* iam vero priori interrogationi cuncti absque delectu respondent: *at illi dixerunt* etc. Perinde vero est sive per τὸ *alii* distribuantur ab Evangelista Apostoli, quod probabilius est, sive homines quorum diversas sententias Apostoli simul referant. Nemo ergo erat institutus ab illis qui omnium nomine responderet et fictio est, id fuisse in more positum Apostolorum. An in hac occasione post primam Christi interrogationem, cui communiter responderunt, vices suas Petro demandarunt? sed hoc est divinare non interpretari. Hypothesis ergo delegationis ab antecedentibus excluditur. Sed et haec et altera hypothesis excluditur quoque a consequentibus. Nam *b)* accepta responsione Petri 1° Christus praedicat beatum Petrum: *Beatus es Simon Bar Iona*, quibus verbis laudatur maxime Petrus, μακάριος εἶ; μακάριος enim is vere dicitur, qui maior est omni laude (Aristot. *Ethic. Nicom.* l. I. c. 12. « Τῶν ἀρίστων οὐκ ἐστὶν ἔπαινος, ἀλλά μείζον τι καὶ βελτίον· καθάπερ καὶ φαίνεται, τοὺς τε γὰρ θεοὺς μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, καὶ τῶν ἀνδρῶν τοὺς θειοτάτους μακαρίζομεν »). Non dicit autem Christus beatos ceteros Apostolos; at si ea confessio fuit omnium Apostolorum, non erat ratio cur solus Petrus diceretur beatus; non enim laudatur expressio ore facta confessionis, sed ipsa confessio: non ergo ex delegatione aliorum locutus est Petrus. 2° Christus rationem reddens beatitudinis Petri inquit: *quia caro et sanguis* (a) *non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est:* quibus verbis et excluditur manifestatio quoque veritatis facta per Apostolos: cum enim tunc Apostoli nondum

---

(a) *Caro* in Scripturis praeter primitivam propriam significationem, significat quoque tum integrum hominem (Gen. VI. 12. Ioan. I. 14.), tum naturam humanam prout corrupta et vitiata fons est omnis peccati et turpitudinis, sive ipsum principium in homine inclinans ad peccatum vel cum actu coniunctum (Gen. VI. 3.) vel spectatum veluti in potentia; unde opera carnis describuntur Gal. V. 19. et phrases *esse in carne* Rom. VII. 5. *ambulare, vivere, cogitare secundum carnem* 2. Cor. X. 2. Rom. VIII. 12. 2. Cor. I. 17. et *prudentia* et *sapientia carnis* Rom. VIII. 6. 7. Tum significat naturam humanam prout in se impotens et imbecilla est (Ierem. XVII. 5.) et etiam generatim quod imbecillum est, ut Isaiae XXXI. 3. In utraque hac postrema significatione opponitur spiritui Gal. VI. 16. 17. prudentiae Spiritus, legi Dei Rom. VIII. 6. 7., divinae sapientiae et potestati Ierem. XVII. 5. conf. Iob. X. 4.

Item dictio haec *caro et sanguis* significat tum naturam humanam simpliciter physice spectatam Heb. XI. 14. tum naturam humanam prout vitiata est et malorum operum effectrix, eademque mala opera Eph. VI. 12. 1. Cor. XV. 10. Gal. I. 16. tum naturam eandem prout in se spectata citra divinum auxilium infirma est et imbecilla. Hoc sensu frequenter usurpari hanc phrasim a Talmudistis testatur Lightfootus in hunc locum, qua phrasi hominem Deo opponunt. Atqui hic est sensus eius in hoc loco Matthaei; significatur enim natura humana secundum puras suas naturales vires, ut ex oppositione cum Deo eiusque supernaturali illustratione liquet.

aucti essent charismate infallibilitatis, adhuc eorum auctoritas humana erat et imbecilla, *caro et sanguis,* et asseritur manifestatio superna veritatis facta Petro, manifestatio autem immediata: *Pater meus revelavit tibi,* non ait *vobis* sed *tibi;* ubi manifestans veritatem exhibetur *solus Pater,* non Apostoli exhibentur et ille cui facta est revelatio exhibetur *solus Petrus;* non ergo ab Apostolis accepit hanc notitiam Petrus, vel non Pater Apostolis et per eos Petro revelavit, sed Pater Petro immediate revelavit. 3° Haec vero revelatio causa exhibetur confessionis Petri; haec enim revelatio ratio est cur Petrus laudetur: at sola revelatio Patris sine fide adhibita a Petro revelanti Patri non esset ratio cur laudaretur, si non credidisset; cum ergo Petrus laudatur, propter fidem et confessionem quoque suam laudatur: laudatur autem, quia revelavit ei Pater; laudatur ergo propter revelationem cum effectu h. e. fide eius coniunctam: itaque fides et confessio Petri exhibetur a Christo ut effectus revelationis Patris. Si ergo revelatio Patris facta est Petro eique immediate facta et causa fuit eius confessionis; confessio Petri talis exhibetur, ut propria ipsius fuerit. Itaque non est ab eo edita nomine ceterorum Apostolorum, a quibus delegationem acceperit, vel quorum sententiam cognitam Petrus expresserit.

Nec audiendi sunt qui a fervore Petri causam repetunt, cur ipse responderit; nam 1° huius fervoris heic nulla mentio: 2° Christus disserte aliam causam docet h. e. revelationem Patris: 3° ad notitiam supernaturalem habendam fervor naturalis nihil conferre poterat: fervor vero quidam supernaturalis notitiam revelatione acceptam supponit, unde huiusmodi fervor concomitanter quidem se habere potuit ut modus confessionis, non vero antecedenter ut causa: porro de tali fervore quidam Patres loquuntur. Si autem dicatur quod supernaturalis fervor fuerit causa quod Petrus prior omnibus, qui idem potuissent respondere unusque, responderit: reponimus id ad quaestionem, quam agimus, utrum nempe confessio Petri fuerit propria ipsius, non spectare; ut ex sequenti animadversione liquet, quam iam superius praeoccupavimus.

Constat enim demonstrationem traditam nostrae interpretationis esse independentem ab ea quaestione, an ante hanc occasionem aliquis alius cognoverit et confessus fuerit quod nunc Petrus (Ioan. I. 49), an ipsi Apostoli id iam crediderint et parati fuerint nunc confiteri; ut enim confessio edita a Petro propria fuerit ipsius, id solum requiritur, ut Petrus non *dependenter* a delegatione vel notitia accepta ab aliis tunc ediderit confessionem suam, sed *dependenter* tantum ab instinctu Spiritus S. seu revelatione Patris, cui actu credidit: id porro ex verbis Christi clare constat. Porro data etiam hypothesi, quod aliquis alius prius cognoverit et confessus fuerit quod nunc Petrus, nostrum non

est investigare cur Christus Petro et non alii vicem rependens contulerit eas praerogativas, quas in sequentibus videbimus; Deus est enim suorum donorum dominus et ratio ultima collationis eorundem est semper Dei bonitas liberalis.

Interpretationem traditam probant Patres inter quos Cyrillus hierosol. Catech. 11. *de Filio Dei unigenito* n. 3. Hilarius Pictav. *de Trin.* l. 6. n. 37. Basilius Seleucensis Orat. 25. in illud: *quem me dicunt homines esse filium hominis*, Asterius hom. in SS. Principes Apostoll., qui Petrum dicunt in cunctorum Apostolorum cunctatione et silentio, revelatione Patris, ultra humanae infirmitatis modum intellexisse Christi divinitatem et Ambrosio consentiunt dicenti in Luc. l. 6. n. 97. « Petrus non exspectavit populi sententiam, sed suam prompsit dicens: tu es Christus Filius Dei vivi. »

Itaque confessio a Petro edita propria fuit ipsius Petri, non fuit confessio edita communi nomine Apostolorum h. e. neque dependenter ab eorum delegatione neque ab eorum communicata notitia Petrus suam expressit confessionem.

Ergo ne nullo modo concedi potest Petrum communi nomine, tamquam omnium Apostolorum personam sustinentem, suam edidisse confessionem, quod quidam Patres asserere videntur?

Repraesentatio duplex distingui debet. Prior simplex, quae symbolica dici potest, in eo sita quod signum pro re signata substituitur: secundum hanc Petrus repraesentasset Apostolos, eo quod fuisset veluti signum pro ipsis tum ab ipsis tum a Christo substitutum; ita ut quidquid ipse dicit et ipsi a Christo dicitur, spectet reapse ad omnes Apostolos. Altera repraesentatio ex auctoritate seu iuridica dicitur, qua societatis alicuius caput quatenus caput est 1° ipsam repraesentat societatem, quam virtute continet, 2° rapraesentat quoque successores suos, qui ratione eiusdem potestatis una sunt cum ipso persona moralis. Porro cum quaeritur, an Petrus repraesentaverit Apostolos et Ecclesiam, distinguendum est duplex veluti momentum, scilicet tum cum confessionem edebat et tum cum promissionem primatus accipiebat a Christo. Si quaestio fiat de repraesentatione cum promissionem accipiebat primatus, haec quaestio in fine huius thesis expedietur. Si autem quaeritur de repraesentatione, quam gereret cum confessionem edidit, respondendum est 1° non fuisse repraesentationem pure symbolicam, nam nec nomine Apostolorum locutus est nec Christus unum interrogavit qui pro omnibus responderet, sed omnes indiscriminatim interrogavit: 2° repraesentationem iuridicam, quae capiti societatis competit respectu ipsius societatis suorumque successorum, non posse concipi *actu* in persona Simonis, nisi postquam

auctus fuerit primatu, *in potentia* vero post ipsam promissionem primatus: quadam autem designatione divina iam nunc concipi eam posse in Simonis persona, 1° eo quod iam personae Simonis promissa erat impositio nominis *Petri*, quo primatus continetur, 2° propter ipsam confessionem, quatenus haec a Dei Patris revelatione procedebat; quia revelatio eo ex divina intentione spectabat, ut Petrus confitens divinitatem Christi acciperet promissionem primatus eoque tandem augeretur, « ut ad regimen totius Ecclesiae praeparatus primum disceret (Spiritu Patris in corde operante credentis) quod doceret et pro soliditate fidei, quam erat praedicaturus, audiret: Tu es Petrus etc. » Leo M. Serm. 62° al. 60. Quocirca cum dicitur Petrus Apostolorum princeps ut supremus Ecclesiae praeco vel tanquam os Apostolorum suam edidisse confessionem (Cyrillus hieros. l. c. Chrysost. hom. in illud: in faciem ei restiti), id vel ratione designationis, vel per quamdam anticipationem affirmatur.

II. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Κἀγὼ δέ σοι *sed et ego;* quibus in verbis particula *et* ita vim genericam copulandi retinet, ut simul redditionem et retributionem mercedis significet, ut sit idem quod *vicissim.* Illud: *et ego dico* vel opponitur Patri revelanti et sensus est, quem expressit Leo Magnus in Serm. 3. assumptionis suae « hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellentiam tuam »; vel opponitur Petro confitenti et sensus est: sicut tu, revelante Patre, declarasti divinitatem meam, ita ego tibi declaro dignitatem tuam. Uterque sensus legitimus est et unus in altero, ut facile liquet, continetur.

His ergo verbis: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* affirmat Christus Simonem esse *Petrum;* et sicut prius hoc nomen ei promiserat Ioan. I. 42., ita nunc reapse imponit et quia impositio nominis a Deo facta non vana est et sterilis, sed efficax et cum veritate coniuncta (cf. Gen. XVII. 5. XXXII. 28.) ideo Christus ait Simonem esse Petrum, h. e. esse id quod nomine Petri metaphorice significatur. Intelligentia vero huius nominis impositi pendet ex intelligentia sequentium verborum, quibus Christus nominis vim declarat.

Quaestio est itaque circa ea verba: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:* quaeritur nempe 1° quodnam sit subiectum ad quod vox *petra* refertur et 2° quid hac metaphora significetur. Adversarii in plures scinduntur sententias. Quidam 1. volunt diversa esse subiecta *Petrum* et *petram*, Petrum quidem Simonem esse: petra vero quis sit, non una est eorum sententia. Eorum vero interpretationes huc redeunt, ut alii interpretentur de ipsa Christi persona (1. Cor. X. 4. III. 11.),

alii de fide subiectiva, solida et divina eiusque confessione, qualis fuit Petri, cui innititur Ecclesia et quae pluribus est communis: alii de fide obiectiva seu doctrina Christi cui pariter Ecclesia innititur et speciatim de doctrina circa Christi divinitatem: alii de confessione Petri tam obiective quam subiective accepta, h. e. de Christo Ecclesiae fundamento eiusque praedicatione per Petrum: alii de omnibus Apostolis simul cum Petro (Ephes. II. 20.). Qui vero 2° Petrum ipsum esse subiectum concedunt, significari volunt eam praerogativam Petri, qua prior praedicationem exorsus est ianuamque Ecclesiae prior Hebraeis et Gentibus aperuit. Sunt et qui advertunt πέτραν esse lapidem qui proiicitur et provolvitur eaque metaphora proinde significari fidem Petri, quae, ipso et post ipsum aliis praedicantibus, divulganda est in universum orbem.

Interpretatio catholica est, subiectum immediate designatum vocabulo *Petrae* esse idem ac illud quod vocabulo *Petri* designatum fuit; ideoque Petrum et Petram pro eodem supponi atque hac metaphora significari eandem esse habitudinem Petri ad Ecclesiam, quae est fundamenti ad aedificium, ut deinceps explicabitur. Itaque quoad primum tenendum est, non quaeri modo, unde Simon dignitatem et nomen petrae sit mutuatus, sed quaeri tantum, ad quem immediate spectent verba: *Super hanc Petram.* Porro ipsum esse Simonem Petrum ita demonstratur.

Sane *a)* Christus chaldaice vel syriace locutus est; porro unum est in hac lingua vocabulum כֵּיפָא quod Petro et Petrae respondet eodem ergo vocabulo usus est Christus *tu es Kepha et super hanc Kepha:* quare et Syrus interpres Matthaei eadem voce usus est ܐܢܬ ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ ; graece autem πέτρος et πέτρα non re sed terminatione differunt et utrumque vocabulum significat *lapidem, saxum, rupem,* quamvis πέτρα usitatius sit. Fuit vero ratio, cur graecus Matthaei interpres priore loco masculinam adhiberet terminationem: nam ita a Graece loquentibus Simon appellabatur communiter Πέτρος (Ioann. I. 42.), quae erat interpretatio nominis Kepha (cur vero graeci potius πέτρος quam πέτρα verterint nomen Kepha, id ex eo repetendum est quod, cum utrumque vocabulum significet idem, prius tamen cum masculina desinentia congruebat magis viro): oportebat autem ostendere, nomen illud Πέτρος mysterium continere atque hoc mysterium illud esse quod Christus significavit his verbis ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρα οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν; ad id autem ob oculos ponendum, necesse erat ipsum nomen Petri priore loco usurpare, ut intelligeretur, sequentia esse interpretationem nominis huius viri. Itaque si verborum significatio spectetur (huius enim

in interpretatione ratio est habenda), verba Christi perinde se habent, ac si dixisset: tu es Petra, et super hanc Petram etc.: atqui si ita est, 1° cessat omnis ratio grammatica, cur dubitetur de identitate subiecti, 2° adest ratio, cur idem esse subiectum affirmetur; cum idem nomen occurrat.

Sane *b)* pronomen demonstrativum *hoc* denotat rem praesentem, vel re vel quae per sermonem fiat praesens audientibus. Hoc autem dupliciter fieri potest, vel statim subiungendo id quod loquens vult sistere praesens (Levit. XIV. 2. Hic est ritus leprosi quando mundatus est: Adducetur ad sacerdotem etc.), vel prius expresso nomine rei, quae pronomine demonstrativo sistitur rursus praesens audientibus (Ioan. I. 1. 2. Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum); id autem rursus dupliciter fieri potest, vel solo posito pronomine demonstrativo, vel simul cum eo iterato nomine priore: quod valet quidem ad emphasim sermonis, re autem non differt a praecedente; nam huiusmodi iteratio semper fieri potest et semper subintelligitur. Iam vero in verbis his Christi occurrit alter modus; nihil enim subiungitur quo significetur quidnam sit haec petra. Aiunt quidam Protestantes, Christum exerto digito se demonstrasse: sed ubinam hoc est scriptum? Nos interpretari oportet, non divinare. Restat ergo, ut pronomen *hanc* referatur ad antecedens illudque immediatum; regulariter enim demonstrativum refertur ad immediate praecedens, quod heic non est nisi Petrus Kepha, quod nomen cum pronomine rursus iteratur. Est ergo idem subiectum *Petrus* et *Petra*.

Et re quidem vera *c)* si comparentur invicem haec duo incisa: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam;* manifestum est, alterum exhibere rationem cur Christus Simonem vocaverit Petrum et particulam *et* copulare utrumque nexu causali (etsi identidem particula καί sensum praeferat adversativum, heic tamen non nisi gratis, ut minimum dicamus, hic sensus fingeretur). Cum enim Deus nomen alicui imponit significativum alicuius muneris vel dignitatis, solet rationem reddere, cur illud nomen imponat (Gen. XVII. 5. 15. XXXII. 28. Matth. I. 21. Luc. I. 13. 31.); id ergo quoque heic fecisse Christus putandus est. Sane Christus affirmat Simonem esse Petrum; est ergo Simon vere Petrus seu Petra, non dicitur tantum, sed est: atqui si ad ipsum verba sequentia non spectant, quomodo est vere Petra? Liquet enim heic a Christo petrae nomen adhiberi ad significandum illud cui Ecclesiae aedificium superstruitur (super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam): si ergo Simon non est ille, super quo Ecclesia aedificatur, ipse nequit dici petra; nisi velis idem vocabulum in eodem contextu immediate iteratum diversam induere significatio-

nem, quin tamen huius mutationis ullum exstet indicium: quod nequit admitti.

Et sane *d)* si Petra non est Petrus sed Christus, hic sensus foret verborum Christi: Tu quidem Simon es Petra; at non super te, sed super Me Petram aedificabo Ecclesiam meam: porro advertendum est Christum eo sermone vicem rependere Petro dignitatem quandam ei promittens pro solemni confessione suae divinitatis. Tu confessus es revelante Patre divinitatem meam, vel Pater revelavit tibi quis sim ego; sed et ego dico tibi, quis tu sis futurus et dicendo efficio ac porro efficiam; ego enim sum Verbum efficax: quia tu es Petrus etc.: hic est sensus obvius et immediatus verborum Christi. Atqui inepta foret et irrisoria redditio Christi, si remuneraturus Petrum dixisset: tu es Petrus, at non super te sed super me aedificabo Ecclesiam meam: h. e. tu es Petra sed non es Petra: nam petra heic non est nisi ea, supra quam Ecclesia aedificatur. Quodnam ergo beneficium Christus conferret Petro? nomen vacuum sine realitate: at impositio novi nominis citra rem nomine significatam est amara irrisio praetereaque nihil.

Tandem *e)* ne subiectum immediate expressum nomine Petrae intelligatur Christus prohibet quoque forma verbi futuri *aedificabo:* si enim de se loqueretur Christus, non diceret *aedificabo* sed *aedifico;* iam enim supra se, qui erat a seipso Petra, aedificare inceperat Ecclesiam suam.

Demonstratum est ergo unum idemque esse subiectum immediate designatum nomine Petri et Petrae et quia Petrus est ipsa persona Simonis (dico tibi: Tu es Petrus): subiectum ergo, pro quo immediate supponit nomen *Petra* in verbis Christi: super hanc Petram etc. est ipsa persona Petri.

Ergo ad unam personam Petri spectant verba Christi: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, non ad ceteros Apostolos simul, quia Petra haec est unus Simon Petrus: *Tu es Petrus*, quia eum solum Christus alloquitur: *Dico tibi*, quia verba Christi redditio sunt pro confessione quam unus Petrus ex se edidit.

Manifestum est autem in verbis Christi unum de praesenti affirmari: *Tu es Petrus*, alterum de futuro: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam;* nimirum Simon Petra dicitur et est, quia iam destinatus est ad hoc ut super ipsum Ecclesia aedificetur: quemadmodum Abram dictus est a Deo, mutato nomine, Abraham (Gen. XVII. 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te), quod nomen propheticum fuit; nondum enim Abraham pater exstiterat.

Corollarium I. Falsum est ergo, Simonem heic appellari πέτρον per allusionem ad Christum, qui heic dicatur πέτρα, ita ut sint duo subiecta Petrus et Petra Petrumque dici, quia certa ratione attinet ad Petram qui est Christus, quin tamen proprietatem Petrae Simon participet. Nam 1° in allusione duo sunt subiecta unum ad alterum relatum; heic vero ratione habita sensus immediati unum est subiectum; unde habetur identitas, non allusio. De sensu autem mediato vel obliquo dicemus postea. 2° Etsi Simon dicatur Petrus per relationem ad Christum principem Petram, non tamen sequitur, quod ipse non participet intrinsece rationem et dignitatem Petrae ei a Christo communicatam: quod vero ita participet, testis est Christus, qui affirmat ipsum esse vere Petram, supra quam est aedificaturus Ecclesiam.

Corollarium II. Inepti sunt qui concedentes *petram* per demonstrativum *hanc* ad antecedens aliquod referri, contendunt huiusmodi antecedens esse non Petrum, sed solam confessionem Petri, vel Christi divinitatem quam Petrus confessus est: nam regulariter pronomen demonstrativum ad proxime antecedens refertur, idque certe si idem nomen cum pronomine iteratur. Quomodo autem etiam ad illa in obliquo referatur, incluso in recto subiecto Petro, dicemus postea.

Corollarium III. Ineptum est quod aiunt, Petrum esse nomen *impositionis,* Petram *appellativum;* nomina autem appellativa cum fiunt propria non retinere eandem significationem vel suppositionem. Nam 1° Christus semper dixit eodem modo Petram: 2° ita nomen Petrus est nomen impositionis, ut simul amplectatur qualitatem expressam appellativo Petrae, ut explicatur verbis sequentibus *et super hanc Petram* etc.

Corollarium IV. Perperam quidam provocant ad figuram ἀνταναάκλασιν (quae talis est figura, ubi eadem quidem vox iteratur, sed in alia significatione, cuius generis exempla sunt Matth. VIII. 22. Luc. IX. 26. 60. Ioan. II. 23. 24. III. 6.). Etenim figuram huiusmodi excludit quidquid demonstrat identitatem subiecti Petri et Petrae, nec loca allata similia sunt; heic enim, ceteris omissis, habetur: Petrus et super *hanc* Petram: talis porro coniunctio earundem vocum non occurrit in locis citatis, ex Matthaeo: Dimitte *mortuos* sepelire *mortuos* suos: ex Luca: Qui me *erubuerit,* hunc Filius hominis *erubescet:* ex Ioan.: Multi *crediderunt* in nomine Iesu; ipse autem Iesus non se *credebat* illis et Quod natum est ex *carne caro* est, et quod natum est ex *spiritu spiritus* est: in quibus diversa plus minus vocum suppositio in contextu vel ex appositis, vel ex indole subiecti, de quo dicuntur, facile eruitur.

Corollarium V. Quamvis nomen *Petrus* aut *Petra* sit nomen relativum, ad illud nempe cuius est Petra, tamen non est opus divinare,

quinam in verbis Christi sit designatus terminus huius relationis, pro quo nempe dicitur Simon *Petra.* Christus enim illum terminum expresse designat cum ait: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam:* est igitur *Ecclesia* terminus, pro quo Simon dicitur Petra a Christo.

Corollarium VI. Frustra aliqui, ut tueantur divinationem suam, quod Christus proferens verba *et super hanc Petram*, digitum ad se ipsum intenderit, provocant ad verba Christi Ioan. II. 19. *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud*, quae Christus, ut ipsi aiunt, protulerit, indice digito erga corpus suum exerto. Cum dixit « Christus (ait Salmasius maximae auctoritatis vir inter Protestantes in *Apparatu ad libros de Primatu* pag. 8. edit. Elzeviriorum) *tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* non Petrum visu aut tactu designavit, ut hariolantur hîc docti quidam viri, sed semetipsum tangebat haec dicens. Ita etiam fecit cum dixit: destruite templum hoc etc. » Quinam vero sunt qui illud hariolantur? catholici enim, non visu aut tactu, sed ipso verbo *Petra* dicunt Christum designasse Petrum. An non tu potius hariolaris, qui putas Christum se tetigisse cum dixit: *super hanc petram* et cum ait: *destruite templum hoc?* Nam haec est alia divinatio, cui contextus Ioannis satis refragatur. Etenim si Christus digito ostendit se loqui de corpore suo, quî fieri potuit, ut Iudaei immediate reponerent: *quodraginta et sex annis aedificatum est templum hoc et tu in tribus diebus excitabis illud?* haec est suppositio gratuita. Christus scilicet sensu litterali immediato locutus est de templo, sed typice accepto, prout nempe typum gerebat corporis sui: quam typicam significationem Apostoli deinceps intellexerunt. Itaque ipsa difficultas fundamento caret.

Corollarium VII. Frustra quoque, ut probetur alium esse Petrum et alium Petram in sermone Christi, advertitur, Syrum interpretem priori ܗܕܐ praeposuisse pronomen personale *masculinum* ܗܘ quod vicem verbi gerit *es;* alteri vero praeposuisse pronomen demonstrativum femininum ܗܝ *hanc;* unde concludunt, aliud esse Petrum et aliud quod dicitur Petra. Verum manifestum est, quod huiusmodi pronomina, quae vicem verbi substantivi gerunt, genere et numero cum subiecto concordant, quemadmodum et verba; cum ergo in priore loco subiectum sit masculinum ܟܐܦܐ, positum est pronomen masculinum.

Iam vero quod hactenus interpretando effecimus, confirmatur disserta auctoritate universae Ecclesiasticae Traditionis, quae prostat tum in operibus Patrum, tum in actis Conciliorum, tum in monumentis liturgicis. Ibidem enim frequentissime Petrus Apostolus appellatur *Petra*

Ecclesiae, (Hilarius Pict. *de Trinit.* l. 6. n. 20. Ambrosius in hymno 1. Nazianzenus orat. 26.), *petra aedificationi Ecclesiae subiacens* (Basilius *contr. Eunom.* L. 2. n. 4.), *petra quam non vincunt superbae inferorum portae* (Augustinus *in Ps. contr. partem Donati* Leo M. Serm. 98. c. 1.), *petra solidissima, cui Dominus sui nominis, quo petra nuncupatur, communionem indulsit* (Maximus Taurinensis Serm. pro Natali Petri et Pauli); *fundamentum* (Synod. Ephes. Act. 3.) *fundans sua Ecclesiam firmitate* (Chrysologus Serm. 154.), *firmamentum Ecclesiae* (Ambrosius *de Virginitate* c. 16.), *divinae domus fundamentum* (Epiphanius haer. LIX. nn. 7. 8.), *firma et solidissima petra supra quam Christus aedificavit Ecclesiam* (Nyssenus *in altera laudatione s. Stephani* penes Gallandi Tom. VI. pag. 600.), *Ecclesiae crepido* (Synod. Chalced. Act. 3.), *Romae praeses et regii aerarii, petra fidei, firmum catholicae Ecclesiae fundamentum* (hymnus in honorem s. Petri auctore s. Ioanne Damasceno, editus a Mai. Migne P. G. V. 96. p. 1394.), *supremum fundamentum Apostolorum, fundatio et fundamentum Ecclesiae* (Liturgia Ecclesiae Russiacae. Cf. Opusc. P. Caesaris Tondini exstans in libro *Omaggio Cattolico* etc. Romae edit. 1867. p. 435. Titt. 1. 2. 8.) pluribusque aliis (a). Pariter in libris liturgicis Chaldaeorum (cf. Ioseph. David, *Antiqua Chaldaeorum Traditio circa Primatum b. Petri* Romae 1870.), in officio apost. Petri et Pauli, in Completis haec occurrunt: « Petrus ille, qui est Apostolorum caput, super cuius firmitatem Salvator noster Ecclesiam suam fidelem aedificavit ». Item in Armeno Menologio (penes Galano *Conciliatio Ecclesiae Armenae cum Romana.* Tom. II. *De Militantis Ecclesiae capite* q. 1ª) die 27. Decembris haec leguntur: « Hodie celebratur festivitas ss. principum Apostolorum Petri et Pauli. Magnus Petrus, Fidei Petra orientem et occidentem peragravit. Petrus, qui Petra dictus et in Ecclesiae fundamentum positus est ». Et *in libro Canticorum;* « qui in coetu electorum Apostolorum superiorem esse voluisti b. Petrum, sanctae Fidei caput et Ecclesiae fundamentum ». In Menaeis Graecorum pro sollemnitate Apostolorum Petri et Pauli, Petrus dicitur πέτρα καὶ κρηπίς; ἡ πέτρα τῆς πίστεως, κρηπὶς τῆς πίστεως.

Idem unanimiter tradunt ii Patres antenicaeni, qui Christi verba enarrarunt, nempe Tertullianus inquiens (*Praescr.* c. 22.): « Latuit

(a) Epigramma in b. Petri honorem, inscriptum Achilleo episcopo spoletino, editum a I. B. de Rossi (Bullettino d'Archeologia cristiana 2. serie, anno 2. n. 3.) « Namque illi Deus ipse, caput qui corporis exstat, — Propterea Petrae nomen habere dedit — Dicens: esto Petrus; quoniam fundabo super te, — quam mihi nunc toto molior orbe domum. — In te per cunctas consistit Ecclesia gentes — Vincit et inferni carceris imperium ».

aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae Petram dictum? » Cyprianus (epist. 71.): « Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam »: Origenes (in Exod. hom. 5ª n. 4.) vocans Petrum: « Ecclesiae fundamentum et petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam ». Hippolytus (in s. Theophania n. 9.) inquiens: « Hoc actus Spiritu extulit Petrus beatam illam vocem: Tu es Christus etc. huius virtute Spiritus petra Ecclesiae consolidatus est ». Et in epistola pseudo Clementis 1ª ad Iacobum n. 1. haec leguntur: « Simon, qui propter veram fidem et firmissimam doctrinae suae basim Ecclesiae fundamentum esse definitus est, atque ob id ab ipso Iesu ore non fallaci transnominatus est Petrus, primitiae Domini nostri, Apostolorum primus, cui primo Pater Filium revelavit etc. ». Adde s. Iacobum cognomento Magnum, nisibenum Episcopum, qui in Sermone 1° de fide ait: Simon qui petra vocatus est, propter fidem suam merito petra vocatus est ».

Praeterea antiquae versiones syriaca, arabica, persica, Petrum et Petram una eademque voce reddiderunt. In versione vero S. Cyrilli Apostoli Slavorum sec. IX. in ea inquam versione, quae antiquior est et dictum Cyrillum habet auctorem, verba Matthaei ita redduntur TV ESI PETR I NA SEM PETRE, *tu es Petrus, et super hunc Petrum;* quod oriri non potuit ex defectu aut ignoratione termini slavonici respondentis τῇ πέτρα; cum non infrequenter vox petra, quae in Evangelio occurrit, reddatur ibidem voce propria KAMEN (cf. opusculum P. Ioan. Xav. Gagarin editum in libro (Omaggio cattolico) superius memorato p. 296.).

Consentiunt Doctores ex Sectis veteribus. Elias Episcopus Anbarae, insignis inter Nestorianos Theologus, in opere *Exercitationes* Centuria 2. p. 2. Serm. 3. (apud Georgium Ebediesu Khaggath: *Syri Orientales* etc. pag. 9. 11.) « Iam vero Dominus Simonem oeconomice et mysteriose Petram vocavit. Scilicet ut incolume esset et stabile quod supra Petram aedificatur: ut super illam imponatur ac secure elevetur constructio usque ad altitudinem tecti: dixit Petram, quasi diceret *basim*, *fundamentum* atque *caput* anguli... Petram denique dixit, ad significandam firmitatem fidei ». Et Benattibus Abulpharagius, Nestorianus Bagdadensis Presbyter, in Comm. in Matthaeum (l. c. p. 15.) « Illud *tu es Petra* significat fundamentum Fidei et confessionis et haec est remuneratio pro illa confessione. Et dicens: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, vult dicere: congregatio (fidelium) te sequetur in fide et in confessione et tu eris princeps illius etc. ».

III. Nunc ad alteram quaestionem, h. e. de sensu verborum Christi: *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Patet, Christum in-

ducere personam architecti: *aedificabo*, Ecclesia exhibetur sub imagine aedificii, quemadmodum plerumque in Scripturis repraesentatur sub figura templi, domus; Petrus vero exhibetur sub imagine petrae, supra quam construitur aedificium, h. e. sub imagine fundamenti et quidem illius quod sit vere firmum, cuiusmodi est saxum vel rupes, supra quam solida aedificia extrui solent. Nec dicas cum Salmasio (l. c. pag. 7.) petram non esse fundamentum, sed id cui ipsum fundamentum innititur, ut exinde colligere liceat, petram heic non esse nisi Christum. Nam reapse cum super rupem aut saxum aedificatur domus, non aliud iacitur fundamentum ipsaque rupes est fundamenti loco, quod tantum adhibetur ad supplendum defectum rupis. Porro haec rupes, super quam Christus aedificaturus est Ecclesiam, est rupes, quam non invenit sed ipse Christus statuit fecitque esse firmam. Dicitur itaque Petrus esse ea petra, supra quam Ecclesia a Christo aedificatur.

Porro Petra per se firmitatem, stabilitatem praefert: Petra vero super quam aedificium construitur est basis seu fundamentum, quod sua firmitate et stabilitate sustentat aedificium efficitque, ut omnes eius partes sibi innixae invicem secum ipsis cohaerere unumque solidum aedificium constituere valeant. Manifestum est, sermonem Christi esse metaphoricum; cum vero metaphora clara est, ea non officit sermonis perspicuitati, sed hanc potius iuvat. Iam vero metaphora clara est, cum omnes eius ideae clarae sunt et obviae, cum ratio translationis est nota. Atqui clara est notio fundamenti aedificii, et habitudinis fundamenti ad aedificium; huiusmodi vero habitudo ratio est huius translationis; Petrus enim Petra dicitur, quia super ipsum fundatur Ecclesia: se habet ergo ad Ecclesiam sicut fundamentum ad aedificium. Pronum est ergo sensum proprium sensui metaphorico substituere. Quod antequam faciamus, expedienda est prius quaestio de amplitudine vocis *Ecclesiae*.

Atqui licet Ecclesiae nomen identidem particularem quemdam coetum designet, quod quidem ex adiunctis sermonis, vel ex appositis, quibus circumscribitur, dignoscitur (c. Act. VIII. 1. 1. Cor. 1. 2. Apocal. I. 4.): attamen cum indefinite usurpatur, indefinite patet universamque Ecclesiam significat; quod et ratione constat, cum universus Christianorum coetus sit ipsa Ecclesia nec ulla sit ratio cur potius hic quam ille particularis coetus intelligatur idemque constat usu (cf. Ephes. 1. 22.; V. 23-32; Coloss. I. 18-24.; 1. Tim. III. 15.). Praeterea heic dicitur *Ecclesia mea*, nempe Ecclesia Christi: atqui Ecclesia Christi est universa Ecclesia; quare per illud appositum *meam* positive amplificatur nominis Ecclesiae significatio ad universam Ecclesiam. Cum ergo

Ecclesia Christi contineat omnes Christi fideles eosque collectos in unitatem societatis: singuli ii omnes in societatem coeuntes eorumque societas Ecclesiae nomine continentur et quia Apostoli quoque ad Christi Ecclesiam spectant, ii etiam Ecclesiae nomine super Petrum fundatae repraesentantur.

Itaque se habet Petrus ad Ecclesiam universam, quemadmodum fundamentum ad aedificium. Porro *Ecclesia* nomen est societatis eamque immediate sub hac formali ratione repraesentat: cum ergo Christus dixit *Ecclesiam meam,* societatem a se instituendam animo volvebat, cuius unitatem sub imagine aedificii quoque repraesentavit. Iam vero fundamentum 1° pars est maxime necessaria aedificio: 2° pars est quae firmitatem et stabilitatem aedificio tribuit: 3° pars est extra quam aedificium aut aliqua pars aedificii esse nequit: 4° pars est quae universas partes aedificii sustentando, eas omnes continet sibi et secum ipsis cohaerentes in unitate cf. Matth. VII. 24. In has notiones resolvitur immediata analysi notio fundamenti; quod vero immediata analysi e verbis Scripturae elicitur, id immediate dictum et revelatum haberi debet.

Dices, fundamentum esse aliquid extrinsecum aedificio, si praesertim sit rupes aliqua, quam quis adhibeat fundamenti loco. Respondeo primum; rupes seu petra, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, et ipsa collocata est seu aedificata a Christo, qui fecit Simonem esse petram, eam supra Seipsum stabiliens. Deinde falsum est, quod fundamentum sit aliquid extrinsecum aedificio; est quidem extra ceteras partes, sed, si ponitur, pars est totius rei aedificatae et habitudo dependentiae aedificii erga fundamentum intrinseca est ipsi aedificio. Cum igitur petra spectatur formaliter secundum habitudinem ad aedificium, spectatur ut aliquid maxime intrinsecum aedificio. Si ergo ad Petrum fundamentum Ecclesiae ea transferantur, habebimus 1° ipsum esse partem maxime necessariam Ecclesiae, 2° partem, a qua Ecclesia universa firmitatem et stabilitatem nanciscitur, 3° partem, a qua unitatem suam universa Ecclesia mutuatur, 4° partem, citra quam Ecclesia esse nequit et a qua si quis separetur, in Ecclesia esse desinat. Atqui quod est maxime necessarium in societate, quod est principium stabilitatis et unitatis in societate, id cui necesse est adhaerere omnes qui velint in societate esse, est auctoritas a qua universa societas pendet et regitur, h. e. auctoritas suprema in societate, quae principium est efficax unitatis in societate et a qua sola, si firma et stabilis sit, potest firmitatem et stabilitatem societas habere. Illa ergo persona, quae id est in Ecclesia quod fundamentum in aedificio, potitur suprema auctoritate in Ecclesia.

Ergo Petra Ecclesiae non est tantum fides quam Petrus professus est neque est tantum ea confessio fidei quam edidit Petrus, sed est ipsa persona Petri aucta quidem fide; Christus enim dixit; super hanc Petram, Petra autem et Petrus idem subiectum sunt, ut probavimus. Praeterea habitudo petrae ad aedificium talis est, ut perenniter sit simul petra et aedificium: atqui confessio fidei edita a Petro fuit aliquid transiens; ergo ea nequit esse Petra de qua Christus loquitur.

Distincto itaque eo, quo Petrus mereri potuit dignitatem Petrae et eo, quo formaliter ipse constituatur Petra et subiecto quod directe dicitur a Christo Petra; licet confessio Petri censeatur id fuisse, quo meruit Petrus eam dignitatem et ipsa fides Petri in eo permanens habeatur ut causa formalis (etsi partialis, ut mox dicturi sumus) qua constituitur Petra; subiectum tamen, quod in recto est Petra, secundum verba Christi, ipsa est persona Petri.

Ergo, cum haec verba *super petram aedificabo Ecclesiam meam* significent supremam potestatem in Ecclesia alicui conferendam et haec verba dicta sint uni Petro; suprema in Ecclesia auctoritas uni Petro est promissa, auctoritas nimirum in universam Ecclesiam et in omnes et singulos qui ad Ecclesiam spectant.

Ergo, cum ceteri Apostoli etiam collegialiter adunati ad Ecclesiam spectent et sint distincti a Petro, in eos quoque suprema auctoritas est Petro promissa.

Ergo primatus Petri non est tantum honoris, sed iurisdictionis; talis enim est auctoritas qua societas regitur; non est tantum *archetypus*, quo *Ecclesiae* unitas demonstretur, sed est ἐνεργητικός, quo Ecclesiae unitas efficiatur; auctoritas enim activa est suaque efficacia ad unitatem redigit membra societatis.

IV. Quapropter interpretatio protestantium, ut prorsus aliena a verbis Christi, reiicienda est. Et quidem nec refutatione digna est ea interpretatio metaphorae *petrae*, quae fundamentum translationis in eo ponit quod πέτρος sit lapis qui volvitur et proiicitur; repugnat enim verbis Christi, qui petram spectat prout super ipsam aedificium construitur: hic porro non est lapis qui proiicitur, sed qui manet suaque firmitate et stabilitate aedificium sustentat. Quae vero maxime protestantibus arridet interpretatio ea est, quam priore loco commemoravimus; nempe Christum super Petrum aedificaturum Ecclesiam suam, quia Petrus eligendus erat prae ceteris, qui omnium primus Iudaeis ac Gentibus Evangelium praedicaret eosque ad Ecclesiam adunaret.

Verum 1° huiusmodi interpretatio nunquam venit in mentem Patribus: 2° repugnat cum conceptu Christi Domini. Ipse enim exhibet Petrum sub notione petrae, cui aedificium innititur sive fundamenti:

porro notio fundamenti continet necessario notionem stabilitatis, aliquid scilicet stabile et perseverans est fundamentum; manet enim fundamentum ut aedificium maneat: at praedicatio prima Petri fuit actus transiens: mansit quidem doctrina, sed prima praedicatio, quae actus fuit, transiit prorsus: praerogativa ergo haec prioritatis praedicationis non respondet imagini fundamenti. Sane fundamento deficiente corruit aedificium: at desinente prima illa praedicatione Petri, Ecclesia perseveravit. Itaque quod Petrus prior omnium Iudaeis et Gentibus praedicaverit, fuit id quidem exercitium illius auctoritatis, qua insignitus est, cum petra Ecclesiae est constitutus; at illud solum non potuit esse ratio sufficiens, cur fundamentum Ecclesiae diceretur.

Similem interpretationem praeoptavit Dr. Langen statuens, petram seu fundamentum Ecclesiae esse fidem vel confessionem fidei Petri hoc quidem pacto, quatenus scilicet ea fides sive ea confessio fidei fundamentum est cui aedificatio Ecclesiae una vice facienda, in aeternum valitura, innixa fuit. Iubet scilicet nos hic Dr. perpendere, quod Christus non de Ecclesiae duratione loquitur sed de eius institutione, quae olim semel pro semper facta est (P. 1ª §. 3.). Concedit proinde oportere, ut Ecclesia usque ad finem habeat fundamentum (ibid. pag. 14.), sed negat consequens esse, quod etiam fundamentum durare debeat (§. 7ª pag. 49.): hoc enim fundamentum pro Ecclesia semper duratura est confessio Petri ab initio exsistens, supposita Ecclesiae aedificationi (pag. 14. et 51-56.). Nimirum verus Ecclesiae conceptus is est, ut tota ab initio ad finem usque exsistens consideretur ut una domus, unum aedificium, cui proinde unum fundamentum sufficit quod ab initio ponatur et hoc fuit confessio aut fides Petri (pag. 14. not.).

Verum 1° falsum est, quod Christus heic de Ecclesiae duratione non loquatur, seu non concipiat et exhibeat Ecclesiam ut permanentem; ait enim: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* utique fundatam supra petram. Sermo est scilicet de aedificatione domus in aeternum mansurae. Tum 2° id est de ratione intrinseca fundamenti sive eiusdem habitudinis ad aedificium, ut tandiu maneat quandiu aedificium stat: cum ergo agitur de fundamento aedificii, illud necessario concipitur ut perseverans. Confessio autem Petri potuit quidem esse aliquid primum in Ecclesia: sed aliud est esse primum in aliqua serie, aliud esse fundamentum domus. Idem dicas de praedicatione Petri, ad quam pariter videtur hic auctor alludere (pag. 14.) tanquam fundamentum Ecclesiae. Gratuita est ergo et Christi verbis repugnans huiusmodi interpretatio.

Ratio, qua moti protestantes interpretationem catholicam impugnant suasque tuentur, est reapse dogmatica. Principio enim statuunt nullum esse, qui in Ecclesia Christi universa primatum gerat; hoc posito, quod

se iam demonstrasse putat, concludunt, verba Matthaei quidquid aliud dicere debere, quam quod Pontificii volunt. Ut vero argumentis demonstrent quod constituunt, provocant potissimum ad tria: nempe *a)* 1. Cor. III. 11. ubi praeter Christum nullum aliud esse posse fundamentum Ecclesiae docemur; non ergo Petrus ullusque alius ea potestate auctus est quam ex notione fundamenti eruunt catholici: *b)* Ephes. II. 20. ubi Apostoli omnes fundamentum Ecclesiae dicuntur; nihil ergo speciale collatum est Petro et successoribus eius (cf. Apoc. XXI. 14.): *c)* provocant ad auctoritatem Patrum, quorum consensus nullus est in interpretatione verborum *super hanc petram* et quorum plurimi iique nobilissimi petram intelligunt vel Christum vel Fidem Petri eamque obiective spectatam: quare interpretatio Pontificiorum reiici merito potest.

Verum ad 1^{m} dupliciter respondemus. 1° Dato etiam quod Paulus eo in loco Christum vocet fundamentum Ecclesiae sub ea generica ratione, qua Petrum dictum esse fundamentum societatis quae est Ecclesia volunt catholici, non sequitur Petrum non esse fundamentum Ecclesiae. Tenent enim omnes Catholici, Christum esse primam petram, fundamentum princeps, qui ex se, virtute sua est petra, fundamentum: Petrum autem non nisi participatione et communicatione Christi esse sub ipso et per ipsum petram et fundamentum secundum, non autem fundamentum primum aut solum; quod quidem disserte profitentur Catholici cum Leone in Serm. 3. assumptionis suae. Cum ergo Christus fundamentum dicitur Ecclesiae, intelligitur et intelligi debet iuxta indolem subiecti, fundamentum princeps, ex sese: porro praeter Christum nullum aliud huius generis poni potest. Sed fundamentum princeps non excludit secundarium: sicut ex eo quod Christus sit lux, non sequitur Apostolos non esse per ipsum lucem mundi. Quare cum ille sensus verissimus sit et verba Pauli avulsa a contextu eum praeferre possint, hinc Patres ad hoc doctrinae caput inculcandum, iis verbis Pauli utuntur; cum praesertim cum dignitate ibi asserta Christo a Paulo conserta sit quoque dignitas personalis fundamenti principis in Ecclesia.

At 2° negamus eum esse sensum in verbis Pauli, quem Protestantes supponunt. Heic enim ab Apostolo Iesus Christus dicitur fundamentum, quatenus doctrina de Christi Divinitate caput est et principium totius Christianae institutionis, quae tota illi incumbere debet. Quocirca Gregorius M. fundamentum hoc, quod est Christus Iesus, interpretatur fidem in Christum (*Moral.* 25. n. 26. epist. 46. l. 11.). Item Adrianus I. in litteris ad Episcopos Hispaniae. Et sane fundamentum hoc ipse Paulus ut sapiens architectus posuit, id vero ipse non nisi docendo

efficere potuit. Sermo est ergo de fundamento doctrinae. Porro aliud est dici fundamentum institutionis sive doctrinae, aliud dici fundamentum societatis: notiones sunt diversae; illud enim est veritas quaedam princeps, hoc est auctoritas quaedam princeps: affirmante ergo Paulo quod praeter Christum Iesum non possit aliud fundamentum poni, non denegatur Petro dignitas fundamenti societatis huius quae est Ecclesia.

Ad 2^m^ Ephes. II. 20. dicuntur *fideles superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Quaeri primum potest, de quibus prophetis sit sermo. Sunt enim qui putent prophetas esse Novi Testamenti, quod quidem probant ex collatione sequentium. Cap. enim III. 5. dicitur mysterium Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, nunc revelatum esse *sanctis Apostolis eius* et *prophetis* in Spiritu. Et cap. IV. 11. ait Apostolus, quod Deus dedit *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas,* alios vero evangelistas, alios autem doctores et pastores. Cf. 1. Cor. XII. 28. Verum ipse contextus immediatus Ephes. II. 20. huic sententiae repugnat. Dicitur enim Christus lapis summus angularis ἀκρογωνιαῖος alluditque Paulus ad Isai. XXVIII. 16. et Psal. CXVII. 22. lapisque exhibetur, qui factus est לראש פנה εἰς κεφαλὴν γωνίας; quod declarat August. *de Verbis Domini* Serm. 49. « Nonne ideo Dominus venit, ut instrueret Ecclesiam suam ipsosque Iudaeos bene credentes et bene sperantes et bene diligentes segregaret tanquam frumenta a paleis et faceret unum parietem circumcisionis, cui coniungeretur alius paries ex praeputio gentium, quibus duobus parietibus de diverso venientibus esset ipse lapis angularis? » Sub imagine ergo lapidis angularis repraesentatur Christus tanquam ille, qui utrumque populum Iudaeum et Gentilem sibi copulans in unam adunavit domum, quae est Ecclesia sua. Quam quidem interpretationem praecedentia exigunt: ait enim gentes olim sine Christo fuisse, alienatos a conversatione (πολιτεία) Israel, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes (v. 12.): nunc autem factos esse prope in sanguine Christi, qui fecit *utraque* (Iudaeos nempe et Gentes) *unum* (13. 14.) et reconciliavit *ambos in uno corpore* Deo per crucem (16.) et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis (Gentibus) et pacem iis, qui prope (Iudaeis) (17.); unde concludit: ergo iam non estis hospites et advenae (quemadmodum dixerat de iis superius v. 12.), sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Cum ergo imago lapidis angularis exhibeat Christum iungentem duos, nempe venientem ex circumcisione et ex praeputio, et

heic dicatur Christus esse lapis angularis pro ipso fundamento (in ipso namque fundamento lapis est angularis, ut Augustinus advertit in Psal. LXXXVI.) Apostolorum et Prophetarum, liquet prophetas veteris Testamenti designari, qui in Christo Apostolis coniunguntur; una est enim utrorumque praedicatio de Christo.

His positis, advertimus, si comparentur verba Pauli cum verbis Matthaei, ea verbaliter et realiter differre. Verbaliter quidem differunt; nam praeter cetera, a Matthaeo Petrus dicitur petra seu fundamentum: a Paulo vero non dicuntur Apostoli fundamentum, sed dicitur *fundamentum Apostolorum*. Fundamentum autem Apostolorum potest esse fundamentum iactum ab Apostolis, puta doctrina, quae est fundamentum institutionis Christianae (cf. verba Pauli ad Corint. l. c. *ut sapiens architectus fundamentum posui*). Differunt realiter, nam *a)* verba Matthaei ad unum Petrum diriguntur, verba Pauli de omnibus simul Apostolis dicuntur: porro saltem intensione differt eadem praerogativa tributa uni et tributa simul pluribus: *b)* penes Paulum de fidelibus dicitur quod sint superaedificati super fundamentum Apostolorum; apud Matthaeum vero de universa Ecclesia affirmatur, quod supra Petrum aedificetur; universa autem Ecclesia ipsos Apostolos comprehendit, qui proinde super Petrum sunt aedificati: dignitas ergo Petri et intensione et extensione differt. *c)* Dignitas asserta a Paulo omnibus Apostolis asseritur etiam Prophetis Testamenti veteris; at Prophetae non nisi ratione doctrinae possunt esse fundamentum Ecclesiae.

Iam vero ex his sequitur 1° dato etiam quod Apostoli dicantur fundamentum fidelium, non ex eo consequens esse ut eodem modo dicantur et sint fundamentum ac est Petrus. Liquet ex animadversione *a)* et *b)*.

Sequitur 2° reapse dignitatem fundamenti hoc in loco non praedicari directe de Apostolis sed de doctrina ab ipsis praedicata: patet quia cum Prophetis T. V. sociantur, de quorum doctrina tantum directe praedicari potest dignitas fundamenti fidelium. Indirecte vero ac in obliquo ipsi quoque fundamentum vocantur propter doctrinam quam praedicarunt.

Ad locum productum ex Apocalypsi XXI. 14. idem respondemus, per symbolum scilicet nominum duodecim Apostolorum, quae inscripta sunt duodecim fundamentis significari, quod Apostolorum doctrinae seu praedicationi innitatur fides Ecclesiae et ita per eos deducantur homines in eam civitatem. Et sane ut omnem difficultati huic et similibus praecludamus aditum: Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesiae vel ratione doctrinae a se primum praedicatae, vel ratione iurisdictionis et huius vel extraordinariae vel ordinariae. Si primum, habes discrimen

inter Petrum et alios Apostolos: si alterum, non potuit iurisdictio extraordinaria singulorum Apostolorum dici fundamentum Ecclesiae; illa enim desiit, fundamentum autem perseverare debet. Restat ergo iurisdictio ordinaria quae communis est Episcopis successoribus sive partialis in singulis sive integra in toto coetu, cui tamen praesit successor Petri. Atqui ratione huius auctoritatis nequit dici exhiberi in Apocalypsi Apostolos sub imagine fundamenti; nam satis evidenter ex inscriptione singulorum nominum patet ibi spectari Apostolos secundum id quod habent proprium prae aliis ad Ecclesiam spectantibus, iurisdictio vero ordinaria Episcopis et Episcopatui communis est. Relinquitur ergo quod ratione doctrinae ut fundamenta Ecclesiae Apostoli repraesententur, quatenus doctrinae ab ipsis praedicatae fides innititur Ecclesiae.

Verum ecce alia difficultas: si per metaphoram fundamenti, sub qua aliquis repraesentetur, potest designari solum eius doctrina, quae Ecclesia fundamentum est, cur eodem modo non licebit accipere verba Christi: *super hanc petram*, ut proinde intelligamus super doctrinam a Petro praedicatam aedificari Ecclesiam?

Respondeo primum. Etiam hac interpretatione permissa verbis Christi, quoniam tamen ibidem certe idem est subiectum Petrus et Petra, ita oportet intelligere doctrinam esse fundamentum Ecclesiae, ut sit doctrina a Petro tradita et prout ab ipso traditur, h. e. Petrus docens sit fundamentum Ecclesiae. Et quia uni Petro tota Ecclesia comprehensis etiam Apostolis innititur, hinc sequitur quod Petro suprema docendi auctoritas pro tota Ecclesia promittitur. Quia vero suprema docendi auctoritas in Ecclesia nequit esse seiuncta a suprema iurisdictione, ut paulo post dicemus, consequens tandem idem reapse foret, promissam scilicet esse a Christo his verbis Petro supremam in Ecclesiam iurisdictionem.

Respondeo secundo. Quod in locis citatis per metaphoram fundamenti sit directe accipienda doctrina, id non colligimus ex sola appellatione fundamenti, sed ex omnibus simul collatis adiunctis sermonis, ut ex datis responsionibus patet. Quocirca non sequitur ut quod iis in locis intelligitur, ubique possit intelligi.

Respondeo tertio. Si de persona immediate dicitur, quod sit petra societatis absque ullo addito limitante, contendimus id ita accipiendum esse, ut ea persona sit petra societatis ratione auctoritatis seu iurisdictionis: id probat analysis a nobis instituta huius metaphoricae locutionis. Et quidem intelligenda est iurisdictio plena et universalis, ideoque docendi, regendi etc. pro tota Ecclesia, si una persona pro tota Ecclesia dicitur esse Petra; minus vero completa et subordinata in

singulis, si de pluribus simul dicitur, praesertim cum idem seorsim dictum est uni pro tota ipsa Ecclesia: cf. responsionem datam ad 2^m testimonium. Quapropter etsi Apostoli simul omnes vocarentur in Scripturis directe petra Ecclesiae vel ita appellarentur a Patribus, id non officeret praerogativae propriae Petri, quae est suprema iurisdictio in Ecclesia, cui iurisdictioni omnes qui in Ecclesia sunt, comprehensis quoque Apostolis, subordinantur, eo quod est Petra, cui omnis Ecclesia a Christo superaedificatur.

V. Restat potior difficultas desumpta ex interpretatione Patrum. Etenim quidquid sit de interpretatione huius loci secundum intrinsecas interpretandi leges, si tamen norma extrinseca adhibeatur, quae potior Catholicis esse debet, quae est ipsa interpretatio communis Patrum, videtur ea nobis non favere, sed potius adversari. Etenim penes Patres non una sed multiplex huius loci interpretatio occurrit easque ad quatuor revocat Natalis Alexander H. E. sec. XV. et XVI. Diss. 4^a.

Nimirum 1^a est ea qua Petra intelligitur ipse Petrus atque pro ea citat Tertullianum *de Praescrip.* c. 22. Origenem in c. 17. Matth., Cyprianum *de Unit. Eccles.* Hilarium c. 16. in Matth., Basilium in c. 2. Isaiae, Ambrosium in Luc. l. 6. n. 97. Epiphanium *in Ancorato*, Hieronymum in c. 16. Matth. et ep. 57. ad Damasum, Augustinum in Psal. XXX. et lib. 1. *Retract.* c. 21. Cyrillum Alexandrinum l. 2. in Ioann. c. 12. Leonem M. ep. 125. Maximum Taurinensem hom. 1. in Natali ss. Petri et Pauli, Theophilactum et Euthymium in c. XVI. Matth. etc. Quibus profecto addi poterant Nazianzenus Orat. 32. Nyssenus loco superius citato, Chrysostomus hom. 4. in illud: *Vidi Dominum*, Nilus Abbas Epist. l. 2. ep. 261. Asterius Episcopus Amasenus hom. in ss. Principes Apostolorum, Chrysologus serm. 107. et 154. Gregorius M. l. 5. epist. 20. ad Mauricium Imp. Innocentius III. epist. 208. et alii quos indicabimus in examine harum interpretationum Patrum; tum celeberrimae Synodi Ephesina Act. 3^a, Calcedonensis Act. 3^a et Synodus Nicaena teste Gelasio I. Epist. 17. tum libri liturgici, sive occidentales, ut ex Sacramentario Gregorii a Menardo edito et Gallicano a Mabillonio et Missali Gothico a Card. Thomasio evulgatis patet, sive orientales, ut patet ex allatis testimoniis ex Ecclesia Russiaca quae a Graeca liturgiam accepit, atque ex liturgia Apostolorum iuxta ritum Ecclesiae Maronitarum penes Abrahamum Ecchelensem in opere *Euthychius vindicatus* p. 2. c. 23.

2^a Interpretatio est, quod Petra sit omnes Apostoli, super quos est aedificata Ecclesia. Pro hac interpretatione citantur Origenes in c. XVI. Matth. tract. 3. (edit. Huetii), Cyprianus epist. 27. *de Lapsis*, Hieronymus *contr. Iovinian.* l. 2. Cyrillus Alexand. loco infra citando,

Augustinus in Ps. LXXXVI. Theodoretus in eundem Psalmum, Etherius et Beatus l. 1. *contr. Elipandum,* Paschasius Radbertus l. 4. in Matth.

3ª Interpretatio est, quod Petra sit illa fides, quam confessus est Petrus vel confessio ea fidei quae primum edita est a Petro. Pro hac plurimi citantur. Hilarius l. 6. *de Trinit.* Nyssenus lib. *de Adventu Domini*, Ambrosius l. c. Hilarius Diaconus (in Appendice Operum s. Ambrosii) in c. 2. Epist. ad Ephes. v. 20. Chrysost. hom. 54. et 83. in Matth. Auctor Operis imperfecti in Matthaeum hom. 20. qui tamen potius verba Christi Matth. VII. 24. seqq. interpretatur, Isidorus Pelusiota Epist. l. 1. ep. 235. Augustinus Tract. 7. in Ioan. Cyrillus Alex. l. 4. in Isaiam. c. XLIV. v. 23. Palladius in *Dialogo de vita Ioannis Chrys.* c. 19. Iuvenalis hierosolym. in litteris synodicis ad Presbyteros, Leo M. Serm. 2. et 3. in anniv. assumptionis suae, Chrysologus Serm. 53. et 74. Theodoretus epist. 77. et 146. Basilius Seleucensis Orat. 25. in illud: *Quem me dicunt homines esse filium hominis*, Eucherius Lugdunensis, seu alius sub eius nomine, hom. in Natali s. Petri, Felix III. P. R. epist. 5. Cosmas Indicopleustes *Topogr. christ.* l. 5. ubi agit de Petro, Gregorius M. l. 4. Epist. 38. Procopius Gazaeus in Exod. XXXIII. 21. Maximus Confessor ep. 13. ad Petrum illustrem, Beda in c. XXI. Ioan.: Damascenus Orat. *de Transfig. Domini* n. 6.; Hadrianus I. Epistola quae lecta est Act. II. Synodi VII., Christianus Duntmarus in Evangel. Matth. ad h. l., Ionas Aurelianensis Episc. l. 3. *de Cultu imaginum,* Hincmarus Remensis op. 33. contra Hincmarum Laudunensem, Nicolaus I. epist. 2. et 6. Ioannes VIII. epist. ad Petrum comitem, Theophanes Cerameus hom. 45. Theodorus Abucara in Epist. Orthodoxa, Stephanus VI. epist. 11. ad Orientales in causa Photii, Synodus Trosleiana cn. 15. Odo Cluniancensis Serm. *de Cathedra Petri*, Rupertus Tuitensis l. 3. in Matth. Innocentius II. epist. ad Conc. Senonense, Hadrianus IV. epist. ad Fridericum Imper., Urbanus III. epist. ad Episcopos etc., s. Thomas q. 25. Supplem. a. 1. arg. sed contra, Stephanus Parisiensis in litteris, quibus s. Thomae doctrinam commendat, Alphonsus Tostatus in c. XVI. Matth. Iudocus Clictoveus in *Compendio Veritatum*, Ioannes Ekius *de Primatu Petri,* Renatus Benedictus in *Panoplia adv. novas haereses* dicata Gregorio XIII.

4ª Interpretato est, petram esse Christum. Pro hac citantur Hieronymus in c. VII. Matth. Cyrillus Alex. l. c. Augustinus l. 1. *Retract.* c. 21. Theodoretus in c. III. Epist. 1ªᵉ ad Corinth., Primasius in Apocalyp. c. XXI. Cassiodorus in Psalm. XLV. 5. Pseudo Gregorius M. in quintum Psalmum poenitent. n. 36. Beda in c. XVI. Matth. Paulinus Aquileiensis lib. *contra Elipandum*, Dungalus Diaconus *cont. Claudium Taurinensem*, Rabanus lib. 4. *de Universo* c. 1. Anselmus

in c. XVI. Matth. Petrus Lombardus in c. II. Epist. ad Ephes., Ioannes Sarisberiensis epist. 166. Caelestinus III. epist. 14. Innocentius III. Serm. 2. *de sua Consecratione*, Thomas in c. III. epist. 1. ad Corinth.

Porro ex his concluditur, certam non esse interpretationem, quod Petra sit ipse Petrus integrumque esse Catholico aliam amplecti, imo probabiliorem esse eam quae tertio loco recitata est, quaeque plurium auctoritate videtur commendari.

Atqui res non ita se habet, quod nunc demonstramus. Et primo excludenda est interpretatio secunda. Sane interpretatio Origenis, qui primus affertur l. c., non est interpretatio litteralis. Etenim 1° ipse alibi docet ea verba *super hanc Petram* etc. spectare ad unum Petrum: 2° heic docet non solum Apostolos eosque singulos, sed et perfectos esse petram, in qua aedificatur Ecclesia, contra unumquemque eorum non esse praevalituras inferi portas: « Quod si super illum Petrum tantum existimas aedificari totam Ecclesiam, qui dicturus es de Ioanne filio tonitrui et Apostolorum unoquoque? Num audebimus dicere, quod adversus Petrum unum non sint praevaliturae portae inferorum, adversus vero ceteros Apostolos ac perfectos praevaliturae sint? an non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, sit illud quod dicitur: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam?* » Porro si super omnes quoque perfectos Ecclesia est aedificata, si ipsi sunt fundamentum; ex quibus tandem aedificium superstructum constabit? ex imperfectisne tantum et peccatoribus? Itaque, ut moris est Origenis, haec per accommodationem sensu quodam analogico dicuntur, ut sicut Petrus propter fidem quam confessus est, dictus fuit beatus et firmus ac stabilis effectus est, ita quicumque eandem fidem confitetur, et ipse dicetur beatus stabilisque erit contra impetus inferni lapisque erit ad Ecclesiae aedificium spectans: « Si illud idem dicamus quod dixit Petrus,... fortasse fimus et ipsi quod fuit Petrus, nempe similiter ut ille praedicamur beati... quod si nos quoque locuti quod dixit Petrus efficimur Petrus, et nobis dici poterit a Verbo: Tu es Petrus et cetera, quae sequuntur. Petra enim quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spiritali consequente Petra. Et super quamlibet huiusmodi petram construitur omnis ecclesiastica doctrina et vitae institutio. Unicuique enim perfecto habenti congregationem sermonum eorum, qui complent beatitudinem et operum et cogitationum, inest quae a Deo aedificatur Ecclesia ». Non super quemcumque vere aedificatur, sed inest, h. e. ex iis tanquam lapidibus vivis coalescit. Porro adverte hanc Origenis interpretationem suam quoque fecisse Ambrosium in Luc. VI. nn. 97. 98.

Cyprianus vero, ut probet Episcopis parendum esse l. c., provocat

ad verba Matth. XVI. 18.: « Dominus noster, cuius praecepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro: *Ego dico tibi: quia tu* etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur ». Quorum verborum sensus non est, dignitatem et potestatem collatam Episcopis singulis esse eam ipsam quae data est Petro, quod nimis absurdum foret et alienissimum a mente Cypriani *(de Unitate Ecclesiae)*; sed argumentum ea verba continent quo probetur immediate quidem regimen Ecclesiae non esse penes populum, sed penes unum institutum a Christo, qui pro universa Ecclesia est Petrus: et proinde in singulis Ecclesiis particularibus regimen esse penes singulos Episcopos, pro quibus Petrus claves communicandas ceteris tunc accipiebat. Unde hoc testimonium spectat ad interpretationem primam.

Hieronymus non negat l. c. petram Matth. XVI. esse Petrum, imo id affirmat, insuper docens Petrum ceteris Apostolis tamquam Caput praecellere: « Si Ioannes virgo non fuit, cur ceteris Apostolis plus amatus? At dicis super Petrum fundatam Ecclesiam (id quoque haeretici noverant), licet id ipsum in alio loco (non in hoc Matthaei) super omnes Apostolos fiat et cuncti claves Regni caelorum accipiant et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. » Quare et hoc testimonium accensendum primae classi.

Augustinus in ea verba: *Fundamenta eius in montibus sanctis* Psal. LXXXVI. hoc unum docet, Apostolo esse Ecclesiae fundamenta, provocans ad Ephes. II. 20. nec mentionem facit Matth. XVI. Nihil ergo dicit heic Augustinus.

Theodoretus autem in eundem locum ait: « Montes sancti, super quos haec fundamenta iecit, sunt Apostoli. De his Apostolus dixit: *superaedificati super fundamentum* etc. et Dominus Petro post veram et divinam illam confessionem: *Tu es Petrus et super hanc petram* etc. et rursus: *vos estis lux mundi.* Super hos sanctos montes Christus religionis fundamenta iecit ». Liquet Apostolos omnes dici eos montes, super quos aedificata est Ecclesia; sed liquet quoque verba Christi Matth. XVI. ad solum Petrum dicta referri; neque ex eo loco sed ex alio ad Ephes. probari Apostolos esse huiusmodi montes sive fundamenta. Non dicit autem Theodoretus Apostolos esse fundamenta sicut Petrus. Itaque et hoc testimonium ad primam interpretationem spectat. Cyrillus quoque Alex. ad verba Psalmi LXXXVI. alludit.

Etherius et Beatus l. c. n. 3° aiunt, quod id « quod Petro dixit:

super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, non soli Petro, sed nobis omnibus dixit » idque ipsi affirmant eo sensu, quo audivimus dici ab Origene. Ceterum iidem ibidem de Petro confesso Christum inquiunt: « Tunc et petra vocatus, postquam angularem petram illum primus agnovit. Haec est petra, de qua Pater dixerat per s. Isaiam: *Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem probatum... et omnis qui crediderit in eo non confundetur.* Et utique lapis, in quem credere mandat, Deus est ». Scilicet petra est Christus; ita tamen ut sub eo sit quoque Simon petra. Quare si quid difficultatis his inest, id ad 4^{m} sententiam spectat.

Pascasius Radbertus l. c. ad ea verba Matth. VII. 24. *Omnis qui audit verba mea... similabitur viro sapienti qui aedificat domum suam supra petram;* dicit quod « licet Petrus licet Paulus aedificet... Christus est vir sapiens, qui aedificat domum caelestem supra se, qui recte petra est appellatus, fundamento fidei collocatam. Unde in hoc eodem Evangelio Petro dicitur: *Tu es Petrus et super* etc. idest a qua tu Petrus sortiris nomen pro firmitate fidei supra ipsam eandemque Petram aedificabo fundamento fidei Ecclesiam. » Heic petra est Christus. Idem docet l. 8. ad Matth. XVI. 18. provocans ad 1. Corinth. 3. 11. Cum vero heic paulo post ait « non super uno Petro, verum super omnes Apostolos Apostolorumque successores Ecclesia Dei aedificatur » provocans ad verba Psalmi LXXXVI. 1. satis significat, se id potius ex verbis Psalmi, quam ex Christi verbis colligere.

Nihil ergo est ex allatis testimoniis quo interpretatio secunda verborum Christi penes Matth. XVI. possit persuaderi. Quamvis exstiterit quidam commentarius catholicus, qui potestatem collatam Petro docet collatam quoque ceteris Apostolis et Ecclesiae; sed refertur ille proprie ad sequentia: *tibi dabo claves* et sub iis verbis de eo loquemur.

Restat igitur interpretatio 1^{a} 3^{a} 4^{a}. Advertendum est autem quod ex iis, qui citantur sub 3^{a} interpretatione, quidam sunt expungendi ut Chrysologus, Theophanes Cerameus, Odo Cluniacensis, qui in locis citatis primam exhibent interpretationem. Iam vero concedimus interpretationem 3^{m} et 4^{m} non esse factam per quandam accommodationem, sed veram et realem esse; id enim postulat eius universalitas et frequentia eiusque usus ad dogmata stabilienda, etiam in quaestionibus fidei contra haereticos atque tandem ratio quam mox afferemus. Responsio porro ad huiusmodi difficultatem haec est, has interpretationes non esse oppositas sed invicem coordinatas, non se excludere sed penitus cohaerere atque ex his omnibus unam adaequatam interpretationem conflari. Id argumento extrinseco et intrinseco demonstrari potest.

Extrinsecum est: Patribus universaeque Ecclesiae, ut ex tot monu-

mentis constat, semper persuasum fuit, Petrum esse Ecclesiae petram; non potuerunt ergo in hac communi sententia Ecclesiae Patres adeo plurimi eam verbis Christi adhibere interpretationem, quae illi sententiae adversaretur. Praeterea plures ex iis Patribus, qui 3^{m} vel 4^{m} interpretationem exhibent, illi iidem et primam asserunt; non ergo putarunt eas sibi adversari.

Ut argumentum intrinsecum proferamus, advertendum est, quod cum Petrus dicitur Petra, supra quam aedificatur Ecclesia, duplex respectus in Petro considerari debet: respectus ad terminum pro quo functionem petrae exercet et hic terminus non est nisi Ecclesia, tum respectus ad causam, qua fit et constituitur Ecclesiae petra. Causa autem, omissa causa meritoria, duplex distingui debet, efficiens et formalis. Causa efficiens est ipse Christus, qui Petro hanc supernaturalem dignitatem communicat quique sic loquens inducitur a Leone Serm. 3. suae assumpt.: « Cum ego sim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo aliud ponere potest, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia ». Petrus ergo nequit concipi Petra Ecclesiae nisi quatenus a Christo, qui prima et ex sese petra est, constituitur talis h. e. virtute huius primae petrae solidatur et *simul* cum Christo cui innititur, petrae functionem exercet (sint tibi *mecum* participatione communia). Hinc cum Petrus dicitur petra Ecclesiae, intelligitur quoque Christus, per quem et cum quo Petrus est petra et sine quo esse neque concipi potest petra Ecclesiae. Unde frequens est Patribus advertere, quod Simon dictus sit Petrus a Christo Petra; quod quidem non est intelligendum de derivatione grammatica, quae nulla est, sed de ontologica, quatenus Petrus realiter participat dignitatem Petrae, quae primo et per se competit Christo. « Hunc in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse Christus erat voluit nominari dicendo: tu es Petrus etc. » S. Leo epist. 10. Et Augustinus Tract. 124. in Ioann. « Ecclesia fundata est supra petram, unde et Petrus nomen accepit: non enim a Petro petra, sed Petrus a petra; sicut non Christus a christiano, sed christianus a Christo vocatur ».

Causa formalis, qua nempe in se, licet participative, attamen vere et ontologice constituitur Petrus Petra Ecclesiae est ipsa auctoritas Primatus, qui petrae metaphora significatur; qui est suprema potestas iurisdictionis in Ecclesia. Haec autem potestas continet quoque potestatem docendi: regnum enim Christi est regnum veritatis, Ioan. XVIII. 37. et Apostoli missi sunt ad docendum Matth. XXVIII. 19. atque ita continet, ut suprema potestas regendi nequeat esse nisi in eo subiecto,

quod potiatur suprema potestate docendi et haec potestas in aliquo subiecto exsistens ratio sit, cur eidem cetera potestas iurisdictionis competat. Ratio primi est, quia potestas legifera iudiciaria coactiva quae sit seiuncta a magisterio infallibili in Ecclesia exsistente, quod iudicium de illa ferre iure potest, hoc ipso non est suprema: ratio secundi est, quia si comparetur invicem potestas docendi et cetera potestas regendi ea est prior naturaliter hac; quia veritas et doctrina in Ecclesia norma est omnium legum et iurium. Quare causa formalis, qua Petrus petra Ecclesiae constituitur, est primo ipsa fides Petri prout haec est principium firmitatis et unitatis fidei in Ecclesia, prout nempe tanquam norma proposita ceteris causa est stabilitatis et unitatis in fide, sive est ipsum magisterium supremum Petri. Ecclesia ergo fundata supra Petrum fundata est super Petrum credentem et docentem neque a conceptu Petrae Ecclesiae secerni potest fides Petri eiusque confessio vel magisterium, quibus formaliter est Petra. Et sane verba Christi dicta sunt Petro credenti et confitenti, ideoque huc redeunt: *ego dico tibi credenti et confitenti divinitatem meam, quia tu es Petrus et super hanc petram credentem et confitentem aedificabo Ecclesiam meam, h. e. tu Fide tua fundamentum eris Ecclesiae meae, principium unitatis et firmitatis:* « Non enim de carne Petri, sed de Fide (Petri) dictum est, quia portae mortis non praevalebunt » Ambrosius *de Incarnat.* l. 5.

Cassianus *de Incarnat.* l. 3. c. 12., ita inducit Petrum (cuius testimonium perpendit) loquentem. « Lege Evangelium, et non requires personam meam, cum habeas confessionem meam. Imo illic habes personam meam, ubi confessionem meam; quia cum persona mea auctoritatem sine confessione non habeat, auctoritas est personae meae ipsa confessio ». Idcirco ibid. idem Cassianus de eodem Petro ait, quod et Romanae Ecclesiae gubernacula regens, sicut fidei habuit, ita et sacerdotii principatum ».

Porro cum hoc rursus cohaeret, Christum esse petram Ecclesiae: si enim Petrus est petra Ecclesiae per fidem et huius obiectum est Christus, ideoque est petra per fidem in Christum: ergo *Christus creditus* est petra Ecclesiae; nam propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Itaque Simon Petrus Christo innixus suaque virtute solidatus auctus fide ipsamque praedicans constitutus est fundamentum Ecclesiae.

Quare 1° in verbis Christi triplex veritas continetur. 1ª Petrus est Petra Ecclesiae h. e. ipsa persona Simonis effecta Petra seu aucta Primatu est subiectum cui innititur Ecclesia. 2ª Fides est Petra Ecclesiae h. e. fides Petri est causa formalis licet partialis cur persona Petri sit fundamentum Ecclesiae. 3ª Christus est Petra Ecclesiae, h. e. est petra

principalis, cui innititur Petrus. Christus igitur est prima a se petra, cui Petrus ipse et tota Ecclesia innititur.

Hinc vero liquet, has interpretationes non esse oppositas nec unam ab altera excludi, sed coordinari invicem et alteram ab altera inferri mutuoque singulas se complere. Perperam autem comparatio institueretur inter numerum scriptorum, qui hanc potius quam istam aut illam interpretationem usurpaverint. Nam nulla est exclusiva et quaelibet earum primam supponit: quo posito ratio adhibendi potius unam quam alteram pendet solum ex occasione sermonis et necessitate profligandi erroris alicuius, qui insurgat aut declarandae veritatis, cuius cognitio heic et nunc magis sit opportuna. Quod si advertisset Dr. Langen, facile intellexisset se operam perdere cum testimonia non pauca a quarto seculo deinceps corrogavit l. 1. §. 7. l. 2. §. 7. l. 3. §. 1. l. 4. §. 1. quibus asseritur Petram esse Christum aut fidem in Christum. Debuisset vero ostendere, quod interpretatio nostra non sit litteralis nec primitiva: quod his citationibus nec praestat Dr. Langen nec praestare potest; qui quidem frequenter nec quod citat intelligit. Nam nonne e. g. nostram interpretationem confirmat quod ipse refert l. 2. §. 1. ex liturgia mozarabica in Missa Cathedrae Petri: « Qui (Christe) super te firmissimam petram, Petrum et per Petrum Ecclesiam aedificasti »? Nonne cum nostra interpretatione cohaeret quod citat l. 3. §. 1. ex commentario Thomae in Matth. XVI. 18. si praesertim integre referatur? Ad ea verba: *et ego dico tibi, quia tu es Petrus,* ait Thomas: « Hic dat confessionis remunerationem... primo dat nomen, secundo potestatem. Circa primum primo dat nomen, secundo nominis rationem: *et super hanc petram* etc. Ad hoc venit in mundum ut Ecclesiam fundaret Isai. XXVIII. 16. *ecce ego poenam in fundamento Sion lapidem probatum* etc. Iste lapis est Christus,... unde non solum dicimur christiani a Christo sed a petra. Ideo specialiter imponit nomen: *tu es Petrus*, a petra quae est Christus in huius signum rei: *super hanc petram* etc. Proprietas petrae est, quod ponatur in fundamento, item ut det firmitatem. Unde potest exponi de Christo ». Augustinus citat et 1ae Cor. X. 1. et III. 11. Pergit: « Alia expositio super hanc petram, idest super te petram; quia a me petra trahes tu quod sis petra. Et sicut ego sum petra, ita super te petram aedificabo etc. Sed quid est? est ne Christus et Petrus fundamentum? Dicendum quod Christus secundum se, sed Petrus in quantum habet confessionem Christi in quantum vicarius eius? » Licet autem s. Doctor deinceps allatis verbis Ephes. II. 20. dicat Apostolos esse fundamentum per concessionem Christi, distinguit tamen Petrum ab aliis Apostolis; ait enim: « Sed specialiter Petri domus, quae est fundata supra petram non diruetur...

Et quamvis aliae Ecclesiae vituperari possint per haereticos, Ecclesia tamen Romana non fuit ab haereticis depravata; quia super petram erat fundata... sola Petri Ecclesia inviolata permansit: quod Thomas confirmat provocans ad verba Luc. XXII. 32. *Ego pro te rogavi Petre* etc. Atque de ista indigesta testimoniorum collectione langeniana satis.

Quaeri autem potest, utrum hae omnes interpretationes sint immediatae. Et quidem quod spectat ad primam res evidens est; Petrus enim et petra idem est subiectum. Quoad alias duas difficultas esse potest. Quoad primam advertendum est, quod cum locutio est metaphorica, sensus proprius, qui per metaphoram significatur, et literalis est et immediatus: cum autem Petrus Petra Ecclesiae dicitur, sensus proprius est Petrum esse principium efficax firmitatis et unitatis Ecclesiae. Porro quae simplici analysi alicuius rei colliguntur absque ope veri ratiocinii et ipsa simul cum ea re, quamvis in confuso, immediate significantur, immediatione quidem non verbali sed reali, ratione nempe rei significatae. Sicut cum dico: Christus est homo, significo immediate verbaliter Christum esse subsistentem in humana natura; sed quia homo est habens corpus, animam, intellectum, voluntatem etc., haec quoque immediate realiter ea propositione significantur, Analysis vero instituta principii unitatis et firmitatis Ecclesiae hoc inter alia elementum suppeditat, nempe principium unitatis in fide, principium vero unitatis fidei in societate, quod sit destitutum fide quam doceat, concipi nequit; cum ergo Petrus exhibetur principium unitatis fidei, exhibetur cum fide, quam docendo unitatem efficit. Fides ergo Petri elementum, est, quod continetur re significata per petram Ecclesiae quaeque analysi colligitur. Dici ergo debet immediate realiter significata. Quod si praeterea ea verba Christi simul cum toto contextu spectentur, patet rursus fidem Petri, propter quam est formaliter petra, immediate, ex verbis totius contextus significari. Petro enim, non prout caro et sanguis est, sed prout revelante Patre corde credidit et ore confessus est fidem, dictum est: Tu es Petrus; et super hanc Petram credentem scilicet et confitentem Christus Ecclesiam suam se aedificaturum promisit. Quare petra Ecclesiae cum fide et per fidem petra repraesentatur.

Ad alteram interpretationem quod spectat, advertendum est quod cum homo exhibetur ut petra Ecclesiae et simul componitur cum Christo Deo, qui se exhibet ut auctorem et caput Ecclesiae, ideoque principium omnis eius unitatis et stabilitatis, illum hominem constituens principium firmitatis et unitatis Ecclesiae suae; simul apparet dependentia huius hominis a Deo et participatio suae dignitatis a di-

gnitate Christi: unde nequit ille homo concipi petra nisi secundaria firmitatem suam nanciscens a Christo, qui est per se petra. Immediate ergo in his verbis: *et ego dico tibi* etc. Petrus repraesentatur ut Petra secundaria innixa Christo.

Differunt tamen hae interpretationes quod prima ita est immediata ut sit etiam explicita; aliae plus minus implicitae: prima, si tantum ea verba spectentur: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, est *verbalis* h. e. ab ipsis verbis immediate tradita; altera est *realis* h. e. ex analysi rei per verba significatae immediate efflorescens. Praeterea prima exhibet subiectum super quod aedificatur Ecclesia, aliae exhibent causas propter quas illud est fundamentum Ecclesiae.

Differunt quoque ex eo quod prima interpretatio est antiquissima et sola exsistens in aetate antenicaena, aliae posteriores sunt; illa magis obvia, hae fructus penitioris analysis. Causa vero, cur post Arianos tertia potissimum interpretatio urgeretur, repetenda est ex ipsa controversia ariana. In confessione enim Petri antithesis erroris ariani plenissime continetur, quae confessio, si petra est Ecclesiae, manifestissime ostendit, Arianos ab Ecclesia esse prorsus alienos.

Itaque cum Patres docent, Ecclesiam aedificatam esse super hanc confessionis Petram, super fidem confessionis Petri, super immotam discipuli fidem, super hanc petram rectae fidei, quam Petrus confessus est, super firmam et solidam confessionem, quam confessus est Petrus, confessionem Petri esse basim Ecclesiae, in hac confessione stabili fidei esse Ecclesiae fundamentum, in huius firmitate consurgere Ecclesiae aedificium, quae sunt formulae occurrentes penes Patres citatos, commentarium quidem exhibent verissimum, sed qui nullo modo excludat primam interpretationem.

Quod praeter argumenta tum extrinseca tum intrinseca iam allata, ex eo quoque evidens fit, quod 1° fides vel confessio fidei spectetur ab his Patribus cum relatione ad Petrum, *haec fides* aiunt, *haec confessio, quam Petrus confessus est*, *fides Petri*, *confessio Petri in confessione sua fundatam habet Petrus Ecclesiam* et similia: quod 2° fides vel confessio fidei spectetur a Patribus prout est perseverans in petra et per ipsam in Ecclesia fundata supra petram. « Soliditas enim (ait s. Leo Ser. 3. in natali suo) illius fidei quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit ».

Item ii qui docent fidem obiective spectatam sive Christum quem Petrus confessus est, esse Petram Ecclesiae, verissime interpretantur, nec tamen primam interpretationem excludunt. Et sane qui hanc interpretationem amplectuntur, et aliam quoque recipiunt, ut Augustinus,

qui Petram Christum interpretatur Tract. ult. in Ioannem, Petrum in *Psalmo contra Donatum*, utrumque permittit in *Retract.* l. 1. c. 21., Theodoretus qui Petrum intelligit in Psalm. LXXXVI. Christum in c. III. 1. Corinth., Paulinus Aquileiensis, qui Christum videtur interpretari in lib. contra Elipandum, Petrum autem interpretatur in *Hymno de Cathedra Petri;* Innocentius III. in Serm. 2. *de Consecr. Pontificis* Petram Christum interpretatur; in epist. vero 209. Petrum.

Ratio vero, cur haec aliquando interpretatio electa fuerit, haec est, quia Patres, Augustinum imitati, petram concipientes eam concipiebant, quae absolutissime et perfectissimo modo Petra est Ecclesiae. Id liquet ex modo eorum loquendi. Ita Rabanus Maurus *de Universo*, l. 4. « Petrus a Petra nomen accepit, h. e. a Christo, super quem fundata est Ecclesia. *Non a Petro Petra, sed Petrus a Petra nomen sortitus est...* Ideoque ait Dominus, *tu es Petrus* etc. super hanc, inquit, petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim Christus erat, *super quod fundamentum etiam ipse aedificatus es Petrus* ». Quae verba enphasim continent ostenduntque sermonem esse de principali Petra. Ita et Paschasius Radbertus l. 8. in Matth. XVI. ad haec verba Christi, *Et ego dico tibi* etc. ait: « Ac si patenter dicat, non sermone casso et nullum habente effectum operis, sed dico tibi ego, cuius dixisse fecisse est, quia verbum meum omnipotentia plenum est: *Quia tu es Petrus*, quod a Petra derivatum est nomen, idest a me, super quem aedificatur omnis Ecclesia. Non enim, subdit, ut quidam male putant, Petrus fundamentum totius Ecclesiae; quia fundamentum nemo aliud potest ponere etc. 1. Cor. III., licet super eodem primus ac sic caput Petrus recte positus credatur, tamen in ea petra de qua nomen sibi ex dono traxit etc. ». Patet negari Petro dignitatem Petrae principis, quae propria est Christi atque hoc tantum sensu affirmare licuit Paschasio, male putasse quosdam, Petrum esse fundamentum totius Ecclesiae.

Speciale quid occurrit penes Augustinum *Retract.* l. 1. c. 21. « In hoc libro (contra epistolam Donati) dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait — *Hoc ipsa Petra Ecclesiae canente culpam diluit.* — Sed scio, me postea saepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est: *Tu es Petrus* etc., ut super hunc intelligatur quem confessus est Petrus dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi* ac sic Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiae figuraret (quam nempe ut caput iuridice repraesentabat: de hac speciali interpretatione postea), quae super hanc Petram aedificatur et accepit claves regni caelorum.

Non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector ». Vides heic rationem alterius interpretationis partim esse dogmaticam (quia petra erat Christus), partim philologicam (quia dictum est: tu es Petrus, non tu es Petra): verum si hanc rationem consideres, quae videtur determinasse Augustinum ad eam interpretationem, quamvis non sibi certam; ea, ut iam probavimus, nihil est. Si autem sententiam Augustini exquiras, ea nihil habet certi, certum est tamen non excludere interpretationem primam. Facile est tamen advertere, Augustinum ab Augustino distingui posse, eum nempe qui intrinsecis adhibitis regulis (quae tamen ipsum fallunt) interpretatur, et qui interpretatur secundum sensum communem Ecclesiae. Prior negat Petrum esse Petram, alter, ut in locis citatis, ubi non ei occurrit ea animadversio de discrimine nominum Petrus et Petra, vult Petrum esse Petram; iam vero satius est Augustinum sequi interpretantem secundum sensum communem Ecclesiae, quam secundum quasdam leges non satis idoneas. Augustinum Beda exscripsit in Evang. Ioannis c. XXI.

VI. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Quaeritur, 1° quid sint portae inferi πύλαι ἅδου. Ἅδης penes profanos Scriptores est sedes animarum post mortem: eo vocabulo reddunt LXX. hebraicum שְׁאוֹל, quod non significare sepulcrum (quod dicitur קֶבֶר, sed animarum post mortem sedem et praesertim impiorum, extra omnem dubitationem posuisse videtur cl. P. Patrizi (*de Interpr. Scripturar. Sacrarum* l. 2. q. 10. art. 3. sect. 1. Arg. 2.). Porro ἅδης שְׁאוֹל repraesentatur tanquam civitas, quod ex hoc loco quoque patet; dicitur enim habere portas πύλας, quae propriae sunt moenium civitatis eodemque modo repraesentatur a profanis poetis. Eius incolarum prosopopoeiam habes penes Isaiam XIV. 9.-20. cf. Iob. XXXVIII. 17. *portae mortis, portae umbrae mortis.* Haec est sedes Angelorum malorum et Satanae, qui princeps est eorum Matth. XXV. 41. Apocal. XII. 7. qui Satanas rex est proinde huius civitatis; homines enim ab ipso superati servi eius sunt 2. Petri II. 9. Haec est potestas tenebrarum τοῦ σκότους quod est ἅδης, a qua nos eripuit Christus Coloss. 1. 13. quae pugnat contra Deum, homines excitando ad rebellionem contra ipsum et iustos persequendo Gen. III. 1. seqq. Ioan. VIII. 44. XIII. 2. Ephes. VI. 11. 1ª Petri V. 8. 1ª Ioan. III. 8. Apocal. XII. 9.-12. Luc. XXII. 53., cui potestati obsequuntur eiusque ministri sunt homines in terris mali, ii praesertim qui persequuntur iustos Ioan. VIII. 44. Apocalyp. II. 13. III. 9. IX. 11. Iam vero πύλαι ἅδου tropice significant pote-

statem hanc. Desumpta est enim haec ratio loquendi ex eo, quod penes orientales in portis civitatum iurisdictio exerceretur Deuter. XXI. 19. XXII. 15. XXV. 7. Ruth. IV. 1. seqq. Iob. V. 4. XXXI. 21. Prov. XXII. 22. Isaiae XXIX. 21.; Amos V. 10. 15. Quocirca per synecdochem portae civitatis significabant potestatem, sive eos qui potestatem habent in civitate. Advertit continuator Lexici Gesenii שער המלך esse ipsam arcem regiam Persarum penes Esther III. 2. 3. IV. 2. 6. V. 9. 13. VI. 12. Monet quoque Stephanus in suis annotationibus ad Xenophontem (cf. eius Lexicon v. θύρα) identidem τὰς θύρας (quae proprie portae sunt domus) esse ipsam aulam regiam Persarum (cf. et Danielem II. 49.) et etiamnum solemus dicere *Porta ottomana* pro aula regia imo imperio Turcarum.

Negat Dr. Langen (ibid. p. I. pag. 11. not.) terminum πύλαι ex usu loquendi aetatis Christi adhibitum fuisse ad significandam vim, potestatem. Verum nec nos contendimus terminum illum seorsim sumptum hanc habuisse significationem, sed cum construitur cum termino denotante civitatem aut quid simile et quidem non contendimus quod id semper significaverit; quis enim neget, potuisse dici et dictas fuisse proprio sensu portas civitatis? sed dicimus, eam quoque metaphoricam significationem hunc terminum complexum habuisse et cum portae civitatis repraesentantur ad modum personae, nempe pugnantes et adversantes aliis, nonnisi hac metaphorica significatione accipi posse. Quod vero aetate Christi hanc significationem metaphoricam terminus iste complexus amiserit, nescio unde auctor ille didicerit. Certe haec erat metaphora Chaldaeis usitata, ut liquet ex Danielis loco citato.

Docet idem scriptor quod ἅδης et שְׁאוֹל non sit infernus, daemonum et malorum sedes, sed locus obscurus seu regnum mortuorum, quo animae conveniebant, antequam ad caelos ascenderent: cui interpretationi, saltem prout est exclusiva, repugnat ipse usus vocis ἅδης penes profanos, repugnat Isaias l. c., repugnat Christus mentionem faciens potestatis tenebrarum contra ipsum et bonos insurgentis. Vult autem hic auctor quod *portae inferi* non sint nisi *leges mortis,* ut hoc in loco Christus praedixerit nunquam fore obnoxiam legi mortis seu defecturam Ecclesiam. Quod male probat adducta auctoritate Leonis M. ex sermone eius 51. 1. et 52. 2., qui in secundo loco solum appellat portas mortis, mortem pro inferno accipiens, et in priore simul coniungit portas inferi et leges mortis: aliud porro est ex verbis Christi colligere quod mortis legibus Ecclesia non subiacebit, quod Leo aliique Patres faciunt; aliud affirmare quod sibi adaequate aequivaleant portae inferi et leges mortis, quod nemo Patrum dixit.

Regnum ergo inferi h. e. potestatem eius sive Satanam et Angelos

eius cum hominibus impiis pugnaturos esse contra Ecclesiam suam praedicit Christus: vis enim et violentia ab inferis adhibenda contra Ecclesiam non ex formula πύλαι ἅδου, sed ex pugna adsignificata verbo *non praevalebunt* et ex ipsa indole huius potestatis adversariae Christo sanctisque eius colligitur. Simul vero Christus promittit, quod non sint hi hostes praevaliturі.

Quaeritur autem 2° quodnam sit subiectum ad quod refertur pronomen *eam*, utrum nempe sit *petra* an *ecclesia*. Distinguendus est terminus relationis duplex, alter per pronomen *grammatice* repraesentatus, alter per ipsum *logice* et realiter connotatus. Si de primo sermo est, cum terminus immediate praecedens sit ecclesia, ipsa est quam pronomen *eam* grammatice repraesentat. Verum Ecclesia, de qua heic est sermo, est Ecclesia fundata super petram, firmitatem suam nanciscens a petra; si ergo Ecclesia stabilis erit contra impetus inferni, necesse est, ut contra eosdem impetus stabilis sit petra, quae firmitatem confert aedificio, ideoque ipsa petra est terminus connotatus, contra quam portae inferi non sunt praevaliturae. Iam vero ea connotatio huc spectat, ut significetur, petram causam esse, cur portae inferi adversus Ecclesiam non sint praevaliturae. Manifestum est enim Christum se gerere in aedificatione Ecclesiae suae, sicut ille vir sapiens, quem ipse describit Matth. VII. 24. 25. Omnis ergo qui audit verba mea, et facit ea, assimilabitur *viro sapienti qui aedificavit domum suam super petram*. Et descendit pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti et irruerunt in domum illam et non cecidit; *fundata enim erat super petram*. Rationem, cur domus resistat contra omnes impetus, repetit Christus a petra, supra quam fundata est. Ergo et *petra*, supra quam Ecclesiam suam Christus fundavit, ratio est ex intentione Christi, cur Ecclesia stabilis perseveret contra omnes hostiles impetus. Et sane ideo portae inferi non sunt praevaliturae contra Ecclesiam, quia ea est firmum in se ipso aedificium propter petram; a petra enim firmitatem obtinet aedificium: ergo non praevalebunt portae inferi contra Ecclesiam, quia fundata est supra petram: ergo petra est ratio cur portae inferi non sint praevaliturae. Hinc Origenes (in Matth. loco superius citato) ad utramque, petram et Ecclesiam ad modum unius refert pronomen *eam*. « Quam autem *eam?* an *petram*, supra quam Christus aedificat Ecclesiam? an *Ecclesiam?* ambigua quippe locutio est. An instar unius eiusdemque rei habet *petram* et *Ecclesiam?* hoc ego verum existimo. Nec enim adversus *petram*, supra quam Christus Ecclesiam aedificat, nec adversus *Ecclesiam* portae inferi praevalebunt ». Leo autem epist. 10. Ad Episcopos Provinciae Viennensis c. 1° ad Petrum nominatim refert: « Hunc in consortium individuae unitatis assumptum

id, quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: *tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam:* ut aeterni aedificatio templi munere gratiae Dei *in Petri soliditate consisteret; hac* Ecclesiam suam *firmitate* corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, *nec portae contra eam inferi praevalerent* ». (a)

VII. *Et tibi dabo claves regni caelorum et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Quaestio principalis duplex est, nempe de re seu potestate significata his verbis et de subiecto, cui ea potestas data est. Quaestio prior in has resolvitur 1° quid sit regnum caelorum: 2° quid per allegoriam traditionis clavium significetur: 3° quid sit ligare et solvere: 4° utrum necne discrimen et quodnam intercedat inter id quod exprimitur per verba *tibi dabo claves* et id quod exprimitur per verba *quodcumque ligaveris* etc.: 5° quomodo haec altera pars testimonii cum priore iam explicata cohaereat.

Itaque 1° *Regnum caelorum,* quod penes Matthaeum occurrit, idem est ac *Regnum Dei,* quod apud alios Evangelistas ipsumque Matthaeum invenitur. Liquet id ex locis parallelis Matth. IV. 17. Marc. I. 15. Matth. V. 3. Luc. VI. 20. Matth. XIII. 11. Luc. VIII. 10. aliisque. Idem dicitur et simpliciter *Regnum.* Quod enim Marcus I. 14. dixit *Evangelium Regni Dei,* Matthaeus IX. 35. vocavit *Evangelium Regni.* Et sane iam aetate, qua Mattaheus scribebat, usus obtinuerat apud hebraeos, ut nomine caeli שמים ipse Deus significaretur. (Lightfootus *Hor. heb. et talm.* in Matth. II. 2. Buxtorfius lex. Chaldaic. v. d.) Porro hoc Regnum Dei, de quo Evangelistae loquuntur, est regnum spirituale, supernaturale (cf. cl. Patrizi *de Evangeliis* l. 3. diss. 46.), quod est Ecclesia Christi. Appellatio vero *regni caelorum* indicat tum eius originem (cf. Ioann. XVIII. 36. Apocal. XXI. 2.), tum sedem regis sui, tum terminum, in quem ipsum tendit, qui est vitâ aeterna, in qua alius status ipsius et eiusdem consummata perfectio sit.

Iam vero quemadmodum nomen regni usurpari potest tum *significatione adaequata* pro ipso regno integre spectato designando, tum *inadaequata* pro designando aliquo ex eius elementis, cuiusmodi sunt potestas regia, populus qui regitur, ditio et regio, administratio et gubernatio, forma ipsa regiminis; ita et nomen *regni caelorum, regni Dei* sive *Christi* usurpatur plerumque adaequate secundum universam huius regni notionem, tum inadaequate pro significando aliquo ele-

---

(a) Haud incongruum erit monere, quod Cassianus de Incarn. l. 3. c. 13. enarrans Christi verba ad Petrum, haec ita legit: *et portae inferi non praevalebunt adversum te.*

mento in ea notione contento, unde vel regnum in statu huius vitae, ut frequenter in parabolis, vel ipsum in statu alterius vitae directe significat Matth. XIII. 43. XIV. 34. Marc. IX. 16. 2. Petri 1. 11.

Dicimus autem in hoc loco Matth. XVI. 14. regnum caelorum supponere directe pro Ecclesia in terris exsistente; quod sic demonstramus. Etenim manifestum est 1° huiusmodi formulas aptissimas esse ad Ecclesiam a Christo in terris iustitutam repraesentandam; est enim ipsa regnum Christi, quod per prophetas promissum est (Daniel. II. 44.). Manifestum est 2° in Evangeliis per *Regnum caelorum, regnum Dei, regnum* frequentissime significari Ecclesiam a Christo in terris institutam. Liquet id ex tot parabolis, quibus idea Regni caelorum exhibetur a Christo, quae nonnisi Ecclesiae in terris militanti convenire possunt: tum aptissime ea intelligitur in phrasibus *Evangelium Regni, Regni Dei, appropinquavit Regnum caelorum.* Praecipue 3° manifestum est, heic illud regnum significari, in quo potestas ligandi et solvendi exercenda sit; haec enim, ut videbimus, potestas regia est, quae in aliquo regno est exercenda; quod regnum, propter immediatum nexum verborum nequit concipi aliud ab eo, cuius immediate superius mentio facta est, quod dicitur *regnum caelorum:* quia vero haec potestas est exercenda in terris, regnum ergo caelorum illud est quod in terris exsistit, quod est certe Ecclesia militans. Itaque in verbis Christi *regnum caelorum* optimo iure Ecclesia intelligitur a Christo in terris instituta, de qua superius immediate locutus est.

VIII. Claves domus traditae alicui signum sunt iuris et potestatis in domum ipsi collatae. Phrasis haec occurrit Isaiae XXII. 22. *Et dabo clavem David super humerum eius, et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat.* Agitur de Sobna removendo a praefectura quadam et substituendo illi Eliacimo. Disputatur quae praefectura fuerit, templi an palatii regis? Dicitur enim Sobna esse עַל הַבַּיִת super domum. Hieronymus in hunc locum censet, significari domum Domini et Sobnam vult esse *praepositum templi*, quem deinde ut Pontificem videtur habere. Cf. Gasparem Sanctium in h. l. Forte probabilior est alia sententia, quod בַּיִת heic sit palatium Regis. Cf., si licet, Rosenmüllerum in h. l. Rursus occurrit ea phrasis Apocal. I. 18. *Ego sum primus et novissimus... habeo claves mortis et inferni.* III. 7. *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Manifestum est, his in locis per claves potestatem quandam designari et quidem eam quae sit in suo ordine princeps, licet alteri eminentiori subordinata et veluti vicaria. Talis fuit potestas Sobnae et Eliacimi; nam praefectura palatii subest per se potestati regis; fuisse eam potestatem tamen in suo ordine

principem liquet ex declaratione: *claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit.* At potestas Christi significata per *claves mortis et inferni* (recole dicta superius circa ἄδην) per *clavem David* sive domus aut regni David, nequit esse nisi potestas suprema prorsus et independens. Itaque hac allegoria potestas quaedam princeps significatur: quanta vero sit et quam independens, ex obiecto circa quod versatur et etiam ex subiecto, cui confertur, colligi debet.

Claves signa potestatis ex humero suspendebantur: liquet ex loco citato Isaiae, ex quo et alterum eiusdem explicari potest IX. 5. *Puer natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum eius.* Patet enim heic rem significatam pro signo sive tessera eius poni, quae quidem tessera nulla aptius excogitari potest quam claves quae ex humeris suspendebantur; ut ex Callimacho quoque discimus, qui in hym. in Cererem 44. de ea ait, quod κατωμαδίαν δ' ἐχε κλᾶδα. Unde hac metaphora usus Solymanus Turcarum imperator respondit legatis Ferdinandi I. *Claves Hungariae suspendam ex humero meo.* Ex allatis exemplis liquet claves metaphorice usurpari pro significanda potestate non tantum domus et civitatis, sed et regni.

Cum ergo Christus promittit Petro se daturum ei claves regni caelorum, potestatem seu principatum quendam ei promittit. At quanta est huiusmodi potestas? Ea ex obiecto quod clavibus subiicitur, atque ex subiecto cui promittuntur h. e. *Petrae Ecclesiae,* atque etiam ex dignitate illius, qui confert claves, quocum Petrus comparatur, colligi debet. Sane 1° obiectum obnoxium clavibus est Ecclesia universa, haec enim est regnum Christi: cum per claves traditas potestas seu principatus significetur, instituitur ergo Petrus potestatem habens super universam Ecclesiam: cum vero ea societas sit, in quam potestas non potest esse nisi iurisdictionis; instituitur ergo Petro princeps universae Ecclesiae. Et re quidem vera, ut ex allatis testimoniis constat, qui claves habet, huiusmodi est, ut si claudat, nemo aperire possit, si aperit, nemo claudere possit: claudere autem et aperire est universa functio habentis claves: sicut autem per claves metaphorice significatur potestas, ita per τὸ claudere et aperire metaphorice significatur exercitium eius potestatis, qua instructus est Petrus in Ecclesiam et per modum claudendi et aperiendi significatur indoles eiusdem potestatis cum se exercet. Iam vero ex his liquet, potestatem Petri in Ecclesia esse supremam, independentem prorsus ab omni, qui ad Ecclesiam spectat, qui eius esse membrum debet. Etenim potestas habentis claves, quae talis sit, ut possit *a)* aperire et claudere: *b)* ut aperiente qui habet claves, nemo claudere possit, eo claudente, nemo valeat aperire, est potestas quae potest omnes actus qui ad claves spectant et est potestas,

a qua pendent omnes qui domum ingrediuntur et ipsa a nemine pendet. Quare et potestas iurisdictionis in Ecclesiam repraesentata per claves talis erit, ut possit omnes actus qui ad iurisdictionem in Ecclesiam spectant, ut habenti eam omnes in Ecclesia subiiciantur, ipse nemini subsit, ut nemo irritum facere possit quod ipse decernit, nemo legitimum efficere quod ipse irritat.

Idque Christus nobis ob oculos ponere voluisse dicendus est, cum Ecclesiam sub formali ratione *Regni* repraesentavit. Si enim traditio clavium significat collationem potestatis in id quod subiicitur clavibus; traditio clavium Regni significat per se collationem potestatis in regnum; quae non potest esse nisi potestas regia, ideoque potestas supremae iurisdictionis.

Si spectetur ille, cui promittuntur claves, is est qui Petra Ecclesiae futurus est, h. e. qui futurus est principium efficax unitatis et stabilitatis Ecclesiae; huic vero subiecto ea potestas convenit, quae sit iurisdictio suprema in societate.

Si vero ratio habeatur illius, qui claves confert Petro, ipse est Christus, qui est auctor, princeps et dominus Ecclesiae suae; cuius ius et potestas significatur iis verbis Apocal. III. 7. *qui habet clavem David* (h. e. domus vel regni David, quo metaphorice Ecclesia repraesentatur Luc. I. 32.), *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Christus ergo tradens claves Petro communicat ei potestatem suam in universam Ecclesiam, non quidem ea se abdicando, quod fieri nequit, sed eum vocando in consortium suae potestatis, vices suas ei committendo. Idque fecit Christus independenter prorsus a voluntate suorum subditorum, quorum est essentialiter rex supremus et dominus. Itaque Petrus vicaria Christi potestate instructus est in universam Ecclesiam, eiusque potestas pendet quidem a Christo, sed independens est ab Ecclesia, quae ipsi Christo subiecta est. Potestas ergo Petri in Ecclesiam est potestas Christi cum hoc discrimine, quod Christus est ὁ ἔχων claves, eas ex se habens, Petrus eas accipit a Christo et quia omnes et omnia in Ecclesia subiiciuntur clavibus Christi, ita omnia et omnes subiiciuntur clavibus Petri.

IX. Nunc vis verborum: *quodcumque ligaveris super terram* etc. est enarranda. Itaque animadvertendum est 1° huiusmodi phrasim complexam *ligare et solvere* non nisi bis in universa Scriptura occurrere, nempe heic et seq. XVIII. 18. 2.: ligationem et solutionem, de qua est sermo in verbis Christi, non posse spectare nisi ad ordinem moralem qui proprius est entis liberi: 3° ei vinculum quoddam respondere; triplex vero esse vinculum quo ens liberum ligari et a quo solvi moraliter potest, h. e. *vinculum legis, vinculum culpae, vinculum poenae.* Confer

quae diximus in Proleg. §. 19. n. 2.: 4° universalem phrasim *quaecumque ligaveris, quaecumque solveris*, ὁ ἐὰν δήσῃς ὁ ἐὰν λύσῃς non tantum res, sed personas quoque comprehendere; nam receptum est, ut cum generalis est sermo, subiectum universale per neutrum indicetur et praeterea ligatio et solutio vinculi moralis haberi nequit sine persona, quae ligetur et solvatur; cum ergo aliquid ligatur aut solvitur, aliqua persona certe ligatur aut solvitur.

Praeterea considerandum est, quod solvente vel ligante Petro, Deus ratum habet actum Petri nec habet ratum aliquo generali modo, sed quatenus ipse Deus solvit et ligat quod solvit et ligat Petrus: *solutum erit, ligatum erit in caelis.* Quo significatur 1° efficacia actus Petri vinculum seu obligationem imponentis vel tollentis: 2° independentia eius ab alia potestate quae non sit Dei: solvente enim aut ligante Deo, quae creatura potest irritum eius actum facere?

Haec potestas ligandi et solvendi in tota sua amplitudine sumpta est potestas ferendi leges tum praecipientes tum vetantes, potestas iudicandi, potestas decernendi poenas easque infligendi, tum potestas abolendi leges, in iis dispensandi, potestas condonandi delicta et poenas. Patet, quia his omnibus vel aliquid vinculum morale imponitur vel relaxatur. Haec vero amplissima potestas est potestas regia sive supremae iurisdictionis, complectens omnia iura necessaria regendae administrandaeque reipublicae.

Iam vero per verba Christi *quodcumque ligaveris* etc. dicimus significari potestatem hanc amplissimam in Ecclesia. Quod probare licet tum usu loquendi sive profano sive eorum qui eadem ac Christus lingua utebantur, tum collatione facta cum similibus Scripturae phrasibus, tum ratione habita totius contextus et universalis obiecti *quaecumque*, tum interpretatione ecclesiastica. Sane *a)* ad usum profanum quod spectat huius phrasis *ligare et solvere*, refert Diodorus Siculus inscriptionem tumulo Isidis impositam, quam sic interpretatur: « Ego sum Isis regina huius regionis a Mercurio erudita, ὅσα γὰρ ἐγὼ δήσω, οὐδεὶς δύναται λύσαι *nam quaecumque ego ligavero, nemo potest solvere;* quibus verbis exhibetur ratio cur sit regina. Significatur ergo ea formula potestas regia. Porro idem est quod Christus dicit Petro; cum enim ait: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis*, simul dicit quaecumque ligaverit Petrus super terram, nemo super terram solvere poterit; quis enim solvere potest quod ligat Deus? Quod si tantum valet haec formula, tantundem quoque valebit altera ei respondens: *quodcumque solveris* etc.

Inter eos autem, qui proximi fuerunt Christi aetati, est Flavius Iosephus. Hic vero *de Bello Iudaico*, l. 1. c. 5. refert haec de regina

Alexandra « Alexandrae se in potestatis societatem adiungunt Pharisaei... Illi autem in feminae simplicis consuetudinem paulatim se insinuantes ἤδε καὶ διοικηταὶ τῶν ὅλων ἐγένοντο, διωκεῖντε καὶ κατάγειν οὕς ἐθέλοιεν, λύειντε καὶ δεῖν: statim res omne gubernant, ita ut quosvis pro voluntate in exilium pellant ab eoque revocent, *solvant ligentque*. Itaque iuxta Iosephum λύειν καὶ δεῖν eorum est, qui consortes sunt regiae potestatis quique negotia omnia regni pro potestate administrant. « Prorsus nihil a dominis differebant », ait idem referens *Ant. Iud.* l. 13. c. 16. n. 2.

b) Similis phrasis phrasi Matthaei occurrens in Scripturis ea est, quam superius retulimus, qua potestas clavium explicatur: *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* In idem redire has duas formulas, patet ex eo quod tum haec tum illa Matthaei exercitium cuiusdam potestatis significent subiiciaturque utraque veluti explicatio potestati clavium. Formula Matthaei ita quoque efferri potest: *si solvet Petrus, nemo* (praeter Deum) *ligabit: si ligabit, nemo* (praeter Deum) *solvet* vel: *qui* (Petrus) *ligat et nemo solvit, qui solvit et nemo ligat.* Atqui formula illa in Apocalypsi de Christo dicta c. III. 7. significat universalem et independentem eius potestatem in domo David sive Ecclesia: ergo et formula Matthaei significat universalem et independentem Petri potestatem in Ecclesia, cum hoc tantum discrimine, quod, cum haec sit potestas participata a Christo, sit potestas ab eo dependens eiusque vicaria. Dixi cum hoc *tantum* discrimine, quia nulla alia limitationis ratio praeter dependentiam a dante reperitur in verbis Matthaei.

c) Porro si spectetur contextus, in quo toties exhibetur Petrus auctus potestate iurisdictionis, evidens erit, verba *ligare* et *solvere* eo sensu accipienda, qui iisdem, ut patet, certe inesse potest, quique apprime congruit praecedentibus: non sensu quodam diminuta, ut nempe e. g. *ligare* et *solvere* sint actus simplicis magistri docentis quid liceat, quid non liceat.

Cum ergo *ligare* et *solvere* significent morale aliquod vinculum imponere et relaxare; perpende quod terminus *quodcumque* universalis est nihilque excipit. Limitatio quidem aliqua ex rei natura subintelligenda est, nempe *quoad ea quae ad Regnum hoc Regnique finem spectant;* agitur enim de potestate in hoc regno. Excipienda sunt ergo ea, quae ad hoc regnum eiusque finem non spectant: sed quoad ea quae ad Regnum hoc pertinere possunt, excipitur nihil. Potest ergo Petrus quamlibet obligationem imponere (iuxta indolem regni) potest et remittere et quam ipse imponit nemo remittere potest; hic enim est sensus, ut diximus, verborum Christi: quaecumque solvit Petrus nemo

ligat in terris; quaecumque ligat Petrus, nemo solvit in terris. Est ergo potestas Petri universalis et independens.

d) Interpretatio ecclesiastica rem extra omnem dubitationem ponit. Sane sive Patres probare velint generatim competere Romano Pontifici supremam auctoritatem, cui omnis creatura subiecta esse debeat, sive speciatim probare velint, quodcumque ius necessarium ad Ecclesiae regimen esse penes Romanum Pontificem, cuiusmodi est potestas leges ferendi, praescribendi normam fidei, iudicandi causas quaslibet, excommunicandi etc., ad hoc provocant testimonium eoque quaestionem dirimunt. Quaedam testimonia afferamus. In controversia Monotheletica Maximus (epistola ad Petrum Illustrem inter Collectanea Anastasii bibliothecarii penes Sirmondi Op. Tom. 3. pag. 310.) haec ait de partibus quas Pyrrus de haeresi postulatus explere debeat: « festinet prae omnibus Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt » rationemque subiicit, « quod Apostolica Sedes ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus Sanctis Synodis, secundum sacros canones, *universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi* ». Gregorius VII. lib. 8. Epistoll. epist. ad Herimannum Episc. « quis ignorat vocem Domini N. I. C. dicentis in Evangelio: Tu es Petrus etc.? numquid sunt heic reges excepti? an non sunt de ovibus, quas Filius Dei b. Petro commisit? quis ergo *in hac universali concessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat?...* Hanc divinae voluntatis institutionem ss. Patres cum magna veneratione suscipientes voluerunt... *omnes maiores res et praecipua negotia nec non omnium ecclesiarum iudicia ad eam (Romanam Sedem) quasi matrem et caput debere referri, ab ea nunquam appellari, iudicia eius a nemine retractari aut refelli debere vel posse* ». Bonifacius VIII. hanc in Bulla *Unam Sanctam* definitionem tulit, de cuius infallibilitate nemo amplius dubitare potest. « Est autem haec auctoritas (Rom. Pont.), etsi data sit homini, non humana, sed divina potestas ore divino Petro data... dicente Domino ipsi Petro: *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.* Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit... Porro *subesse Romano Pontifici omni hamanae creaturae declaramus, dicimus, definimus, omnino esse de necessitate salutis* ». Unde eiecto in exilium Silverio, Episcopus Patarensis, adiens Imp. Iustinianum, libere arguit « multos esse dicens in hoc mundo reges et non unum, sed ille unus est Papa super Ecclesiam totius mundi ». Liberatus in

Brev. c. 22. Itaque ex quovis interpretationis legitimae fonte constat sensus ille, quem diximus subesse verbis Christi, *quodcumque ligaveris* etc.

X. Verum Protestantes contendunt, *ligare et solvere* non aliud significare quam illud quidem *prohibere* seu *prohibitum illicitum declarare*, hoc autem *permittere* seu *licitum permissum declarare* provocantque ad scriptores Thalmudicos, penes quos verba אסר ligare, שרא et התיר solvere, אסור ligatum, מותר solutum adhibentur frequentissime (Cf. Buxtorfium *Lex. chald.* ad hh. vv. et Lightfootum ad hunc locum) in significatione *prohibendi* et *permittendi*, *prohibiti* et *permissi;* nam cum volunt dicere, suos doctores permittere aut prohibere aliquid, docere licitum esse vel illicitum, dicunt ipsos hoc solvere vel ligare, sive hoc ab iis solutum esse vel ligatum. Atque penes Danielem quoque c. VI. plerumque occurrit אסר vel אסרא pro interdicto. Quare quemadmodum Rabbini in Thalmude solvunt et ligant, prout docent licitum quiddam esse aut illicitum, ita a Christo facta est potestas Petro docendi et declarandi, prout doctores solent, quid licitum et honestum sit, quid illicitum et inhonestum, quod prorsus aliud est a potestate eâque suprema et universali ferendi leges et rempublicam gubernandi.

Duplex responsio adhiberi potest. 1° Accepta Protestantium interpretatione, consequens est factam esse Petro potestatem infallibiliter verum et rectum docendi; ratum enim habetur in caelis quod Petrus ligat aut solvit in terris: axioma ergo infallibilitatis his verbis assertum esset Petro: quia vero ex universa Traditione et ex ipsa rei natura. ut demonstrabimus, constat, voluisse Christum perpetuum esse in Ecclesia quod his verbis enunciavit; ergo magisterium infallibile Petri, vel saltem successorum omnium Apostolorum (si haec verba, ut Protestantes volunt, ad omnes Apostolos dicta sunt) exstat in Ecclesia, cui parendum est; quod tamen iidem Protestantes negant. Quare haec ipsa, licet diminuta et manca, interpretatio Protestantes refellit.

At 2° negamus sensum hunc limitatum subesse verbis Christi idque evinci ex usu Rabbinorum. Nam ex Diodoro siculo *directe* constat, verba graeca, quae Matthaei interpres adhibuit, λύειν καὶ δεῖν ampliorem habere significationem; item ex Iosepho *directe* rursus constat, eadem verba iisque respondentia hebraica vel chaldaica, quae ipse graece expressit, ampliorem habere significationem; idemque praeterea constat ex ecclesiastica interpretatione Patrum, quibus nunquam venit in mentem ea manca et limitata interpretatio. Perperam vero ad usum Thalmudis provocatur; nam eo non efficitur quod efficiendum esset. Probandum enim esset, hunc sensum *limitatum* esse *exclusive* sensum solum qui his verbis subest. At id non efficitur; sed positive tantum

probatur, quod *ligare* et *solvere* valeant *prohibere* et *permittere*, sive *declarare prohibitum aliquid esse aut permissum*. Verum cum doctores, quorum auctoritas affertur in Thalmude, non sint nisi simplices doctores, verba *ligare* et *solvere* ratione subiecti nequeunt nisi eam diminutam induere significationem declarandi quid licitum sit, quid illicitum; at si de alio subiecto predicentur, eo praesertim, cui claves regni datae sunt, nihil impedit quominus ampliorem induant significationem, praecipiendi nempe cum potestate, imponendi obligationem, leges ferendi et huiusmodi. Et sane idem verbum אסר chaldaice apud Danielem VI. 8. 9. est edictum Regis sub gravissima poena ligans.

Errant quoque Protestantes, cum contendunt, his verbis Matthaei nihil aliud dici quam quod dicitur Ioan. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum relinueritis retenta sunt*. Nam abest 1° ut per se patet, parallelismus verbalis: abest quoque 2° parallelismus realis; nam *a)* apud Ioannem sermo dirigitur ad omnes, potestas prohinde exhibetur communis omnibus; apud Matthaeum Christus loquitur uni, idcoque potestas exhibetur uni competens: *b)* obiectum potestatis penes Ioannem sunt *peccata;* penes Matthaeum vero sunt *omnes res, quodcumque;* hoc vero amplius patet quam illud: item *c) solvere* et *ligare*, ut ex demonstratis liquet, quemcumque actum auctoritatis supremae comprehendunt: quod rursus amplius patet quam simplex *remittere et retinere peccata*. Itaque concedendum est, eatenus sibi respondere haec testimonia: quatenus verba Matthaei continent id quod dicitur verbis Ioannis (licet nondum quoad nos clare et distincte); non autem quatenus id *tantum* contineant, est enim excessus in verbis Matthaei. Unde cum Patres potestatem clavium et potestatem ligandi atque solvendi de potestate remittendi et retinendi peccata accipiunt, eorum interpretatio non est exclusiva; cum iidem Patres eadem Matthaei verba de potestate quoque interpretentur ferendi leges pro universa Ecclesia, exigendi ab omnibus obedientiam, causas omnes inappellabiliter iudicandi, excommunicandi etc.

XI. Quaeritur utrum et quodnam discrimen intercedat inter id quod exprimitur verbis: *tibi dabo claves regni caelorum* et id quod sequentibus: *et quodcumque ligaveris* etc. Dicendum est eo modo haec se invicem habere sicut se habent illa Apocalypsis III. 7. *Qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit:* scilicet alterum esse prioris explicationem. Nempe prioribus verbis exhiberi potestatem veluti in actu primo, habitualem: aliis potestatis eiusdem exercitium, sive eandem potestatem in actu secundo. Quia vero ex his duobus alterum in altero continetur, hinc et ex prioribus verbis id quod in sequentibus dicitur et ex posterioribus quod in praecedentibus effertur

colligi potest, dummodo semper subiecti, cui haec dicuntur, ratio habeatur; de quo in quaestione sequenti, in qua de subiecto potestatis huius agemus.

XII. Quaeritur tandem quomodo haec secunda pars testimouii *tibi dabo claves* etc. cum priore cohaereat. Cohaerere quidem manifestum est. Liquet id ex particula *et*, ex identitate loquentis Christi et eius ad quem verba diriguntur: *tibi dabo* etc., ex identitate obiecti in quod potestas confertur, quod in priore parte est *Ecclesia*, in altera dicitur *regnum caelorum*, quod est Ecclesia. Differunt tamen ratione diversae imaginis sub qua Ecclesia, Petrus et Christus repraesentantur. In priori enim parte Ecclesia exhibetur ut aedificium, Petrus ut eius fundamentum, Christus ut architectus. In altera vero Ecclesia repraesentatur ut regnum, Petrus ut princeps et caput ipsius, Christus ut supremus eiusdem rex, caput et Dominus. Cohaerent itaque hae duae partes continuatione sermonis ab eodem eidem facti de eadem re sub diversa tamen imagine, ita ut in altera parte dissertius explicentur iura et functiones illius qui petra Ecclesiae est constitutus. Haec ex declaratione tradita totius testimonii satis constant.

XIII. Verum quaestio superest de subiecto cui dicta sint verba alterius partis, cui nempe claves datae sint et data potestas ligandi atque solvendi. Plures enim Protestantes contendunt, verba quidem directa esse ad Petrum, sed quatenus Petrus omnes Apostolos repraesentabat, ideoque claves ceteris Apostolis non secus ac Petro datas esse; nihil proinde speciale prae ceteris Apostolis Petro esse collatum. Idque probant tum quia Petrus omnium vice responderit, tum ex collatione Matth. XVIII. 18.; tum quoque ex auctoritate Patrum.

Atqui verba haec Christi et *singulariter* dicta sunt Petro et *singulare* aliquid ei promittunt. Sane ad unum Petrum ea verba referri, evidens est ex toties repetito eodem semper subiecto in numero singulari (*Ego dico tibi; tu es Petrus, et tibi dabo*, quodcumque *ligaveris*, quodcumque *solveris*) in eodem contextu sermonis, coniunctis partibus particula copulativa *et*. Praeterea haec verba referuntur ad eum, qui confessionem divinitatis Christi edidit: atqui unus Petrus, non omnium nomine, sed suo dixit: *Tu es Christus* etc., ut probavimus initio huius Thesis: ergo. Et re quidem vera oportet ut idem sit subiectum quod est *Petra* Ecclesiae, et quod habet *claves Regni;* utrâque enim imagine eadem re potestas significatur: atqui Petra Ecclesiae non est nisi Petrus, ut probavimus; ergo. Neque cogitare licet Christum ita Petro dedisse claves, ut ex quodam veluti consensu Ecclesiae, cui claves per se spectent, eas acceperit Petrus, qui proinde ex quadam delegatione Ecclesiae eas administret. Nam 1° huius consensus nullum heic indicium nihilque

est quod vel remotissime indicet claves, quas supremo suo iure Christus tenet, datas esse primum Ecclesiae. Imo 2° haec hypothesis directe excluditur *a)* ab antecedentibus, quibus Petrus petra constituitur Ecclesiae aedificandae: atque *b)* ab ipsa Christi dignitate: cum enim quis potestatem in societatem accipit ab eo, qui eiusdem societatis supremus est Rex et Dominus nativo iure, non ex consensu subditorum; ille quoque intelligitur potestate potiri in societatem citra consensum subditorum, a quo valor actus supremi Domini nullo modo pendere potest. Cf. Proleg. §. XII.

Quod vero aliquid singulare promissum sit Petro, id est, quod potissimum protestantes negant, ea praecipue freti ratione, quod eadem potestas ceteris Apostolis collata sit Matth. XVIII. 18. Ioan. XX. 21. seq. De testimonio Ioannis iam satis diximus nullaque potest superesse difficultas: restat alterum Matthaei. Si ergo demonstraverimus verba Christi Matth. XVIII. 18. non esse parallela verbis Matth. XVI. 19. sive non eandem dignitatem et potestatem adserere ceteris Apostolis, quae Petro promissa est ipsaque verba Matth. XVI. 19. excludere consortium alterius in dignitate et potestate Petri; manifestum erit, his verbis Christi fuisse Petro promissam aliquam singularem dignitatem et potestatem.

XIV. Itaque 1° conferantur invicem ambo testimonia integra: Petro dicuntur haec tria: 1° *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam:* 2° *tibi dabo claves regni caelorum:* 3° *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.* Apostolis vero Matth. XVIII. 18. hoc tertium tantummodo dicitur: Amen dico vobis: *quaecumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in caelo et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo.* Scilicet *dignitas fundamenti* totius Ecclesiae est uni Petro collata; *claves regni* uni Petro datae; haec duo non sunt communia facta ceteris Apostolis; atqui id iam per se ostendit non eandem esse dignitatem Petri et ceterorum Apostolorum. Et sane per metaphoram traditionis *clavium Regni* significatur aliquid amplius quam per simplicem potestatem factam ligandi et solvendi: significatur nempe potestas ipsa ligandi et solvendi tanquam in fonte et principio, in eo qui claves habet, ita ut ceteri non nisi dependenter ab eo, qui habet claves regni, obtineant potestatem ligandi et solvendi. Qui enim claves habet regni, ipse principium et fons est omnis potestatis in regno. Quare claves in scripturis non nisi Christo et Petro eius vicario adseruntur. Hinc potestas ligandi et solvendi facta ei qui claves habet regni est potestas prorsus independens a quolibet membro

regni: secus autem potestas ligandi et solvendi simpliciter facta iis quibus claves non sunt datae, qui dependentiam habent ab eo qui claves obtinet regni. Ex his autem patet non eandem esse dignitatem et potestatem collatam Apostolis Matth. XVIII. 18. et Petro XVI. 19.

Neque dicas Apostolis quoque datas fuisse claves eo ipso quod data est iis potestas ligandi et solvendi; ligant enim et solvunt potestate clavium. Nam duo distinguenda sunt. Etenim in conceptu clavium regni duo continentur, tum nempe potestas quaecumque ligandi et solvendi, tum *supremus gradus* et *independentia* huius potestatis: haec porro directe significantur, cum traduntur claves, significatur nimirum *potestas suprema et independens:* non significantur autem cum sola potestas etiam quaecumque ligandi et solvendi datur, nisi detur quoad omnes qui sunt in regno; quod quidem non factum est pro singulis Apostolis. Quare sub diverso respectu et concedi et negari debet datas esse claves ceteris Apostolis. Datae sunt eis claves, quia data est eis potestas quaecumque ligandi et solvendi quoad ceteros fideles, quae potestas continetur potestate clavium: non datae sunt eis claves, quia non data eis haec potestas suprema prorsus et independens. Cum ergo haec potestas suprema et independens per metaphoricam traditionem clavium Regni directe repraesentetur, hinc Christus uni Petro claves se daturum promisit, quae deinceps, ut ait Optatus, essent ceteris communicandae, non quidem per identitatem, sed per participationem potestatis.

2º Si rursus conferantur ambo testimonia, manifestum est Christum secundo loco Matth. XVIII. alloqui omnes Apostolos simul, inter quos est et Petrus; priore vero loco unum alloqui Petrum. Quare potestas promissa Apostolis est potestas *a)* data collegio Apostolorum: est etiam *b)* potestas collata singulis prout spectant ad eum coetum, sed non in ceteros Apostolos, secus idem prae eodem esset subditus et superior quoad eadem; omnes enim ex aequo alloquitur Christus et potestatem quoad omnia concedit: multoque minus est potestas collata in Petrum, cui iam claves Regni promissae sunt. « (Petro soli, ita quod nulli alii singulariter dixit: tibi dabo claves regni caelorum et quodcumque ligaveris etc. » Ioannes XXII, in Constitutione *Licet* adversus Marsilium Patavinum et Ioannem de Ianduno 1327). Atqui id demonstat potestatem Petri et *extensione* et *intensione* praestare potestati Apostolorum. *Extensione* tum *subditorum;* quia subditi Apostolorum quoad potestatem ligandi et solvendi sunt ceteri fideles, subditi Petri est universa Ecclesia, ideoque ipsi Apostoli qui membra sunt Ecclesiae: tum *rerum*, quod ex priore consequitur, causarum enim, quae inter Apostolos oriri possent, iudex supremus erat ipse Petrus. *Intensione;* ea enim potestas est intensione maior in regno; quae potest in omnes

et in quam nemo potest; est enim potestas suprema specie differens et excedens ceteras potestates; talis vero est potestas Petri. Ergo.

Quod si 3° verba a Christo dicta Petro per se considerentur, liquet rursus iis excludi quemlibet alium a consortio dignitatis et potestatis ei promissae. Etenim unus Petrus est fundamentum totius Ecclesiae, ad quem Petrum proinde etiam ceteri Apostoli se habent ut fundati in ipso, non ex aequo fundantes, unus Petrus habet claves totius Regni caelorum, cui idcirco quicumque ad regnum spectat ideoque ceteri Apostoli subditi sunt; cum ergo potestas ligandi atque solvendi sit propria eius qui petra est Ecclesiae eiusque claves habet et respondeat dignitati *petrae* et *clavium;* quoniam in hac duplici dignitate Petrus parem non habet, neque parem habere potest in potestate ligandi et solvendi.

In id tandem 4° conspirat interpretatio ecclesiastica, qua docemur non solum verba: *tibi dabo claves* etc. dicta esse uni Petro sed praeterea per ea singularem dignitatem et potestatem prae ceteris Apostolis ei fuisse promissam. Optatus cont. Parmen. L. 7.: « Ecce, ut supra dictum est, ceteris (Apostolis) non agnoscentibus (Christum), solus agnovit (Matth. XVI. 16.), ceteris non promittentibus (Matth. XXVI. 33.), solus promisit, ceteris nec semel negantibus, ter solus negavit. Et tamen bono unitatis, de numero Apostolorum separari non meruit... Interclusa est malitiae via, ne Apostoli animo licentiam iudicandi conciperent et severe contemnerent eum, qui negaverat Christum. Stant tot innocentes et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores ». Quae vero fuerit Apostolorum subordinatio Petro docet l. II.: « Negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est (videntur quidam veteres Cephas a κεφαλή deductum putasse), in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, *ne ceteri Apostoli singulas sibi quique defenderent, ut iam schismaticus* (etiam Apostolus) *et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret* ». Stephanus Dorensis in libello oblato Martino I.: « Citra dubitationem claves regni caelorum creditae sunt Petro ac ipse *unus* magnus secundum veritatem et *princeps Apostolorum* ad aperiendum claudendumque illas promeruit ». Bernardus *de Consid.* l. III. c. 8. alloquitur Eugenium III. Rom. Pontif.: « Tu princeps Episcoporum, *tu es cui claves traditae*, cui oves commissae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi adsignatos

greges, singuli singulos, *tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium sed et pastorum tu unus omnium pastor* ». Ceterum nihil est quod magis Ecclesiae sensum manifestet, quam emblema illud, quo repraesentari solet Petrus, claves nempe quas manu tenet; hoc vero emblemate, quod nunquam alteri Apostolo conceditur, praerogativa propria Petri eiusque specialis dignitatis ob oculos ponitur.

Adverte non infrequenter occurrere penes Patres Scriptoresque ecclesiasticos ipsamque sacram liturgiam eam paraphrasim clavium traditarum Petro, ut propter eas dicatur *caeli ianitor*, *aperire terris caelum*, *apertum claudere*. Haec porro explicatio non excludit eam quam dedimus, imo eam supponit et ab ea pendet. Cum enim Ecclesia eo spectet ut adducat homines in caelum, potestas Ecclesiam regens *finaliter* quidem considerata eo tandem pertinet universa, ut aperiat hominibus caelum, claudat autem indignis, eos ab Ecclesia vel a participatione sacramentorum repellendo: *formaliter* vero spectata prout est potestas remittendi et retinendi peccata, quae potestas est pars potestatis clavium, solvendi et ligandi, eo per se pertinet immediate ut aperiat poenitentibus caelum, sive caelo eos dignos efficiat gratia remissionis concessa indignisque claudat, gratia remissionis eis negata. Cf. Responsum Regis Osuiu penes Beda. *Hist. Ecclesiastica* lib. 3. c. 25.

XV. Interpretationi, quam hactenus defendimus, non refragatur commentarius illorum Patrum, qui post exortas haereses Montanistarum et Novatianorum contendebant, claves Ecclesiae in Petro traditas esse, ut Augustinus Tract. ult. in Ioan.: « Cuius Ecclesiae Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam... quando dictum est ei: *tibi dabo claves*, universam repraesentabat Ecclesiam ». Etenim considerandum est, 1° hanc interpretationem occasione earum haeresum usurpatam fuisse: 2° eos haereticos, qui negabant potestatem esse in Ecclesia remittendi peccata, docuisse claves datas soli Petro, ut privata persona erat easque cum eo desiisse: 3° Patres propterea e contrario contendisse *a)* potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi peccata (de qua potestate quaestio erat tantum) non soli Petro datam esse, quod ex Matth. XVIII. et Ioan. XX. probabant: *b)* Petro claves et Apostolis omnibus potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi peccata datas esse in bonum Ecclesiae, ideoque eam in Petro et Apostolis datam esse successoribus eorum; hoc est enim eam in Ecclesia semper perseverare: igitur non defecisse cum Petro et Apostolis eam potestatem, sed eam in Ecclesia iugiter perseverare, quatenus derivatur in successores eorum. Datae sunt ergo Claves Ecclesiae; quia eae datae sunt Petro et successoribus

suis: potestas ligandi et solvendi data est Ecclesiae, quia data est Apostolis omnibus eorumque successoribus, qui constituunt Ecclesiam regentem quique ea potestate utuntur in bonum totius Ecclesiae. Hic est sensus Patrum. Quare si spectas terminum, propter quem ea potestas data est, is est universitas fidelium: si vero consideras subiectum inhaesionis, potestas ea data est *universae Ecclesiae regenti,* quae Petro et Apostolis eorumque successoribus continetur. Id porro quin adversetur communi interpretationi, eam confirmat.

Cum ergo dicitur Petrus, accipiens claves, repraesentasse Ecclesiam, cogitanda est *repraesentatio iuridica*, qua successores suos semper futuros in Ecclesia ipsamque Ecclesiam, cuius caput constituebatur, repraesentabat Petrus. Repraesentatio enim iuridica totius societatis propria est illius, qui caput est societatis, qui cum talis constituitur et potestate augetur, eam pro suis quoque successoribus accipit et accipit in bonum societatis et ut eam, si opus est, ex parte inferioribus ministris communicet; unde cum ipse ut *persona iuridica* auctoritatem accipit, eam universa societas vel praesens vel exstitura, in suo capite accipere intelligitur, sed habendam et exercendam a suo capite, quod in successoribus perseverat. Repraesentatio vero quaedam symbolica, qua simpliciter signum substituitur rei signatae, aliena est prorsus ab hoc loco, ut universa analysis hactenus effecta demonstrat.

Quocirca obiicientibus ex Patrum doctrina Petrum accipiendo claves repraesentasse Ecclesiam, reponendum est cum distinctione: repraesentavit suos successores quibus semper regenda esset Ecclesia, *conc.;* repraesentavit universam Ecclesiam, *subd.;* tanquam eam in cuius bonum accipiebat claves, *conc.;* tanquam eam quae subiectum esset potestatis clavium, *subd.;* subiectum ratione sui, *neg.;* ratione sui capitis quod immediate a Christo instructum est hac potestate, *conc.*

Petrus vero constitutus Ecclesiae caput, auctus suprema potestate quae ex parte plus minus ab inferioribus quoque participanda erat, constitutus est hoc ipso *typus et exemplar* pastorum omnium in Ecclesia; « cunctis, scilicet, Ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur (al. proponitur) » (s. Leo. Serm. 4. Assumpt. suae): prout quod est primum in aliquo genere est norma ceterorum: ideoque non vacuus typus sine realitate, sed typus plenus et efficax effectus est.

Quapropter sensu hoc typico ac iuridico dici potest potestatem clavium (Matth. XVI. 19.) collatam esse in Petro ceteris Apostolis et Ecclesiae. At hic sensus estne immediatus an mediatus ? Multiplex heic quaestio fieri potest. Si enim cum dicitur *Ecclesia,* intelligitur ipsa *prout est obiectum finale in cuius bonum* data est potestas, et in qua est exercenda, tunc ea potest dici verbis Christi immediate signi-

ficata tum *verbaliter*, tum *realiter* (cf. superius dicta n. v.). *Verbaliter* quidem verbis *Regni caelorum; realiter*, eo quod in ipso conceptu iurisdictionis contineatur terminus eius, qui est societas aliqua, sine qua illa concipi nequit. Si vero cum dicitur *Ecclesia* intelligitur ea quae potestatem exercet, quae est *Ecclesia regens*, quaeque Apostolis eorumque successoribus continetur; tunc rursus distinguendum est: si enim intelligas successores Petri, concedendum est ad eos immediate verba Christi spectare: dicta sunt enim petrae Ecclesiae firmae et stabili, in perpetuum duraturae, contra quam nunquam portae inferi praevalebunt. Si autem intelligas Apostolos ceteros eorumque successores, sensus tantum mediatus dici potest ille, quo intelligitur iis in Petro verbis Christi Matth. XVI. factam esse potestatem clavium. Etenim ex iis verbis hoc tantum habes: uni Petro distincto a ceteris collatam esse potestatem clavium in universam Ecclesiam: quare 1° ceteri Apostoli a paritate potestatis directe excluduntur, cum et ipsi subiiciantur Petro. Quod autem 2° ipsi eorumque successores acceperint in Petro participationem quandam potestatis collatae Petro, id ex verbis Christi eatenus colligis, quatenus aliunde scis, Apostolos eorumque successores vocatos et ipsos esse a Christo in partem sollicitudinis cum Petro, ideoque eos tanquam participes suae potestatis Petrum repraesentasse: sensus vero, qui adhibito termino medio extunditur, est sensus mediatus.

Corollarium I. Ergo praerogativae Petro promissae his verbis Christi contentae huc redeunt, ut ipse sit petra Ecclesiae, principium efficax unitatis et stabilitatis eiusdem, ut ex cohaesione sua cum hac petra Ecclesia firmitatem suam contra haereses et schismata ceterosque impetus inferni nanciscatur: ut Petrus supremam sub Christo potestatem in Ecclesia obtineat summumque ius ligandi et solvendi quaecumque ad bonum Ecclesiae regimen conducant. Hic autem est primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam; ergo promissus est Petro huiusmodi primatus.

Corollarium II. Ergo *immediate et directe* b. Petro promissus est primatus. Ut enim ex universa demonstratione constat, verba Christi continentia hanc promissionem: *Tu es Petrus, super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves... quodcumque ligaveris* etc. non ad omnes Apostolos simul, non ad Ecclesiam, quae imo aedificanda erat supra Petram, non proinde ad Petrum prout Ecclesiae aut Apostolorum quandam figuram gereret iis veluti a Christo substitutus, dicta sunt, sed ad unam personam Petri dicta sunt distinctam a ceteris Apostolis et cetera Ecclesia; qui non ex delegatione, sed suo nomine confessionem ediderat, cui iam singulariter *Cephae* nomen inditum

fuerat, qui in hoc sermone Christi singulariter semper appellatur: ipse autem Christus non ex consensu vel supposito consensu subditorum, sed ex sua suprema et divina auctoritate supremoque dominio Ecclesiam suam super Petrum voluit aedificare ipsique claves suas vicaria potestate committere.

Corollarium III. Ergo et Apostoli super Petrum fundati sunt eiusque potestati clavium obnoxii. Neque dicas Apostolos iam fuisse vocatos, antequam Petro haec dicerentur et idcirco iam in Christo fundatos : quare non amplius egebant fundamento Petro. Nam duplex distinguendus est status Ecclesiae: prior cum Christus caput eius visibile exstitit in terris; alter post Christum in caelos sublatum. In primo statu Ecclesia ex paucis fidelibus collecta una erat propter immediatam singulorum subiectionem Christo, penes quem unum erat tota potestas. At providendum erat unitati corporis visibilis Ecclesiae, cum Christus e terris excessisset. Pro hoc statu proinde Christus hierarchiam instituit, potestatem suam Apostolis communicans perpetuo mansuram atque inter Apostolos unum elegit, qui primas teneret, qui principium esset efficax unitatis, cui claves habenti omnes subiicerentur. Huic proinde vices gerenti suas non tantum futuros credentes, sed eos qui iam crediderant et sibi adhaerebant, subditos esse voluit, ut Ecclesia quae una esse sub ipso coeperat, et una esse pergeret sub Petro. Petrus ergo non fuit fundamentum Apostolorum, nec pro ipsis habuit claves, ut eos ad fidem et Ecclesiam atque ad Christum vocaret; sed fuit fundamentum eorundem habuitque claves pro ipsis, quatenus recedente Christo Petrus loco eius caput Ecclesiae exstitit, principium unitatis eorundem, suprema potestate etiam in ipsos auctus.

Porro ex animadversione modo facta intelliges quid Christus adsignificavit cum *in futuro* dixit *aedificabo Ecclesiam meam*. Non enim voluit dicere suam Ecclesiam eo tempore, quo loquebatur, nullo modo esse; sed statum alium eiusdem futurum adsignificavit, in quo non amplius sibi soli invisibili fundamento sed et secundario ac visibili fundamento inniteretur et ab eodem vicaria Christi potestate regeretur.

XVI. Declarandus restat locus quidam Cypriani de Unitate Ecclesiae qui mentione praemissa haeresum et schismatum, causam eorum enarraturus pergit: « Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri caelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Loquitur Dominus ad Petrum: *Et ego dico tibi... soluta et in caelis*. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas*. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem

suam parem potestatem tribuat et dicat Ioan. XX. 21. *Accipite Spiritum S.* etc., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis ; sed exordium ab unitate proficiscitur (a) et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur ».

Cyprianus quoad Petrum duo advertit: 1° quod primum ipsi uni collata est potestas, deinde ceteris : *exordium ab unitate proficiscitur:* 2° quod Petro *datus est Primatus.* Id vero factum ideo esse docet, *ut unitas manifestaretur, ut Ecclesia una et cathedra una monstretur.* Atqui his notio primatus iurisdictionis continetur. Sane verba ea *ut unitas manifestaretur, ut cathedra una monstretur,* non ita sunt intelligenda ut in Petro fuerit tantum ostensio unitatis, sive ipse sumptus fuerit tantum typus quidam unitatis Ecclesiae, sed ita accipienda ut Petrus ita sit typus ut sit etiam auctoritate sua principium efficiens unitatis. Scilicet ea verba *ut unitas manifestaretur, ut Ecclesia una et cathedra una monstretur* tantumdem valent ac si diceretur: ut manifestum esset, unitatem ideoque et cathedram unam, ex Christi institutione in Ecclesia esse debere, quae cathedra iurisdictione suprema potiatur ad efficiendam unitatem. Etenim 1° quod hic sit sensus nempe *ut manifestum esset, debere esse unam cathedram in Ecclesia,* liquet consideranti ea verba: *ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur ;* nam unitas Ecclesiae realis est eamque Christus voluit: verba ergo *ut una Christi Ecclesia monstretur* significant *ut una sit Ecclesia,* vel ut Christus demonstret, se velle quod una sit Ecclesia sua. Pariter ergo et verba in eodem contextu : *et cathedra una monstretur* significant, ut una sit Cathedra in Ecclesia, sive ut Christus ostendat, se velle unam Cathedram in Ecclesia. Illis porro verbis paria sunt praecedentia : *ut unitatem manifestaret,* quae proinde eodem modo accipienda. 2° Quod autem cathedra haec, quae est cathedra Primatus, potiatur suprema iurisdictione ad efficiendam unitatem e sententia Cypriani, patet ex iis quae hoc ipso in loco docet. Ait enim *originem unitatis* (utique Ecclesiae) *ab uno* h. e. Petro *incipere :* ab eo nimirum esse, ut postea subdit, *exordium unitatis.* A Petro ergo est origo unitatis Ecclesiae; atqui in societate principium unitatis non est nisi iurisdictio

---

(a) Quae sequuntur verba expuncta sunt in quibusdam editionibus anglis et a Baluzio ; quia fide multorum codicum destituta. Verum et in pluribus aliis reperiuntur et sec. VI. a Pelagio II. citantur in epistola ad Episcopos Istriae eaque legisse videtur Hieronimus l. I. *adv. Iovinianum* atque cohaerent prorsus cum doctrina et heic et alibi tradita a Cypriano.

suprema : ergo auctore Cypriano Petrus auctus est a Christo suprema iurisdictione. Rursus ait *super unum Petrum aedificatam esse Ecclesiam,* vel ut paulo inferius inquit: *super cathedram Petri fundatam esse Ecclesiam, Petro commissas esse pascendas oves suas a Christo,* et ibidem paulo post, *qui cathedram Petri deserit, in Ecclesia non esse.* Atqui haec omnia sonant primatum iurisdictionis. Nam si Ecclesia fundata est supra Petrum; pendet ergo necessario a Petro, ut sit et perseveret: societas autem non nisi ab auctoritate iurisdictionis, qua regitur, necessariam dependentiam habet, ut sit et perseveret. Tum cathedra in Ecclesia iuxta Cyprianum est sedes eorum, qui praesunt potestate (epist. 65. ad Rogatianum), sive est ipsa auctoritas regens; pastores in Ecclesia principes sunt auctoritate regiminis (epist. 27. ad Lapsos): Cathedra proinde illa una supra quam tota Ecclesia fundata est et quam qui deserit, ab Ecclesia eo ipso recedit, est cathedra supremi regiminis supremaeque potestatis : est enim auctoritas una, cui tota Ecclesia subest. Primatus ergo quem Cyprianus asserit Petro est primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam. Sententiam Cypriani expressit Pacianus epist. 3. ad Sympron.: « Ipso referente Matthaeo paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo *ut unitatem formaret ex uno:* mox idipsum (Matth. XVIII.) in commune disposuit » atque Hieronymus cont. Iovin. l. 2. « Propterea inter duodecim unus eligitur, *ut capite constituto schismatis tollatur occasio* ».

Quo ergo spectant verba, quibus asseritur *hoc fuisse Apostolos quod et Petrus et pari eos fuisse praeditos consortio honoris et potestatis?* Respondemus, ipsa ita esse accipienda ut componantur cum iis, quibus Primatus iurisdictionis Petro vindicatur. Itaque vel referuntur ad tempus praecedens institutionem Primatus: vel si ad subsequens quoque tempus alludunt, de dignitate simpliciter Apostolica loquuntur, quae omnibus communis erat. Fuerunt nempe pares Petro ceteri Apostoli in dignitate et iuribus Apostolatus, sub qua communi appellatione omnes ex aequo censentur: sed Petrus praeterea fuit caput, vertex, princeps Apostolorum, Primatum iurisdictionis in Ecclesia tenens; in quo primatu consortem non habuit: « Connexio enim (ait Leo epist. 14. ad Anastasium Thessal. c. 11.) totius corporis unam sanitatem, unam pulcritudinem facit et haec quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, *quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis* (non eodem scilicet ordine censentur, sed subordinatio inter eos exsistit); quoniam et *inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis et quum omnium par esset electio, uni tantum datum est, ut ceteris praemineret.* » Ceterum de inaequalitate Petri et Apostolorum,

spectatis quoque eorum charismatis extraordinariis, dicemus commodius postea in Th. VI.

Quaeri potest utrum Petrus ceterique Apostoli assecuti sint sensum verborum, quae Christus dixit Petro: videntur enim etiam postea ignorasse, quis eorum esset maior Marci IX. 33. Luc. IX. 46. XXII. 44. Respondeo, quod cum ageretur de re non tunc sed in posterum implenda, non erat opus ut tunc intelligeretur distincte sensus verborum Christi (cf. Ioan. II. 22.). Contentio vero Apostolorum de primatu vel probat quod Apostoli non intellexerint clare et distincte, vel quod non intellexerint promissionem Petro factam esse absolutam, quod postea certo compertum est. Imo ipsa contentio suadet aliquo modo saltem intellecta fuisse verba Christi; occasio enim videtur fuisse quod cognoverint Apostoli aliquem inter eos futurum caput eorum et viderint quosdam ex eis a Christo specialibus amoris significationibus ceteris praeferri.

THESIS II.

Verbis Christi Luc. XXII. 31. 32. *divina promissio continetur infallibilis magisterii Petri eidemque divinitus commissi muneris confirmandi fratres.*

I. Ait Dr. Langen (op. cit. p. 1ª pag. 16.) convenire inter infallibilistas, quod hoc in loco Christus terminis propriis expresserit, quod metaphoricis penes Matthaeum ab eodem Christo promissum est ac apud Ioannem Petro tandem collatum. Quocirca colligit omnem quaestionem pendere a recta interpretatione huius loci. Verum turpiter errat ipse aut sponte decipit lectores. Nam primo quidem non ea est catholicorum sententia, ut tantundem penes Lucam dicatur, licet diverso modo, ac apud Matthaeum; ex Luca enim praerogativam infallibilis magisterii Petri ac muneris confirmandi fratres in fide colligunt catholici; ex Matthaeo vero praeter hanc alias potissimas praerogativas Petri iidem deducunt. Deinde non est catholicorum mens, quod Doctor iste supponit, ut interpretatio verborum Christi penes Matthaeum etiam quoad praerogativam infallibilitatis certa non sit, nisi certum quoque sit praerogativam istam verbis Christi apud Lucam significari. Interpretatio enim verborum Matthaei independens est prorsus sibique constans, praecisione prorsus facta a verbis Lucae. Quapropter falsum est manifeste, omnem controversiam circa Primatum Petri eiusque infallibilitatem pendere ex interpretatione verborum Christi apud Lucam. His praemissis, accedamus ad enarrationem horum verborum.

Dubitatum quidem est olim vel etiam a quibusdam negatum, verba Lucae XXII. 31. referri ad Primatum Petri: dubitationem omnem pro catholicis sustulit Conc. Vat. Sess. 4. cp. 4. inquiens: « Pontificum Romanorum apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, plenissime scientes hanc s. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ». Quaestio duplex dirimenda est 1° utrum verba Christi ad solum Petrum referantur: 2° utrum specialis praerogativa prae ceteris ei fuerit collata et quaenam ea sit.

II. Verba Christi ad unam personam Petri referuntur. Sane *a)* contentione orta inter Apostolos Luc. XXII. 24. seqq. quis eorum videretur esse maior, refert Lucas primum Christum omnes esse allocutum: *Dixit autem eis: Reges gentium* etc. qua priori parte sermonis absoluta, monet idem Lucas Christum ad unum, h. e. Simonem convertisse sermonem e. gr. *ait autem Dominus: Simon, Simon:* non ergo amplius directe omnes alloquitur Christus, sed tantum Simonem, licet de omnibus loquatur, vel indirecte etiam eos alloquatur iis verbis: *expetivit vos. b)* Ille quem Christus alloquitur is est, qui Christo respondit, se paratum esse secum in carcerem et in mortem ire v. 35.: *qui dixit ei: Domine tecum paratus sum* etc. et cui Christus immediate subiunxit: *dico tibi Petre: non cantabit hodie gallus* etc. Hic porro est unus Petrus. *c)* In verbis: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua* (a) *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* pronomen personale *tu* bis repetitum unam personam designat eamque Simonem illum, cui dixerat: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. d)* Persona vero Petri designatur ut distincta a ceteris Apostolis, quibus opponitur isque exhibetur ut confirmans, illi ut confirmandi: et *tu* aliquando conversus confirma *fratres tuos.* Ad unum ergo Petrum ut distinctum a ceteris, non ut repraesentantem ceteros, verba Christi directa sunt. Quod igitur in verbis Christi continetur, ad unum spectat Petrum.

III. Quid vero Christus dicit Petro? Σίμον Σίμον, ἰδοὺ, ὁ σατανᾶς ἐξητήσατο (ἐξαιτέω pro eo adhibetur qui ad quaestionem postulat, ad

(a) In epistola ampliore Ignatii ad Smyrnaeos legitur n. 7° « qui (Christus) rogavit, ne deficeret Apostolorum fides ». Verum id de causa finali orationis Christi commode accipitur: nisi forte scriptor ille anonymus nactus sit exemplar, in quo pro *fides tua* scriptum esset *fides vestra.*

poenam suppliciumque deposcit) ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι (quod teste Suida est σεῖσαι, κοσκινεῦσαι, θορυβῆσαι, τάραξαι) ὡς τὸν σῖτον. « In cribratione (ait Ioannes Cameron in *Myrothecio Evangel.* in h. l.) duo sunt, unum concussio illa atque agitatio, qua omnia sursum deorsum vertuntur, alterum vero segregatio et separatio: secundum priorem significationem hoc loco usurpatur, ut Christus nihil aliud voluerit, quam Satanam voluisse Apostolos et Petrum dedi sibi, ut eos conturbaret ». Magna scilicet tentatio Apostolis imminebat, quos turbare et perdere volebat Satanas avellendo eos a Christo, impetens proinde eorum fidem, quae principium est unionis et societatis cum Christo. Quod eorum fidem seu unitatem in fide praesertim esset Satanas impugnaturus, liquet ex verbis Christi, quibus ait, se ad occurrendum huic malo orasse pro fide Petri. Non determinat Christus tempus tentationis, nec an una vice an pluribus Satanas esset cum Apostolis congressurus, sed indefinite loquitur; significatur quidem voluntas Satanae praesens, sed terminus huius voluntatis non limitatur ad praesens vel instans tempus; imo et ab ingenio Satanae haec limitatio abhorret. Hac porro praenuntiata tentatione Satanae, qua omnes fratres essent impetendi, subdit immediate Christus: *ego autem* (qua particula oppositio significabatur: nempe *Satanas* et *ego* hostes sumus, ille *expetivit vos* ut cribraret, ego e contrario *oravi*) *oravi pro te, ut non deficiat fides tua.* Cum omnes Apostoli expeterentur, Christus dicit se orasse pro uno, *pro te:* ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. Ἔκλειψις de quovis defectu dicitur: oravit ergo Christus ut nullum defectum fides Petri patiatur; propositio enim negans universaliter accipitur: oravit scilicet ut fides eius firma, stabilis invictaque persistat.

IV. Quaestio est, an oratio Christi impetrantis indeficientiam fidei Petro referatur tantum ad tempus mox futurum lapsus seu negationis, an indefinite pateat perpetuamque constantiam et firmitatem in fide exoret Petro. « Christus heic, ait Dr. Langen (l. c. pag. 16. 17.) loquitur immediate de sua comprehensione, de imminentibus periculis atque Petro praedicit negationem. Discipulorum fugam ac Petri negationem consecuta esset ipso facto quaedam saltem transitoria interruptio exorientis Regni Dei, nisi fuissent infideles a Domino rursus adunati et confirmati. Quocirca orat Christus pro Petro, ut hic saltem in negatione sua fidem non amittat, etsi exterius ab ipso discedat. Eidemque tamquam fortiori prae aliis munus praeterea committit, ut post suam conversionem h. e. postquam e lapsu se erexerit, ceteros confirmet. Ea igitur verba Christi relationem specialem habent ad conditiones illius temporis; sane possibilis omissio fidei in Petro, oratio Salvatoris pro eo, eius conversio, id omne refertur ad eius mox fu-

turam negationem et fratres h. e. ceteri Apostoli indigebant tunc confirmatione; quia ipsi omnes Dominum parumper reliquerunt. De concessa aliqua ecclesiastica dignitate, ut quisque videt, heic ne verbum quidem ». Insuper ait (ibid. pag. 19.) « in toto contextu verborum Christi sermo non est de singulari cognitione fidei, sed de virtute fidei in oppositione ad apostasiam a Christo... debebat Petrus elapsos et dispersos Apostolos postea rursus congregare et stabilire in fide Christi et fiducia in ipsum: debebat Petrus, si Apostoli aliquatenus ob metum periculi titubassent, firmos statuere atque a lapsu et negatione fidei servare immunes. Quapropter dictum est: *ego oravi, ut non deficiat fides tua,* non: ut non erret fides tua ».

Quam interpretationem ineptam antequam refellamus, oportet in tuto ponere significationem termini *fides* et phrasis *ne deficiat*, quam hic Dr. non videtur satis assecutus. Itaque advertenda haec ducimus: 1° πίστις (a πέπεισται persuasus est, credit) est penes classicos proprie assensus firmus mentis, persuasio, certitudo tum subiectiva, tum vero etiam obiectiva h. e. res ipsa certa. Identidem autem apud ipsos πίστις est *fiducia* θαῤῥος. 2. In T. N. πίστις fides est extra omnem dubitationem frequentissime fides proprie dicta, tum subiective spectata pro assensu mentis firmo Deo revelanti, tum obiective pro ipsis veritatibus revelatis. Non est opus quoad hoc testimonia congerere: prostant ea in omnibus Evangeliis, Actibus et Epistolis. Praeterea 3° cum fides definitur Hebr. XI. 1. talis eius essentia exhibetur, ut fiduciae praesupponatur et ad intellectum spectet: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Rursus 4° fides a spe, ideoque a fiducia quae est spes roborata, distinguitur accurate 1. Cor. XIII. 13. *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec.* Porro vel ex his solis colligere licet, ius esse nobis in loco Luc. XXII. fidem interpretari sensu eo qui proprius est et communis in Scriptura ipsa, quem ipsa definitio a Scripturis tradita suppeditat.

Verum alia addere licet. Etenim 5° negamus quod cum fides in Scripturis exhibetur ut ratio cur aliquid obtineatur a Deo, vel cur miracula Dei ope patrentur, eo ipso significetur directe et immediate fiducia, quae sit actus distinctus a fide, non ipsa fides. Id probari potest tum ratione, tum ipso usu Scripturarum. Sane quoad rationem; cum fiducia nequeat esse sine assensu mentis firmo, qui est fides et eo maior illa sit, quo hic est firmior; si fiducia requiritur etiam fides requiritur; et si fiducia est ratio cur aliquid obtineatur vel fiat, etiam fides, cui fiducia innititur, potest dici eiusdem rei ratio. Cum ergo Christus dixit fidem esse rationem, cur obtineretur

aliquid ab eo, potuit directe cogitationem intendere in ipsam fidem, quae fiduciae radix est, ipsam quidem considerando simul cum aliis conditionibus necessariis, sed tamen ipsam directe non tantum indirecte significando et conditiones alias tanquam effectus illius tantum adsignificando. Quoad usum Scripturarum, satis sit conferre Heb. XI. 31. seq. et 1. Cor. XIII. 2. Priore in loco fides dicitur id quo beneficia a Deo obtenta sunt, quo miracula patrata: *Fide muri Iericho corruerunt: Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace... Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis* etc. Porro fides de qua hic sermo est, est semper illa, quae in initio capitis definita est; quae est fides proprie dicta. Altero loco Paulus ait quod *si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero; nihil sum:* fidem autem proprie dictam heic significari liquet ex eo quod eodem capite fidem ab aliis duabus virtutibus spe et caritate distinguat. Imo 6° Christus ipse declaravit quaenam sit fides, quam requirebat pro beneficiis sanationum impertiendis: Matth. enim IX. 28. cum accessissent ad eum caeci, dixit eis Iesus: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* et affirmantibus illis, tetigit eorum oculos dicens: *secundum fidem vestram fiat vobis.* Iam vero potestas Dei non est obiectum fiduciae sed assensus mentis qui est proprie fides. Cf. et Ioan. XI. 25. 26. 27, 40. Quotiescumque ergo ea formula occurrit *fides tua te salvum fecit* (Matth. IX. 22.; Marc. V. 34.; Luc. VII. 50.; VIII. 48.; XVII. 19.; XVII. 42.) accipi potest de fide proprie dicta licet non seiuncta a fiducia, quae ab ea sponte gignitur.

Imo affirmari potest et debet, quotiescumque in T. N. occurrit, et frequentissime occurrit, nomen fidei, quae de hominibus praedicatur, semper directe significari fidem proprie dictam sive assensum firmum mentis in Deum; si excipias Rom. XIV. 23., in quo tamen ea fides adsignificatur. Id ex omnibus et singulis testimoniis collatis planum fiet. Idem et de verbo *credo* affirmandum est, cum per ipsum significatur actus supernaturalis, quo ferimur in Deum; si excipias Marc. XI. 23. 24. in quo *credere* videtur directe significare *fiduciam*, innixam quidem fidei, quae certe adsignificatur. Itaque concludere licet, hanc esse veram et communissimam significationem vocis *Fides* in T. N., ut sit assensus mentis veritatibus a Deo revelatis, cum sumitur subiective. Quare ipsi Protestantes qui fidei iustificanti Catholicorum substituerunt quandam fiduciam, eam tamen ita definiunt, ut sit persuasio certa de salute nobis in Christo promissa et nobis per ipsam fidem applicata (cf. Stephanum v. πίστις),

Iam vero indeficientia fidei, quam Christus exoravit, est ne in eo tantum sita quod virtus fidei non amittatur, quod quidem contingere potest, etsi quis erret in fide, quatenus vel errat in iis quae nondum sunt definita vel absque pertinacia dissentit ex ignorantia a norma veritatis: an est in eo quoque sita quod Petrus erraturus non sit aut dubitaturus in iis quae ad fidem spectant? Hoc alterum tenendum est. Sane primo verba Christi: *non deficiat fides tua,* quoad defectus, qui excludi possunt, sunt illimitata et universalia: nulla est ergo ratio, cur solus defectus moralis excludatur, non etiam defectus notitiae aut certitudinis, nam et hoc posito aliqua vera ratione deficeret fides. Secundo habenda est ratio finis, cur haec indeficientia fidei exorata sit a Christo. Est autem exorata, ut Petrus confirmet fratres contra impetus Satanae exquirentis perdere fratres: fratres porro Petri et Petrus universam Christi Ecclesiam vel formaliter vel virtualiter complectuntur: firmitas autem totius Ecclesiae contra Satanam requirit non solum ut defectus moralis fidei excludatur, sed error simpliciter in fide; ergo etsi ad aliquod tempus tantum confirmatio Petri limitetur, pro eo saltem tempore fides eius ita indeficiens esse debebat, ut error omnis excluderetur. Tandem haec est in Ecclesia Christi interpretatio communis huius loci, cuius testimonia tamen alibi recitabimus, cum scilicet loquemur de infallibilitate R. Pontificis.

V. His praestitutis iudicium ferendum est de interpretatione langeniana. Indeficientia fidei impetrata est a Christo Petro tantum pro tempore lapsus, ne exterius negando fidem interius quoque illam abiiceret; impetrata est autem illi, ut in ea communi perturbatione confirmaret conversus fratres, utpote ceteris fortior et constantior. Scilicet ad confirmandos alios in Christi sequela ille pro eo tempore eligitur, qui eodem tempore minus constans fuit ceteris et magis a Christo recessit dicitur-que fortior et firmior, qui ceteris non negantibus solus negavit. Annon fortior et firmior Ioannes, qui usque ad crucem palam Magistrum est secutus? Si haec erat oeconomia Christi, ut pro eo tempore quis e discipulis eligeretur, qui alios in sui sequela confirmaret, nemo ineptior ad id obtinendum Petro fuisse dicendus est. Praeterea supponit iste Dr., quod ceteri Apostoli fidem amiserint, cum Dominum dereliquerunt; secus enim non intelligitur quo spectet haec oeconomia quam Christo attribuit: sed quis id eum docuit?

Ex facta porro animadversione patet, quam immerito postuletur, ut verba Christi ita accipiantur, ac si ad mox futuram tentationem solummodo referrentur. Provocatur quidem ad loca quae dicuntur parallela nempe Matth. XXVI. 31. et Marci XIV. 27. ubi Christus praedicit Apostolis, quod omnes scandalum patientur in eo illa eadem nocte;

Petrus autem respondens iis Christi verbis ait, quod etsi omnes scandalizati fuerint, ipse nunquam scandalizabitur et tunc audit a Christo praedictionem sui lapsus. Unde colligitur, quod huiusmodi scandalum sit ea tentatio Satanae, de qua Christus loquitur penes Lucam: *ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum:* cum praesertim eidem penes Lucam subdatur responsio Petri: *Domine tecum paratus sum in carcerem et in mortem ire,* atque vaticinium lapsus ipsius. At si ita est, cum ea tentatio sive illud scandalum temporarium fuerit, etiam confirmatio Petri et pro eo tantum tempore locum habere potuit.

Atqui negandum est, de eadem re in iis locis Matthaei et Marci esse sermonem ac est penes Lucam XXII. 31. 32., quod ex ipsa rerum analysi evidens est. Sane apud Matthaeum sermo est de scandalo quod omnes patientur et praecipue Petrus, qui non tantum dispergetur, sed negabit Christum: ideoque, si ibi tentatio Satanae intercessit, sermo est de tentatione, cui omnes succumbent et praesertim Petrus. At penes Lucam l. c. sermo est de ea tentatione, per quam Satanas non est praevaliturus contra Apostolos et minime omnium contra Petrum: praesidium enim efficax contra eam Christus constituit in fide Petri, quae cessura non esset et per quam ceteri fratres confirmarentur. Dico praesidium *efficax:* oratio enim Christi absoluta est, effectu non caritura: fuisse vero absolutam, liquet ex verbis sequentibus *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quibus supponitur Petrus et repraesentatur stabilitus firmiter in Fide; hac enim tantum in hypothesi potest ipsi iniungi officium confirmandi fratres. Ergo de diversa prorsus re loquitur Lucas ac Matthaeus. Quare quae narrat Lucas XXII. 33. non sunt nectenda immediate cum praecedente sermone 31. 32.; sed supplendum est ibi quod narrat Matthaeus XXVI. 31., quod omissum est a Luca et omissum quoque est a Ioanne: apud quem quamvis eadem sententia Christi occurrat XVI. 32., heic tamen non refertur ille idem sermo Christi qui est apud Matthaeum; nam sermo praecessit necessario responsionem Petri, quocum ea logice cohaeret: Petri vero responsum refert Ioannes XIII. 37. allatis prius quibusdam verbis Domini, quae a Matthaeo et Marco omittuntur.

Ergo non est constitutus Petrus confirmator fratrum pro tempore dispersionis Apostolorum, cum ablatus ab eis est sponsus. Nec pro tempore resurrectionem Christi subsecuto: nam tum evidenter Christus immediate per se confirmatoris partes agebat.

VI. Quo igitur spectant Christi verba: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Quoniam στηρίζω (quod est stabilio, firmo, fulcio στερεόω, unde στήριγμα et στερέωμα firmamentum, fulcimentum, quod idem est ac ἑδραίωμα cf. Svida v. στηριγμὸς basis, fundamentum,

fulcimentum) sensu quoque morali cum suis derivatis accipitur, liquet hunc sensum tantum heic habere locum. Igitur ὁ στηρίζων sensu morali is est, qui aliorum animis loco est basis aut fulcri, ne labantur aut vacillent, qui eos contra impetus adversos reddit firmos, stabiles ac tutos. At hoc officium confirmandi fratres est ne uno actu explendum, an habituale quid ad actus procedens cum oportet? Dubitatio oriri potest propter ea verba Christi καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στήριξον *et tu aliquando conversus confirma*. Nam quaerere licet, an illud ποτὲ ad terminum *conversus* tantum, an etiam ad verbum *confirma* referatur: quae quaestio ut solvatur, inquirendum est quoque sensus illius termini *conversus*. Porro sunt plures qui putant terminum hunc significare conversionem a lapsu mox futuro: alii accipiunt terminum ἐπιστρέψας adverbialiter, ut sit vel pro πάλιν *rursus*, ἀμοιβαίως *vicissim*, vel ad designandum benevolum animum in quempiam, quod et frequenter occurrit in Scripturis. Ut verum fateamur, placet nobis magis altera interpretatio, quae est per se admodum consona rationi loquendi Scripturarum: cf. ex. gr. Ps. VI. 5. LXX. 20. 21. LXXIX. 15. LXXXIV. 7. 2. Paral. XXXIII. 3. Ierem. XII. 15. Oseae II. 9. (hebr. 11.) etc. Et 1° quidem propter hanc ipsam conformitatem cum ratione loquendi Hebraeorum, quae et in aramaica lingua occurrit, cuius dialecto Christus utebatur: 2° quia nulla adhuc occurrit mentio lapsus Petri; ideoque verba Christi in sensu determinato conversionis a lapsu non fuissent tunc intellecta a Petro: qui proinde terminum *conversus* accipere sponte debuit in eo altero sensu, quem usitatum satis ostendimus: nulla est autem ratio cur credamus Christum protulisse verba, quae in actu sermonis non intelligerentur, sed tantum postea, licet id identidem fieri posse non negemus. 3° Quia mentio conversionis a lapsu dicenda esset eo spectare, ut terminus a quo designaretur, unde inciperet munus confirmandi fratres: atqui id admitti non posse videtur; nam munus confirmatoris incipere debuit postquam ipsi fuit actu impositum: porro id post resurrectionem factum est, cum ipsi Primatus actu collatus est. Probabilius est ergo, verba Christi hunc sensum fundere: *et tu vicissim* sive *et tu benevolo animo confirma fratres tuos*. Ita certe accepit graecus homo Georgius Trapezuntius in epistola ad Cretenses *de Una sancta catholica et apostolica Ecclesia* (penes Leonem Allatium *Graeciae orthodoxae* T. 1.) inquiens n. 7°. «Οὕτως ἡ μὲν τῆς Ρώμης (Ἐκκλησία) πολλάκις ἐπιστραφεῖσα ἐστήριξε τὰς ἕτερας.

Itaque illud ποτὲ cum verbo quoque *confirma* componendum est. Quid ergo? an aliqua tantum vice confirmare debet Petrus fratres? Adverte vocem ποτὲ non solum significare *interdum*, sed et non raro πλεοναζειν, vel indeterminatum tempus significare: ut legitimus sensus

hic esse possit: *et tu vicissim pro opportuno tempore seu occasione data confirma fratres tuos.* Hanc interpretationem postulari liquet ex sequenti animadversione. Nam voluntas iniqua Satanae impugnandi fratres, contra quam fides indefectibilis Petri constituitur, non ad unum certum tempus fuit limitata, imo nunquam fuit desitura. Quod evidentius constabit, si advertatur realis parallelismus inter Satanam expetentem exagitare Apostolos et portas inferi pugnaturas contra Ecclesiam. Quemadmodum vero istas notum est historice semper pugnare et haec continua pugna verbis ipsis Christi adsignificatur, ita et ille conatus Satanae exagitandi Apostolos non ad unam vel ad alteram vicem definitus repraesentatur a Christo, sed indefinitus vel continuus. Ergo talis est quoque confirmatio Petri ei opposita. Scilicet Christus non definit numerum, quoties nempe confirmare debeat Petrus fratres, sed indefinite loquitur, videlicet quotiescumque confirmatione opus erit. Quare officium hoc confirmandi fratres, quod fert secum *ius* collatum Petro confirmandi et *debitum* aliorum se subiiciendi confirmatori Petro, infert *ius* habituale et stabile in Petro confirmandi fratres. Quocirca Petrus στήριγμα est permanens τῶν ἀδελφῶν, seque ad ipsos habet ut basim, ut fulcrum, ut firmamentum eorum: principium scilicet eorum firmitatis et constantiae immotae.

Qua vero in re confirmare eos debet? Ipse est στήριγμα eorum ratione suae fidei indefectibilis; ergo terminus confirmationis est certe saltem fides eorum; ad quam confirmandam proprie spectat fides confirmatoris. Confirmat ergo Petrus fratres in fide, quae basis est totius Christiani aedificii quod in quovis homine construitur, quae vinculum est primum quo homines Christo uniuntur eiusque corpori incorporantur: Petrus nimirum infallibiliter docens est principium stabilitatis et constantiae fratrum in fide. Nempe sicut Ecclesia dicitur 1. Tim. III. 15. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, ita non dissimili appellatione Petrus dicitur στήριγμα fidei h. e. τῆς ἀληθείας fratrum sive Ecclesiae, ita ut Ecclesia sit ἑδραίωμα veritatis quia στηρίγματι Petro innititur. Quapropter manifestum est, verba haec Christi respondere praecedentibus penes Matthaeum XVI. seque ea invicem illustrare. Sane heic est *Satanas* impugnaturus Apostolos, ibi *portae inferi* Ecclesiam impugnaturae, ibi Petrus est πέτρα Ecclesiae, heic Petrus ὁ στηρίζων sive τὸ στήριγμα fratrum, ibi portae inferi non praevalent contra Ecclesiam, quia fundata est supra petram, heic fratres contra Satanae insidias et conatus efficiuntur tuti, quia confirmantur a Petro. Discrimen est tantum, quod ibi allegorica est locutio, heic propria, ibi universim Primatus Petri exhibetur, hic speciatim Primatus fidei seu in magisterio fidei.

Itaque fides proprie dicta Petri ea est, pro cuius indefectibilitate Christus oravit. Quoniam ergo oratio Christi effectu carere nequit, fides Petri nullum unquam defectum patietur et posita hac Christi efficaci oratione eiusque promissione, fieri non potest ut fides Petri unquam deficiat qua confirmare fratres potest et debet; huc autem redit infallibilitas: ergo ea Petro promittitur a Christo. Est autem infallibilitas magistri; talis enim est qui alios confirmat. Liquet enim ex verbis Christi indeficientiam fidei Petri ordinari ut medium efficax ad obtinendam firmitatem fratrum contra impetus Satanae.

Corollarium I. Falluntur ergo ex Protestantibus ii, qui confirmationem Petri in eo ponunt, ut poenitentia acta peccati sui, animum addiderit peccatoribus exemplo suo sperandi veniam a Deo; nam heic non est sermo speciatim de peccatoribus confirmandis, sed de fratribus neque confirmatio talis est activa et efficiens, cuiusmodi significatur per verbum στήριξον ac praeterea heic sermo est de confirmatione qua valeant fratres stabiles esse contra impetus Satanae, non qua tantum valeant a vinculis Satanae se expedire. Abutitur autem Dr. Langen lectorum fide (l. c. pag. 70. seq.), cum eis subiicit quasdam morales Patrum enarrationes institutioni fidelium accommodatas, quae litteralem interpretationem nullatenus excludunt.

Corollarium II. Falluntur et ii qui putant officium confirmatoris Petri spectasse tantum ad tempus illud post resipiscentiam a lapsu, cum resurrectionem Christi fratribus nuntiavit; qui proinde dixerunt: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.* Nam tunc munus confirmatoris sicut et Pastoris adhuc Christus visibiliter agebat et ipse reapse vere confirmavit omnes Apostolos et ceteros. Cf. dicta superius.

Inepti porro sunt, qui aiunt, promissionem fidei indefectibilis non esse propriam Petri; quia hic paulo post fidem amisit, negando Christum. Nam 1° promissio haec non spectat, ut diximus, ad tempus praesens: 2° nullibi scriptum est, Petrum abiecisse fidem; defecit quidem debita quaedam confessio: sed mansit in corde interior fides. Prudentius in hymno *ad Galli cantum* canit de Petro: « Flevit peccator (al. negator, al. peccatum) denique - Ex ore prolapsum nefas; - Cum mens maneret innocens - Animusque servaret fidem ».

VII. Restat tamen quaestio, quinam veniant nomine *Fratrum Petri: confirma Fratres tuos;* dubitatur enim utrum ipsi Apostoli comprehendantur, qui utpote et ipsi infallibiles non videntur indiguisse confirmatore Petro. In primis certum est quod, etsi Apostoli propter quandam extraordinariam praerogativam excipiantur, ceteri tamen pastores, et fideles comprehenduntur, qui vero sensu fratres Petri fuerunt, sicut ab ipso in suis epistolis vocantur, quos pariter Satanas

iam tunc cupiebat exagitare et perdere. At Apostolos quoque verbis Christi, imo eos primum habita ratione significationis verborum Christi ac per eos etiam alios comprehendi, si leges hermeneuticae consulantur, certum esse debet: difficultas vero exinde orta, nimirum haud facile esse hoc componere cum alio doctrinae capite de infallibilitate singulorum Apostolorum, non est primo ratio sufficiens per se reiiciendae clarissimae interpretationis; tum deinde, quantum satis est, expedietur.

Sane *a)* fratres Petri potissimum ii sunt, qui consortes eiusdem Apostolicae dignitatis in idem Collegium sunt cum ipso cooptati. *b)* Ex verbis Christi manifestum est, eos esse confirmandos a Petro, quos Satanas expetivit ut cribraret sicut triticum; hi autem sunt illi, quos Christus appellat *vos;* quibus periculum ex Satanae impugnatione imminere poterat; oravit autem pro fide Petri qua confirmarentur fratres; confirmandi ergo ii erant contra impetum Satanae, de quibus mentio facta est: iidem sunt igitur qui repraesentantur per terminum *vos* et per terminum *fratres;* atqui quibus dicitur *vos*, sunt certe Apostoli praesentes Christo cum Petro; ergo.

Cl. Patrizi *de Evang.* I. 1. q. 5. n. 42. advertit nomen *fratres* sine apposito usurpatum in T. N. significare semper christianos seu fideles, sive Apostoli sint sive Episcopi sive laici, ut hi sub ea communi ratione repraesententur. Non placet; potius sunt socii apostolatus et cooperatores, saltem apud Paulum. Cf. Ph. IV. 22., ubi fratres secernuntur a sanctis, qui sunt certe christiani. Cf. 1. Cor. I. 1. 2. Cor. I. 1. coll. 1. Thessal. I. 1.

Quomodo ergo confirmandi Apostoli? Advertendum 1° quod collato hoc loco cum praecedente Matthaei patet eumdem esse qui est στήριγμα et πέτρα; Petrum autem eam petram esse, supra quam ipsi Apostoli cum Ecclesia fundati sint eamque proinde petram, a qua Apostoli quoque cum Ecclesia firmitatem mutuentur, propter quam contra Ecclesiam ipsosque Apostolos non sunt praevaliturae portae inferi. Atqui nihil aliud dicitur penes Lucam, nisi quod heic speciatim de fide sermo est, de qua tamen generatim simul cum aliis sermo est penes Matthaeum: Petrus enim est Petra fidei, ut cum Patribus explicavimus. Advertendum 2° in Apostolis duplicis generis munus distinguendum esse, alterum ordinarium quod in suis successoribus episcopis perseverare debebat, alterum extraordinarium, ad quod spectabat charisma infallibilitatis singulis datum, quod alterum munus cum ipsis Apostolis exspirare debebat. Advertendum 3° Christum quoties Apostolos aliqua praerogativa auget pro regimine Ecclesiae, eos semper in communi alloqui, excepto Petro, cui singulariter loquitur. Advertendum 4° ex omnibus Christi verbis ad Apostolos in communi factis non posse

colligi praerogativas extraordinarias singulorum Apostolorum, sed praerogativas totius coetus et ordinarias singulorum sine quibus nec coetus ille ex ipsis exsistere potuisset. Imo 5° cum Christus in Apostolis Ecclesiam suam constitueret, quae perennis esse debebat et formam exhiberet potestatis, quam in Ecclesia esse volebat, congruum fuit, ut verbis a se factis ad Apostolos eam potestatem repraesentaret, quae ordinaria in Ecclesia erat futura easque proinde praerogativas exprimeret, quae ordinariae essent non extraordinariae. Ex quibus colligimus, quod cum Christus heic Luc. XXII. 31. de Apostolis loquitur, eos considerat secundum praerogativas eorum ordinarias, quae episcopis quoque communes sunt. Quo posito, patet eos indiguisse vere confirmatione Petri, non secus ac eorum successores. Licet vero Christus speciali quadam oeconomia, quae aliunde nobis constat, aliquid extraordinarium statuerit pro ipsis Apostolis, rectissime tamen heic ab ea praescindit; agebatur enim de praestituenda forma magisterii perpetuo futura in Ecclesia h. e. ordinaria habitudine quam ad Petrum fratres eius debuissent habere.

Corollarium I. Ergo finis orationis Christi fuit ex aequo bonum omnium Apostolorum, at obtinendum diverso modo: constantia nempe Petri contra impugnationem Satanae obtinenda per fidem indefectibilem eius a solo Deo immediate confirmatam; constantia ceterorum per fidem confirmatam quoque a Petro. Perperam proinde Dr. Langen provocat ad Patres docentes Christum heic pro fide Apostolorum orasse: quis enim hoc negat? sed quaestio est, quomodo consuluerit eorum fidei firmitati.

Corollarium II. Ergo verba haec Christi dicta ad Petrum cohaerent cum praecedentibus ipsius Christi penes Lucam; nimirum designat Christus Apostolis, quinam inter eos futurus sit maior, qua de re litigabant. Christus enim primum respondens ad omnes non negat futurum inter ipsos maiorem, quod Protestantes contendunt, eo quod Christus ait l. c. v. 26.: *vos autem non sic;* licet enim haec forma loquendi identidem neget rem ipsam, cuius prius facta est mentio, ut id Francisco Turretino (Loc. XVIII. q. 16.) concedamus; heic tamen manifestum est, modum quemdam rei tantum negari. Nam hac posita negatione, adhuc supponit Christus esse aliquem inter Apostolos *maiorem* et *ducem* (ὁ μείζων καὶ ὁ ἡγούμενος) illumque comparat sibi, sive illi se in exemplum proponit, ut ita ille se gerat sicut ipse Christus, qui maior auctoritate certe erat et se ut talem ibi exhibet et se gessit cum Apostolis. Idcirco affirmat in his verbis Christus, futurum esse aliquem inter Apostolos qui ceteris praestet auctoritate, sit nempe ἡγούμενος. Quare verba Christi *fiat sicut minor,* graece ὡς ὁ νεώτερος,

sicut iunior, non eo spectant ut indicetur, primatum tantum exstiturum inter eos alicuius honoris, qui seniori tribuendus esset; sed quoniam τοῦ νεωτέρου proprium est subesse, obedire, ibi νεώτερος accipitur pro inferiore, minore: nec enim Christus se gessit simpliciter ut iunior, sed ut inferior, nempe *ministrando*. Itaque eo verba haec spectant, ut modum doceant, quo qui maior est gerere se debeat, quemadmodum scilicet se gessit Christus; *fiat*, inquit, *sicut minor*, non, *sit minor;* nec enim Christus fuit minor. Ita autem, declarata indole maioratus inter Apostolos, pergit Christus ad Petrum, eique verbis explicatis primatum in magisterio fidei pollicetur. Hoc autem tantundem est ac declarare, quinam inter ipsos futurus sit maior, directe quidem quoad magisterium, indirecte quoad alia. Habent proinde Protestantes quod postulant (l. c.), declarasse scilicet Christum quinam futurus esset maior; quod fieri ab eo debuisse aiunt, si non negavit simpliciter aliquem futurum esse maiorem.

Corollarium III. Ergo his verbis Christi continetur specialis praerogativa Petri; nam munus confirmatoris specialis est excellentia prae confirmandis, excellentia magisterii, ideoque auctoritatis, cui alii subesse debent; haec autem specialis excellentia uni Petro est collata, ceteris ei ut confirmandis subiectis.

Interpretationem verborum Christi hactenus statutam confirmat Leo M. in Serm. 4. assumpt. suae. « Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis et divinae protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis ceteris conferatur ». Cui concinit Bernardus epist. ad Innocentium. « Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala regni Dei ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi fides non possit sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando: Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua ». Cf. quae dabimus in Th. 24.

Interpretatio autem Augustini *de Correp. et Grat.* n. 10. « Quid enim ei (Petro) rogavit (Dominus) nisi perseverantiam (utique fidei) usque in finem? » attingit tantum primam partem testimonii; primatus vero Petri ex integra sententia Christi colligitur, qua *confirmatoris* munus confertur Petro. Ceterum non tantum perseverantiam usque in finem, quae cum lapsuum intermissione componi potest, sed

perennem constantiam seu indefectibilitatem Christus promisit. Verum pleniore commentario opus non erat Augustino tunc cum Pelagianis agenti. Quod vero asserit auctor QQ^{m}. N. T. q. 75., Christum scilicet orasse et pro ceteris Apostolis eosque in Petro comprehensos fuisse; quia multitudo in eo qui praeest continetur, nescio quo pacto a Dr. Langen producatur, illi enim non favet, sed nocet. Cf. dicta n. 6.

Diximus in enunciatione thesis, verbis Christi contineri *promissionem* infallibilis magisterii; non affirmavimus tunc ipsi collatum esse cum haec verba Christus edidit. Nimirum verba Christi per se non exigunt ut intelligatur tunc statim collatum esse Petro ius confirmatoris; cum autem Primatus dignitas collata reapse ipsi fuerit, ut videbimus, post resurrectionem et praerogativa confirmatoris pertineat ad Primatum, ideo verba Christi penes Lucam exhibent praerogativam Petri, qua postea honestandus erit, non qua heic et nunc honestetur et idcirco aequivalent promissioni.

THESIS III.

Fidem datam Matthaei XVI. et Luc. XXII. Christus post resurrectionem suam liberavit Ioannis XXI. 15. seqq., *unique Petro primatum iurisdictionis contulit in universam Ecclesiam.*

I. Explicatis primum verbis Christi, duo probanda sunt: 1° ea ad unum Petrum spectare: 2° iis Primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam conferri Petro. Quoad primum, verba haec sunt: *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus. Simon Ioannis diligis* (ἀγαπᾷς) *me plus his? Dicit ei: etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos* (Βόσκε τὰ ἀρνία μου). *Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis* (ἀγαπᾷς) *me? Ait illi: etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos* (ποίμαινε τὰ πρόβατα μου). *Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas* (φιλεῖς) *me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei, Pasce oves meas* (Βόσκε τὰ πρόβατα (al. προβάτια) μου. Codex, quem legebat S. Ambrosius praeferebat primum *agnos* (ἀρνια), tum *oviculas* προβάτια tum *oves* πρόβατα. Nam in Luc. lib. 10. n. 175. ait. « Contristatur Petrus, quia tertio interrogatur: amas me?... Denique Dominus non iam *diligis me*, sed *amas me interrogat;* et *iam non agnos, ut primo quodam lacte pascendos, nec oviculas ut secundo, sed oves pascere iubetur perfectiores* ».

Quaeritur, quid sint agni et oves Christi? haec metaphorice dici evidens est. Agni et oves Christi sunt fideles eius, qui in eum credunt

eumque sequuntur. Sane praedictum est, Christum fore Pastorem Ezech. XXXIV. 23. Mich. V. 2. seque Christus Pastorem appellat Ioan. X. 11. seqq. seque oves habere dicit et pro iis animam suam ponere iisque vitam aeternam dare, eas se cognoscere et ab iis cognosci. In Actis 20. 28. Paulus *gregem* vocat fidelium multitudinem, cui praeest Episcopus, quem gregem lupi invasuri sunt: eadem appellatione utitur Petrus epist. 1ª. V. 2. Agnos autem et oves, quae homini pascendae committantur, oportet esse visibiles, ideoque appellatio ovium heic non ea pressiore significatione accipienda est, quae aequivaleat praedestinatis aut iustis tantum, sed ea ampliore et vera, quae complectitur eos omnes, qui Christi fidem profitentur. Porro agni et oves non huius vel illius inferioris pastoris, ut locis citatis ex Actis et Petro, sed agni et oves Christi *(agnos meos, oves meas)* sunt omnes prorsus fideles, quacumque inter se ratione distinguantur: comparatus enim ad Christum quisque non est nisi ovis aut agnus, qui pascuntur a Christo: agni ergo et oves Christi tantum patent quantum universa Ecclesia. Discrimen vero quoddam diversa appellatione *agnorum* et *ovium* significatum est. Oves enim sunt *matres agnorum:* quatenus ergo oves comparantur cum agnis et ab iis secernuntur, significatur non ex aequalibus sed ex inaequalibus ovile Christi coalescere, sive in Ecclesia eius alios esse Patres, alios in censu filiorum tantummodo recenseri. Hinc Bruno Astensis Episcopus Signiensis in Comm. in Ioann. in h. l. (Migne T. CLXV.) « Prius, *agnos*, deinde *oves* commisit ei; quia non solum *pastorem,* sed *pastorum pastorem* eum constituit. Pascit igitur Petrus *agnos*, pascit et *oves,* pascit *filios*, pascit et *patres*, regit et *subditos* et *praelatos.* Omnium igitur pastor est; quia *praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est* ». Omnes itaque sunt oves vel agni Christi; quia ab eo pascuntur et reguntur: quatenus vero inter se comparantur, quoniam quidam ita pascuntur a Christo, ut sub eo quoque pascant; alii tantummodo pascantur; ovile Christi universum in agnos et oves dirhibetur.

Porro verba *pascere* βόσκειν et ποιμαίνειν metaphorice et ipsa adhibentur. Quamvis autem ex usu loquendi, cum seorsim usurpantur, minus sit ampla et nobilis significatio τοῦ βόσκειν quam τοῦ ποιμαίνειν, quoniam tamen heic de eodem subiecto et obiecto usurpantur; necesse est ea verba hoc in loco tanquam synonyma accipere, atque ita ut significatio τοῦ βόσκειν significationi propriae τοῦ ποιμαίνειν aequiparetur. Iam vero metaphorica significatio τοῦ ποιμαίνειν, cum eius obiectum sunt homines, ea est ut functiones et munera complectatur tum eorum qui auctoritate magisterii praesunt (Ierem. III. 15.), tum eorum, qui potestate quoque iurisdictionis in populum potiuntur. Liquet id

usu profano et sacro. Homerus non raro eos qui reges sunt, appellat ποιμένας λαῶν; unde apud Hesychium ποιμὴν explicatur βασιλεύς. Apud Isaiam XLIV. 28. Cyrus dicitur a Deo רעה pastor. In 2° Regum, reges populi *pascere eum* dicuntur V. 2. Dixit Dominus ad te (David); *tu pasces populum meum Israel*, et tu eris dux super Israel VII. 7. Numquid (ait Dominus) locutus sum ad unam de tribubus Israel, *cui praecepi ut pasceret populum meum Israel*, dicens etc. Ezech. XXXVII. 24. Et servus meus David rex super eos, et *pastor* רועה *unus* erit omnium eorum. Ipseque Deus ratione habita suae potestatis pastor noster dicitur. Psal. XXII. 1. *Dominus regit me et nihil mihi deerit;* hebraice יהוה רעי *Dominus pastor meus est.* Atque Mich. V. 2. *Ex te mihi egredietur qui sit dominator* (מושל) *in Israel:* quae verba sic referuntur penes Matthaeum II. 6. « Ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ (qui pascet, h. e. reget) τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Perinde est ergo ποιμαίνειν et משל (ex quo nonnulli βασιλεύς deducunt) quod est certe dominari regia auctoritate.

II. His praestitutis, facile est 1° demonstrare verba allata Christi (a) ad unum spectare Petrum. Nam ipse unus nomine proprio compellatur et cum prius Christus omnes communiter alloqueretur, inflexo sermone, ad unum se convertit Simonem. Hic praeterea a ceteris secernitur, cum interrogatur: *amas me?* amor enim actus est personalis cuicumque proprius et praesertim cum interrogatur: *diligis me plus his* πλεῖον τούτων? h. e. plusquam hi me diligant, non plusquam hos aut plusquam navigium et pisces, quod cuidam protestanti in mentem venit. Haec enim interpretatio, secundum quam obiecta non subiecta comparantur, *a)* adversatur traditioni exegeticae Patrum nec *b)* ullum sensum certum fundit. In hac enim hypothesi interrogaretur Petrus, an simpliciter amorem Dei haberet, qui postulat ut Deus super omnia diligatur: sed tunc dicendum fuisset πλεῖον πάντων; etsi enim quis aliquos aut aliqua minus quam Deum amet, potest tamen alia quaedam super Deum amare et sic carere amore Dei. Inepta proinde esset interrogatio Christi secundum hanc interpretationem; non enim quaereretur excessus amoris, qui nempe maior sit amore ceterorum, non ipse simpliciter amor, qui non super aliqua tantum, sed super omnia esse

(a) Perpende hoc caput scriptum esse a Ioanne (sero enim Evangelium scripsit) post mortem Petri, cuius mortis praedictionem, historicum agens, explicat (cf. Patrizi *de Evang.* l. 1. c. 3. q. 5. §. 1.). Cur vero hoc caput adiecit Evangelista? Res, quae heic eminet (licet aliter censeat Patrizi) est ipsa commendatio totius ovilis Petro. Non ergo a vero aberrabimus, si putemus, ideo haec scripsisse Apostolum, ut privilegii Petri fidem inculcaret, cuius perennitatem nosse tum maxime intererat.

debet: quid ergo interrogavit Christus? Praeterea recolendum est, Petrum ante passionem Christi professum fuisse amorem suum erga Christum, ita ut se in amando Christum ceteris praeferret Matth. XXVI. 33., expertum deinde fuisse infirmitatem suam et a lapsu, respiciente Christo, relevatum esse: huc ergo respicere videtur modo Christus interrogans Petrum, an reapse nunc eo amore erga se flagret, quem prius spoponderat. Nec refert quod Petrus non potuerit scire, utrum nec ne ipse excederet alios in amore Christi: unde consequi videtur, interrogationem fuisse ineptam; cum non ei posset respondere Petrus. Nam Christus non id interrogavit, ut sciret referente Petro, sed ut ei ceterisque significaret, quemnam amoris gradum in eo postularet, seu ut ait Ambrosius l. 10. n. 175. « Dominus interrogat non ut disceret sed ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat ». Subiiciens vero Christus: *Pasce agnos meos* veluti consequens affirmativae responsionis interrogationi suae, significavit quoque, eum reapse exsistere in Petro erga se amorem, quem interrogaverat. Ex quo liquet, interrogationem Christi non fuisse obiurgationem nuperae confidentiae (ut vult Lightfootus op. cit. in h. l.); verba enim Christi non nisi amorem spirant benevolamque voluntatem remunerandi amorem summum Petri. Iam vero si Petrus interrogatur, an diligat Christum plusquam alii Apostoli, is spectatur ut prorsus secretus ab aliis, non ut eos repraesentans eorumque nomine respondens; interrogatio enim secus facta realiter foret omnibus: at absurda est interrogatio facta omnibus praesentibus, utrum diligant Christum plusquam hi praesentes? « Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur; maior enim omnibus caritas », ait Ambrosius ibid. Tandem ad illum haec verba Christi referuntur, ad quem spectant immediate sequentia: *amen, amen dico tibi: cum esses iunior* etc.; atqui haec propria sunt unius Petri: ergo.

III. His autem verbis Christi 2° collatus est Petro Primatus iurisdictionis iu universam Ecclesiam. Sane 1° advertendum est, iam Petro una cum aliis collatam fuisse missionem et potestatem apostolicam Ioan. XX. 21.: modo vero rursus uni Petro tribuitur munus pascendi oves et agnos Christi et quidem propter specialem amorem, quo Petrus Christum prosequebatur prae ceteris Apostolis; ergo specialis ei praerogativa confertur praeter eam, quam communiter cum omnibus accepit. Prob. consequentia; quia cum nectatur hoc munus cum speciali amore induit rationem retributionis aut praemii, quod ipsi prae ceteris conferatur; praemium vero collatum speciali amori quatenus tali praemium speciale est excedens ea dona, quae minus diligentibus sunt collata. Ergo munus pascendi oves et agnos Christi est aliquid prae-

stantius ipso munere Apostolatus omnibus communi, quod aliud esse nequit quam Primatus: ergo.

Qua in re illud notare iuvat, Christum non nisi a Petro ante suorum munerum collationem exegisse aliquem actum fidei vel caritatis, ut ea de congruo mereretur; secernens in hoc quoque ipsum a ceteris Apostolis, ut significaret scilicet specialibus eum donis et praerogativis cumulatum iri.

2° Pascere, cum obiectum eius sunt homines, *est regere cum auctoritate cum imperio cum potestate iurisdictionis;* talis ergo potestas confertur Petro, cum officium pascendi ei iniungitur. Quantum vero pateat et quanta sit ea potestas, constat ex obiecto, quod sunt oves et agni Christi h. e. ceteri fideles omnes praeter ipsum Petrum; quibus et Apostoli comprehenduntur, qui distincti a Petro sunt et ut tales heic spectantur, quique oves Christi sunt. Obiectum ergo est universa Ecclesia. Est ergo potestas extensione maxima et etiam intensione, cum ipsis Apostolis principetur et proinde quaedam possit quae non possunt Apostoli (cf. Th. 1.). Est igitur primatus iurisdictionis.

Neque dicas *pascere* accipi quoque de solo munere vel auctoritate docendi: nam *a)* verbum hoc absque addito usurpatum non eam limitatam sed ampliorem, quam diximus, habet significationem; cum vero ea limitata significatio subiicitur, dissertis verbis appositis declaratur (cf. Ierem. l. c.): *b)* etiam hac interpretatione accepta, idem mediate colligitur. Consequitur enim, supremum magisterium Fidei esse penes Petrum; at suprema potestas Ecclesiae ibi debet esse (cf. Th. 1.) ubi sit supremum magisterium. Cum ergo in Ecclesia potestas sit ligandi et solvendi, quae certe Apostolis collata est, suprema huiusmodi potestas erit in Petro.

3° Certum est Petro promissum fuisse primatum, iurisdictionis et promissionem hanc fuisse absolutam. Primum constat ex Matth. XVI. Alterum quoque probatur, tum quia nulla conditio in promissione ponitur, sed absolute fit; tum quia promissio est rei institutae in bonum commune et necessarium Ecclesiae; quid enim necessarium magis aedificio, quam fundamentum? huiusmodi vero res non tolluntur propter peccata alicuius. Ergo absoluta promissio fuit. Et sane si promissio fuit conditionata, vel conditio ponenda erat a Deo vel ab homine. Si a Deo, cum ipse promiserit primatum a se conferendum, promisit quoque conditionem, quae ab ipso penderet. Si ab homine; haec alia concipi non potest, quam quod Petrus non peccaret: atqui hanc non fuisse appositam conditionem, liquet ex eo quod instante et praedicto lapsu Luc. XXII. confirmatur promissio: ergo. Et re quidem vera in verbis Christi Matth. XVI. duo continentur, unum speciale, quod nempe Ec-

clesia aedificanda sit supra Petrum, alterum minus determinatum in priore contentum, quod scilicet Ecclesia aedificanda sit supra aliquam petram. Si ergo Petrus a dignitate Petrae excidit, aliquis alius ei substituendus fuit. Quis autem illi substitutus est? nemo designari potest. Absoluta ergo fuit promissio facta ipsi Petro.

Igitur ei aliquando collatus est Primatus: at quando id factum? cum dictum est ei *Pasce agnos meos*, *pasce oves meas,* haec verba per se aptissima sunt ad Primatus collationem significandam. Cum ergo Petro Primatus conferri debuerit, ideoque aliquando sit collatus et haec verba Christi penes Ioannem idonea maxime sint ad eum primatum collatum significandum, dicendum est, per ipsa reapse collatum fuisse primatum. Sane *a)* haec verba hunc sensum per se praeferunt, ut supremam potestatem in universam Ecclesiam significent (cf. argumentum 2[m]); hic porro est primatus. *b)* Ratione habita praecedentis promissionis, verba Christi penes Ioannem dicta Petro eam significationem induere debent, quae a subiecti, cui dicuntur, qualitate determinatur et idcirco verba Ioannis conferenda sunt cum verbis Matthaei, sicut exsecutio promissionis cum promissione ipsa. Quare ea tum absolute, tum comparate, ad verba nimirum Matthaei, enarrare decet. Si absolute spectentur, liquet (arg. 2°) per se significare supremam in Ecclesia iurisdictionem. Si vero comparative spectentur, idem patet. Nam dicendum est iis verbis id conferri Petro, quod aliquando absolute promissum fuit; atqui demonstravimus, contineri verbis Matthaei XVI. promissionem primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam: ergo penes Ioannem, non quaelibet auctoritas aut potestas, sed suprema potestas, sive primatus ille promissus iurisdictionis actu confertur.

Ait ex Salmasio (l. c., p. 9.) Dr. Langen, verba haec Christi ad Petrum eo spectare, ut Petrus inter apostolos recenseatur, a quibus propter peccatum visus est secessisse, (l. c. §. 3.). Verum iam peccatum remissum fuerat et simul cum aliis apostolis censebatur Petrus, antequam haec audiret a Christo. Porro apostolatus Petri, ad quem a Christo electus est ipse est primatus. Quocirca haec verba Christi eo quidem spectant ut Petrus certior fiat quod promissiones Christi effectum tandem sint obtenturae atque proinde apostolus actu constituatur, sed hoc ipso eo spectant, ut Primatus super omnes ei conferatur.

Atque 4° haec est interpretatio Patrum. Ita Leo M. Sermo IV. « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae pastoribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique

pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus ». Bernardus *de Consid.*, l. 6. c. 8. Nec modo ovium sed pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? ex verbo Domini: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certe regni? *oves* meas inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil ».

IV. Porro ex his liquet, errare eos, qui ita interpretantur verba Christi ad Petrum, ut sint simplex exhortatio conditionata; *si diligis me, ostende hunc amorem pascendo oves meas.* Sane 1° cum *pascere* sit *regere cum potestate*, nequit Christus exhortari Petrum ad pascendas oves, quin potestatem super eas illi conferat. Confertur ergo Petro potestas super oves Christi. 2° Exhortatio ad docendum citra iurisdictionem collatam non cohaeret cum praecedenti promissione Primatus. 3° Propositio Christi non est proprie conditionata, sed absoluta; nam non dicit Christus: *si me diligis, pasce,* relicta veluti suspensa veritate conditionis, sed requisito prius amore et eius existentia certo cognita, tum absolute dicit: *pasce oves meas:* ita ut etsi amor conditio esset, verificata tamen conditione, propositio conditionalis transiret in absolutam; aequivalet scilicet huic; quoniam diligis me, pasce oves meas. Ceterum 4° amor Petri fuit quoddam meritum, quod Christus postulavit in Petro ut ei potius quam aliis committeret pascendas oves, fuitque et est conditio ut recte pascantur; sed non fuit conditio, quacum necteretur institutio Primatus et potestas pascendi; haec enim, cum spectet ad ipsam constitutionem Ecclesiae quam Christus sanguine suo sibi acquisivit, nec incepit propter merita hominum, nec desinit propter vitium eorum qui eam obtinent.

Corollarium. Ex demonstratis in his tribus thesibus, sponte consequitur Petrum fuisse a Christo constitutum sui *verum vicarium* pro universa Ecclesia: quod et florentina Synodus aperte definivit. Iurisdictio enim Petri est iurisdictio participata Christi, qui manet semper princeps Petra et supremum caput Ecclesiae, habens huius regni claves; est autem iurisdictio, qua Petrus caput visibile Ecclesiae visibilis constituitur, suprema pollens in ea atque universali potestate: talis vero potestas est potestas vicaria Christi, prout Christus est caput totius Ecclesiae, ideoque est potestas vicaria plena et immediata: quo fit ut Petrus verus Christi vicarius sit, ipseque solus dici mereatur absolute Christi vicarius, sicut ipse solus caput est totius Ecclesiae visibilis. Quod s. Leo respiciens aiebat (Serm. IV. in natali assumpt. suae) *omnes proprie regere Petrum quos principaliter*

regit et Christus; magnumque et mirabile huic viro consortium potentiae suae tribuisse divinam dignationem, ut quae Christo potestate sunt propria, sint Petro cum Christo participatione communia.

THESIS IV.

Cum testimoniis allatis cohaerent tum speciales formulae ab Evangelistis adhibitae quum loquuntur de Petro, ex quibus patet illum Apostolis ceteris nobiliorem ac potiorem ipsos credidisse; tum quae in primis Actuum capitibus narrantur, quibus exercitium Primatus non obscure significatur.

I. Non id contendimus, haec sola, quae in hac thesi afferuntur, testimonia probare evidenter Primatum Petri; neque hac demonstratione indigemus. Verum quia et in plurimis aliis N. T. locis mentio occurrit Petri, si probetur ea cum prioribus enarratis harmonice conspirare unumque veluti totum cum ipsis componere, praecedens demonstratio novo lumine illustrabitur, et quemadmodum partes licet minus principales, adhaerentes aliis in toto, et complent simul et complentur, ita per synthesim horum omnium locorum Scripturae, in evidentiore luce ponentur testimonia iam declarata et ex his testimonia quoque afferenda lucem splendidiorem mutuabuntur. Huc autem redit confirmatio probationis, quae non est probatio sibi sufficiens, sed quae certitudinem et evidentiam auget probationis iam allatae. Necesse est autem haec alia quoque testimonia perpendere; quia si quis in animum induceret suum, ipsa id continere quod interpretationi priorum allatae adversetur, ei non amplius certa esse posset eadem interpretatio.

Duplex est classis testimoniorum, quae heic afferimus: quod ex priore colligimus, non est immediate Primatus Petri, sed est id, quod non esse non poterat, exsistente in mente Evangelistarum persuasione de Primatu Petri quodque collatis prioribus testimoniis non nisi de Primatu intelligi potest. Quod ex altera classe colligitur illud est, quod supposito Primatu Petri esse certe debebat quodque licet seorsim spectatum posset intelligi de Primatu quodam honoris, collatum tamen cum prioribus testimoniis ipsum Primatum iurisdictionis in actu repraesentat.

II. Itaque *a)* quater recensetur catalogus Apostolorum Matthaei X. 2. 5., Marc. III. 16. 20. Luc. VI. 14.-16. Act. I. 13. Iam vero etsi quoad alios Apostolos non idem semper servetur ordo neque ab eodem scriptore, ut videre licet comparanti duos textus Lucae, omnes tamen

Evangelistae primum locum semper concedunt Petro, ipsum a primitivo nomine appellantes et mentionem simul facientes impositi a Christo nominis *Petri*, veluti rationem afferentes cur primus nominetur. Mattheus ait: *primus Simon, qui dicitur Petrus* etc. Marcus: *fecit ut essent duodecim cum illo et imposuit Simoni nomen Petrus et Iacobum Zebedaei et Ioannem* etc. Lucas in Evang.: *elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit, Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem eius* etc. Aiunt Protestantes ipsum primum nominari vel ratione vocationis, quia primo vocatus, vel ratione aetatis, quia senior. Sed unde haec didicerunt? Et quidem prior ratio falsa est. Nam si spectetur ea vocatio, qua tandem factum est, ut Petrus adhaereret Christo immobiliter Matth. IV. 18., is simul cum fratre Andrea vocatus est; si vero spectetur praeparatio, veluti ad hanc vocationem, prior Andreas fuit, qui fratrem suum adduxit ad Christum Ioan. I. 40. seq. Altera vero ratio futilissima est. Nam 1° si prior Petrus censetur quia senior, ergo mens Evangelistarum erat Apostolos recensere secundum ordinem aetatis: cur ergo Ioannes qui certe non erat senior tot aliis, ponitur quarto imo et secundo loco? 2° quomodo probari potest, Petrum seniorem fuisse ceteris, ipsoque suo fratre Andrea? nihil est quod id suadeat. 3° Evangelistae nota quadam honoris et dignitatis honestantes Simonem, rationem veluti reddentes cur primo loco recenseatur, non aiunt: *qui senior erat,* sed *qui dicitur Petrus, quem cognominavit Petrum.*

b) Evangelistae Petrum et Apostolos in medium adducentes ita loquuntur ὁ Σιμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Marc. I. 36.: Luc. VIII. 45. IX. 32.; quae est forma loquendi adhiberi solita cum princeps aut dux simul cum inferioribus appellantur; vel Petro distincte nominato ceteros ei sub communi appellatione adiungunt Marcum, XVI. 7. *Dicite discipulis et Petro.* Act. II. 14. *stans Petrus cum undecim;* 37. *Dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos:* V. 24. *Respondens Petrus et Apostoli dixerunt:* quae loquendi forma eum, qui nominatim appellatur, praestantiorem exhibet caeteris. Ista igitur duplex ratio repraesentandi Petrum in comparatione cum aliis Apostolis arguit, praestantiam quandam Petri super alios Apostolos cognitam Evangelistis fuisse.

c) Matthaeus X. 2. ita exorditur catalogum Apostolorum: *primus Simon qui dicitur Petrus et Andreas frater eius, Iacobus* etc. Iam vero *primus* heic non habet significationem numeralem, neque enim sequitur *secundus, tertius* etc.; nec significare potest primum vocatione aut aetate, ut iam probavimus, habet ergo significationem dignitatis, praecellentiae perindeque est ac *praecipuus, princeps Apostolo-*

rum. Satis ergo patet Evangelistas credidisse Petrum ceteris Apostolis nobiliorem et praestantiorem.

Reponitur quidem alibi ordinem mutari ac Petrum aliis postponi. Ita 1ª Cor. I. 12.: *Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi,* et III. 22. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus sive vita, sive mors... vos autem Christi, Christus autem Dei* et VIII. 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas?* Verum his confirmatur assertio nostra; est enim in his locis manifesta auxesis, ita ut ultimo loco ponatur nobilior, qualis est Deus et Christus in duobus prioribus testimoniis: semper ergo Petrus prae ceteris obtinet nobiliorem locum.

At Gal. II. 9. alia distributio habetur: *Cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Iacobus et Cephas et Ioannes.* Scilicet 1° lectio huiusmodi non est certa; nam codices, quibus plures veteres Patres usi sunt, ut Tertullianus cont. Marc. l. 3. c. 3. Ambrosiaster ibid. Ambrosius *De interpell. Iob.* l. 1. c. 5. Augustinus in c. 2. Epist. ad Galat. Theodoretus in Psal. LXXXVI. 1. in Cant. III. 10. ad Rom. XV. 26. in 2. Cor. VIII. 18. Petrum praeponebant ipseque Hieronymus tum in textu tum in commentario habet *Petrus et Iacobus et Ioannes*, neque alterius lectionis mentionem facit. 2° Cum quaevis universalissima lex quibusdam exceptionibus et anomaliis propter contingentes rationes obnoxia sit, haec quoque constans lex loquendi de Petro penes Scriptores inspiratos aliquam pati potuit anomaliam propter specialem quandam rationem. Ratio vero recedendi a communi loquendi lege Paulo esse potuit, vel quia Iacobus Episcopus erat civitatis, vel quia, enumerat Paulus apostolos secundum ordinem temporis, quo eos vidit et Iacobus primo visus ei fuit, vel quia, cum heic Paulus *De munere Apostolatus* disserat totusque in eo sit, ut Galatis persuadeat, esse se parem aliis Apostolis, non erat profecto in hac serie idearum opportuna satis mentio vel adsignificatio primatus.

III. Quoad alteram partem satis est haec praecipua capita advertere, Act. I. 15. seqq. Petrus collegio Apostolorum proponit susbstitutionem alterius in locum Iudae primumque actum communem Apostolorum ipse moderatur II. 14. Petrus stans cum undecim primus evangelizat Iudaeos unusque loquitur tacentibus aliis collegiique Apostolici famam tuetur. IV. 8. cum Petrus et Ioannes interrogarentur in concilio principum et seniorum, Petrus unus loquitur, omniumque Apostolorum ministerium defendit. X. 1. seqq. Petrus primus ianuam Ecclesiae aperit gentibus et missionem pro illis a Christo acceptam primus ex-

ercet. XV. 7. seqq. Petrus primus sententiam in Concilio dicit, nempe definit. IX. 32. Petrus invisit universas ecclesias etc.

Iamvero ut habeatur exercitium primatus, non est opus, ut functiones omnes propriae primatus exerceantur multoque minus est necesse, ut eae a Petro exercitae fuerint, quae propter specialem auctoritatem et potestatem Apostolorum non erant tunc temporis necessariae. Sed satis est, ut Petrus aliquas functiones easque exercuerit, quae propriae sint eius qui primatum inter Apostolos obtinet quarumque ratio sufficiens non nisi in dignitate Primatus reperitur. Atqui functiones superius recensitae tales profecto sunt Petrumque nobis sistunt tanquam primatum gerentem inter ipsos Apostolos. Cuiusmodi vero fuit iste primatus? ille certe qui in primis tribus testimoniis descriptus invenitur. Hic est autem primatus non tantum honoris, sed et iurisdictionis; ergo huius primatus exercitium in Actibus describitur. Huc quoque facit, quod Petrus prae ceteris Apostolis in pretio a turbis habebatur ad eumque potissimum eae recurrebant, ut ex historia Actuum liquet et quod pro eo comprehenso oratio facta est ab Ecclesia, quod quidem pro Iacobo factum non memoratur. Huc rursus facit, quod Lucas in duodecim primis Actuum capitibus, in quibus agit de fundatione Ecclesiae per Apostolos, unum Petrum praecipue considerat, eius concionum et miraculorum III. 4. seq. VIII. 33. 39. V. 15. specialem narrationem instituit, eum primae haeresis profligatorem exhibet VIII. 19. seqq. eiusque iudiciariae quoque potestatis specimen offert V. 3. 10. Haec enim ostendunt, persuasionem populi fidelis ipsiusque inspirati Scriptoris de excellentia et primatu quodam Petri supra ceteros Apostolos.

IV. Obiiciuntur tamen tria; missio nempe Petri per Apostolos Samariam VIII. 14. et disceptatio fidelium ex circumcisione adversus Petrum, eo quod ingressus esset ad gentes easque praeputium adhuc habentes in Ecclesiam admisisset XI. 2. seqq. et quod Paulus se exaequat Petro Gal. II. 7. inquiens: *creditum esse ipsi Evangelium praeputii sicut et Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis operatus est et mihi inter gentes.* Verum 1° missi ne sunt Petrus et Ioannes ab Apostolis missione potestatis? Id qua ratione probant Protestantes? cum multiplex possit esse missio, ea profecto intelligenda est, quae cum dignitate iam cognita personae concilietur. Missi ergo sunt vel missione profecta ex communi consilio cui ipse Petrus suffragatus est, vel ex quadam missione, ut aiunt, oeconomica profecta ex postulatione, hac autem etiam superior ab inferiori mitti potest. At quaeri potest cur Apostoli rogarunt Petrum,

ut illuc iret? quia nempe persuasum illis erat non per alios quam per Petrum consuli melius posse fundationi Ecclesiae, quia caput ipse erat universae Ecclesiae, cui socium Ioannem adiungunt, qui quemadmodum et aliis vicibus III. 4. seqq. IV. 7. seqq. secundas partes ageret.

2° Querelae motae sunt non ab Apostolis, qui sciebant omnes, gentes esse evangelizandas *(Euntes docete omnes gentes)*; sed a fidelibus, non ex norma Fidei iudicantibus, sed ex praeiudiciis et pravis non nihil affectionibus; nimis enim in circumcisione et lege gloriabantur Iudaei gentesque ab iis extorres spernebant. Putant quidam ignorasse adhuc Apostolos, quod Petrus ea visione Act. X. 10. seqq. edoctus fuit: at de hac re iam dictum in Proleg. §. XXIX. Petrus autem non ex obligatione, sed ex caritate propria Pastoris dedocet fratres falsam opinionem. Ita scilicet se gessit, ut Christus praescripserat Luc. XXII. 26. et ita Pastoribus exemplum praebuit, quomodo se cum imbecillis gerere debeant.

3° Paulus se comparat Petro in *munere Apostolatus* ut ipsa Pauli verba disserte indicant et quidem nominatim in *munere praedicationis*; quamvis enim Apostoli omnes ad omnes gentes missi essent et quilibet ius haberet quamlibet gentem evangelizandi: quia tamen fieri non poterat ut singuli Apostoli universum orbem erudirent, speciali providentia Deus ita res disposuit, ut Petro potissimum Iudaei, Paulo potissimum gentes essent commendatae, licet pro dignitate sui primatus Petrus prior has ad Ecclesiam admiserit. De hac speciali destinatione loquitur heic Paulus, quae pro multitudine erudiendorum maior quoque fuit in Paulo. At non se comparat Paulus Petro quoad auctoritatem eumque ordinem quo ad ipsum cum ceteris Apostolis referebatur; nec qui a Paulo evangelizabantur minus subditi erant Petro quam alii fideles.

THESIS V.

Petri Primatum non excludit vel enumeratio instituta a Paulo 1. Cor. XII. 28. Ephes. IV. 11. *charismatum munerumque quae in Ecclesia obtinent vel reprehensio ea, qua Paulus restitit in faciem Petro* Gal. II. 11. seq.: *imo huius reprehensionis historia accurate perpensa Petri Primatum manifestissime probat.*

I. Verba Pauli 1ª ad Corinthios XII. 28. haec sunt: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum*

(deest hoc ultimum in textu graeco). Ad Ephesios vero IV. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores.* Hinc arguunt Protestantes: si Christus monarcham aliquem et oecumenicum pontificem constituisset, Paulus eius mentionem facere debuisset in iis locis, ubi ordines et munera ecclesiastica a Christo instituta enarrat; hoc enim plurimum intererat Ecclesiam scire, nec in plena munerum enumeratione primum et praestantius poterat reticeri.

Verum 1° argumentum est negativum. 2° Falsum est quod Pauli intentio fuerit munera omnia, quae in Ecclesia obtinent, his in locis distincte recensere. Id manifestum est quoad locum ad Ephesios; si enim comparetur iste locus cum priore, liquet plura in eo deesse; si ergo in hoc enumeratio est completa, erit certe incompleta in illo. Sed et in priori non omnia, distincte saltem, enumerantur: nam alibi Paulus meminit nedum episcoporum, sed et presbyterorum et diaconorum: quamvis autem in verbis ad Corinthios *doctores* velis esse episcopos, ubi reperies distincte positos presbyteros et diaconos? Neque Pauli intentio erat, hierarchiae Ecclesiasticae distinctam notionem exhibere; huic enim distinctae notioni non parum officiebat recensio simultanea gratiarum gratis datarum, quae propriae non sunt sacri principatus nec ullam tribuunt iurisdictionem: haec tamen continenti sermone simul cum aliis iisque permixta recensentur, cuiusmodi sunt prophetia, virtutes, gratia curationum etc. Ergo perperam postulatur, ut Paulus primatus quoque Petri fecerit mentionem. Neque 3° id exigit scopus sermonis Pauli. Scopus enim eius non est referre oeconomiam regiminis, quo Christus voluit Ecclesiam suam gubernari, quod ex iam dictis patet; neque docere aliquod doctrinae caput, quod sine primatus disserta mentione explicare non posset; sed si praecedentia et sequentia considerentur in epist. ad Corinthios, liquet scopum Apostoli fuisse, ostendere non esse in Ecclesia omnes pares, sed distinctos esse ordines, diversa munera, quemadmodum in corpore distincta et diversa sunt membra. Huic autem scopo fit abunde satis ea enumeratione, reticito quoque primatu Petri. Haec satis sunt ad vim infringendam argumenti negativi Protestantium.

Quibus haec addi possunt. Scilicet 4° Paulus quidem affirmat primos esse Apostolos, primos prae ceteris deinde subnumeratis; sed non negat inter ipsos Apostolos esse aliquem primum, sive non affirmat omnes Apostolos esse pares. Loquitur nimirum Paulus quemadmodum Concilium Tridentinum, cum ait Hierarchiam esse in Ecclesia, quae constat Episcopis, Presbyteris et Diaconis; ex quibus verbis quis serio inferat, nullum esse e sententia ipsius Concilii inter Episcopos superiorem?

Primus est ergo prae ceteris in Ecclesia Ordo Apostolorum; sed an sit inter eos necne primus aliquis, id nec dicitur heic nec negatur. Quare 5° de ordine inter ipsos Apostolos his in locis a Paulo nihil affirmatur et negatur; sed aliis ex locis Scripturae huius ordinis petenda notitia est: quae si conferantur, liquebit primatus Petri, ut supra demonstravimus. Imo 6° ipse Paulus Petri primatum non obscure testatur Gal. I. 18., cum narrat, se post annos tres a sua conversione venisse Ierosolymam videre Petrum (ἱστορῆσαι Πέτρον, seu ut vaticanus legit Κηφᾶν). Cur vero sollicitudo Pauli pro invisendo Petro, non pro aliis invisendis Apostolis? Rationem reddunt Patres. Chrysostomus in h. l. ait: « Post tanta tamque praeclare gesta, quum neque Petro opus haberet, neque illius egeret institutione, sed honore par illi esset; nihil enim heic amplius dicam: tamen ascendit veluti ad maiorem et seniorem. Profectus est, sed ob hanc causam tantum, ut videret eum eique sua praesentia honorem exhiberet. Ut *viderem*, inquit, *Petrum ascendi*. Non dixit ἰδεῖν Πέτρον, sed ἱστορῆσαι Πέτρον, quomodo loqui solent qui magnas splendidasque urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo in ducabat operae pretium esse, etiam virum dumtaxat videre... Nam et virum honore prosequitur et prae omnibus diligit; neque enim propter alium quemvis ex Apostolis sed propter ipsum solum se venisse scribit ». Victorinus in h. l. (apud Mai script. Veter. nov. collect. T. 3.): Post tres inquit annos Ierosolymam veni, deinde subiungit causam: *videre Petrum*. Etenim si in Petro fundamentum Ecclesiae positum est, ut in evangelio dictum, cui revelata erant omnia, Paulus *scivit, videre se debere Petrum, quasi eum cui tanta auctoritas a Christo data esset*, non ut ab eo aliquid disceret ». Hieronymus in h. l. ait: « ad hoc Paulum ivisse ut videret Apostolum, non discendi studio, qui et ipse eundem praedicationis haberet auctorem, sed *honoris priori Apostolo defendi* ».

II. Gal. II., 11. seq. *Cum autem venisset Cephas* (ille de quo v. 9. et c. 1. v. 18.). *Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixi Cephae coram omnibus. Si tu cum Iudaeus sis, gentiliter vivis et non iudaice, quomodo gentes cogis iudaizare?* Iam vero 1° Paulus reprehendit ne Petrum, eique in faciem restitit *correptione auctoritatis* an *caritatis?* Priorem nemo Protestantium quoque iure affirmare potest, cum iuxta ipsos Apostoli omnes essent pares. Restat ergo altera. Praeterea Petrus

erravit in fide necne? Illud pariter neque Protestantes affirmabunt, qui docent omnes ex aequo Apostolos fuisse infallibiles; actus ergo Petri, propter quem reprehendi meruit, fuit *peccatum quoddam conversationis* contra prudentiam in ratione se gerendi cum Iudaeis et Gentibus (quod quidem peccatum ex inadvertentia esse potuit etiam non culpabili et materiale tantum: sed Paulus actum in se, prout exterius apparebat, non interius eius principium spectabat), non fuit peccatum contra fidem. Itaque Paulus correptione fraterna, propter peccatum quoddam conversationis, est usus; quae non solum a pari sed et a minori fieri potest: innititur enim motivo caritatis, qua sumus pares, non auctoritatis, qua discernimur in societate. Quocirca *non recte ambulare ad veritatem Evangelii* non est errorem circa fidem admittere; sed in conversatione non ita se gerere, ut exigit fides; quod ex sequenti declaratione manifestum magis fiet.

Cuiusmodi 2° ergo fuit hoc peccatum Petri? Petrus certe optime noverat primusque in Concilio docuerat, non oportere Gentes aut Iudaeos iudaice vivere pro salute assequenda et ita quoque se gerebat Petrus, ut Paulus ei obiicit: *Tu, cum Iudaeus sis, gentiliter vivis et non Iudaice.* Attamen advenientibus a Iacobo Iudaeis, quorum ipse specialis erat Apostolus, ne ipsis infirmis Iudaeis scandalum crearet, oeconomia caritatis est usus, subtrahens se a gentibus nec cum illis amplius manducans, *timens eos qui ex circumcisione erant,* h. e. timens ne eos adversarios haberet, eos a se abalienaret et sic sua praedicatio eis utilis esse non posset. Interpretatio *timens eis* non probatur et frustra provocas ad IV. 11. ubi ὑμᾶς est attractio quaedam ex seq. Qua quidem in re advertendum est quod si spectetur *intentio Petri,* ea optima fuit et laude digna; fuit enim actus caritatis, quem Apostolatus suus speciali ratione exigebat. Si spectetur *opus externum*, primo, etsi iam definitum esset consuetudines legales non esse amplius necessarias, adhuc tamen oeconomia quadam tolerabantur in Iudaeis, quare id per se nullum peccatum erat, ita ut Paulus ipse circumciderit Timotheum eadem ratione ductus, ne illum Iudaei despicerent Act. XVI. 3. Deinde Petrus nihil dixit aut affirmavit, quo doceret iudaice vivendum esse: tandem opus per se non eo spectabat ut facto doceret iudaice vivendum esse, ac si non aliam interpretationem factum illud pateretur; nam et haec alia prona erat interpretatio: poterant nempe homines in eo facto videre oeconomiam quandam Petri, qui se subduceret a gentibus, non quia putaret legalia adhuc esse necessaria sed ut per συγκατάβασιν Iudaeorum infirmitati prospiceret.

Nihilominus Petrus, teste Paulo, κατεγνωσμένος ἦν (καταγιγνώσκομαι non tantum *damnor* sed et *reprehendor:* participium vero, quod per

se esset *reprehensus*, heic perinde est ac καταγνωστός reprehensibilis, καταγνώσεως ἄξιος, ex hebraeorum scriptorum imitatione, qui fere destituuntur adiectivis dignitatem hominis significantibus). Reprehensibilis autem erat Petrus, quia non recte ambularet ad veritatem Evangelii eiusque non recte factum *simulatio*, ὑπόκρισις dicitur. Porro *non recte ambulare ad veritatem Evangelii* non est error contra Evangelii veritatem, sed est actio vel omissio, quae non sit conformis doctrinae Evangelicae, quemadmodum est quodcumque peccatum. Simulatio autem dicitur actus, quo quis aliud externa specie praebet quam vere intus habet. Ea est quoddam mendacium reale. At distinguenda est simulatio *formalis* et *materialis*. Illa est cum quis facto suo intendit aliis significare se animo gerere quod non gerit; haec est cum exsistente quidem causa aliquid faciendi, id tamen quod fit, propter circumstantias facti accipitur, invito agente, tanquam significans eum sensum animi vel intentionem eam agentis, quae reapse non est. Nihil est in verbis Pauli, quo suspicari liceat Petrum peccasse simulatione formali, ut nimirum sciens legalia non esse necessaria, voluerit tamen facto suo significare ea esse necessaria: quod quidem fuisset contra infallibilitatem magisterii eius; non enim tantum fides interior Petri indefectibilis erat, sed externum quoque magisterium infallibile. Fuit ergo tantum simulatio materialis. Haec autem cum ex causa quae videtur iusta adhibeatur, peccatum esse nequit nisi imprudentiae, quatenus nempe non satis perpendantur effectus consecuturi et ita quis se periculo exponat praebendi occasionem aliis iudicandi aliter de sua sententia ac reapse sit. Quare peccatum Petri, si quod tamen fuit, (cum enim id ex habitu mentis penderet, de eo nec Paulus iudicare cum certitudine poterat), in eo fuit quod id quidem agens, quod per se malum non erat nullaque lege interdictum, non satis consideraverit, quid alii secus ac ipse vellet, fuissent inde deducturi. Verum huiusmodi culpa, etsi talis censeatur, non ea est propter quam Petrus aut errasse in fide, aut dignitate supremi magistri caruisse credatur. Quare Paulus ipsum corripiens non nisi eiusdem Petri auctoritatem adhibet, ut non error quidam mentis, sed quaedam imprudens inconsideratio fuisse videatur.

At 3° huiusmodi facto evidenter se prodit Petri Primatus. Quamvis enim Paulus *verbis doceret* non esse opus iudaizare, Petrus autem *solo conversationis exemplo videretur docere* esse iudaizandum, hic tamen ceteros ipsumque Barnabam *cogebat*, non tantum alliciebat, iudaizare. Unde tanta efficacia exempli taciti Petri, ut praevaleret doctrinae praedicantis Pauli, nisi ex eo quod ab omnibus Petrus potior Paulo habebatur eiusque auctoritas suprema esse in Ecclesia credebatur?

Quare qui negat Cepham, de quo heic Paulus loquitur, esse eum, cui Christus dixit: *tu vocaberis Cephas* (quae quidem sententia a contextu prorsus abhorret), rationem sufficientem afferre debet huius facti, quam nunquam reperiet; quod iam Chrysostomus homil. inferius citanda n. 15. advertit inquiens: « si quispiam alius Petrus fuisset (quae erat opinio Clementis Alexandrini in lib. Hypotyposeon ex Eusebio H. E. l. 1. c. 12.) non tantum valuisset eius mutatio, ut ceteros etiam Iudaeos attraheret. Neque enim adhortatus est neque consuluit, sed tantum subtrahebat et segregabat se atque illa subtractio et segregatio ceteros omnes discipulos attrahere potuit *propter personae dignitatem* ». Cf. quae ampliore stilo disputavimus in Comm. Epist. ad Gal. in h. l.

Interpretatio Patrum hac in re doctrinam catholicam confirmat. In eo enim Patres toti sunt ut Petri excellentiam prae Paulo in tuto collocent ostendantque reprehensionem Pauli non adversari dignitati Petri; quamvis non eadem via in eundem scopum omnes Patres tendant. Cf. Clemens Alexandrinus relatus ab Eusebio H. E. l. 1. c. 12. Chrysostomus hom. in illud: *In faciem Petro restiti.* Hieronymus l. I. in epist. ad Galatas II. 12. et in epistola ad Augustinum hac super re data, quae est 75. inter Augustinianas, August. in epist. ad Galatas et epist. 82.

THESIS VI.

Dignitate Apostolatus breviter adumbrata, docemus extraordinariam potestatem singulis Apostolis communem non prohibuisse quominus Petrus inter Apostolos excelleret primatuque iurisdictionis in ipsos quoque gauderet.

I. Apostolatus tum laxiore tum pressiore significatione sumitur. Nunc hac altera accipitur. Intelligimus scilicet eos Apostolos, qui primi fuerunt, per quos Ecclesia universa fundata est seu qui in Evangelio Apostoli nominantur, quique iis sunt pares.

Apostolatus dignitas his notis continetur, quae sunt 1° munus et potestas evangelium ubique terrarum promulgandi: 2° potestas iurisdictionis ubique terrarum, potestas scilicet fundandi ecclesias, instituendi Episcopos, potestas legifera, iudiciaria, vindicativa erga omnes (praeter ipsos Apostolos) quoad quaslibet eorum causas: 3° infallibilitas magisterii: 4° immediata missio, sive potestas praedicandi et potestas iurisdictionis immediate facta a Deo: 5° potestas suprema ordinis sive gradus Episcopalis, quae necessaria erat, ut munere Apostolatus fungerentur plene et perfecte. Non convenit tamen inter omnes circa has

notas Apostolatus. Primas tres cuncti concedunt satisque patent ex Ecclesiae constanti sensu.

II. Quaestio est tamen quoad alias notas. Immediatam missionem essentialem esse notam Apostolatus negat Petavius (*de Eccl. Hierarch.* l. I. c. 5.) hac quidem ratione motus, quod veri et primarii Apostoli fuerint Matthias et Paulus; neuter tamen sit immediate missus a Christo, quo iam mortuo provecti sunt in Apostolatum. Verum ad Matthiam quod spectat, verissima est animadversio Bellarmini (*de Rom. Pont.* L. IV. c. 23.): « Matthiam Apostolum, non fuisse ab Apostolis electum nec datam ei ab ipsis ullam auctoritatem, sed implorata divinitus et impetrata electione eius, mox inter Apostolos annumeratum »; quo argumento Bellarminus probat Apostolos a Christo iurisdictionem omnem accepisse. Et sane aliud est designare aliquos, qui mitti possint, relicta alteri potestate mittendi aliquem ex his, vel etiam nullum, si velit; aliud est mittere collata auctoritate: primum Apostoli erga Matthiam et Barsabam praestiterunt, qui quamvis duos constituerint et oraverint, ut Deus ostenderet quem elegerit *ex his duobus*, censendi sunt tamen divino arbitrio permisisse quoque utriusque reiectionem, nisi ipsis iam divina voluntas constiterit eius conditionis manifestatae a Petro pro substituendo alio in locum Iudae et in nullo alio ea conditio habuerit locum, qua in hypothesi res omnis adhuc pendebat a divina voluntate. Alterum vero Christus praestitit, regendo divinitus sortes, quibus sua voluntas manifestata est erga Matthiam. Unde Deus dicitur esse qui elegerit et imploratur ab Apostolis tantum manifestatio huius divinae electionis. Qui quidem modus specialis agendi adhibitus ab Apostolis tantum in electione Matthiae satis ostendit, persuasum fuisse ipsis, non esse in sua potestate conferre alicui dignitatem eam Apostolatus, qua ipsi insignes erant. Nec ut quis a Christo mitteretur, opus erat ut a Christo in terris degente potestatem acciperet: Christus enim idem in terris et in caelo, heri et hodie. Forte probabilius posset dici Christum voluntate absoluta decrevisse duodecim esse Apostolos, cum eos elegit, quae voluntas perseveravit quoque excidente Iuda; cuius voluntatis divinae notitiam ostendit Petrus, inquiens: *oportet* etc. Cur enim oportebat, nisi Christus voluisset? Vi proinde huius Christi voluntatis designatus Matthias obtinuit Apostolatum, h. e. iure divino factus est Apostolus succedendo in locum Iudae, eo modo, quo Romanus Pontifex designatus a Cardinalibus succedit antecessori.

Ad Paulum quod spectat, satis aperta sunt verba ipsius ad Galatas I. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus* οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, *neque per hominem* οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, *sed per Iesum Christum:* quibus excluditur non tantum missio, quae sit ab homine, sed et ea quae sit a Deo me-

diante homine asseriturque immediata missio a Christo, a quo et immediate edoctus fuit, ut ibidem testatur inquiens: *notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi.* Unde ut ostenderet Galatis, se non accepisse auctoritatem a Petro vel aliis Apostolis, monet, quod statim ac vocatus a Christo fuit, ut evangelizaret illum in gentibus, non venit Ierosolymam ad suos antecessores Apostolos sed abiit in Arabiam, et iterum reversus est Damascum ibid. 15. 17., in qua civitate Christum praedicabat antequam veniret ad Petrum Act. IX. 19. 22. Potestatem ergo praedicandi immediate Paulus accepit a Christo: cur non ergo et potestatem iurisdictionis, cuius pars est potestas praedicandi, quaeque propria est Apostolatus, dicat autem se Paulus Apostolum esse non ab homine, neque per hominem; ut praeterea ipse rursus affirmet quod sibi Apostoli nihil contulerunt Gal. II. 1.: contulissent autem multum, si illi vel per se vel per alios potestatem Paulo dedissent iurisdictionis. Cf. nostrum Comm. cit. c. 1. v. 1.

Certum sit ergo, Apostolos primarios quosque ut tales Ecclesia reveretur, missos esse immediate a Christo, secundum Christi verba Ioan. XX. 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et sane Apostolus idem est ac missus: Apostolus in Ecclesia nullus est nisi missus a Christo fundatore et capite Ecclesiae suae: qui autem κατ' ἐξοχήν Apostolus dicitur, is *immediate* a Christo missus sit oportet; secus nulla est ratio, cur prae ceteris hoc nomine veluti proprio honestetur.

III. Quoad ultimam notam, certum quidem est omnes Apostolos fuisse Episcopos certumque pariter est gradum episcopalem eis fuisse necessarium, ut munere suo fungerentur: quomodo enim Ecclesias fundabant, si non poterant Episcopos, presbyteros aliosque ministros instituere? At quaestio esse potest circa modum quo Apostoli ad Episcopatum evecti sunt. Quidam enim censent eo ipso fuisse Episcopos quo et Apostoli erant, ideoque immediate a Christo factos fuisse Episcopos sicut et Apostolos, sive in ipsa dignitate Apostolatus contineri essentialiter Episcopatum. Secus Bellarminus censet, qui loco superius citato, ratione etiam habita argumentorum quae producit, docet Apostolos omnes immediate a Christo institutos esse, at contendit simul (op. cit. l. 1. c. 23.) unum Petrum a Christo ordinatum Episcopum, ceteros Apostolos a Christo per Petrum ideoque Apostolatum quidem ut plene exerceatur postulare Episcopatum; at posse esse aliquem iam Apostolum quin sit adhuc Episcopus et proinde non esse inseparabilem atque hoc sensu essentialem Episcopatum Apostolatui. Quod quidem probat duplici argumento.

Primum ducitur ab exemplo Pauli qui immediate electus est Apostolus a Christo et tamen deinceps Episcopus non erat, sed post undecim annos ordinatus est. Act. XIII. 1-3. (cf. Patrizi *Comm. in Actus* in h. l. et in *Chronico*). In quo argumento illud advertendum putamus, certum nobis esse, quod Paulus a Christo non acceperit immediate characterem episcopalem, quemadmodum nec characterem baptismi accepit; at dubitare nos, an tunc, cum ea acciderunt quae narrat Luc. XIII., fuerit Episcopus ordinatus. Nam 1° quinam illum ordinarunt? prophetae et doctores; quos tantum nominat Lucas: hi ergo erant Episcopi, saltem ii, qui dicuntur doctores, qui iidem videntur fuisse ac pastores ex Eph. IV. 11. At inter eos a Luca simul cum aliis, nullo discrimine facto, enumerantur Barnabas et Saulus; igitur et hi iam Episcopi erant. Et sane 2° si illi prophetae et doctores, cuiusmodi erant Simon, qui vocabatur Niger, Lucius Cyrenensis et Manahen, iam fuerant Episcopi ab Apostolis ordinati, cur putabimus, ab iisdem nondum fuisse Paulum ordinatum Episcopum, quem iam noverant Act. IX. 27. 28. Gal. I. 15. vocatum a Deo ad Apostolatum? 3° Verba Lucae XIII. non postulant ut ea interpretemur de ordinatione sacra eaque episcopali. Spiritus enim Sanctus dixit illis prophetis et doctoribus ministrantibus Domino et ieiunantibus: *segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc illi ieiunantes* (cum ieiunassent) *et orantes* (cum orassent) *imponentesque* (et cum imposuissent) *eis manus dimiserunt illos* ἀπέλυσαν (li lasciarono andare). *Et ipsi quidem missi a Spiritu S. abierunt Seleuciam*, etc. Porro opus, ad quod Spiritus S. eos assumpserat, ut ex sequentibus patet, illud erat, ut extra Antiochiam aliis populis et gentibus praedicarent Evangelium. Ad hoc opus segregandi erant, h. e. secernendi erant ab aliis Antiochiae manentibus et ad illud opus ipsi dimittendi, sicut reapse dimissi sunt. Si ita accipiantur haec verba et omnis ratio suadet, ita accipere; ibi non fit sermo de ordinatione episcopali, quam iussi sint illi conferre Paulo et Barnabae. Neque id evincitur ex illo ritu impositionis manuum (*imponentes eis manus* ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς); nam quamvis iste ritus sit ritus ordinationis, non tamen fuit tantum ritus ordinationis, sed et fausta precantium et benedicentium ritus erat (a). Liceat ergo nobis arbitrari, Paulum ordinatum fuisse Episcopum tum cum Ierosolymam veniens Petrum adivit, qui eius divinam missionem, testante quoque Barnaba, recognoscens, episcopalem gradum ei contu-

(a) Multo ergo minus constat, ibi Paulum et Barnabam ordinatos fuisse vel constitutos Apostolos, quod satis absurdum est: apostolatus enim nulla consecratione datur nec ab iis hominibus dari poterat qui ibi erant cum Paulo et Barnaba.

lerit, ut posset plene et perfecte fungi ministerio suo. Ex his tamen satis constat non ita esse essentialem episcopatum Apostolatui, ut eo ipso quod quis Apostolus est, sit quoque Episcopus; quamvis episcopatus necessarius sit Apostolo, ut totam potestatem, quam in Apostolatu accepit, in qua certe est potestas fundandi Ecclesias, plene et perfecte h. e. integre per se ipsum exercere possit. Unde liquet, ut id obiter moneamus, distinctio inter potestatem ordinis et iurisdictionis. Probabilis est ergo ea opinio, veterum quorumdam etiam traditione firmata, quod Petrus a Christo ordinatus Episcopus ceteros Apostolos ordinaverit. Aliud argumentum Bellarmini penes eundem conferatur; nobis enim hactenus dicta in hoc παρέργῳ sunt satis.

IV. Doctor Langen (l. c. §. 6. ubi agit de relatione Petri erga alios Apostolos) statuit primum, id esse certum quod Petrus super Apostolos habuerit primatum. Verum cuiusmodi fuit? Profecto eius notionem, ait, perperam colliges ex eo quod Petrus fundamentum sit Ecclesiae, quod habuerit claves regni, quod ipsi commissus sit grex pascendus; nam haec ceteris Apostolis communia fuerunt. Et sane ipse Petrus se omnibus pastoribus gregis appellat συμπρεσβύτερον (epist. 1ª. v. 1°.); locutus est quidem aliquando nomine aliorum, sed id fortasse ex eius fervido charactere repetendum est. Attamen certum est, Petrum habuisse Primatum, quod ex historia temporis apostolici liquet. At qualis erat iste Primatus? Non is certe, ut Apostoli subiecti essent Petro; nam de hac subiectione Scriptura non loquitur; imo Paulus se parem facit Petro in Apostolatu ac negat se ab eo accepisse potestatem, ab eoque dependere; imo oppositum significat, Petrum reprehendens Antiochiae. Omnes scilicet Apostoli pari praediti erant potestate, omnibus eadem missio communis, omnes essentialiter aequales. Igitur Petrus non erat nisi *primus inter pares*. Id deinceps confirmat §. 10. ex doctrina Patrum, quam postea expendemus. Nunc ad Scripturam quod spectat, huc redit argumentum huius Doctoris. Constat ex Scripturis Petrum habuisse Primatum inter Apostolos, constat quoque ex Scripturis Apostolos omnes fuisse pares: ergo Petrus non fuit nisi primus inter pares.

Verum 1° negamus, constare ex Scripturis, quod Apostoli fuerint pares Petro in omnibus: fuerunt quidem pares in Apostolatu eo quod omnes pariter primi fuerint missi immediate a Christo ad omnes gentes: at Petrus erat praeterea Petra Ecclesiae, habebat claves huius regni, erat confirmator et pastor totius ovilis; quam male autem ex Scripturis demonstretur fuisse haec communia ceteris Apostolis ostendimus et in prima Thesi, ubi fecimus satis Protestantibus arguentibus ex Scripturis, et in secunda et tertia, ubi ostendimus dignitatem con-

firmatoris fratrum in fide ac pastoris totius ovilis Christiani collatam esse Petro ipsiusque propriam esse. At nunquam, ait, in Scripturis Apostoli dicuntur subiecti Petro? si quaerit in Scripturis haec ipsa verba, id concedimus; at quid inde? an forte reperit scriptum, quod Petrus sit primus inter pares? Porro si rem ipsam quaerit; nonne qui Petrae Ecclesiae inniti debet, qui ab eodem confirmandus est, qui in Ecclesia quidem est sed non habet claves, non est Pastor totius ovilis, is debet esse subiectus illi qui est Petra, Confirmator, habet claves regni et est Pastor omnium? Paulus vero se parem quidem facit Petro in Apostolatu, at id non excludit Primatum Petri, nec eius reprehensio id suadet, ut iam vidimus.

2º Dicimus quod si Primatus Petri ex Scripturis constat, ut ipse Dr. testatur, constat pariter Primatus iurisdictionis. Nam unde probat id ex Scripturis constare? ex historia scilicet Apostolici temporis. Nam iam Matthaeus Apostolos recensens Petrum appellat primum. Tum Petrus dirigit electionem Matthiae, primus die Pentecostes docet et huiusmodi, quae prostant in Actibus Apostolorum. At primo quis non miretur Primatum Petri probari non ex verbis Christi ad Petrum, quibus certe dignitas Petri contineatur oportet, sed ex quibusdam narrationibus, quae non nisi aliquod exercitium illius iuris, quod Christus Petro concessit, repraesentare possunt? Si verba Christi dicta ad Petrum Primatum eius non ostendunt, quia ut adversarii aiunt, in Petro dicta sunt omnibus Apostolis ideoque exhibent potestatem omnibus Apostolis communem; cur eadem adhibita interpretandi lege non licebit affirmare, quidquid egit Petrus, id ab eo ita esse peractum, ut ex aequo potuerit fieri a quovis alio Apostolo ipsumque aliorum nomine egisse, et veluti ab ipsis delegatum, quemadmodum suadere videtur eiusdem missio Samariam? At Matthaeus ipsum appellat primum. Id profecto docere debebat istum doctorem, quod Primatus Petri demonstratio pendet ex verbis Domini ad Petrum et quia his verbis potestas Petro promissa et collata significatur, Primatus proinde Petri non eo redit, ut sit primus inter pares sed ceteris auctoritate praeemineat. Sane Matthaeus haud obscure significat cur Simonem vocet primum, quia nempe est Petrus: *Primus* ait, *Simon, qui dicitur Petrus;* ratio ergo eius primatus est in eo, quod dicitur Petrus. Quaerenda est itaque significatio huius appellationis; at eam ubi reperies nisi penes eundem Matthaeum XVI. in verbis Domini? Ex his igitur Primatus Petri colligendus est. Porro ibi non de aliquo simplici honore sed de auctoritate et iurisdictione sermo est: ergo si Primatum Petrus obtinuit, Primatum obtinuit iurisdictionis.

3º Nec felicior est iste Doctor in afferendis auctoritatibus Patrum

§. 10. ex quibus, ut ipse ait, illud efficitur, quod Petrus fuerit *primus inter pares, nihil plus et nihil minus.* Profertur primo loco testimonium Cypriani, quod iam expendimus in 1ª Th. n. 16. Ex interpretatione, quam dedimus verborum Cypriani, satis constat quam inepte ad eum provocetur. Sed ut magis pateat inscitia arguentis, hanc libet addere animadversionem. Quinam est scopus Cypriani, cum provocat ad verba Domini *Tu es Petrus* etc. institutionemque Primatus? nempe ut ostendat, ex Christi institutione unum esse, sicut in universa Ecclesia, ita in singulis Ecclesiis, cui ab omnibus parendum sit et hinc oriri haereses et schismata, quia haec dominica institutio non servatur. Itaque iuxta nostrum doctorem haec est argumentatio Cypriani: Unus est ex Christi institutione, cui omnes subesse debent, nempe Episcopus; nam Christus Petrum constituit primum inter pares. Optima certe argumentatio, ex qua oppositum prorsus consequitur; nam primo a paribus nulla subiectio debetur.

Eadem ratione ait accipienda esse verba Optati, eaque sunt quae dedimus in 1ª Th. n. 14. intelligenda quidem sunt quemadmodum nos demonstravimus intelligenda esse verba Cypriani; at si secus ea vis intelligere de quodam primatu honoris tantum, primo quomodo id demonstras? frustra vero penes hunc Doctorem huius rei demonstrationem requiras; sufficit ei forte quod verba Optati ita possint accipi. Verum possuntne reapse accipi hoc pacto? loquitur s. Optatus de cathedra episcopali: cathedrae autem episcopalis nomine, aetate certe Optati, intelligebatur cathedra auctoritatis et regiminis: hanc cathedram singularem Petri statutam esse docet, ut unitas ab omnibus servaretur; est ergo haec cathedra principium unitatis: at principium unitatis in societate, cuiusmodi est Ecclesia, quid est nisi auctoritas? porro huic cathedrae ipsi Apostoli adhaerere debebant, ut futuri fuissent schismatici, si contra eam collocassent cathedram suam: at schismaticus in Ecclesia quis unquam reputatus est, nisi qui se subtrahit a debita subiectione Pastoribus? loquitur ergo Optatus de cathedra potestatis, cui ipsi Apostoli subesse deberent: Primatus proinde qui Petro asseritur non is est tantum, quo primus ipse sit inter pares.

Producitur quoque testimonium Leonis M. ex serm. IV. in natali suae assumptionis: ubi dicitur quod etsi in populo Dei multi sint sacerdotes (perperam interpretatur hic doctor *Priester;* intelliguntur enim Episcopi) multique pastores, omnes tamen proprie regit Petrus, quos principaliter regit et Christus. An qui regit proprie alios est solum inter eos tanquam primus inter pares? quis adeo desipit? Profert et verba Hieronymi ex testimonio a nobis recitato Th. 1. n. 5., ubi dicit electum ex Apostolis Petrum, ut capite constituto schismatis

tolleretur occasio. An huiusmodi caput solum est ille qui est primus inter pares et non potius qui in omnes iurisdictione potitur? Audiat ipsum Hieronymum se interpretantem in *lib. adv. Lucifer.* n. 9. « Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuitur potestas, tot in Ecclesia orientur schismata quot sacerdotes ».

Tum non pauca Dr. Langen ex Patribus sive latinis sive graecis recitat testimonia, quibus paritas asseritur inter Petrum et Paulum, sed paritas ratione meritorum, laborum et martyrii: haec vero quid ad nostram quaestionem? De sententia vero Gregorii M. detrectantis titulum Episcopi oecumenici disputabimus suo loco inferius. Satius vero fuisset abstinere a citando Ambrosiastro, cuius nulla est auctoritas, quemadmodum nulla est certa notitia quae habeatur, an quae ex eo citantur, profecta sint a catholico quodam an a schismatico (cf. admonitionem Maurinorum praemissam huic commentario in 4° tomo operum s. Ambrosii). Et haec arbitramur satis esse ut intelligatur, quo argumentorum pondere Doctor iste sententiam catholicam impugnet.

V. Consideremus ergo difficultatem, quae per se sponte oritur contra Primatum Petri supra ipsos Apostolos ex praerogativis propriis Apostolorum. Conferamus simul Petrum et quemvis alium Apostolum. Uterque immediate missus a Deo: uterque instructus potestate praedicandi ubique authentice et infallibiliter: uterque praeditus potestate ubicumque et quaecumque velit ligandi et solvendi et haec sunt de essentia Apostolatus: praeterea uterque instructus potestate ordinis, quam licet quis ab alio accipiat, non fit tamen eo ipso minor dante. In quo ergo Petrus alios Apostolos excedit? quo eius primatus in ipsos Apostolos redit?

Responsio duplici parte constat. Primo scilicet respondemus Petri potestatem fuisse *ordinariam,* Apostolorum ceterorum *extraordinariam;* quod quidem est demonstrandum. Contendimus scilicet potestatem totius collegii apostolici fuisse ordinariam, ordinariam quoque potestatem Petri: nec de alia auctoritate a Christo instituta mentionem faciunt Evangelia, in quibus Christus vel omnes simul Apostolos, vel unum Petrum alloquitur. Contendimus vero eam potestatem, quae singulis aliis Apostolis facta fuisse creditur quaeque huc redit, ut fuerit iurisdictio universalis quoad omnes fideles et auctoritas magisterii infallibilis, fuisse extraordinariam. Quocirca defendimus ordinariam in Ecclesia eam tantum potestatem, quam a Christo institutam esse ex historia evangelica institutionis Ecclesiae novimus, quod non video cur non probetur Protestantibus. Sane proferatur testimonium,

quo demonstretur Christum aliis Apostolis singillatim ac seorsim sumptis aliquid auctoritatis contulisse.

Iam vero quod potestas totius collegii apostolici, in quo et Petrus erat, sit ordinaria, facile omnes dabunt ipsique haeretici, qui eam in universa Ecclesia perseverare docent. Quod autem potestas data Petro ordinaria quoque fuerit, mox demonstraturi sumus in seq. Thesi et idcirco nunc supponere licet. Illa vero potestas universalis et auctoritas infallibilis singulorum Apostolorum certe erat extraordinaria. Nam in hac constat historice nullos exstitisse successores, qui singuli eam obtinerent. Episcopi enim, qui praesunt, debent singuli singulos suos greges pascere, ut Petrus 1ª ep. V. 2. praecepit et Paulus Act. XX. 28. atque canonibus Apostolicis (cf. Cann. 14. 32. 35.) primorumque Conciliorum sancitum est. Nullus praeterea Episcopus seorsim est infallibilis; secus tot Episcopi non fuissent haeretici: fac enim e. g. Nestorium fuisse infallibilem, erravit ergo Cyrillus eum condemnans et Caelestinus; aliquis ergo fallibilis erat. Itaque ea universalis potestas iurisdictionis et magisterii infallibilitas singulis concessa propria erat Apostolatus: at hic desiit desinentibus iis primis missis immediate a Deo; ceteri enim non amplius primi, sed secundi. Atque haec intelligenda sunt de Episcopis singulis comparatis cum Apostolis: si enim spectetur totus Episcoporum coetus, ipse eadem ac Apostoli potestate et auctoritate gaudet, quae in Ecclesia perennis esse debet. Quare verissimum est quod dicitur, potestatem Petri fuisse ordinariam, ceterorum extraordinariam.

Id iam constituit quoddam discrimen inter potestatem Petri et cuiusvis alterius Apostoli: verum nondum nodum difficultatis plane solvit; nam si personas consideras habentes potestatem, adhuc videntur pares alius quivis Apostolus et Petrus. Scilicet statuitur certe discrimen inter successores Apostolorum et successores Petri; inter Apostolos autem ipsos et Petrum discrimen ad summum exsistere videtur quoad quendam modum, quo ea potestas singulis inest: nempe ita inest Apostolis, ut cum ipsis exspirare debeat eamque ii nequeant in suos successores derivare, inest scilicet non perpetua, sed tandem desitura; e contrario ita Petro inest, ut perpetua sit futura et inamissibilis. Verum si ratio habeatur potestatis secundum se spectatae ipsique Apostoli ea fruentes cum Petro conferantur, nullum reale discrimen inter ipsos Apostolos et Petrum ex eo oriri videtur quod ea potestas fuerit extraordinaria in Apostolis, ordinaria in Petro. Quocirca ea responsio non sufficit pro explicanda excellentia et primatu Petri in ipsos Apostolos. Et tamen discrimen inter ipsos Apostolos et Petrum illorumque huic

subiectio tanquam capiti in regimine universalis Ecclesiae, veritas est Fidei definita, ut liquet ex propositionibus in fine Thesis afferendis.

VI. Itaque id demonstrandum est. Ut ergo Petri primatus in ipsos Apostolos verus esset, id requirebatur, ut scilicet iurisdictio Petri secundum speciem perfectior esset iurisdictione Apostolorum atque adeo extensione et intensitate maior, atque ut ipsi Apostoli iurisdictioni Petri obnoxii forent. Iam vero iurisdictio Petri secundum speciem differens et perfectior erat: erat enim potestas *Petrae*, potestas *habentis claves Ecclesiae*, potestas *Confirmatoris:* porro *esse Petram Ecclesiae*, *habere Ecclesiae claves, Confirmatorem esse fratrum*, dignitas est specifice differens ab ea dignitate, quae est communis aliis Apostolis, quae subordinata est Petrae, habenti claves, confirmatori: cum ergo potestas Petri respondeat eius dignitati, et sit *potestas Petrae Ecclesiae, habentis claves Ecclesiae, Confirmatoris fratrum*, est necessario potestas specie perfectior potestate ceterorum Apostolorum. Hinc erat potestas *extensione* maior, se porrigebat enim ad ipsos Apostolos, in quos nullus alius Apostolus potestatem habebat: erat *intensitate* maior; poterat enim 1° plures et nobiliores actu quam potestas Apostolorum, eos nimirum actus qui in ipsos Apostolos exercerentur: 2° erga ipsos fideles plus poterat quam quivis alius Apostolus; in rebus enim disciplinaribus poterat solvere quod Apostolus ligasset, ligare quod ille solvisset, vel dispensando fideles in lege ab Apostolo lata, vel abrogando eius legem, vel legem ferendo sine consensu Apostoli eoque etiam non probante; nam fideles omnes primum commissi curae Petri et Apostoli subordinati Petro erant. Unde solius Petri potestas reapse erat plena, quod notandum est. Itaque potestas iurisdictionis Petri ipsos quoque Apostolos extraordinaria potestate auctos complectebatur; ea enim potestas extraordinaria, quantumvis ampla, erat inferior potestate Petrae Ecclesiae, habentis claves Regni et Confirmatoris eidemque subordinata. Itaque *in actu saltem primo* potestas et iurisdictio Petri maior erat potestate et iurisdictione ceterorum Apostolorum.

Quoad *actum secundum* vero sive quoad eius exercitium et effectus, advertere licet, quod potestas Petri duplici modo actiones Apostolorum moderabatur. Primo *indirecte,* quatenus nempe cum ius esset Petro exigendi, ut sibi tanquam Capiti Apostoli adhaererent, ii non nisi adhaerentes Capiti Petro eique ut supremo Pastori visibili oves omnes adunantes, ministerium omne suum docendi regendique legitime exercere poterant: unde quamvis a Petro missionem Apostoli non haberent, nihilque eis Petrus actu praeciperet, subordinatio tamen Apostolorum Petro, quem fundamentum et caput universae Ecclesiae revererentur,

conditio erat necessaria ministerii Apostolici. Tum deinde *directe* quoque iurisdictio Petri in Apostolos exercebatur vel poterat exerceri; eis enim vere praecipere poterat 1° certe quoad eas res quae fuissent praeter missionem universalem Apostolorum, cuiusmodi fuit electio Matthiae, vel quae a toto eorum coetu vel pluribus ex iis simul fieri debuissent, ut e. g. Synodi celebratio, quae quoad res disciplinares potuisset utilis esse; 2° quoad eas etiam res disciplinares quae cum non essent a Christo determinatae, relictae erant arbitrio Apostolorum et potissimum Petri: iure enim Pastoris supremi et universalis potuisset Petrus ferre leges pro universa Ecclesia quas nullus Apostolus potuisset solvere, imo cuius observationem debuisset urgere, ne schismaticus esset: eodemque iure poterat Apostolos obligare ut certas leges disciplinares statuerent. Itaque cum potestate extraordinaria Apostolorum Primatus Petri optime conciliatur, vereque Petrus potestate iurisdictionis in ipsos Apostolos fruebatur, ipseque unus plenitudinem habebat potestatis.

Itaque obiicientibus quod Apostolis quoque facta sit potestas universalis ligandi et solvendi et collatum charisma infallibilitatis, respondendum est quoad 1^{m} cum distinctione: potestas ordinaria, *neg.*, extraordinaria, *subd.:* potestas extensione et intensitate par potestati Petri, *neg.*, potestas *impar*, *subd.:* quae proinde exigeret subordinationem Apostolorum cathedrae Petri et quae non excluderet potestatem exercendae iurisdictionis in ipsos a Petro, *conc.*, quae secus se haberet, *neg.*

Quoad 2^{m} nempe charisma infallibilitatis, respondendum est: extraordinarie collatum est Apostolis singulis citra ullam subordinationem ad Petrum *neg.*, cum hac conditione, ut docentes Petro tanquam Petrae et capiti adhaererent, ipsique tanquam supremo sub Christo Pastori oves adunarent, *conc.*

Nec his adversatur quod Paulus Gal. II. 6. dicit, eos qui videbantur esse aliquid (οἱ δοκοῦντες, aliqui addunt τι εἶναι, quod in superioribus exstat), Apostolos nempe, qui esse videbantur (h. e. erant manifeste) *columnae* v. 9., nihil sibi contulisse. Loquitur enim Paulus de missione sua et speciatim de auctoritate docendi seu magisterio, quod a Christo immediate accepit, a quo et immediate edoctus fuit (I. 11. 12).

VII. Qua quidem in re mirari subit nolle Protestantes et modo etiam veteres catholicos intelligere id quod adeo clare Scripturae docent. Cum ipsis proponimus verba Christi dicta ad Petrum, reponunt statim eandem potestatem factam esse Apostolis ceteris. Id vero quo argumento probant? quia nempe et illis facta est potestas ligandi et solvendi missique sunt ad docendum et fundandas Ecclesias in universum orbem. Verum ubi scriptum est aliis quoque Apostolis factam esse a

Christo appellationem Petrae, aliis quoque Apostolis datas esse claves regni? haec uni Petro, non aliis etiam simul sumptis Apostolis dicta sunt. An idem his phrasibus significatur ac illis: *quaecumque ligaveritis* etc.? verum superius ostendimus non minimum esse inter eas discrimen. Rursus cur non advertunt non tantundem esse potestatem aliquam uni fieri, et eandem fieri pluribus collegialiter adunatis inter quos sit et ille unus? quod quidem iam superius expendimus. Cur numquam Protestantes solliciti sunt de ratione reddenda huius facti, quod Christus uni Petro singillatim seorsim ab aliis, non Ioanni, non Andreae etc. promiserit et dederit potestatem? Si non erat instituenda nisi potestas quaedam communis, cur non fuit contentus Christus verbis dictis ad omnes Apostolos? videant ergo Protestantes, quinam sint qui Scripturis vim faciunt, ipsine an catholici.

VIII. Doctrina statuens omnimodam aequalitatem inter b. Petrum et alios Apostolos sine subordinatione et subiectione eorum Petro in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, declarata est haeretica ab Innocentio X. decreto s. Inquisitionis 29. Ian. 1647. Et iam Ioannes XXII. proscripserat ut haereticam proposit. 2^m^ Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno, quod b. Petrus non plus auctoritatis habuit quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput (Constit. iam citata). Post quem Clemens VI. in epistola dogmatica ad Armenos qui unitatem Romanae Ecclesiae cupiebant (Oderic. Raynaldi an. 1351. n. 3.) proponens credenda, id primum interrogat: « Si credis, quod b. Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super omnes fideles christianos a Domino I. C. et quod omnis potestas iurisdictionis, quam in certis terris et provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Iudas Taddaeus et ceteri Apostoli, subiecta fuerit plenissimae auctoritati et potestati, quam super quoscumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis b. Petrus ab ipso D. I. C. accepit et quod nullus Apostolus vel quicumque alius super omnes Christianos nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit ».

CAPUT II.

DE SUCCESSIONE IN PRIMATU B. PETRI

THESIS VII.

« *Quod autem in b. Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est* » (Conc. Vatic. Sess. IV. cap. 2.).

I. Sensus non est quod potestas collata a Christo Petro debeat deinceps in Ecclesia esse hoc pacto quatenus scilicet ea succederet Petro in hac potestate; sed sensus est, quod Petrus in primatu a Christo instituto debeat ex eadem Christi institutione iugiter singulares in Ecclesia habere successores, quae fundata ab initio super petram, super eandem ad finem usque seculorum firma stabit. Ita Pius VI. in litteris *Super Soliditate* quibus Eybelii librum: *Quid est Papa?* damnat: « Super soliditate Petrae fundatam a Christo Ecclesiam Petrumque singulari Christi munere prae ceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps exsisteret totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque *in successores omni aevo propagandam susciperet,* dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit saepiusque adversus novatorum errores, summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit ».

II. Negant successionem perpetuam in Primatu Petri non ii tantum qui nolunt aliquid peculiare prae ceteris Petro fuisse tributum a Christo sed et qui hoc admisso contendunt id privum fuisse et personale Petro. Quibuscum Dr. Langen ita rationes suas subducit. Verba Christi (Matth. XVI. 18.) spectant e sententia Patrum personaliter ad Petrum, nec unquam a Patribus ea enarrantibus ad eius successores referuntur. Et sane promissio Christi nexa est necessario cum merito confessionis fidei editae a Petro: illud autem proprium fuit Petri neque in aliquos successores derivandum; ergo et praemium, quod pro illa rependitur, proprium fuit solius Petri. Pariter munus confirmandi fratres supponit conversionem Petri a lapsu ipsumque lapsum: haec porro rursus propria sunt et priva Petri. Secus si verba Christi; *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, pertinent quoque ad successores quosdam Petri, oportebit hos successores antea labi et deinde converti, ut in

ipsis vera sint verba Christi (l. c. §. 7.). Rursus si aliquis est Vicarius Christi in Ecclesia, qui Episcopis ceteris superemineat, licebit ita res componere ut ex una parte ponatur Christus eiusque Vicarius, ex altera ponantur Apostoli cum Episcopis: Vicarius proinde Christi ita alloqui poterit Episcopos: sicut misit me Pater, et ego mitto vos; quod nemo non videt quam sit absurdum. Praeterea si Vicarius Christi simul est cum Christo, cur Christus alloquens Apostolos complectitur una omnes comprehenso inter eos etiam Petro? sic enim Petrus Vicarius Christi conferret aliis auctoritatem cum Christo et simul cum illis eam acciperet a Christo, quod contradictorium est (§. 6.).

Alii cum Salmasio (in Appar. cit. pag. 16. 17.) negant Petrum posse habere successorem, quia Apostolis non succeditur; Apostolorum enim auctoritas extraordinaria fuit, quae debuit cum ipsis desinere. Et sane quis succederet nisi aliquis Episcopus? at nequit Episcopus succedere Apostolo, quia Apostolus non erat Episcopus? et successio non est inter diversos. Demonstrabimus primum veritatem in Thesi assertam, tum his argumentis faciemus satis.

III. Porro perpetuitas Primatus, sive successio perpetua Petro in primatu *ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino*, iis argumentis demonstratur, quae a Patribus vaticanis innuuntur. Etenim 1° Petrus se habet ad Ecclesiam ut fundamentum ad aedificium: Petri stabilitas et fortitudo ratio sunt cur portae inferi contra Ecclesiam non sint praevaliturae: Petrus is est qui confirmat in fide fratres contra tentationes Satanae; atqui aedificium hoc, quod est Ecclesia, non cum persona Petri cessare debet, sed usque ad finem seculi permanere; tum oportet ut nunquam contra Ecclesiam praevaleant portae inferi, oportet ut fratres in fide confirmentur semper, quia nunquam deerunt Satanae tentationes; porro aedificium durare nequit sine fundamento nec nisi ipsi innixum firmum stabit contra impetus inferni fratresque confirmari non possunt si desit confirmator: ergo Petra Ecclesiae, Confirmator στήριγμα fratrum perpetuus esse debet.

Et sane iurisdictio suprema uni Petro concredita, qua omnia ad unitatem revocantur, est elementum intrinsecum constitutivum Ecclesiae a Christo institutae; quia forma regiminis est de essentia societatis: atqui Ecclesia cum iis elementis intrinsecis perseverare debet, cum quibus a Christo est instituta: ergo. Porro ex hoc argumento liquet iura omnia promissa et collata Petro non fuisse extraordinaria, sed ordinaria: ius enim ordinarium illud dicitur heic, quod semper in Ecclesia esse debet: atqui ea iura omnia spectant ad essentiam Primatus Petri a Christo instituti, hic Primatus ex eiusdem Christi institutione debet semper esse in Ecclesia: ergo.

Praeterea 2° Matth. XXVIII. 20. Christus alloquens omnes Apostolos promittit semper se cum illis futurum, cum illis scilicet quatenus aucti erant iuribus divinis h. e. promittit, se protegentem eorum iura semper mansurum semperque mansurum eum statum socialem, qui ex illis iuribus constituebatur: porro cum Apostolis aderat quoque Petrus auctus Primatu: ergo et Primatus Petri perpetuus esse debet. Dices: iura singulorum Apostolorum propria Apostolatus desierunt cum ipsis: quidni ergo et Primatus Petri? Respondeo α) Christus omnes Apostolos simul alloquitur; unde ea iura promittit fore perpetua, quae spectant ad coetum Apostolorum, non ad singulos: porro eae singulares praerogativae Apostolorum non spectabant ad coetum. At Primatus Petri ad ipsum coetum Apostolorum spectabat; erat enim principium unitatis Apostolici coetus, qui propter illum ad unitatem revocabatur: si ergo omnia iura eius coetus manere debent idemque status, ius quoque Primatus perpetuum esse debet. β) Discrimen rursus est quod potestas singulis aliis Apostolis facta non esset specie diversa a potestate eorundem simul sumptorum nec prout in singulis reperiebatur esset necessaria Ecclesiae; quare desinentibus quoque specialibus illis praerogativis, eadem iura in Ecclesia manebant idemque status: at si deiisset Primatus Pretri, ius aliquod et quidem praecipuum, quod in eo coetu Apostolorum reperiebatur, prout in eorum capite erat, desiisset nec amplius idem status socialis permansisset, quo coetus Apostolorum continebatur. Itaque necesse est, ut si Christus futurus est semper cum Apostolis, futurus sit quoque semper specialiter cum Petro.

Praeterea 3° ex doctrina Apostoli 1ª Cor. XII. 12. scqq. patet Ecclesiam esse unum corpus unumque caput habere homogeneum sibi praeter Christum. Inquit enim Paulus v. 21. quod *caput non potest dicere pedibus: non estis mihi necessarii:* at Christus id dicere merito potest omnibus fidelibus; caput igitur, de quo loquitur Paulus, est aliquis alius a Christo et sub Christo, spectans ad Ecclesiam visibilem: hic vero quis esse potest nisi Petrus? Porro quemadmodum est ex Christi institutione quod Ecclesia sit unum corpus, ita et quod habeat hoc caput. Cum ergo Ecclesia debeat esse ex Christi institutione perpetua, ex eadem quoque caput iugiter cum corpore durare debet: ergo quandiu Ecclesia erit, Petrus successores habebit.

Idem 4° testantur Patres, qui docent Petrum constitutum esse a Christo fundamentum ac solidissimam petram Ecclesiae suae, petram hanc non vinci ab inferorum portis: Petrum autem in suis successoribus iugiter vivere et praesidere, ad quos pariter spectant Christi verba: huc faciunt testimonia plura Patrum citata in Th. 1. sub n. 2.

post coroll. 7. et sub n. 5. primo loco, quae modo satis sit indicasse; nam in progressu tractationis et praecipue in seq. Th. erunt non pauca ex iis aut similia recitanda, in quibus et illud contineri quod modo defendimus manifestum erit. Eadem veritas pariter constat ex doctrina Patrum asserentium Petro potestatem collatam esse ut unitas Ecclesiae formaretur (Pacianus epist. 3. ad Sympronianum, Optatus, Cyprianus locis iam citatis). Idem argumentum confirmat quoque ea interpretatio adhibita a Patribus verbis Matth. in controversia Novatiana, de qua vide Augustinum in praeced. Thesi.

Ergo ex iure divino sive ex ipsa Christi institutione Primatus Petri perpetuos habere debet successores.

Porro ex allata demonstratione liquet perpetuitatem iure divino Primatus Petri esse veritatem in Scripturis revelatam. Haec enim veritas ope simplicis analysis rei explicite revelatae colligitur ideoque immediate revelata non quidem *verbaliter*, sed *realiter*, h. e. ratione habita rei expressae, censenda est. Sane analysi instituta rei expressae verbis Matthaei XVI.: *Tu es Petrus* etc. manifestum est, Ecclesiam Christi, non huius vel illius aetatis, sed Ecclesiam, quam Christus aedificaturus est, h. e. Ecclesiam perennem referri ad Petrum tanquam ad suum fundamentum suumque caput: his vero continetur, Ecclesiam esse non posse sine Primatu Petri, relativa enim simul sunt et tandiu debere esse Petram quandiu futura est Ecclesia: ergo.

IV. Itaque ut adversariorum argumenta expediamus, primum aequivocatio illa puerilis tollatur, cum praerogativae Petri dicuntur personales. Personales enim sunt; quia Petro propriae non communes aliis Apostolis ceterisque fidelibus fuerunt, non vero personales sunt quatenus ipsi ut privatae personae datae fuerint, vel fuerint ita datae ut cum eo cessare deberent. Quod enim datum est, ad Ecclesiae bonum per se spectat, publicumque est munus et officium, quo Ecclesia nunquam carere potest. Nexus vero huius auctoritatis collatae Petro cum merito eius confessionis in eo quidem est ut prae ceteris Apostolis meruerit Petrus hac publica dignitate insigniri, aliqua enim persona ad hoc deligenda erat; non autem in eo est quod sicut meritum confessionis Petri ipsi soli inest nec illud transit ad alios, ita ad alios non transeat dignitas ei collata. Nam utrum haec transeat vel non transeat ad heredes, id ex natura ipsius petendum est; si enim est auctoritas ex Christi institutione Ecclesiae necessaria, ea utique perpetua sit oportet propriumque et privum Petri erit, quod in ea habenda fuerit primus: quae specialis praerogativa utique ad heredes non transit. Idem dicendum ad argumentum petitum ex verbis Christi apud Lucam: sed et praeterea advertendum quod absque ulla ratione sufficienti conten-

ditur, ibi supponi lapsum Petri eiusque conversionem. Sed de his rursus redibit sermo, cum de infallibilitate Rom. Pontificis disputandum erit. Falsum vero est quod dicitur Patres nunquam retulisse verba Christi ad successores Petri. Porro ut Petrus Vicarius esset Christi non erat opus ut ipse mitteret Apostolos; sed etsi isti immediate missi essent a Christo, si tamen ita mittebantur, ut subordinati essent Petro, iam et quoad illos Petrus erat Vicarius Christi. Episcopos vero tum Petrus tum eius successor mittere poterant, et reapse mittunt cf. Th. XIV.; at non exinde sequitur Vicarium Christi posse sibi usurpare verba Christi sensu eo proprio, quo dicta sunt a Christo; nam non est par Christo Vicarius eius: sed solum analogice, in quo nulla est absurditas. Quatenus vero Petrus auctoritate insignitur a Christo ex parte eorum est qui accipiunt a Christo: quatenus autem hac auctoritate insignitus regit Apostolos eorumque successores iisque firmitatem et unitatem praestat, ex parte est Christi, sed sub ipso et per ipsum id praestat: ideoque nulla est contradictio.

Argumentum Salmasii, quod ipse invictissimum putat, nullum est. Nam falsum est, Apostolis non succedi; neque enim omnis auctoritas apostolica erat extraordinaria: imo proprie nulla erat extraordinaria, sed potius modus eam habendi quidam extraordinarius erat, quatenus ceteri singuli Apostoli eam plene possiderent quoad omnes fideles singulique Apostoli essent infallibiles. At auctoritas Petri utpote Petrae Ecclesiae, Pastoris totius gregis, habentis claves Regni, Confirmatoris fratrum, auctoritas item apostolica totius coetus apostolici et auctoritas pure episcopalis ceterorum Apostolorum erat ordinaria; instituta quippe a Christo est ut ipsa Ecclesia esset. Quod vero ait Salmasius Apostolos Episcopos non fuisse, id ex eius imaginatione pendet, quod Episcopi, quales nunc sunt, iure humano post aetatem apostolicam coeperint esse in Ecclesia; qua in re bene confutatus est a Petavio in Libris de Hier. Eccl. Cf. Prolegom. §§. 16. et 17.

Itaque Primatus Petri non erat privilegium personale; institutus est enim in bonum Ecclesiae et ut perpetuus esset: et quamvis Petro potius quam alii propter eius singularia merita collatus sit, non tamen propter ea merita remuneranda fuit Primatus *institutus*, sed propter Ecclesiam.

NOTA IN SEQUENTES THESES

I. Proleptice sumimus modo veritatem historicam Episcopatus Romani, quem Petrus usque ad mortem gessit, de quo deinceps magis opportunum erit disputare cuiusmodi factum sit, an pure factum dogmaticum, an factum revelatum divinaque fide credendum. Ad ar-

gumenta historica quod spectat lege Petrum Foggini *de Rom. Divi Petri itinere* etc. Gregorium Cortesium S. R. E. Cardinalem, *de Romano itinere gestisque Principis Apostolorum, edit. Romae* 1770.: quibus adde et egregium opusculum, quod de eadem re paucos ante annos edidit Sebastianus Sanguineti S. I., cum in hoc Collegio Historiam ecclesiasticam traderet. Deinde nescio quis doctus vir idem factum demonstravit testibus pluribus productis ex sectis orientalibus Syrorum.

II. Satis sit triplici, licet satis ineptae, occurrere difficultati. Prima est quod non potuerit Petrus esse Episcopus Romae; quia Ecclesia Romana ex gentibus collecta est: Apostolus autem gentium non Petrus, sed Paulus fuit; ergo Paulus non Petrus fuit Ecclesiae huius fundator primusque Episcopus. Ita cl. Salmasius in Apparatu citato pag. 6. contra omnis historiae certissimam fidem ipsiusque Verbi Dei scripti auctoritatem. Sane an ea distinctio inter Apostolatum utriusque, ut Petro creditus esset apostolatus Iudaeorum, Paulo vero gentium, eo spectabat ut Petrus non posset aut non deberet gentes evangelizare ex iisque colligere ecclesias? Quis hoc docuit Salmasium? si ita est, cur per specialem visionem Petrus a Deo excitatur, ut primus gentes in Ecclesiam introducat? Nonne Petrus cum ceteris Apostolis missus iam fuerat a Christo ad gentes, cum dictum est eis: *euntes ergo docete omnes gentes...?* Si ea distinctio presse ad verbum urgetur, ut facit Salmasius, doceat nos ipse, quid reliquum erat ceteris Apostolis: quod si ceteri, non obstante apostolatu Pauli, poterant gentes evangelizare et inter gentes ecclesias fundare, quod nisi insanus non negabit; cur non poterat Petrus non inferior certe illis? Ceterum contra facta quid valent argumenta a priori? Non vigebat et florebat Ecclesia Romana ita, ut fides eius praedicaretur ubique, antequam Paulus Romam venisset et de excolenda ea parte dominici gregis cogitaret; ut eius epistola ad Romanos testatur? Dices eam fuisse parvam Ecclesiam collectam ex Iudaeis qui pauci Romae morabantur. Respondeo primum: esto, licet negem paucos numero fuisse tum Romae Iudaeos saltem proselytas. Sed etsi ex Iudaeis fuit, ea fuit Ecclesia Romana incipiens, nec alia postea Ecclesia successit, sed eadem ampliata fuit. Verum secundo ipsum argumentum epistolae Paulinae satis docet, Ecclesiam, ad quam scribit, ex Iudaeis et gentibus coactam fuisse. Et tamen eam Paulus non instituerat. Somniatur ergo Salmasius.

Excipiunt rursus Protestantes aientes, Apostolatum cum Episcopatu componi non posse. Apostolus enim ad omnes gentes missus nullibi fixam sedem habere debuit nec singulari gregi sed omnibus pascendis intentum eum esse oportuit: contra Episcopus fixam sedem alicubi habet singularemque gregem. Sane nullus alius Apostolus legitur ali-

cuius particularis Ecclesiae Episcopatum gessisse. Verum 1° nulli maiorum haec repugnantia Apostolatum inter et Episcopatum venit in mentem. 2° Apostolus quidem missus est ad omnes gentes, sed haec missio non perinde est ac iussio ut quisque Apostolus ad omnes gentes se conferret; quod nec potuisset fieri. Missio ergo illa universalis in eo erat, quod potestas singulis facta esset eundi quo vellent, nullus eis locus definitus esset; in arbitrio vero ipsorum relictum fuit, quae peragrare vellent loca, quas gentes erudire vellent. Quare electio locorum et gentium a prudentia Apostoli pendebat, qui si putasset divinae gloriae magis conducere, ut aliqua in civitate fixam sibi sedem statueret idque exsecutus esset, nihil egisset quod obligationi Apostolatus adversaretur. Pariter Episcopatus ratio non postulat ut quis ita alicui loco affixus sit, ut ab eo nunquam recedat, si praesertim fungentes vice sua relinquere ibi possit: sed postulat, ut Episcopus iure principe et ordinaria iurisdictione potiatur in certum gregem, qui ipsi tanquam capiti et pastori adhaerens una exsistat Ecclesia. Cum hoc vero conciliatur excursio et digressio ad alia loca etiam longinqua, etiam per longum tempus, quod honeste fit, cum causa subest. Itaque Apostolatus et Episcopatus non invicem pugnant.

Quod autem subditur, nullum alium legi Apostolum, qui Episcopus fuerit, 1° id per se imbecillum est: 2° e gravissimorum criticorum sententia Iacobus Ierosolymorum Episcopus fuit Apostolus ex duodecim: 3° id etsi aliqui negent (inter quos acerrime Franc. Antonius Zaccaria in Dissert. Latinis De rebus ad historiam etc... Tom. 1. diss. 1ª superiorum argumenta retexens, quin tamen ullum ex argumentis quae profert demonstret vere quod contendit), advertendum est tamen, quod qui negant Iacobum Episcopum Ierosolymorum fuisse Apostolum ex duodecim, concedunt tamen fuisse ex primoribus Apostolis, in eodem nempe censu in quo fuit Paulus (cf. Diss. cit.). Atqui cum Paulus nihil minus Apostolus esset quam quis ex duodecim (Th. 6.); si ipsi eiusve pari Iacobo licebat Episcopatum alicuius Ecclesiae suscipere, ut in illa opinione supponitur, licebat ergo et ceteris Apostolis. Ceterum specialis erat ratio cur Petrus cathedram aliquam episcopalem sibi vindicaret; nam Apostolis reliquis non erat succedendum in ipsa potestate Apostolatus, quae extraordinaria erat, succedendum autem erat Petro in Apostolico Primatu. Id autem sequenti thesi declarabitur.

Tandem ait Salmasius (l. c. p. 18.) et post eum Dr. Langen (P. 1. §. 6) quod si quis est Vicarius Christi primatum gerens in universam Ecclesiam tanquam regnum suum, nequit is esse Episcopus alicuius particularis Ecclesiae: quemadmodum Rex Galliarum non est Rex Parisiorum et propter hoc Rex Galliarum, sed ex aequo immediate Rex

est omnium civitatum omniumque subditorum huius regni. Iure ergo excipitur contra praerogativam Primatus assertam cuidam Episcopo determinatae Ecclesiae, cuiusmodi est Episcopus Romanus.

Verum licet sciscitari a Salmasio, an censeat repugnantiam aliquam in hoc esse quod qui Episcopus est alicuius Sedis sit quoque Christi Vicarius pro universa Ecclesia primatumque iurisdictionis obtineat in ceteros Episcopos? Hanc repugnantiam nunquam Ecclesia sensit, nec Salmasius demonstravit et si potest alicuius sedis Episcopus esse pro pluribus aliis Episcopis metropolita aut patriarcha, non liquet cur nequeat esse supremus Pastor Christique Vicarius. Cum ergo nulla per se ostendi possit repugnantia, quaestio an ita sit, solvenda est argumentis historicis, non a priori. Quamvis a priori eiusdem rei convenientia satis sit manifesta. Est enim Ecclesiae quam maxime necessarium, ut certus eidem sit successor Petri, ideoque sit certa ratio successionis; haec vero nulla ratione magis certa fieri posse videtur, quam si alicui sedi determinatae sit successio alligata.

THESIS VIII.

Distinguenda est lex successionis *a* conditione successionis *in Primatu. Lex successionis est ipsa divina institutio Primatus eiusque perennitatis: conditio est titulus quo efficitur ut hic potius quam alius succedat. Huiusmodi porro conditio determinata est a facto originali Petri, quo Romanam Sedem evexit ad dignitatem Primatus. Romanus ergo Episcopus, qui solus debitae conditioni facit satis, obtinet iure divino vi legis successionis Primatum in universam Ecclesiam. Quocirca cum quaeritur quo iure Romanus Episcopus succedat Petro, si intelligatur non comparative sed absolute quo iure potiatur eadem auctoritate ac Petrus, respondendum prorsus est, ipsum iure divino succedere Petro.*

I. Non omnes partes huius thesis eo ordine probabuntur quo sunt dispositae idque, ut manifestum fiet, gratia claritatis. Itaque ut exemplo distinctionem traditam declaremus: in quavis societate politica ex naturae lege aliquis aut aliqui esse debent qui suprema potestate potiantur, forma vero regiminis ex voluntate societatis vel ex certis factis determinari potest. Ita in romana republica lex erat rempublicam annuis duobus consulibus regendam esse: consules nuncupati, ex lege naturae determinata a voluntate sociali, rempublicam capessebant et moderabantur. Si ergo quaeratur quo iure *Consules exsistebant* et singulis annis novi veteribus succedebant: respondendum est, *iure naturae et iure sociali: iure naturae*, prout erant regimen aliquod societati

necessarium, *iure sociali,* prout erant certa forma regiminis. Porro conditio successionis erat e. g. ut quis inferiora munera reipublicae obivisset, ut praesens peteret, ut populi suffragiis eligeretur. Ex his adiunctis simul concurrentibus, vel secus, efficiebatur ut hic prae alio consul esset. Quare si quaeratur cur *hic potius quam ille* consul fuerit, respondendum est, quia hic potius quam ille faciebat satis conditionibus postulatis, non quia natura salusve reipublicae id flagitaret; quod quidem in priore quaestione respondendum foret. Quia vero in eodem subiecto una coibant et auctoritas et talis forma regiminis, quae non nisi in concreto esse possunt, et conditiones ad eam obtinendam: hinc iidem homines erant Consules remque publicam administrabant iure naturae et sociali determinante ius naturae, atque iure personali expletae conditionis; *absolute* quidem consules iure naturae determinato a voluntate societatis, *comparative* autem, hi potius quam illi, iure expletae conditionis.

Iam vero, si haec ad Ecclesiam transferantur, lex successionis est ipsa lex perennitatis Primatus; eo enim titulo quo Primatus perennis esse debet, eodem et successores Petri exsistere debent. Titulus porro praefiniens perennitatem Primatus est voluntas Christi. Quare ius, quo stabilitur exsistentia successorum in Primatu usque ad finem seculi, non est humanum, sed divinum, ex voluntate Christi institutoris profectum. Porro adverte discrimen inter regimen politicae societatis et regimen Ecclesiae quoad hoc; nam licet regimen esse aliquod in politica societate sit ex institutione naturae, forma tamen regiminis non determinatur solo iure naturae; at in Ecclesia eadem voluntas divina quae regimen in ea esse voluit, et formam quoque regiminis determinavit: unde in Ecclesia totum hoc nempe regimen et forma ipsius est prorsus de iure divino.

II. At ab hoc iure divino instituente Primatum eiusque perennitatem ideoque successionem perpetuam in eo, distinguenda est conditio successionis. Quae quidem distinctio accurate est facienda. Non enim volumus dicere vel quod ipsa conditio non potuerit iure divino constitui, quod nemo non videt falsum esse, vel quod reapse non fuerit iure divino constituta; de hac enim re inferius disputabimus: sed id dicimus 1^0 quod spectatis rerum essentiis, alia est ratio conditionis successionis, propter quam hic potius quam ille succedit, alia est ratio legis successionis, per quam ipsa exsistentia perpetua successorum stabilitur: atque 2^0 quod necesse non fuit Christum voluntate *antecedente* determinare conditionem successionis, quemadmodum legem successionis statuit, ad hoc ut quis deinceps iure divino succederet Petro in Primatu.

Primum liquet ex declaratione superius tradita, ex qua etiam alterum ita probatur. Voluntas *antecedens* Christi determinans conditionem successionis esset voluntas, quae ante quodvis factum vel actionem Petri aut Ecclesiae constitueret, quinam ex tot succedere deberet, sive aliqua lege universali lata definiente modum successionis sive singulis vicibus designando successorem: atqui huiusmodi antecedens determinatio non fuit necessaria. Etenim quamvis Christus permiserit Petro sive Ecclesiae determinare modum successionis (quem tamen ipse deinceps voluntate *consequente* ratum habuerit Th. 10.), haec tamen determinatio eo tantum spectasset, ut *comparative hic potius quam ille* succederet Petro Primatumque obtineret; non vero ut hic *absolute* succederet Primatumque haberet; id enim pendet prorsus a lege successionis, quam determinatio conditionis supponit; qua lege successionis non exsistente, nemo succedere posset seu Primatum post Petrum in Ecclesia habere. Quare etiam in hac hypothesi succederet quis Petro sive Primatum post ipsum in Ecclesia haberet, quia Christus voluit Primatum esse perpetuum; succederet ergo iure divino.

Nimirum ius est divinum ut sit semper Primatus in Ecclesia; sive ut sit semper aliqua persona quae iure divino debet esse et est Primas in Ecclesia; determinata autem per conditionem persona, haec sola, ceteris exclusis, eodem ipsa iure Primatum obtinet in Ecclesia; obtinet enim quia Christus vult esse Primatum. Quemadmodum lex est naturae oportere in societate esse auctoritatem quae regat, ideoque aliquem aut aliquos qui ea potiantur: quem penes vero illa sit, id determinationi permittitur vel hominum vel facti alicuius. Robertus autem Rex factus defuncto Patre quo iure est Rex? prout absolute auctoritatem habet, iure naturae eoque iure leges ferre potest quibus poena capitis in reos animadvertat etc. Scilicet ius, quo aliquid obtinetur, eiusdem est generis ac illud quod aliquid obtinendum esse decernit.

Adverte tandem, quoniam conditio ut quis Petro succedat, est, ut videbimus, Episcopatus Romanus, aliud esse quaerere, quaenam sit conditio ut aliquis Petri successor exsistat, aliud quaerere quaenam sit conditio ut hic vel ille sit Episcopus Romanus. Priori quaestioni respondemus, eam esse Episcopatum Romanum, ideoque solos Episcopos Romanos esse successores Petri in Primatu: alteri respondendum est, esse eas leges quibus regitur electio Romani Pontificis. Sed de hac conditione, quae remota est, non disputamus.

III. Probamus ergo primum, *Romanos Episcopos solos esse successores b. Petri in Primatu,* tum probabimus eosdem *iure divino* in Primatu succedere: succedere autem b. Petro in Primatu nihil aliud est quam Petri Primatum post Petrum in Ecclesia obtinere. Quoad pri-

mum argumenta haec sunt. α) Argumentum ab exclusione petitum. Auctore Christo divinoque iure quousque Ecclesia durat, haberi iugiter debet successor Petri in Primatu; hic autem unicus quovis tempore esse debet: atqui usque ad Concilium Florentinum nemo alius in Ecclesia habitus est Petri successor quam Episcopus Romanus; ergo hic est et ipse solus successor in Primatu Petri. Consequentia evidens est; fieri enim nequit ut nullus exstiterit successor in Primatu, nisi et Ecclesia quoque super Petram fundata desierit falsaque evaserit promissio Christi: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* etc. fierique pariter nequit ut hac in re Ecclesia erraverit. Porro Maior argumenti certa est ex praecedenti Thesi: minor evidentissima est historice. Sane, ut rem satis notam breviter perstringamus, nulla de hac re dubitatio usque ad Concilium oecumenicum 7. an. 787: in Conc. oecum. 8. hoc aperte declaratum fuit, cum statutum sit in professione fidei subscripta ab omnibus in Actione 1ª. In Concilio Lugdunensi II. id professione fidei a Michaele Palaeologo oblata Gregorio X. in eadem Synodo proclamatum fuit idque ab utraque Ecclesia latina et graeca definitum in Conc. Florentino. Ergo.

β) Argumentum ex ratione successionis. Debuit Petro succedi: verum ille habendus est Petri successor, qui facit satis conditionibus successionis; atqui hic est unicus Romanus Pontifex: ergo. Maior est evidens: probatur minor. Determinatio illius, qui succedere deberet, una tantum ex his viis fieri poterat. 1° Vel iugi revelatione Dei immediata, qua declararetur singulis vicibus successor Petri: 2° vel consensu Ecclesiae sive collectae sive dispersae, quae toties quoties designaret successorem Petri: 3° vel facto aliquo primitivo, quo ab initio statueretur quinam in posterum successor esse deberet. Huiusmodi vero factum primitivum vel fuit aliquod factum sive decretum ipsius Ecclesiae seorsim a Petro, vel factum Petri, et hoc vel cum consensu vel citra consensum Ecclesiae: vel factum sive decretum aliquod immediatum Dei. Atqui etiamsi semper exstiterint successores Petri, primus et alter modus nunquam fuit in usu: restat ergo tertius.

Iam vero excogitari nequit decretum editum ab Ecclesia seorsim a Petro, vivente Petro; nullius enim fuisset valoris decretum editum a corpore sine consensu Capitis: neque fingi potest decretum aliquod latum ab Ecclesia post mortem Petri; nam huius facti adeo fundamentalis memoria exsistere debuisset, quae tamen prorsus deest et praeterea si id factum olim fuisset, Ecclesia eodem iure modo polleret mutandi modum successionis, idque cum certitudine teneret: atqui, ut minimum modo dicamus, certitudine hac caret Ecclesia. Item factum aliquod Petri, cui tamen accesserit veluti necessarius consensus Eccle-

siae, perperam excogitatur; repugnat enim haec necessitas consensus supremae et independenti auctoritati Petri, cuius Primatus erat quidem in bonum Ecclesiae, sed nullo modo obnoxius potestati eius. Restat ergo factum aliquod originale proprium ipsius Petri: decretum enim Dei immediatum, si ullum fuit, aliud excogitari nequit quam illud, cuius terminus esset ipsum factum Petri.

Atqui factum originale Petri aliud esse nequit, quam Episcopatus eius Romanus, quem usque ad mortem gessit, quo Romanam Sedem Petrus auxit iuribus Primatus. Nam 1° quodcumque aliud factum excogites, relaberis in unam ex viis iam exclusis: 2° hoc factum erat apprime idoneum ad determinandum successionis modum in perpetuum, cum enim sedes per se perpetua sit, iuribus primatus alicui Sedi alligatis, perpetua successio absque nova determinatione habebatur. Imo 3° hoc est unicum factum ipsius, quo cogitare liceat ipsum determinasse successionis modum. Si enim cogitas simplex aliquod decretum Petri circa electionem successoris post se faciendam ab Ecclesia, redis ad id quod iam exclusum est. Si cogitas aliquod ipsius decretum quo designaverit adhuc vivens qui sibi succederet in primatu, primo de hoc decreto, nisi sit ipsum factum Episcopatus Romani libere suscepti altum silentium in historia: deinde vel Petrus designavit tantum proximum successorem, vel seriem perpetuam successorum. Si primum dicas, redimus rursus ad alias vias iam exclusas: si alterum, id fieri non potuit nisi designata aliqua sede Episcopali, in qua series esset perpetua successorum. Haec vero quae fuerit alia, quam ipsa sedes in qua ipse usque ad mortem sedit? Et sane Petro in Primatu non nisi post mortem eius succedi poterat: si ergo sedes designanda erat, ea erat designanda, in qua Petro defuncto succedi posset: haec porro non fuit nisi sedes Romana. Ergo conditio successionis in Primatu pendet a facto originali Petri, factum istud est Episcopatus Romanus, quem susceptum Petrus nunquam dimisit; ergo conditio successionis est, ut in Romana Cathedra quis succedat Petro. Ergo conditioni successionis solus Romanus Episcopus facit satis.

Ex hac argumentatione intelligis nos non spectare tantummodo factum Petri, h. e. sessionem eius in cathedra Romana, sed etiam voluntatem seu decretum Petri (an ex divino iure an ex sola auctoritate Petri, dicemus postea) alligantis iura Primatus cathedrae Romanae. Et sane ita spectandum esse huiusmodi factum censemus. Si enim poterat Petrus nullam unquam tenere episcopalem sedem, erat quoque in eius potestate ita aliquam sedem tenere ut iura Primatus non essent sedi adnexa, h. e. non essent obtinenda a successoribus. Neque enim valet illud argumentum: Romanus Episcopus succedit Petro in cathedra

episcopali: ergo succedit in Primatu: sicut si aliquis Episcopus sit etiam Abbas, non ex eo quod aliquis ei defuncto succedit in Episcopatu succedit etiam in abbatia. Scilicet succeditur tantum in iis quae sunt propria Sedis. Supponit ergo argumentum illud, iura Primatus fuisse propria Romanae Sedis, Petro sedente Romae. Verum ex hoc solo materiali facto id profecto non colligitur; quia nullus est horum duorum nexus necessarius: potest enim Episcopus alicuius Ecclesiae habere quaedam iura propria non communicabilia successoribus. Factum igitur Petri ad quod provocatur est Sessio Petri in Cathedra Romana, coniuncta cum voluntate seu decreto communicandi iura Primatus cathedrae isti.

Romanum Pontificem esse successorem b. Petri in Primatu probat consensus totius Ecclesiae. Etenim cathedra Romana dicta et habita semper est *Cathedra Petri, prout ipse Petrus est Caput totius Ecclesiae*, ipsique Romano Pontifici eae omnes praerogativae assertae sunt, quae praedicantur de Petro. S. Irenaeus l. 3. c. 3., ut omnes haereticos confundat, provocat ad doctrinam Ecclesiae fundatae et constitutae Romae a duobus Apostolis Petro et Paulo; asserens necesse esse ut omnis Ecclesia ad hanc Ecclesiam conveniat propter eius potiorem principalitatem: id autem tantundem est ac dicere, quod Cathedra Romana sit Cathedra Primatus Petri, a qua regitur universa Ecclesia. Cyprianus epist. ad Antonianum Cathedram sacerdotalem Romae appellat *locum Petri:* ad Cornelium autem epist. 55. loquens de asseclis Fortunati pseudoepiscopi ait « navigare audent et *ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*, a schismaticis et profanis litteras ferre ». Cathedra, unde unitas sacerdotalis est exorta, quae nempe principium est unitatis Episcopatus, est Cathedra singularis quidem Petri, sed Petri Primatum gerentis totius Ecclesiae. Optatus l. 2. testatur « in urbe Roma Petro *cathedram episcopalem* esse collatam, in qua unitas ab omnibus servaretur » atque hanc cathedram unam docet esse « *primam de dotibus Ecclesiae* » et « *per ipsam ceteras dotes apud nos esse* ». Atqui cathedra episcopalis, in qua unitas ab omnibus servanda est, quae est principium et fons omnium praerogativarum Ecclesiae est cathedra Petri prout ipse est Petra Ecclesiae. Ambrosius affirmat in Psalm. XL. 30. ibi Ecclesiam esse ubi est Petrus; ac epist. XI. ad Imperatores Gratianum etc. Romanam Ecclesiam totius orbis Romani caput esse, et inde in omnes venerandae communionis iure dimanare: et hymno in SS. Apostolorum Principes, post martyrium Petri descriptum, canit: Hinc Roma celsum verticem - devotionis extulit - fundata tali sanguine - et Vate tanto nobilis - Tantae per Urbis ambitum - stipata tendunt agmina, - trinis

celebratur viis - festum sacrorum Martyrum. - Prodire quis mundum putet! - concurrere plebem poli! - Electa gentium caput - Sedes magistri gentium! » Ex quibus patet praerogativas Primatus Petri ad Romanam Ecclesiam spectare iuxta Ambrosium. Hieronymus ad Damasum epist. 15. « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, *Beatitudini tuae,* idest *cathedrae Petri* communione consocior. *Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio...* Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, *quicumque tecum non colligit spargit,* h. e. *qui Christi non est, Antichristi est* ». Scilicet cathedra Damasi distincta a cathedra Meletii aut Paulini aliorumque est cathedra Petri, ea porro est supra quam Ecclesia fundata est, cui qui adhaeret, Christi est, qui non adhaeret, Antichristi; est ergo Cathedra Petri prout ipse Caput est totius Ecclesiae.

Augustinus epist. 162. monet in Romana Ecclesia Apostolicae cathedrae semper viguisse *principatum,* qui non est nisi primatus Petri. Chrysologus ad Euthychem: « In omnibus hortamur te ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam *b. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Nos enim pro studio pacis et fidei *extra consensum Romanae civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus* ». Sedes ergo Romana est sedes propria Petri, in qua ipse semper vivit et praesidet, prout est doctor universalis supremusque iudex in causis fidei.

In formula proposita a R. P. Hormisda et subscripta ab Episcopis Orientalibus affirmatur, *non posse praetermitti sententiam Domini dicentis: tu es Petrus* etc. idque rerum probari effectibus; *quia in Sede Apostolica* (Romana) *immaculata est semper servata religio.* A qua proinde fide nolunt Episcopi separari, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, *in qua est integra et vera christianae religionis soliditas.* Ennodius episc. Ticin. (in libell. apolog. pro synodo in causa Symmachi R. P.): « Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare, sed istius (sedis) praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit b. Petri successores coelo tantum debere innocentiam... Replicabo uni dictum: Tu es Petrus etc. et rursus sanctorum voce Pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur ».

Sergii Cypriensis Episcopi epist. lecta in Later. Conc. sub Martino I. Secret. 2° quae missa fuerat ad Theodorum R. P. incipit: « Firmamentum a Deo fixum et immobile atque formam lucidissimam fidei

vestram apostolicam Sedem, o sacer vertex, constituit Christus. *Tu es enim, sicut veraciter pronuntiat divinum Verbum, Petrus et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt. Tibi et claves regni caelorum commisit* etc. » Ita et Theodorus Studita ad Pascalem R. P. (epist. l. II. ep. 12.). « Audi apostolicum caput... petra fidei supra quam aedificata est catholica Ecclesia. Petrus enim tu, Petri sedem exornans et gubernans ». Cf. epistolam Ignatii Episc. Constantinop. ad Nicolaum Papam, datam ultimo anno Nicolai. Ergo sunt eaedem praerogativae Petri et Romani Episcopi.

Ita et Concilia eandem sententiam manifestant. Patres Concilii Ephesini Act. I. testantur, se per sacros Canones et *epistolam Patris sui et comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi coactos* proferre sententiam contra Nestorium. Agnoscebant ergo in Romano Episcopo eam supremam potestatem, quae propria fuit Petri. Et Act. III. Philippus Apostolicae Sedis Legatus, nemine refragante, aiebat « Petrum Apostolorum principem, fidei columnam et Ecclesiae catholicae fundamentum, qui claves regni accepit...*ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus* (loquebatur de Episcopis Romanis) *vivere et iudicium exercere* ». Patres vero Synodi VI. lectis literis Agathonis exclamarunt *per Agathonem Petrum esse locutum.* Id in Conc. Lugdunensi II. oecumenico professus est Michael Palaeologus, *Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino in b. Petro, cuius Romanus Pontifex est successor, recepisse.* Idem definitum in Conc. Florent. « *Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput* etc.

Ex quibus testimoniis illud etiam constat, an vere affirmaverit Dr. Langen (op. cit. P. I. §. 7.), neminem ex Patribus usque ad Gregorium M. retulisse verba Christi Matth. XVI. 18. seq. ad successores Petri, exceptis ipsis Romanis Episcopis et qui ad eos scriberent assentationis gratia, inter quos eminet Hieronymus. Nam Chrysologus, Ennodius omnesque Episcopi orientales subscribentes formulae Hormisdae et Episcopi Ephesinae synodi probantes verba legati Pontificis ad neutram ex his classibus spectant. Ceterum quo iure Dr. Langen reiicit testimonia Romanorum Episcoporum? Nonne et ipsi inter testes traditionis suscepti semper sunt ab Ecclesia? Tum in verbis Cypriani, Optati, Ambrosii, Irenaei nonne est implicita quidem sed manifesta applicatio verborum Christi ad Episcopos Romanos?

Porro ex his liquet quoque consensus Ecclesiae in id quod prius dicebamus, nempe factum illud Petri determinasse modum successionis: Romanus enim Pontifex successor in Primatu Petri habetur, quia sedet in cathedra Petri, quam Petrus fundavit suoque sanguine consecravit; ut etiam aiunt Patres Vaticani Sess. IV. c. 2. Nam statuto quod Petrus Romanam Sedem fundaverit et suo sanguine consecraverit (tenuit nempe usque ad mortem) concludunt: « *Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet* ». Factum ergo illud Petri conditionem statuit successionis in Primatu.

IV. Nunc probandum est, Romanum Episcopum iure divino succedere Petro, sive obtinere *iure divino* Primatum in universam Ecclesiam. Itaque ut quis dicatur iure divino succedere, sufficit ut ius divinum determinaverit successionem, voluerit nempe semper esse, qui Primatu Petri aucti essent; tunc enim qui succedit Primatumque obtinet, ideo succedit et Primatum habet, quia Deus vult, et illud quod proprium est successionis in se spectatae, fit proprium illius, qui conditionibus successionis facit satis. Fac enim e. g. ferri legem quod qui in studiis magis profecerit, munere quodam donetur. Titius ceteris antecellit munusque obtinet. Quo iure? iure legis. At lex Titium non respicit, sed in genere digniorem. Profecto: sed posita conditione, quae in solo Titio reperitur, illud ius, quod lex digniori concedebat, totum penes Titium eumque solum exsistit. Iam vero lata est lex divina: Petro in primatu succedere quis semper debet, sive aliquis semper Primatum collatum primo b. Petro gerere debet: quis vero ex tot, qui possent, actu succedat determinatum est facto originali Petri; conditioni proinde satisfacit solus Romanus Episcopus: illud ergo divinum ius successionis in Romano Episcopo eoque solo reperitur.

Sane ius Primatus non ab Ecclesia proficiscitur, quae nec Primatum instituit neque eius perennitatem; non ergo iure Ecclesiastico Primatum obtinet Romanus Pontifex. Nec idem ius collatum est ab aliqua potestate humana; cum sit ius supernaturale potestatem quamvis naturalem vel regiam excedens: restat ergo ut iure divino Romanus Episcopus succedat in Primatu Petri, eadem ac ipse auctoritate insignis.

Haec est Ecclesiae doctrina. Id enim testatur sive cum pro affirmandis iuribus Romanae Sedis provocat immediate ad verba Christi dicta Petro, aitque cum Patribus Conc. Florentini *Romano Pontifici fuisse a Christo Domino in b. Petro traditam potestatem regendi* etc. sive cum disserte docet esse Romanam Ecclesiam ab ipso Deo auctam suprema potestate. Ita Gelasius vel pseudo Gelasius in Conc. Romano *De libris sacris authenticis et apocryphis* (Migne P. L. LIX. pag. 159.).

« Sancta Romana Ecclesia *nullis Synodicis constitutis* ceteris Ecclesiis praelata est, sed *evangelica voce Domini et Salvatoris primatum* obtinuit ». Iulius vero ad Orientales scribens (penes Gregorium VII. Epist. l. VIII. ep. 21.): « Decuerat vos fratres adversus sanctam romanam et apostolicam ecclesiam limate et non ironice loqui: quoniam et ipse Dominus noster I. C. *eam decenter allocutus ait:* Tu es Petrus... et tibi dabo claves regni caelorum. *Habet enim potestatem singulari privilegio concessam*, aperire et claudere ianuas regni caelestis quibus voluerit ». Nicolaus I. epist. 8. ad Michaelem: « Privilegia illius (romanae) Sedis vel ecclesiae perpetua sunt, *divinitus radicata atque plantata sunt* ». Petrus Damiani oratione habita ad mediolanenses schismaticos: « Ceteras ecclesias, cuiuscumque dignitatis exstiterint, ille qui instituit, homo quidem purus erat: *romanam* vero *Ecclesiam solus ille fundavit et super petram nascentis fidei exstruxit, qui beato clavigero terreni simul et caelestis regni iura commisit.* Illius ergo privilegio Romanus Pontifex fungitur, *illius auctoritate fulcitur* ». Eamque Ecclesiam « *disponente Domino* super omnes alias ordinariae potestatis obtinere primatum » testatur Concilium Lateranense IV. cp. 5. Hinc disce quomodo accipiendae sint quaedam formulae, quae videntur a Conciliis derivare hanc potestatem. Concilia scilicet auctoritate sua infallibili sanciunt hanc veritatem. Hancque esse omnium christianorum sententiam docet Lanfrancus Episc. Cantuariensis in Synodo anglica. « Quando D. N. I. C. dixit Petro: Tu es Petrus etc. potuisset adiicere, si voluisset: eandem potestatem successoribus tuis concedo. Verum dicti praetermissio nihil reverentiae imminuit successoribus Petri... Enim vero omnium christianorum conscientiis est inditum, ut nihilo minus quam b. Petro, successoribus eius et minantibus attremant et serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant estque tum demum omnium ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit comprobata iudicio. *Quid illud agit, nisi vis divinae liberalitatis per Dominum Iesum a b. Petro in vicarios eius diffusa?*

Itaque Romanus Episcopus successor est Petri in Primatu iure divino. Successor, inquam, quamvis enim identidem a nonnullis *vicarius* Petri appelletur, ut in testimonio mox citato Lanfranci; manifestum est tamen, eam vocem minus proprie sumi ac valere successorem. Vicarius enim Petri dicitur quatenus locum Petri tenet Episcopus Romanus, at non auctoritate a Petro sibi delegata, sed auctoritate delegata Dei per Petrum sibi transmissa regit Ecclesiam. Porro vox *vicarius* eo sensu quoque usurpatur penes latinos.

V. Cum quaeritur quo iure Romanus Episcopus succedat Petro, pot-

est duplex quaestio instituí. *Quaestio absoluta:* quo iure Romanus Episcopus faciens satis conditioni successionis obtineat Primatum Petri: *quaestio comparativa:* quo iure ipse potius quam alius Episcopus succedat Petro in Primatu. Prior est ea quam iam solvimus in hac thesi, ideoque patet quid respondendum sit. Alteri quaestioni non omnes eodem modo respondent. Plures enim iique nobilissimi Scholastici respondent, iure divino Romanum Episcopum prae ceteris succedere, quatenus voluntate Dei factum est, ut Petrus Episcopatum Romanum susciperet in eoque relinqueret iura Primatus. Alii respondent Romanum Pontificem succedere iure, ut ita dicam, Apostolico, dimanante scilicet ex facto originali Petri, qui per se potuisset alteri cathedrae iura Primatus alligare. Nobis haec altera responsio negans quodlibet ius divinum non satis probatur et prior potius placet: quod ut declaremus, quia res est magni momenti, insequentes theses statuimus. Interim advertimus quid statuant ii qui alteram responsionem amplectuntur. Aiunt nimirum quod etsi ex facto Petri effectum sit, ut successor eius sit Romanus Pontifex, non tamen sequitur quod ius illud, quo gaudebat Petrus determinandi modum successionis, vigeat quoque in suis successoribus; hoc enim ius ad ipsum spectabat quatenus ipse erat *primus* totumque ius exhaustum est exercitio Petri. Verum aliquid amplius dici posse ex duabus thesibus sequentibus patebit, in quibus directe cum catholicis disputamus.

THESIS IX.

Quod prae ceteris Romanus Pontifex is sit qui Petro in Primatu succedit, veritas est immutabilis in Ecclesia nihilque obstat, quominus haec veritas revelata censeatur.

I. Sane ad primum quod attinet, inter dogmata credenda sancita a Florentinis Patribus istud est: « *Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac doctorem exsistere et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse* ». Iam vero subiectum huius definitionis est directe ipse Romanus Pontifex. Porro hac definitione non affirmatur solum, quod ex institutione Christi debeat esse semper qui Petro in Primatu succedat, nec solum quod ille, qui facit satis conditionibus successionis, iure divino obtineat Primatum; haec enim potius implicite dicuntur: sed immediate et directe enunciatur, quinam ille sit qui

Petro in Primatu succedit, quaenam sit illa sedes in qua Primatus viget, nempe Romanus Pontifex eiusque sedes quae Apostolica nuncupatur. Hoc ergo definitum est ideoque credendum. Quod vero infallibili Ecclesiae definitione proponitur credendum omnibus fidelibus, illud est in Ecclesia immutabiliter verum et sicut verum fuit antea, quod Romanus Episcopus teneat Primatum, ita credendum semper erit in posterum; nunquam enim falsa evadet definitio Florentina.

An putabimus terminum complexum *Romanus Pontifex* supponere pro eo qui auctus sit Primatu, ita ut idem sit ac si diceretur: *Episcopus obtinens Primatum* vel *Romanus Episcopus quatenus obtinet Primatum?* At haec suppositio subiecti propositionis excluditur ab eiusdem praedicato: secus enim definiretur Romanum Episcopum tenentem Primatum tenere Primatum; quo nihil ineptius.

An ea definitio quod R. P. in universum orbem teneat Primatum est intelligenda cum hac limitatione, quandiu scilicet ipse facit satis conditionibus successionis, quae tamen per se mutabiles sint, quibus proinde mutatis alius sit Primas, ita ut Romanus Pontifex non formaliter accipiatur, sed materialiter prout ille est qui heic et nunc facit satis conditionibus successionis? Verum haec limitatio non una via excluditur. 1° Quia hac posita limitatione, non obstaret definitioni quod ea hypothesis mutationis conditionum successionis verificari posset; atqui reapse id obstat definitioni; ergo ea limitatio nequit admitti. Probatur minor; quia si haec hypothesis verificaretur, falsa simpliciter evaderet, secundum id quod dicitur in recto, definitio florentina, quae directe definit Romanum Pontificem eum esse qui tenet Primatum eumque esse successorem Petri: id porro obstat definitioni quod facit ipsam esse falsam. 2° Excluditur a doctrina Concilii Vaticani, quae est declaratio definitionis florentinae. Sane in can. capitis 2. Sess. 4. duo distinguuntur: « Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Ch. D. institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem Primatu successorem, anathema sit ». Priore propositione statuitur ius divinum perpetuae successionis et perpetua exsistentia successorum: altera statuitur subiectum huius successionis in Primatu diciturque esse Romanus Pontifex. Cuius alterius propositionis sensus, etsi per se satis constet, liquet etiam evidentius ex praecedente doctrina, cuius canon est synopsis. Praestito enim in praecedentibus facto fundationis Sedis Romanae per Petrum, qui eam suo sanguine consecravit et in ea iugiter vivit: subdit Concilium; *unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is... primatum obtinet in universam Ecclesiam.* Quibus in verbis successio in cathedra non est

successio in Primatu; esset enim inepta tautologia: sed est successio in ea cathedra quam Petrus fundavit et suo sanguine consecravit, quae est cathedra episcopalis Romae. Nexus proinde consequentiae necessarius statuitur inter unum et alterum, nempe inter successionem in cathedra Romana et successionem in iuribus Primatus. Utrumque est ergo credendum, et quod successor aliquis perpetuo esse debeat et quod hic successor sit Romanus Episcopus.

Doctrina huiusmodi conciliaribus definitionibus confirmata, viguit semper in Ecclesia. Nam non solum traditum est a Patribus adhaerendum esse successori Petri, sed simpliciter *adhaerendum esse cathedrae Romanae, fidem catholicam esse fidem Romanam, communicare cum Ecclesia Romana perinde esse ac communicare cum Ecclesia catholica, catholicos et romanos eosdem esse, Romanam Ecclesiam ipsius Domini voce fundatam esse.* Quibus similibusque significatur necessarium esse Ecclesiae Catholicae ut sit Romana. Cf. tum testimonia superius citata, tum Augustinum penes Mai. N. PP. Coll. tom. 1. p. 273. Hieronymum adv. Rufin. I. 1. n. 4. Hormisdam ep. 70. ad Possessorem, Ambrosium de obitu Satyri, Decretum Eugenii IV. pro Iacobitis etc. Inter propositiones proscriptas a ss. Pio IX. in Syllabo prop. 35. ita se habet: « Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, Summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri » (a).

II. Restat autem inquirendum, cuiusmodi sit haec veritas credenda. Infallibili enim magisterio Ecclesiae proponi potest credendum non solum id quod divina revelatione continetur, sed et quod cum eo est necessario consertum, sive sit veritas aliqua speculativa sive aliquod factum. Iam vero non videtur revelatum censeri posse quod cathedra episcopalis Romana sit sedes successorum Petri in Primatu ; est enim factum dependens a libera voluntate Petri et quod per plures annos verum non fuit in Ecclesia. Arbitramur nihilominus obstare nihil, quominus haec veritas revelata censeatur. Theologicam ergo in hac re sententiam proponimus.

Sane 1° revelatio Dei tum per Scripturam tum per simplicem traditionem haberi potest. Res revelata potest esse talis, ut non nisi revelante Deo sciatur atque etiam talis, ut et aliunde cognosci possit ac

---

(a) Theologi quidem censores operis Petri Ioannis Olivi, h. e. Postillae in Apocalypsim, qui ex auctoritate Ioannis XXII. censuram instituerant, censuerunt esse haereticum dicere, quod aliquando Romana Ecclesia debeat amittere Primatum. Cf. *Miscellanea* Stephani Baluzii edit. Manzi. Tom. 2. *Litterae Magistrorum*, etc. pag. 258. n. 12. et 18.

praeterea testificatione divina. Porro ut factum revelatum a Deo censeatur, id satis est ut testimonio Dei nitatur. Sic plurima facta in Veteri et Novo Testamento descripta, licet et alia via sciri potuerint, cum Deus ipse sit nobis testis eorum, revelata nobis a Deo censeri debent. Nec opus est ut veritas rei aut revelatio ab initio Ecclesiae exstiterit; plura enim facta in Actibus Apostolorum et Apostolicis epistolis narrata, quae fide divina tenes, nec vera fuerunt ab initio Ecclesiae nec tunc statim tradita divina testificatione. Iam vero nititur factum aliquod testificatione divina, cum illud nobis traditur a testibus praeordinatis a Deo et fide divina credendum proponitur. Tradere vero testes potuerunt sive scripto sive orali traditione. Ergo ex eo quod factum est aliquod pendens a voluntate Petri (quod quidem modo transmittimus, postea de hoc disputaturi) non sequitur obiectum esse non potuisse divinae revelationis.

Neque aliquid est, quod impediat quominus id Apostolica praedicatione contentum fuerit. Et sane id certe praedicavit ipse Petrus. Oportuit enim nosse Ecclesiam, quis post mortem Petri caput esset suum, cui adhaerere deberet: cum autem Petrus eum modum successionis determinaverit, officium ipsi incumbebat id manifestandi Ecclesiae. Et re quidem vera nisi id Petrus manifestaverit, quomodo Linus ei in cathedra Romana succedens se statim gessit tanquam Pontifex universae Ecclesiae? Sed et alios Apostolos (etsi non omnes, quod opus non erat) id praedicasse, dubitari nequit. Quis enim docuit e. g. Corinthios Clementem successorem esse Petri in Primatu, ad quem, potius quam ad Ioannem Apostolum adhuc viventem et versantem in Asia, pro componendis dissidiis ecclesiae recurrendum esset? Quis alias ecclesias hoc idem docuit, ad quas Petri immediata praedicatio non pervenit, quae tamen semper, ab instituto a Petro Romano Episcopatu, Romanae cathedrae adhaeserunt? Universae enim Ecclesiae semper Romanam cathedram reveritae sunt ut cathedram principalem: id vero quis eas docuit nisi qui eas fundavit?

Huius praedicationis Apostolicae indicium non immerito arbitratus est cl. Ioannes Petrus Secchi (in opere edito super cathedram Marci) se videre in secunda epistola Ioannis Apostoli, quae missa est ad *electam Dominam* ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ. Huiusmodi enim *electa* videtur esse ecclesia aliqua; nam 1° eodem nomine honestatur Ecclesia Romana a Petro epist. 1. c. 5. 13.: Salutat vos ἡ ἐν βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ (Vulgatus addit *Ecclesia*) Porro συνεκλεκτὴ est una electa, vel vobiscum electa Ecclesia. Praeterea 2° *electa* Ioannis talis est, ut nati eius cognoscantur et diligantur ab omnibus, qui cognoverunt veritatem idque emphatice dicitur ab Apostolo: *quos ego diligo in veritate et non ego solus, sed*

et omnes qui cognoverunt veritatem (v. 1.); hoc autem non de dilectione aliqua confusa, sed distincta accipiendum est; dicitur enim in specialem illorum commendationem: at non est probabile, filios alicuius mulieris ita ab omnibus fidelibus dilectos fuisse: vere autem dici potuit de filiis alicuius ecclesiae praesertim principalis. Rursus 3° *electa,* ad quam scribit Ioannes, sororem habet eiusdem nominis: *salutant te filii sororis tuae electae* (v. 13.). At non est satis probabile, duas sorores in eadem familia fuisse homonymas. Item 4° in eodem contextu, quam prius appellat singulariter: *rogo te, domina* (v. 5.), statim inflexa oratione, absque indicatione alterius subiecti, compellat pluraliter: *sicut audistis ab initio* (v. 6.), *videte vosmetipsos* etc. (v. 8.). Haec ergo *electa* non est una persona physica, sed moralis. *Electa* ergo non est nomen proprium alicuis mulieris, sed Ecclesiam aliquam exhibet.

Porro ea dicitur *domina* Κυρία Erat ergo tunc Ecclesia aliqua, quae domina esset, quae principatum nempe in alias ecclesias haberet. Quaenam porro haec, nisi ea, quam Ignatius Martyr Ioannis ipsius discipulus epist. ad Roman. dicit *praesidere in loco Romanorum?* quae phrasis non significat praesidere Romanis, sed praesidere exsistentem Romae, h. e. ecclesiam exsistentem Romae esse ecclesiam praesidentem.

Et sane Apostolos, ab instituto a Petro Episcopatu Romano, novisse cathedram Romanam esse cathedram principalem, cathedram Primatus indicat Optatus cum ait « *cathedram Romae Petro fuisse collatam, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret* » (l. 2. n. 2.). Ipsos scilicet Apostolos cathedrae Romanae adhaerere oportebat; noverant ergo dignitatem huius cathedrae et ad eam ceteros fideles secum ipsis revocabant.

Apostoli ergo hanc veritatem praedicarunt eamque credendam proposuerunt fidelibus; si enim ab Ecclesia modo creditur, et ab Apostolis ut credenda tradita est. Nihil autem prohibet, quominus ut credendum illud fide divina proposuerint: potest enim proponi fide divina credendum factum cognitum divina testificatione seu revelatum: atqui vidimus hoc factum non secus ac alia potuisse esse obiectum divinae testificationis: ergo. Quomodo autem id ab ipsis fieri potuit? Scilicet docuerunt Apostoli certe Primatum Petri eiusque perennitatem ac Petri successoribus adhaerendum esse; cognito autem ab ipsis facto Petri, quo determinabatur successio in Primatu et serie eorum, quibus non secus ac Petro adhaerere oportebat, illud quoque, docente eos Spiritu S., id semper in Ecclesia credendum esse didicerunt et Ecclesiis praedicarunt, ut fideles infallibiliter nossent Caput suum. Hoc enim infallibiliter nosse oportebat. Hinc est quod ait Bellarminus (*de Rom. Pontif.*

l. 2. c. 12.) « Etsi Romanum Pontificem succedere Petro non habeatur expresse in Scripturis, tamen succedere aliquem Petro deducitur evidenter ex Scripturis: *illum autem esse Romanum Pontificem habetur ex Traditione Apostolica Petri,* quam traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta et Patrum consensus declaravit. »

Itaque nihil est quod prohibeat arbitrari veritatem esse revelatam, Romanum Episcopum esse successorem eumque solum in Primatu Petri. Non affirmamus quidem certum esse quod haec veritas sit revelata, sive non negamus ita rem potuisse geri ut Apostolica praedicatio doceret Primatum Petri eiusque perennitatem, Petri proinde successoribus semper adhaerendum esse, quinam vero futurus esset successor id novisse Ecclesiam historica notitia, quod tamen factum dogmaticum consertum cum veritate Primatus et semper credidit et credendum definivit. Nihilominus id censemus minus convenire cum definitione florentina et vaticana. In hac enim hypothesi veritas haec: *Romanus Pontifex est successor Petri in Primatu,* esset consequens huius syllogismi; qui facit satis conditionibus successionis is Petro defuncto succedit in Primatu: atqui Romanus Episcopus facit satis: ergo Romanus Episcopus succedit Petro in Primatu. In hoc autem syllogismo minor nec esset per se revelata, ut supponitur, nec implicite contenta in maiore ita ut ex eius analysi colligi possit: nullo ergo modo foret revelata, sed esset tantum veritas facti dogmatici credenda quidem infallibiliter propter Ecclesiae auctoritatem, non vero fide divina. Unde nec consequens, quod peiorem sequitur partem (Suarez *de Fide* D. 19. sect. 2. n. 14.), credendum foret fide divina. Posset proinde proponi istud consequens ut credendum infallibili fide, non vero divina. At censemus definitiones allatas florentinam et vaticanam esse definitiones fidei quoad omnes suas partes, definitiones nempe quibus dogma fidei sancitur: ita enim universim accipiuntur, nec aliquid est quod nos cogat aliter eas interpretari.

III. Porro hac sententia retenta, si Apostolica traditione ex divina revelatione propositum est credendum quod Romanus Episcopus sit successor Petri in Primatu, eadem continetur quoque veritas facti huius quod est Episcopatus Romanus Petri, quod idcirco non solum habendum esset ut factum dogmaticum, sed ut factum revelatum.

Sane, ut supponitur, praedicatum fuit ab Apostolis, *Romanum Pontificem esse successorem Petri in Primatu,* eo modo quo in Ecclesia semper retentum et praedicatum iugiter fuit; dogma enim et modus accipiendi dogmatis nequit diversus esse ab eo quem Apostoli tradiderunt: atqui catholica traditio eatenus semper tenuit et tenet Romanum Episcopum successorem Petri esse in Primatu, quatenus Romanus

Pontifex succedit in Episcopali cathedra Romana Petro; haec duo semper coniunctim cogitata sunt unumque habitum ut ratio sive conditio necessaria alterius: ita ut si quis non tenet cathedram episcopalem Petri, non succedat; si tenet, eo ipso succedat. Et hinc est quod ab omnibus Episcopatus Romanus Petri ut factum saltem dogmaticum, nexum nempe necessario cum dogmate, habetur. « Qui (Petrus), aiunt Patres Vaticani, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Episcopis Sanctae Romanae Sedis *ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine,* vivit et praesidet et iudicium exercet. *Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet* ». Ergo praedicatio Apostolica de Primatu Romani Episcopi continebat etiam praedicationem de successione eiusdem in cathedra episcopali Petri; hic enim est modus necessarius concipiendi huius dogmatis, qui semper et ubique invariabiliter retentus est. Igitur obiectum praedicationis Apostolicae, qua dogma proponebatur de Primatu Romani Pontificis, huiusmodi erat: Romanus Pontifex succedit Petro in Primatu quia tenet cathedram Episcopalem Petri. Atqui hac praedicatione necessario continetur quoque praedicatio de Episcopatu Romano Petri. Affirmatur enim, Romanum Episcopum tenere cathedram episcopalem Petri: nam in propositione causali utrumque affirmatur, ratio et rationatum et utrumque verum esse debet, si ea causa est unica; ut heic est. Porro perinde est dicere Romanum Episcopum tenere cathedram episcopalem Petri, et dicere Petrum primum fuisse Episcopum Romanum. Ergo eadem testificatione, qua tradiderunt Apostoli dogma de Primatu Romani Pontificis, tradiderunt quoque veritatem huius facti nempe Episcopatus Romani Petri. Porro huius facti veritatem tradentes, eam ut credendam fide divina proposuerunt, si credendam tanquam revelatam proposuerunt successionem Romani Episcopi in Primatu. Illud enim a testibus divinis proponitur ut credendum, quod proponitur in ipsa praedicatione dogmatis tanquam modus necessarius concipiendi dogmatis: atqui tale est factum Episcopatus Romani. Ergo facta hypothesi quod veritas sit revelata ac contenta in traditione Apostolica quod Romanus Pontifex teneat Primatum et sit successor Petri: episcopatus quoque Romanus Petri censendus est factum revelatum.

Et re quidem vera traditio haec Episcopatus Romani Petri nulla caret nota quae consequitur traditionem Apostolicam dogmaticam. Est enim antiquissima, universalissima, semper et ubique retenta, nunquam de ea dubitatum nisi ab haereticis et auctoritate quoque Conciliorum firmata est (Cf. Th. praeced.). Eaque res ut infallibiliter certa ab omnibus habetur: quaestio est quidem an sit tantum factum

dogmaticum, de quo non liceat dubitare, an sit praeterea factum revelatum. Nos theologice demonstrasse putamus nihil obstare quominus sit factum revelatum fideque divina, quae auctoritate Dei loquentis per suos testes innititur, credendum.

Adverte cum Bellarmino *de Rom. Pont.* l. 2. c. 1. diversas esse quaestiones, an Petrus fuerit Romae, an mortuus sit Romae, an fuerit Episcopus Romanus, an Episcopatum Romanum usque ad mortem retinuerit: et prima quidem duo facta necessaria ex se non esse ad Romani Pontificis Primatum constituendum. Potuit enim Petrus suscipere Episcopatum Romanum eumque semper tenere, quin unquam Romae fuerit. Quare nos in hac thesi de *Episcopatu Romano* Petri, non de *adventu eius in urbem* locuti sumus. Verum in traditione ecclesiastica ita haec duo coniuncta sunt, ut si hoc negetur, et illius certitudo vacillet. Quare saltem ut factum dogmaticum, praesuppositum Episcopatui Romano, adventus Petri in Urbem haberi debet.

THESIS X.

Quocirca cum Petrus Romanum Episcopatum suscepit ut in eo perpetuos successores in Primatu haberet, Deus ratam specialiter habuit hanc Petri electionem: ideoque de iure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, praevertente autem factum successionis *est quod Romanus Episcopus succedat Petro in Primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scilicet antecedente Dei iussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere nimirum per episcopalem Sedem, et inter Sedes eligere Romanam.*

I. Nectimus per se hanc thesim cum eo quod in enunciatione primae partis Thesis praecedentis affirmavimus. Cum Christus voluerit perpetuos successores esse in Primatu, oporteret autem iam ab initio constituere formam successionis, alterutro modo Christus erga Petrum se gessit: vel enim ipse Christus praestituit Petro certam formam, qua voluit succedi, vel permisit arbitrio Petri, ut quam vellet ipse praescriberet. Si primum dicamus, nulla amplius re opus habemus pro demonstranda prima parte thesis, nam et ipsa et aliquid plus asseritur. Si secundum dicatur, haec animadvertimus. Cum Christus collata potestate alteri, permittit ei agere secundum eam potestatem, ipse censetur ratum habere quod alter secundum eam potestatem facit. Verum haec ratihabitio Christi non impedit quominus illud idem quod prius factum est, postea ab eodem vel ab alio gaudente eadem potestate mutetur oppositumque fiat. Est ergo cogitanda alia quaedam

ratihabitio *specialis* quae nempe factum alterius ita probat, ut illud sanciat velitque perpetuam vim obtinere. Hanc specialem ratihabitionem Christi dicimus accessisse facto Petri.

Sane certum est, Romanos Episcopos solos esse in perpetuum immutabiliter successores Petri: porro ratio a posteriori huius immutabilitatis ea est nobis, quia hoc est definitum, Romanum Pontificem succedere Petro; doctrina autem definita est immutabilis veritatis: at debet eiusdem rei ratio aliqua a priori sive ontologica esse; hanc autem dicimus esse voluntatem Christi ratam habentis electionem Petri et sancientis, ut ea forma successionis perpetua esset. Et sane si deesset haec specialis ratihabitio Christi, non esset a parte rei ratio sufficiens huius immutabilitatis. Etenim fac eam deesse: nunquam vere probabis, non esse in Ecclesia vel successoribus Petri potestatem mutandi eam formam successionis: in hac enim hypothesi actio haec non esset contra ullam voluntatem Dei; nam voluntas Dei quae foret, haec tantum esset, perpetuo exsistere successores: cui voluntati fieret satis etiam mutata conditione successionis. Quod autem non est contra voluntatem Dei et non est per se malum, cur in Ecclesia fieri nequit? Potest quidem dici ea mutatio esse contra voluntatem Petri: sed 1° voluntas Petri obligare quidem potest Ecclesiam vivente Petro, sed post mortem, cum cesset iurisdictio personalis Petri, nequit ea voluntas impedire, quin aliud a successore sanciatur. Et sane 2° successor succedit in omnibus iuribus Petri, ut omnia possit, quae potuit Petrus in iis, quae ad bonum regimen Ecclesiae spectant: cur ergo, si bonum Ecclesiae postulare videretur, ut sedes Primatus mutaretur, id non posset vel solus Pontifex, vel Ecclesia cum Pontifice, sicut respublica, vel eius caput potest transferre regimen ab una familia, puta a sua, in aliam? Nunquam quidem continget huiusmodi necessitas in Ecclesia: sed id a posteriori novimus, scientes immutabilitatem cathedrae, supposita providentia Dei erga Ecclesiam. Itaque ratio a priori huius immutabilitatis, quam credimus, est voluntas Dei quae ratam habuit et sanxit in perpetuum electionem Petri. Quare haec voluntas Dei supponit quidem factum Petri, quod Episcopatui Romano suscepto alligaverit iura Primatus, praecedit vero factum successionis ceterorum post Petrum, estque ratio sufficiens eius immutabilitatis.

Itaque iure divino saltem consequente factum Petri, praecedente vero factum ipsum successionis, Romanus Pontifex is est qui succedit Petro. Rem porro ita se habere evinci quoque potest auctoritate eorum, quos in sequenti parte afferemus; quorum sententiam huc saltem redire necesse est.

II. Hactenus locuti sumus in hypothesi, quod Christus permiserit

Petro determinare formam successionis. Verum et prior hypothesis supra memorata fieri potest. Alterutra quidem, ut diximus, facienda est; ideoque saltem iure divino consequente Romanus Episcopus is est ex tot, qui succedit Petro. At prior hypothesis, licet certa non sit, est tamen valde probabilis et veteribus arrisit. Ita Innocentius III. (epist. 209. l. 2.) tanquam extra dubitationem positum refert, Petrum ex divina revelatione fuisse ab Antiochia translatum ad Urbem secumque transtulisse cathedrae principatum. Huc a quibusdam refertur quod narrat Ambrosius (Serm. contr. Auxentium *de Basilicis tradendis* n. 13.) Petro Roma egredienti Christum in porta occurrisse illique interroganti: *domine quo vadis?* respondisse Christum: *venio iterum crucifigi;* proinde Petrum sponte remeasse ac statim correptum per crucem suam honorificasse Dominum. Porro ex hoc facto quaedam voluntas Christi significatur, ut Petrus Romae vitam finiret et sic Romanae cathedrae iura Primatus relinqueret. Quid simile refert Athanasius (*Apolog. de fuga sua* n. 18.). Et sane illa prior hypothesis probabilis est: primo quidem quia et altera, permisisse nempe Christum Petro determinationem formae successionis, non est certa; prior vero et non repugnat et imo est consentanea providentiae divinae. Agebatur enim de re maximi momenti et plane capitali in Ecclesia, in quibus successoribus Primatus ipse Petri perseverare deberet; congruum proinde erat, ut Christus immediate id determinaret. Cui accedere videtur auctoritas Optati, cuius illustre est testimonium iam recitatum ex l. 1. c. 2. sic aientis: « Negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam etc. » Iam vero Cathedra episcopalis Petri in Urbe Roma est cathedra iurisdictionis et magisterii suprema et universalis Romae exsistens, sive Primatus affixus Sedi episcopali Romanae. Porro Optatus docet cathedram hanc in Urbe Roma collatam esse Petro, non Petrus eam elegit, sed ei collata est, utique a Deo; Deus est ergo qui Petro in Urbe Roma cathedram episcopalem contulit: scilicet terminus divinae collationis non est tantum Primatus, sed Primatus quoque in Urbe Roma; accepit ergo Petrus a Christo Primatum constituendum in Urbe Roma. Ex voluntate igitur antecedente Christi factum est ut Episcopatus Romanus esset Episcopatus catholicae Ecclesiae seu, ut ait Vaticana Synodus, Const. cit. c. 3. « Romanam Ecclesiam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis habere principatum ».

III. Ex hactenus disputatis haec ergo colligimus, 1° Romanum Pontificem succedere in Primatu Petri iure divino, tum iure divino antecedente, lege nempe successionis instituente Primatus perpetuitatem; tum iure divino saltem consequente quidem factum Petri, sed prae-

vertente factum successionis, propter conditionem successionis a Deo immutabiliter firmatam, cui unus Romanus Episcopus facit satis. Hinc 2° falsum est prorsus, Romanos Episcopos iure humano succedere Petro in Primatu: nam praeterquamquod nec ab Ecclesia nec ab ulla alia potestate terrena collatus est Episcopo Romano Primatus, sed a Christo, et hoc ipso is vere iure divino succedit: ut aliquo sensu verum esset, ipsum iure humano succedere, quatenus nempe id quod determinat successionem in cathedra Romana potius quam in alia cathedra sit ex iure humano, oporteret ut factum Petri prout erat factum hominis, fuisset ratio sufficiens, cur potius Episcopus Romanus quam alii succederent. Atqui illud factum non fuit *ratio sufficiens*. Ratio enim sufficiens est ea *quae sufficit* pro rationato. At illud factum non sufficiebat pro hoc effectu. Effectus enim iste huiusmodi est, ut sit ex se immutabilis successio: atqui ad hoc requirebatur ius divinum confirmans factum Petri et praevertens factum successionis. Ratio vero, quae non est sufficiens, nondum confert ius. Facto ergo Petri, prout actus Petri erat, elementum aliquod pro conditione successionis positum est, sed eo solo ius, quod modo habent Romani Episcopi, conditum non est.

Erravit ergo 3° imprudentissime Febronius c. 2. §. 3. contendens Ecclesiae auctoritate factum esse, ut Romanus Episcopus prae ceteris succederet Petro semperque penes Ecclesiam manere potestatem mutandi formam successionis.

SCHOLION.

Iam vides quodnam iudicium ferendum sit de ratione allata in duplici canone Graecorum, altero Concilii Constantinop. I. altero Chalcedonensis. Prior, qui ordine 3us recensetur, sic habet « Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet praerogativas honoris τὰ πρεσβεία τῆς τιμῆς, quae vox πρεσβεία occurrit in cn. 6. nicaeno et significat privilegia Sedis eaque privilegia ibi determinate repraesentat, quae continentur iure et potestate illa, quae postea dicta est patriarchalis) post Romanum Episcopum, *propterea quod sit nova Roma.* » Alter canon 28. sic habet: « Sanctorum decreta ubique sequentes et canonem, qui nuper lectus est, CL. Episcoporum (canonem modo citatum) agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis (περὶ τῶν πρεσβείων) ecclesiae Constantinopolis novae Romae. Etenim antiquae Romae Throno, eo quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti CL. Episcopi novae Romae Throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes

urbem, quae et imperio et senatu honorata sit et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam exsistentem et ut Ponticae et Asianae et Thraciae Dioeceseos metropolitani soli, praeterea Episcopi praedictarum dioecesum, quae sunt inter barbaros, a praedicto Throno Constantinop. Ecclesiae ordinentur etc. »

Quae quidem si volumus examini subiicere, haec licet animadvertere. 1° Uterque Canon nullam habet auctoritatem. Nam Concilium Constant. I. non fuit oecumenicum nisi propter confirmationem Damasi, quae ei accessit, qua quidem decretum tantum dogmaticum probatum fuit, non vero ullus alius canon. « Romana Ecclesia (ait Gregorius M. l. 7. Epist. 34.) eosdem canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet nec accepit: in hoc autem eandem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum ». Canonem vero Chalcedonensem ediderunt Patres Graeci non praesentibus Legatis Romanae Sedis, in Actione 15., qui quidem legati, cum antea rogati essent ut illi canoni sanciendo assentirent, negarunt se ad hoc mandata suscepisse: quique propterea Actione sequente de fraude conquesti sunt rogaveruntque, ut delcretur decretum, « sin alias contradictio nostra his gestis inseratur, ut noverimus quid Apostolico viro universalis Ecclesiae Episcopo referre debeamus ». Leo vero Pontifex decretum illud penitus abrogavit, quod et a codice canonum Ecclesiae orientalis expuntum est.

2° Canon Chalcedonensis, ut optime probat Patricius Murray, Tract. De Ecclesia Christi, vol. III. Sect. IV. disp. 19. n. 493. seqq. loquitur tantum de munere et principatu patriarchali Romanae Sedis, cui parem principatum adserunt Graeci Ecclesiae Constantinopolitanae. Nam *a)* privilegia asserta Ecclesiae Constantinop. non sunt nisi patriarchalia, ut ex ipsa Canonis declaratione liquet; ergo et ea privilegia Romanae Sedis, cui comparare volunt Sedem novae Romae, sunt patriarchalia. Et sane eadem se dicunt Patres Chalcedonenses decernere, quae Constantinopolitani decreverant; atqui haec sunt iura patriarchalia tantum. *b)* In Epistola Patrum Chalcedonensium ad Leonem exstat disserta professio Primatus Romani Pontificis, quem suum caput esse testantur: at si Patres in eo decreto locuti essent de Primatu Romano, cui comparare volebant ius Sedis Constantinop. iidem cum suo Episcopo Constantinop. Anatolio, non potuissent simpliciter profiteri subiectionem suam Romano Episcopo. *c)* Idem Anatolius, qui eius canonis promulgationem procuraverat, literis datis ad Leonem, suppliciter ipsum exorat, ut canonem illum confirmare dignetur: atqui est in hoc facto professio clarissima Primatus Romani super ipsum Constantinop. Episcopum: praeterea impium et ridiculum fuisset, petere a Romano Pon-

tifice, ut iura Primatus universalis secum dividere vellet: iura ergo patriarchalia Anatolius eo canone sibi arrogaverat; ideoque et iura Romanae Sedis, quibus comparare volebat sedem suam, sunt patriarchalia. *d)* Leo M. neque canonem neque literas Anatolii et Imperatoris, qui idem flagitabat, ita intellexit, ut in eis sermo esset de Primatu. Si enim hanc audaciam graecorum vel advertisset vel saltem subodoratus fuisset, velle nempe Episcopum Byzantinum parem se facere Romano in Primatu quem in universam Ecclesiam obtinet, id aperte reprobasset et veluti perniciosissimum schisma et manifestam haeresim damnasset: atqui in omnibus Leonis epistolis super hac re datis nulla exstat huiusmodi reprobatio aut damnatio nullumque indicium, quo videatur putasse Leo eo canone Primatum suum labefactari: solumque ipse queritur de violato canone Nicaeno VI. quoad Sedes Patriarchales et de ambitione Anatolii.

Verum 3° canon ille Chalcedonensis ea ambiguitate verborum propositus est et eo principio fultus, ut viam straverit schismati graecorum et rationem suppeditet suspicandi, quod aliquid amplius molirentur iam tum Episcopi Constantinopolitani, quam quod ausi sint declarare. Ceterum quae dicunt falsa sunt. Falsum est *a)* quod Patres tribuerint Sedi Romanae iura tum Primatus, tum etiam Patriarchalia; ea enim a Christo habet, haec vero ex eo habuit quod esset Sedes Petri et omnes in Occidente Ecclesias Sedes Romana fundaverit. Nisi voce *tribuerint* ἀποδεδώκασι significare voluerint *dare quod debitum est*, scilicet Patres honorem Romanae Sedis debitum ex divino iure sancte servasse et ut par erat detulisse. Sane cum de privilegiis Sedis Constantinop. loquuntur, verbo alio utuntur ἀπένειμαν; ἀπονέμω vero est simpliciter: *sponte cum potestate tribuo, distribuo.* Quorum diversorum verborum usu iam et ipsi Chalcedonenses Patres praerogativas proprias Romanae Sedis significassent.

Falsum est autem *b)* rationem, cur Romana Sedes gaudeat Primatu in universam Ecclesiam, esse quia *Urbs illa imperio potiretur;* quod subsequentes Graeci, ut suum schisma tuerentur cathedramque byzantinam extollerent, affirmare non dubitarunt. Qua in re advertendum est, aliud esse quaerere, cur Deus voluerit Romanam Sedem prae ceteris eligere pro successione in Primatu, aliud quo iure Romanus Pontifex succedat. Huic alteri simpliciter respondendum est: iure divino, quia Deus voluit, quaecumque sit ratio cur Deus voluerit. Haec enim nihil refert: dummodo namque Deus id voluerit volueritque esse perpetuum, Romanus Pontifex iure divino succedit. Priori vero quaestioni primum responderi potest, parum referre id nosse: deinde probabiliter ex quadam analogia responderi potest, Romam electam esse

tunc, quia *tunc* regina erit Roma non quidem universi, sed magnae partis orbis cogniti et praestantissima civitas, « ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet » Leo M. Serm. 83. n. 3. Verum haec ratio eligendae Sedis principis (quae quidem ratio necessaria non erat, cum Primatus et omnis ecclesiastica potestas sit prorsus independens a dignitate quavis et potestate civili) potuit quidem esse ratio, *qua ab initio exsistente* eligeretur *primum* Sedes Romana, non vero potuit esse *ratio qua perseverante perseveraret* quoque Primatus in Sede Romana. Perseverantia enim pendet immediate et adaequate a facto Petri et voluntate Dei, quae huic Sedi Primatus iura alligavit. Cf. Leonis epist. CIV. 3. ad Marcianum et Gelasii ad Episcopos Dardaniae. Haec tamen maluerunt confundere Graeci, ut Sedem Byzantinam super alias patriarchales Sedes et tandem supra Romanam extollerent.

Nulla vero difficultas oriri potest ex certis formulis, cuiusmodi est in Novella 113 Iustiniani: « Decernimus, secundum Sacrarum Synodorum decreta, sanctissimum veteris Romae Episcopum primum esse omnium Sacerdotum » et in Concilio IV. Romano sub Symmacho « Apostolicae Sedi primo meritum b. Petri, deinde conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem. » Nam decreta Conciliorum non sunt decreta instituentia vel conferentia auctoritatem, sed eam declarantia; sicut cum decernitur b. Virginem esse Dei Matrem, non ei confertur hic honor, sed notus fit nobis. Praeterea ea decreta docent obedientiam a cunctis praestandam esse Romano Pontifici, quae decreta certis quoque poenis possunt communiri. Huc tantum Imperator respexit, praecipiens honorem iure divino debitum deferri ab omnibus Romanae Sedi. Concilium autem sub Symmacho primam causam singularis potestatis repetit a meritis b. Petri, h. e. a dignitate Petri qui prior Romae sedit.

Coroll. Hinc tandem colligitur, Episcopatum Romanum et Episcopatum oecumenicum non esse duos Episcopatus *actu*, sed tantum *virtute*. Scilicet Episcopatus Romanus quatenus talis non quidem *reduplicative* sed *specificative* est Episcopatus oecumenicus sive Primatus. Ipse enim Episcopatus Romanus evectus est ad dignitatem Episcopatus universalis, ita ut Episcopatus Romanus eo quod talis, posito facto Petri et iure divino vel iubente vel sanciente factum Petri, sit Episcopatus oecumenicus, licet non eatenus sit oecumenicus quatenus est Romanus. Unus est ergo *actu* Episcopatus. Essent scilicet duo Episcopatus, si vel Episcopatus oecumenicus uniretur per accidens Romano, ita ut in praesenti oeconomia separari possent, ideoque distincti ma-

nerent: vel quamvis aliqua lege deberent semper in una persona esse coniuncti, tamen Episcopatus Romanus non esset in recto Episcopatus universalis ; sicut si Episcopus Florentinus Romanus Pontifex factus retineret Episcopatum Florentinum, non esset tamen Episcopatus Florentinus in recto Episcopatus Romanus. At contra Episcopatus Romanus et Episcopatus universalis iure divino nec separati sunt nec separabiles, non solum ratione subiecti quatenus debeant esse simul in eadem persona, sed ratione formae; quia Sedes Romana est ipsa Sedes Primatus: hoc porro est Episcopatum Romanum esse in recto Episcopatum oecumenicum. Non sunt ergo duo Episcopatus *actu,* sed ipsa Sedes Romana evecta est ad dignitatem Primatus. Dicitur tamen duplex *virtute*, quia ratione termini munera praestat utriusque Episcopatus et quia, praecisione facta a facto Petri et iure divino, possent esse duo Episcopatus distincti realiter et specialiter.

Nota. Romanus Pontifex successor est Petri in Primatu et solius Petri; quamvis secundum quid sub aliqua imperfecta ratione possit dici et dicatur successor quoque Pauli. Sane propositio haec: « *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unicum efficiunt*, vel *sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti,* vel *sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt,* vel *sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput constituunt* », ita explicata ut ponat omnimodam aequalitatem inter s. Petrum et s. Paulum sine subordinatione et subiectione s. Pauli ad s. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, declarata est *haeretica* ab Innocentio X. Primatus nempe proprius est solius Petri; Romanus proinde Episcopus qui in Primatu succedit, soli Petro succedit. Et sane Petrus fuit ordinarius Episcopus Romanae Sedis, id universa antiquitas testatur et idcirco ea sedes dicitur Sedes Petri; unicus vero esse potest ordinarius Episcopus alicuius Ecclesiae. Petro vero veluti coadiutor, qui non habet cathedram aliam ab Ordinario, coniunctus est Paulus, sive, ut ait Gelasius in decreto de Scripturis canonicis et apocryphis, « Petro addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli ». Scilicet advertendum est. Paulum praedicatione sua fundasse cum Petro Ecclesiam Romanam, unde ratione habita praedicationis dici potest Paulus simul cum Petro fundator Ecclesiae Romanae: Petrus autem praeterea ratione ordinariae auctoritatis Episcopalis ibi assumptae. Item Paulus cum Petro connumeratur inter principes Apostolorum, sed ille ratione potestatis, hic ratione praedicationis, qua ceteris praecelluit.

Hinc intelligitur, quo sensu Romani Pontifices dicantur *successores Petri et Pauli*, imperare soleant *auctoritate Petri et Pauli* minarique

indignationem Petri et Pauli ac in diplomatis pontificiis utriusque imago repraesentetur. Nam Romanus Pontifex successor dicitur Pauli tum quoad successionem localem; in eadem enim Ecclesia succedit, in qua Paulus vitam et Apostolatum absolvit, tum quoad successionem realem; eandem enim apostolicam auctoritatem hereditat Pontifex, quae erat extraordinaria in Paulo, imo maiorem: non vero quoad successionem personalem, obeundo nempe eius officium eiusque locum tenendo. Hac ergo ratione et quia Paulus, ut diximus, praedicatione sua fundavit Romanam Ecclesiam suoque sanguine consecravit fuitque socius et adiutor Petri, eius imago componitur cum imagine Petri in diplomatis pontificiis, licet non semper; Brevia enim Apostolica signantur annulo solius Piscatoris figuram gerente. Porro auctoritas Pauli, sub qua Romani Pontifices imperant et indignatio eius, quam minantur, potius quam potestas officii censenda est *potentia patrocinii* et sane non tantum ipsius, sed et b. Virginis, et Sanctorum omnium auctoritatem et indignationem solent Romani Pontifices proponere.

Quod vero in imaginibus Petri et Pauli identidem Paulus nobiliorem occupet locum, id vel ex imperitia artificum, vel ex eo factum est, quod vellent subinde significare quendam primatum Pauli nempe in praedicatione eiusve specialem destinationem ad gentes evangelizandas, inter quas est Roma.

THESIS XI.

Verba ergo Christi ad Petrum (Matth. XVI. Luc. XXII. Ioan. XXI.) *spectant aequo iure ad singulos Romanos Episcopos, qui universi Primatus iurisdictionem ab ipso Deo immediate consequuntur.*

I. Prior pars corollarium est praecedentium. Verbis enim Christi Primatus Petri institutus est atque institutus est perpetuus; in successoribus ergo Petri perseverat idem Primatus Petri: ideoque ad eos quoque ea verba spectant. Diximus perseverare Primatum Petri; huc enim spectat perpetuitas Primatus, de qua locuti sumus, Primatus nempe illius quem Christus instituit, qui non est nisi Primatus Petri. Unde si e. g. praetermisso Romano Pontifice, Ecclesia alicui conferret quandam supremam potestatem in omnes fideles, etsi ille esset aut diceretur Primatus, non esset tamen Primatus Petri, seu non esset ille qui a Christo originem habet et collatus est b. Petro; neque qui sic ab Ecclesia eveheretur, esset successor Petri. Concipiendus est ergo idem Primatus olim a Christo institutus in Petro iugiter perseverare in suis successoribus, quos omnes Christus allocutus est cum locutus est ad Petrum. Testimonia traditionis catholicae in hanc rem afferre modo

non oportet, cum ea traditio ex testimoniis pluribus iam superius citatis evidentissime constet. Hinc liquet, cur Romana Sedes dicatur Apostolica, eaque sola intelligatur, cum simpliciter dicitur *Sedes Apostolica*. Nam quamvis aliae sint sedes in quibus Apostoli sederunt aut quas instituerunt, tamen in sola Romana Sede viget tota potestas Apostolatus et quidem Apostolatus Petri, qui est iurisdictio universalis et suprema. Unde licet alii, puta Episcopi Ierosolymitani, succedant Apostolo, at non succedunt in Apostolatu, qui cum Apostolo desiit: Romanus vero Pontifex succedit Petro in Apostolatu, qui erat eius Primatus. Quare munus Romani Pontificis *Apostolatus* appellatur, ut in Conc. Chalcedon. Act. I. de Leone dicunt Patres: « Praecipere dignatus est eius Apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio ».

II. Quamvis omnis potestas a Deo sit; non tamen omnis potestas dicitur esse *immediate* a Deo. In hac re duo distinguenda sunt, nempe *immediata institutio potestatis in genere vel specie et immediata collatio in individuo*. Quoad primum, ea potestas dicitur immediate instituta a Deo, quam ipse positiva voluntate secundum speciem propriam determinavit voluitque esse in societate. Hinc regia potestas singulorum Principum temporalium non est immediate a Deo. Est quidem lex Dei, non positiva, sed quae est ipsa lex naturalis, ut sit potestas in societate: sed Deus non determinavit aut determinat per se certam formam regiminis, non eius immutabilitatem et perennitatem. Dicitur proinde potestas socialis a Deo tradi immediate communitati; non quidem eo sensu quod forma democratica sit a Deo instituta; nullam enim formam regiminis determinat per se Deus: sed eo sensu, quatenus nempe in ipsa natura hominum plurium posita est naturalis ordinatio ad societatem et ideo potestas ad media necessaria atque proinde etiam ad auctoritatem regendi, ita ut ex ea multitudine possit vel unus, vel plures, vel omnes simul subiectum esse huius auctoritatis, omnibus tamen et singulis ius habentibus ut rite gubernentur (cf. Suarez *Defensio Fidei* l. 3. c. 1. seqq.). At potestatem Primatus Deus ipse secundum speciem suam positiva voluntate instituit et determinavit voluitque esse perennem et immutabilem; ergo potestas Primatus est immediate a Deo, prout est a Deo immediate instituta: ideoque speciali ratione est de iure divino (§. XVI.).

Verum fieri potest ut potestas aliqua secundum speciem suam sit positiva voluntate Dei instituta, quin tamen ipse Deus immediate conferat eandem potestatem singulis personis. Huiusmodi est (ut suo loco probavimus §. XVII.) potestas Episcoporum; voluit enim Christus esse in Ecclesia sua, praeter Petrum, Episcopos qui ordinaria potestate regerent oves sibi commissas: unde episcopalis potestas, quae est de-

terminata potestas, licet quoad gradus minus vel magis ampla esse queat, est a Christo positiva voluntate instituta in Ecclesia secundum speciem propriam. Est tamen instituta *in genere;* quia voluit quidem Deus esse in Ecclesia Episcopos; at ipse nullum immediate instituit Episcopum collata ei potestate, sed hoc reliquit potestati et arbitrio Rom. Pontificis (§. XIV.). At ad Romanum Pontificem quod spectat, ipse immediate a Deo potestatem Primatus accipit: h. e. singuli legitime electi ad Romanam Cathedram obtinent immediate a Deo Primatum in universam Ecclesiam.

Sane 1° a nemine alio possunt ii hanc potestatem mutuari; electores enim Pontificis et ipsa Ecclesia carent hac potestate, quam Christus immediate et directe soli Petro dedit exstituram tantum in successoribus suis. Praedecessor autem potest quidem constituere formam electionis in Romanum Episcopum; sed ab eo defuncto nequit transferri ius, quod non amplius possidetur, in successorem. 2° Christus voluit Primatum Petri esse perpetuum per successores suos; Petro autem non nisi Episcopi Romani singillatim succedere possunt iidemque debent; exsistente ergo electo in Cathedram Romanam, Christus eadem voluntate qua vult Primatum perennem esse, quae voluntas efficax est semperque durat, vult hunc electum esse auctum Primatu Petri; atqui hoc tantumdem est ac dicere, Christum huic conferre potestatem Primatus immediate; obtinet enim ipse eam vi iuris divini et solius iuris divini, quod per se sufficit ipsumque solum sufficit ad eam potestatem conferendam: ergo.

Munus itaque electorum huc redit, ut personam designent quae Cathedram Romanam vacantem occupare debet; has enim singulas personas Deus non determinavit aliqua lege: posita vero electione legitime facta, nempe secundum leges a Petro aut successoribus eius iam statutas, Primatus et ipse Episcopatus Romanus, qui re non distinguitur a Primatu, a Deo confertur: sive illa persona determinata exsistit iure divino Episcopus Romanus et Oecumenicus.

Corollarium. Cum ergo Romanus Pontifex quisque accipiat a Deo immediate eum Primatum iurisdictionis, quem Christus instituit in Petro, potestas Romanorum Pontificum semper eadem est, nec per actus praedecessorum minui potest. Imo cum semper idem Primatus *iure divino* perseverare debeat, nequit ullus Romanus Pontifex sibi ipsi potestatem suam imminuere.

Nota. Electus in Romanum Pontificem iurisdictionem obtinet universam statim ac rite electus est, etsi nondum sit consecratus; per characterem enim Episcopalem nulla iurisdictio confertur, sed tantum potestas ordinis, cf. §. XIV.: qui proinde character cum eundem effe-

ctum praestet in quovis consecrato, si ceteris Episcopis iurisdictionem non confert, nec confert Romano electo sive in Romanam Ecclesiam, sive in universam. Sed sicut ceteri electi in Episcopum iurisdictionem obtinent a Romano Pontifice, cum ab eo electio confirmatur, ita Romanus Episcopus electus iurisdictionem obtinet a Deo, a quo solo eam accipere et veluti confirmari potest.

SCHOLION.

Quoniam circa electionem Romani Pontificis nunc quaestio quaedam a nonnullis sciolis agitata est, non erit abs re speciatim de ea disserere. Itaque primum distinguenda est quaestio iuris a quaestione facti. Si quaestio iuris agitur, evidens est, in potestate solius Romani Pontificis esse, determinare formam huius electionis atque ita, ut irrita sit quaevis alia electio secus facta. Etenim determinatio illius rei, quae spectat ad commune societatis bonum et ex qua sequitur obligatio totius societatis, est actus iurisdictionis propriusque auctoritatis supremae, cui subest tota societas: atqui electio Pontificis res est spectans ad bonum totius Ecclesiae et ex ea consequitur obligatio, qua tota Ecclesia obstringitur obediendi personae electae: auctoritas autem suprema Ecclesiae non est nisi in Romano Pontifice; est enim ipse Primatus qui eius proprius est: ergo solus Romanus Pontifex ius habet statuendi formam validam electionis. Nec est aliquis circulus; nam primus Romanus Pontifex h. e. Petrus nulla electione indigebat, sed iure suo cathedram hanc assumpsit potuitque ipse et ceteri post eum potuerunt formam determinare electionis suorum successorum.

Unde consequitur quod qui secundum aliam formam eligeretur ab ea quae auctoritate Romani Pontificis statuta est, is non esset vere electus nec ipsi conferretur a Deo auctoritas Primatus, sed si Ecclesiam vellet regere, tyrannus esset execrandus, etsi omnes potestates seculi ei faverent; satanae enim vice fungeretur principatum gerens inter filios tenebrarum.

Quod spectat ad quaestionem facti, haec satis sit singillatim advertere. 1° Successor Petri ab ipso Petro designatus fuisse videtur: 2° primis Ecclesiae seculis electio episcopi Romani eo modo videtur peracta, quo generatim electio episcoporum primarum sedium peragebatur, convenientibus scilicet episcopis synodi romanae, clero et plebe Romanae Ecclesiae praesente; sic enim Cornelius electus est « de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quae tunc affuit suffragio, de sacerdotum (episcoporum) antiquorum et bonorum virorum collegio (al. consensu) », teste Cypriano epist. 52. Plebis autem interventus diu viguit

in electione Pontificis. Is apparet in formulis electionis quae exhibentur a libro diurno §§. 58. 60. isque media aetate adhuc comparet in decreto Nicolai II. (v. infra); is vero plurimarum turbarum et haud infrequenter minus probandarum electionum causa fuit.

3° Sub finem autem seculi V. Odoacer Rex Gothorum, sedente Felice III. confirmationem electi sibi vindicavit. Clerus quidem populusque romanus huius decreti rationem non habuerunt, at schismatis occasio fuit in electione Symmachi. Porro Iustinianus Imperator usurpationem Regum Gothorum, quos ex Italia profligavit, hereditario iure sibi asseruit: licet decretum Odoacris cassatum fuerit a Synodo Romana sub Symmacho.

4° Constantinus vero Pogonatus, postulante Romana Sede, sub Benedicto II. abdicavit an. 684. usum huius confirmationis. Nihil tamen profuit haec bona voluntas Constantini; perrexerunt enim alii Imperatores eius ius sibi asserere: donec prorsus excussum est iugum sub Zacharia, cum Iconoclastae imperarent.

5° Stephanus IV. in concilio Lateranensi ann. 769. hoc decretum tulit Act. 3ª. « Sed et hoc sub anathematis interdictionibus decernimus, ut nulli unquam laicorum sive ex manu armata (ex militia) sive ex aliis ordinibus praesumant inveniri in electione Pontificis, sed a certis sacerdotibus atque proceribus Ecclesiae et cuncto clero ipsa Pontificalis electio proveniat. Et priusquam Pontifex electus fuerit et in Patriarchium deductus, omnes optimates militiae, vel cunctus exercitus et cives honesti atque universa generalitas populi huius Romanae Urbis ad salutandum eum, sicut omnium Dominum, properare debeat. Et ita more solito decretum facientes et in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent ». Liquet ex his omnibus non fuisse prorsus populum exclusum a negotio electionis, sed temperamentum quoddam additum suae actioni, ut non praevertere postulando, sed subsequi concordi subscriptione deberet electionem a clero factam. Certe et in subsequentibus electionibus per plura secula actio populi comparet. Quoniam vero Imperatoris Christiani auctoritas, qui ea bene uteretur, conducere poterat ad compescendas turbas in electionis negotio ac continendos in officio factiosos, eam Romana Sedes aliquando passa est ipseque Gregorius M. electus non improbaverat.

6° Carolus M. an. 814. iussit tanquam exsecutor canonum eum, qui sine contradictione electus esset, mox consecrari, postulans tantum uti a consecrato mitterentur legati ad se suosve successores pro pacis societate. Carolini tamen Imperatores iam a Ludovico Pio se immiscere voluerunt electioni Pontificis, iubentes electum non consecrari nisi accedente eorum consensu idque Lotharius contendit sub Valentino. Quod

Romanis non placuit, ideoque citra Imperatoris consensum Gregorium IV. successorem ordinarunt. Quod male habitum a Lothario, qui iussa sua instauravit sub Sergio II.

7° Sub Adriano II. integram libertatem ab iniusta Francorum oppressione obtinuit electio Pontificis. Ad hoc tempus spectat quod ait Florus Diaconus Lugdunensis in libro *de Electione Episcoporum* scripto circa annum 880. Cf. Gallandi tom. 13. Ait enim n. 6.: « Sed et in Romana Ecclesia usque in praesentem diem (quod tunc usurpabatur, censuisse videtur semper viguisse) cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis iudicio et fidelium suffragio legitime Pontifices consecrari ». Eam tamen libertatem in Synodo Romana sponte temperavit Ioannes IX. qui sedem obtinuit anno 898. can. 10. ita statuens: « quia sancta Romana Ecclesia plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte, quia absque Imperatoris notitia et suorum legatorum praesentia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii *qui violentiam et scandala in eius consecratione non permittat fieri* (en officium imperialis auctoritatis), volumus ut deinceps id abdicetur, et constituendus Pontifex convenientibus episcopis et universo clero eligatur, expetente senatu et populo eum qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus praesentibus legatis imperialibus, consecretur ». Deinceps tamen frequenter electio fiebat nesciente Imperatore, donec sub Clemente II. statutum est ab Henrico III. an. 1056. consentiente populo Romano, qui turbas et seditiones prohiberi cupiebat, ne rata haberetur Pontificis electio, sine eiusdem Henrici consensu facta.

8° Nicolaus II. hoc decretum tulit in Synodo Romana, an. 1059. in quo incipiunt eminere electores Cardinales: « Religiosissimi viri praeduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus autem atque legitimus electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum patrum regulis sive gestis, etiam illa b. Leonis praedecessoris nostri sententia recolatur. Nulla, inquit, ratio sinit, ut inter episcopos habeantur qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Quia vero Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur Ecclesiis, atque ideo supra se metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum episcopum ad apostolici culminis apicem provehant ». Ibidem statuit ut in electione salvus sit debitus honor et reverentia dilecti filii Henrici tunc regis et futuri Imperatoris, sicut iam ipsi concesserat, ac pariter idem honor tribuatur successoribus illius, *qui ab Apostolica Sede personaliter hoc ius impetraverint.* Postea tandem

electio fieri coepta est a solis cardinalibus, quam ita Alexander III. in Concilio Lateranensi oecumenico an. 1179. definivit ut « ille absque ulla exceptione ab universa Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit et receptus » (cp. *Licet, de Electione et electi potestate*).

Nota Nicolaum II. l. c. statuisse, ut statim ac quis in Romanum Pontificem electus esset, omnia etiam ante consecrationem agere posset, quae sunt iurisdictionis. Id per se consequitur ex eo quod potestas Primatus a nullo homine detur nec per ordinationem iurisdictio conferatur: prioribus tamen seculis videtur spectata fuisse consecratio ut complementum electionis.

Iam vero forma electionis confirmata ab Alexandro III. ab eventu commendationem nacta est universaeque Ecclesiae per plura secula se probavit. Quis ita insipiens, ut exoptet eam formam, quae interveniente plebe tot perturbationes, seditiones et indignorum electiones seculo X. praesertim peperit? Ceterum, ut iam diximus, ea sola forma legitima esse potest, quae a competenti auctoritate h. e. a Romano Pontifice fuerit determinata.

PARS II.

DE VI AC RATIONE PRIMATUS ROMANI

CAPUT I.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS UNIVERSIM SUMPTA

ARTICULUS I.

DE HAC POTESTATE ROMANI PONTIFICIS ERGA ECCLESIAM

THESIS XII.

Ex ipsa natura Primatus a Christo instituti manifestum est, ipsum ideo institutum esse ut unitas universae Christi Ecclesiae ac singularum etiam quoad se ipsas Ecclesiarum per unius capitis iurisdictionem efficienter obtineatur.

I. Finis rei a Deo institutae vel ex eiusdem rei natura bene cognita vel ex manifesta expresse intentione auctoris dignosci potest. Utroque modo cognoscitur finis universae creationis. Priore tantum modo nunc finem instituti Primatus investigamus. Quod ut accurate fiat et occasio quarumdam difficultatum excludatur, praesupponendum 1° est (cf. Taparelli *Saggio teoretico* etc. vol. 1. p. 2. c. 1. seq.) societatem in terris esse multitudinem hominum simul conspirantium in consecutionem boni communis ab omnibus cogniti et amati: exigi proinde in societate *communem intentionem*, *nisum*, *conatum* ad bonum commune assequendum: perfectionem omnem socialem ad haec tria capita revocari, nempe *unitatem* quoad esse societatis, *efficaciam in operando* quoad media quibus tendit in bonum, *possessionem boni* in quod operando tendit quodque operando custodit: *unitatem* porro societatis determinari duplici principio, *extrinseco* et *intrinseco*. Extrinsecum principium est *finis* sive *bonum consequendum*. Hoc autem principium solum non sufficit pro determinanda unitate societatis; cuius veritatis indicium est, quod plures sunt societates inter se distinctae eundem habentes finem: ratio autem est, quia finis idem pluribus modis diversisque mediis acquiri potest; finis vero non determinat potius huius quam illius medii electionem, determinatio vero certorum mediorum exsistere debet, ut habeatur *conspiratio* plurium in idem bonum consequendum.

Hanc autem praestat principium intrinsecum, quod est *auctoritas* quae est *potestas obligandi*. Vel enim singulis permittitur tendere in finem eo modo iisque mediis quibus velint, et nulla habebitur conspiratio: vel *necesse est* ut omnes uno certo modo, certis determinatis mediis tendant in finem, et huiusmodi necessitas, quae moralis est, erit *obligatio*, quae non nisi ab aliqua auctoritate proficisci potest. Auctoritas ergo sive potestas obligandi, quocumque tandem in subiecto sit, principium est in ipsa societate exsistens unitatis plurium, ideoque ipsius societatis, quae formaliter societas est prout est una. Unde bonum consequendum *finaliter*, auctoritas *efficienter* determinat unitatem societatis.

Praesupponendum est 2° unitatem socialem esse unitatem externam, visibilem hucque directe tendere auctoritatem ut actiones externae plurium in idem conspirent. Id vero supponit, esse in singulis adunatis principium aliquod ipsis intrinsecum, quo amplectantur velintque exsequi quod auctoritas ordinat; hoc autem principium est ipsa natura humana, ratio et voluntas quae omnibus est communis. Quod quidem principium, si non tantum velit exsequi quod auctoritas praecipit, sed praeterea probet et diligat illud, eo ipso suavior et constantior ac intensior erit unitas sociorum. Istud vero principium singulis intrinsecum non est sufficiens ratio unitatis socialis, oportet enim esse aliquid omnibus notum quo actiones omnium ad unum obligentur: hoc autem est auctoritas: supponitur tamen illud ab auctoritate eiusque efficaciam iuvat, si quae ab ea praecipiuntur, a singulis probentur et diligantur.

Porro in societate supernaturali, praeter naturam, est quoque gratia interior, tum sanctificans, etsi non necessaria ut quis in ea societate censeatur nec omnibus communis sit, sed iustis tantum: tum gratia actualis, qua fideles moventur in bonum. Huiusmodi porro gratia rursus non sufficit ad unitatem socialem efficiendam: ipsa enim 1° invisibilis est et unitas quoque quam parit invisibilis, nec 2° determinat ipsa quid faciendum sit, sed illustrat mentem et excitat atque adiuvat voluntatem, ut id fiat quod faciendum esse norma obligans omnibus nota proponit. Hanc igitur unitatem socialem tantum auctoritas socialis praestare potest. Quocirca etsi sit in Ecclesia principium aliquod interius uniens invisibiliter fideles; ut tamen societas sit, requiritur quoque externa et visibilis auctoritas. Ab initio quidem Christus ipse, cum adhuc esset in terris, auctoritate huiusmodi fungebatur; at cum modo invisibilis sit nec ullos per se edat actus visibiles, quibus potestas obligans exerceatur, necesse est ut vice eius alius vel alii in terris sint, qui auctoritate instructi principium efficiens exsistant unitatis socialis.

Praesupponendum est 3° quod ut auctoritas sit principium efficiens

unitatis socialis, non opus est ut ipsa autrix sit omnium legum, quibus media praescribuntur conspirationi communi pro consecutione finis; nam praeterquam quod in quavis societate quaedam media ab ipsa natura praescribuntur: si sit auctoritas vicaria, fieri potest ut quaedam saltem ex his mediis a supremo Principe societatis praescripta sint. Illud autem est necesse, si auctoritas vicaria dicenda est principium efficiens unitatis, ut ab ipsa omnia media, sive quorum est autrix sive quae a supremo principe accepit, coactive proponantur societati, ita ut ea adhiberi nequeant, nisi cum subordinatione ad eam vicariam potestatem et sub regimine illius.

II. Itaque finem Primatus ex ipsa sua natura colligamus. Haec quidem ex hactenus disputatis debet esse manifesta. Porro cum finis quaeritur alicuius rei ad aliud ordinatae, cuiusmodi est Primatus; quaeri potest vel simpliciter *aliquis finis proprius eius, puta primarius, vel finis adaequatus.* Modo ab hac altera quaestione praescindimus, cuius solutio pendet a notitia omnium eorum quae Primatus in Ecclesia praestat: liquebit autem ea solutio postea. Nunc tantum positive affirmamus *finem proprium* Primatus. Huiusmodi autem finis proprius illud esse dicendum erit, quod Primatus per se necessario praestat, seu quod ex ipso sponte sua necessario consequitur. Atqui quod Primatus a Christo institutus per se et necessario praestat, illud certe est, ut per unius capitis visibilis iurisdictionem unitas Ecclesiae universae et particularium quoque quoad se ipsas Ecclesiarum efficienter obtineatur. Quid velimus dicere, cum dicimus unitatem quoque *quoad se ipsas* particularium Ecclesiarum, in demonstratione explicabitur.

Quandoquidem dicimus unitatem effici per unum *caput* instructum iurisdictione, oportet breviter declarare qua ratione Romano Pontifici fiat appellatio Capitis Ecclesiae. Caput Ecclesiae metaphorice dicitur. In capite (s. Thom. 3. p. q. 8. a. 1.) tria spectari possunt: *ordo, perfectio, virtus. Ordo*, quia primum est et supremum inter membra humani corporis: *perfectio*, quia in capite vigent omnes sensus: *virtus*, quia caput virtute sua gubernat reliqua membra, vel cum reali fundamento concipitur gubernare, prout in ipso anima, quae gubernat corpus, *speciali modo* sedem habet; ibi enim exercet anima omnes functiones sensuum quibus utitur in directione membrorum ibique est organon quod, extrinsece quidem, postulatur, ut se exerceat intellectus qui regit hominem. Porro Christus tum ordine tum perfectione tum virtute caput est Ecclesiae.

Quoad tertium vero, nempe quoad *virtutem,* advertendum est, duplicem distinguendam esse gubernationem corporis Ecclesiae. Altera scilicet est *interior* per influxum gratiae et donorum, altera est exterior

per *exterioris* videlicet et visibilis auctoritatis exercitium, quo membra societatis adunata reguntur. Prior gubernatio ad solum Christum spectat. Altera gubernatio quoque pertinet ad Christum: verum cum ipse in terris esset, eam *per se* exercebat; modo autem invisibilis factus eam exercet *per suum Vicarium*, qui proinde Vicarius cum Christo et sub Christo caput est visibile visibilis Ecclesiae. Quare Ecclesia non est biceps; unum enim supremum caput habet, cui universa subordinatur. Nulla est autem repugnantia, quod praeter supremum caput sit in societate aliud subordinatum illi, quod eius vices expleat, sicut in regno, abeunte Rege, relinqui potest prorex, cui omnes subesse et parere debeant. Ecclesia quidem et Christus constituunt unum integrum mysticum corpus, cuius Christus est caput, ceteri vero sunt membra, sed id cum aliqua distinctione accipiendum est. Si enim spectetur ordo, perfectio et virtus quoad interiorem gubernationem, Christus solus est caput 1. Cor. XII. 11. seq. Petrus vero simul cum aliis inter membra recensetur; si vero spectetur *gubernatio exterior*, Christus cum suo Vicario simul est caput; ambo scilicet unum caput constituunt, sicut in ambobus una est auctoritas, non quatenus possit omnia Vicarius, quae posset Christus, sed quatenus auctoritas omnis Vicarii est auctoritas Christi, in hoc originalis, in illo derivata: ceteri autem sunt membra.

III. His positis finem institutionis Primatus dicimus fuisse *unitatem Ecclesiae efficiendam*. Quod fuerit Ecclesiae unitas finis Primatus docet etiam Febronius (*de Statu Ecclesiae* etc. c. 2. §. 2.); at aliter ac Catholici docent. Ex illius enim sententia potestas clavium data est a Christo universitati Ecclesiae (c. 1. §. 6.), cuius proinde regiminis forma non est monarchica (ibid. §. 5.); ipsa autem Ecclesia hanc potestatem exercet per suos ministros, quorum primarius est Romanus Pontifex (ibid. §. 6.), qui idcirco et ipse universitati subordinatus est. Hinc quoniam societas per auctoritatem constituitur, cum Ecclesia auctoritatem iurisdictionis habeat independenter a Romano Pontifice, ipsa independenter quoque ab eodem est societas, ideoque una. Ita quoque Gerson rem concipiebat (cf. si licet, *Vindiciae doctrinae Maiorum Scholae Parisiensis* per Richerium tom. 1. pag. 223.). Quare in hac sententia Primatus R. P. supponit Ecclesiae unitatem essentialem eoque spectat tantum, ut *servet* unitatem, ut Febronius loquitur, non ut *efficiat*. Hinc idem contendit, Primatum Romani Pontificis non tam esse *iurisdictionis*, quam *ordinis et consociationis*. Qui quidem ordo et consociatio obtineri dicenda est, e sententia Febronii, per ministerium potestatis, quod Ecclesia suis ministris committit, quatenus cum ii plures sint, ita sunt tamen comparati ut unus inter ipsos excellat eique

ceteri saltem seorsim sumpti in pluribus subordinentur (c. 2. §. 9.). Atqui sententia Catholica est per institutionem Primatus consultum esse a Christo unitati, qua *constituitur* ipsa Ecclesia, quatenus Primatus ipse est, qui hanc *efficit* unitatem, ita ut independenter a potestate Romani Pontificis nulla sit unitas Ecclesiae sive nulla sit societas, quae Ecclesia Christi dici mereatur.

Argumentum huc redit: auctoritas, quae non est a societate delegata, sed quae est ipsa primitiva auctoritas et essentialis societati, est principium efficiens eius socialis unitatis: atqui talis auctoritas in Ecclesia est auctoritas Primatus eaque propria est Romani Pontificis ut ipsi soli insit; ergo Primatus auctoritas eo spectat, ut unitas Ecclesiae efficiatur.

Maior constat ex dictis n. I. Minor probatur. Sane ex demonstratis constat, totam Ecclesiam veluti aedificium fundatum esse super Romanum Pontificem tanquam Petram: constat, potestatem clavium, ligandi et solvendi potestatemque Pastoris factam fuisse immediate et directe Romano Pontifici independenter ab Ecclesia, ita ut subiective non sit nisi in ipso. Atqui ex his sequitur 1° Ecclesiam Christi universam esse unam, est enim aedificium quod uni Petrae adhaeret, est regnum, est ovile quod uni Regi, uni Pastori subest: 2° auctoritatem Rom. Pontificis non esse delegatam ab Ecclesia, sed esse ipsam primitivam auctoritatem in hac visibili societate: 3° esse auctoritatem eidem Ecclesiae essentialem ergo. Scilicet efficitur multitudo hominum societas una per auctoritatem, h. e. principium efficiens unitatis socialis est auctoritas: efficitur autem universa societas una per eam auctoritatem quae nondum societatem supponit, sed ex qua societas consequitur: atqui auctoritas Petrae non supponit aedificium, sed hoc ad illam consequitur, auctoritas habentis claves Regni non supponit Regnum per se iam exsistens, sed illud efficit: ergo. Itaque independenter a potestate Romani Pontificis nulla est Ecclesiae unitas, sive nulla societas quae Ecclesia dici possit.

Verum non solum, deficiente Primatu, non esset unitas totius Ecclesiae; sed neque esset aliqua unitas partialis puta particularium Ecclesiarum. Scilicet non ita est concipienda unitas effecta per Petrum, ut ipse sit causa unitatis, quatenus omnes particulares Ecclesias sive Episcopos in unum corpus colligit, ita tamen ut citra eum possint singulae particulares Ecclesiae suam unitatem seorsim tueri, quod falsum est. Nam istae particulares Ecclesiae et eorum Pastores vel adhaerent Petrae, vel non adhaerent, si non adhaerent, nullo modo sunt Ecclesia Christi: quia extra Petram nullum aedificium nec pars ipsius subsistere potest, sicut nec ullae oves Christi esse possunt extra ovile commissum

Petro, nec ulli cives sanctorum extra regnum caelorum, cuius claves datae Petro: si vero Petrae adhaerent; ergo quoad has ipsas Ecclesias Petra est principium unitatis, hoc est enim esse Petram: principium autem unitatis nequit esse nisi per auctoritatem: ergo eae Ecclesiae subsunt potestati Petrae: ergo. Huc itaque per se et necessario spectat Primatus Petri a Christo institutus; hic ergo est finis eius institutionis.

Idque nos docet constans doctrina Patrum. Id enim dissertissime tradit Optatus docens (cf. eius verba Th. 1. n. 8.). 1° Petrum accepisse claves bono unitatis seu ut unitatis negotium formaretur: 2° Petro collatam esse Romae cathedram ut in una cathedra unitas ab omnibus servaretur: 3° schismaticum esse ideoque extra Ecclesiam qui contra singularem cathedram Romanam collocaret alteram; qui proinde ipsi subesse nollet: 4° Petrum solum accepisse claves Ecclesiae communicandas ceteris (l. 7. c. 3.). Scilicet Petro sive Episcopo Romano Primatus collatus est, ut una Ecclesia formaretur, formaretur autem a Petro; nam ei ad hanc unitatem formandam collata est cathedra singularis, datae sunt claves seu potestas suprema non tanquam ministro Ecclesiae, sed tanquam principio et fonti unde omnis auctoritas in ceteros Pastores obnoxios derivaret: atqui per claves h. e. per supremam auctoritatem seu iurisdictionem formari Ecclesiam unam perinde est ac eandem auctoritatem esse principium efficiens unitatis Ecclesiae; ergo. Et re quidem vera ita formatur unitas a Petro ut nulla sit auctoritas in Ecclesia, qua formari unitas possit, independenter a Petro; potestas enim Ecclesiastica, quae est potestas clavium communicatur aliis a Petro et schismaticus est quicumque Pastor cathedrae Romanae non subest: idcirco sine propria auctoritate Petri nulla est Ecclesiae unitas, quae proinde non supponitur a Petro, sed fit.

Idem iam tradiderat Cyprianus in lib. *de Unitate Ecclesiae,* docens haereses et schismata esse; quia « ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri caelestis doctrina servatur ». Quaenam porro huiusmodi doctrina? Ea continetur verbis Christi ad Petrum Matth. XVI. et Ioan. XXI. Scilicet: « Super illum unum aedificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas... ut unitatem manifestaret... ut Ecclesia una monstretur » (cf. verba eius Th. 1. n. 16.). Unde subdit: « qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?... Quomodo solis multi radii, sed lumen unum et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum et cum de fonte uno rivi plurimi defluant, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a

corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur... unum tamen caput est et origo una et una mater foecunditatis successibus copiosa... Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem ». Itaque Ecclesia est una quemadmodum radii multi unum sunt uno lumine solis et rami multi unum sunt una arboris radice et plurimi rivi unum sunt una origine fontis. At origo una, unum caput, unum lumen in Ecclesia est, teste Cypriano, una cathedra Petri supra quam Ecclesia est fundata, quae ideo super ipsum est fundata, ut una esse monstraretur. Et idcirco sicut ramus fractus ab arbore non germinat amplius, sicut rivus praecisus a fonte arescit, sicut radius avulsus a sole nullus est et sicut per solem, per arborem, per fontem sunt radii lucis sunt rami sunt rivi, ita per cathedram Petri ipsa est societas quae est Ecclesiae seu ipsa est unitas socialis Ecclesiae et praecisione ab ea facta nulla est societas, nulla unitas Ecclesiae. Ecclesia ergo una est atque una efficienter per Petrum.

Hinc epist. 60. ad Cornelium aiebat de schismaticis Fortunato et Felicissimo: « Navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre ». Romana nempe cathedra origo est unitatis Episcopatus et sicut, eodem Cypriano teste, nullus est Episcopus extra unitatem; episcopatus enim unus est et indivisus *(de unit. Eccl.):* ita nullus est Episcopus avulsus ab origine, a radice sua quae est cathedra Petri, quam idcirco vocat epist. 45. « Catholicae Ecclesiae *radicem et matricem* », sicut nullus est rivus praecisus a fonte et quia Ecclesia quaevis particularis est, eodem auctore epist. 49. « Plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens », ideo nulla est unitas vel particularis Ecclesiae, si a cathedra Petri sit divisa. Igitur ex doctrina Cypriani constat ideo institutum esse Primatum Petri, ut per ipsum efficeretur unitas totius Ecclesiae ac particulares quoque Ecclesiae per ipsum unitatem suam tueri possent.

His antiquior Irenaeus idem hac nobilissima sententia expressit l. 3. c. 3. « Ad hanc (Romanam) Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio. » Quibus verbis haec de Romana Ecclesia adseruntur 1° eius *potior* (al. *potentior*) *principalitas:* (lectio

potentior est forte certa magis) (a). 2° necessitas ut ceterae Ecclesiae, omnes quicumque sint fideles ad eam conveniant: 3° centrum eandem esse totius Christianae societatis, in quo fideles omnes veram fidem conservarunt. Porro quaenam est principalitas Romanae Ecclesiae? Non antiquitas, si ipsam Ecclesiam spectes, qua potius praecellit Ierosolymitana Ecclesia (cf. quae dicemus in seq. Thesi ad sententiam Conc. Lateranensis IV.): non sola origo apostolica aliis quoque communis Ecclesiis; sed est ἀρχή, cuius propria est ἡ πρωτεία καὶ ἡ ἡγεμονία. Scilicet abstractum nomen *principalitas* significat id quod originale et primigenium est et id a quo alia exordium originemque sumunt atque speciatim id propter quod quis in societate est ἀρχή princeps, principium efficiens et origo unitatis.

Hoc autem adaequato sensu usurpatur heic *principalitas* ab Irenaeo; nam 1°, ut diximus, sola notio eius, quod originale est et primigenium, sive notio antiquitatis subesse nequit: 2° appositum *potior* vel *potentior* idem suadet atque 3° persuadet id quod ex hac principalitate consequitur, necessitas nimirum omnium Ecclesiarum conveniendi ad Ecclesiam Romanam. In societate enim, qualis est Ecclesia, necessitas qua tenentur omnes adunandi se ad unam *principalem* civitatem sive sedem eo quod est *principalis*, non nisi ex eo oritur, quod ibidem sedes est imperii, sive oritur ex dignitate supremi rectoris qui auctoritate sua omnes continet in unitate. Principalitas ergo Romanae Ecclesiae est supremum eiusdem imperium propter Sedem Petri in ceteras Ecclesias. Porro *convenire* omnes Ecclesias omnesque fideles ad Romanam Ecclesiam non est, omnes fideles concurrere personaliter Romam; sed omnes illi adunari unamque cum ea societatem constituere illique tanquam magistrae in fide consentire. Itaque haec asseruntur ab Irenaeo, necessitas communionis omnium Ecclesiarum cum Ecclesia Romana: necessitas huiusmodi propter potiorem eius principalitatem h. e. propter supremam auctoritatem: sine hac Ecclesiarum et fidelium adunatione ad Ecclesiam Romanam, nullum esse fidelium coetum; nam solum in hac Ecclesia h. e. ei adhaerentes fideles servant apostolicam traditionem: scilicet ratio cur ceterae Ecclesiae veram fidem teneant et in unitatem fidei conveniant non est in singulis ipsis, sed est in Ecclesia Romana, quacum unitatem constituentes ceterae obtinent veram fidem.

(a) Quidam interpres (Adolphus Stieren in editione sua) censet, Irenaeum scripsisse: ἱκανοτέραν ἀρχαιότητα; quid porro est ἀρχαιότης ἱκανοτέρα? Lege Armellini in op. *Philosoph.* c. 7. ubi probabili sane argumento censet, scripsisse Irenaeum: διὰ τὴν ἱκανότεραν αὐξεντίαν *propter praepollentem auctoritatem.*

Igitur sine Ecclesia Romana nulla est fidei unitas, seu nulla est unitas socialis fidelium ac per Romanam Ecclesiam solum obtinetur. Huc ergo spectat principalitas sive Primatus Romanae Sedis, ut unitas omnium credentium efficiatur, ut singulae Ecclesiae cum ea cohaerentes veram fidem servent sintque propterea portiones veri gregis Christi.

Ambrosius in Psalm. XL. n. 30. haec ait: « Ipse est Petrus, cui dicit Christus: *tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia ». Nimirum negative, sicut aedificium non est ubi non est fundamentum, sive aedificium non est quod non incumbit fundamento: ita Ecclesia non est ubi non est Petrus, nempe Ecclesia non est, quae non est unita Petro. Positive, ubi Petrus, ibi Ecclesia, h. e. ea communio, quae Petro adhaeret, eo ipso est vera Christi Ecclesia; est ergo in Petro ratio sufficiens, cur communio sibi cohaerens sit vera Ecclesia. Porro si communio quaevis non est Ecclesia eo ipso quod non adhaeret Petro fundamento, si Ecclesia est eo ipso quod adhaeret; ergo Petrus, quatenus Petrus h. e. fundamentum, petra Ecclesiae, est necessarium principium constitutivum ipsius Ecclesiae, colligens omnes in unam societatem, quae est sola vera Ecclesia; principium nempe efficiens unitatis totius Ecclesiae. Quod si ubi non est Petrus, ibi non est Ecclesia: unitas quoque cuiuscumque particularis Ecclesiae pendebit a Petro, sive ab unione cum ipso. Ergo eo spectat institutio *Petrae* Ecclesiae sive Primatus Petri, ut sit principium efficiens unitatis Ecclesiae.

Et sane haec fuit semper certissima Ecclesiae sententia; cuius rei luculentum testimonium est subscriptio facta ab omnibus orientalibus Episcopis formulae fidei ab Hormisda propositae, ut ad unitatem Ecclesiae reciperentur qui propter acacianum schisma ab eo defecerant. Praemissis enim verbis Christi ad Petrum: tu es Petrus etc. profitentur graeci Episcopi, *se nolle separari a spe et fide Sedis Apostolicae et idcirco anathematizare haereticos omnes... suscipere et approbare omnes epistolas Leonis Papae quas de religione christiana conscripsit, sequi se in omnibus Apostolicam Sedem et praedicare eius omnia constituta, sperantes ita ut in una communione cum Apostolica Sede esse mereantur, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas ac promittentes se eorum nomina inter sacra mysteria non recitaturos, qui sequestrati essent a communione Ecclesiae catholicae idest non consentientes Sedi Apostolicae.* Iam vero in hac professione continetur sollemnis professio necessitatis communionis cum Sede Romana, ut ab Ecclesia sequestratus sit qui ei non consentit; cuius necessitatis ratio verba sunt Christi constituentis Petrum eiusque successores Petram Ecclesiae. Proinde auctoritas Apostolicae Sedis est certe quoddam

principium unitatis Ecclesiae. Est autem principium efficiens; quia, qualis in hac formula exhibetur, est auctoritas, non quidem ministerialis h. e. ab Ecclesia derivata, quae Ecclesiam iam constitutam supponeret, sed est auctoritas immediate a Deo in Petro eiusque successoribus constituta, cui Episcopi in Synodum oecumenicam collecti h. e. universa Ecclesia simul sumpta subesse tenetur, ita ut nullo pacto ei liberum sit se ab ea subducere.

Huius praeterea fidei testes sunt Synodi oecumenicae. Testis est enim Synodus VIII. quae eandem mox recitatam professionem emisit Act. 1. Tum testis est Synodus Lugdunensis II. in qua probata est professio fidei quae haec quoque continebat: « Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit..... Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae... Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit. » Iam vero principium efficiens unitatis socialis est auctoritas suprema et universalis, non quidem ea quae sit delegata a societate alicui suo ministro, ita ut ea iam ipsam societatem unam supponat, sed quae necessario praevertit quamlibet delegationem societatis et necessario est in societate; atqui ex hac professione fidei constat, talem esse Primatum Romani Pontificis, qui dicitur habere auctoritatem supremam et universalem eamque a Deo immediate accepisse institutore societatis: talis scilicet auctoritas non est delegata a societate et est necessaria in societate a Christo instituta. Pariter eiusdem rei testis est Florentina Synodus, definiens « Rom. Pontificem esse verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem exsistere et ipsi in b. Petro pascendi regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse »; idem enim ac efficacius docet haec definitio quod professio Lugdunensis.

Cum hac doctrina, quam vindicamus, cohaeret quod sec. IX. tradit s. Nicephorus episc. Constantinop., qui ut ostendat auctoritatem Synodi oecumenicae Nicaenae 2^{ae} ait: « Nam secundum edita antiquitus divina decreta praeeminebat in ea praesidebatque ex occidentali fastigio idest ex veteri Roma pars non modica, sine quibus (Romanis) ullum dogma, quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetudine fuerit antea ratum, nunquam tamen probatum habebitur neque

in praxim deducetur; quia illi Sacerdotii principatum sortiti sunt atque coriphaeorum inter apostolos dignitatem sibi traditam habent (Pitra *Ius eccles.* tom. 2. pag. 80. 81.).

Cohaeret cum eadem doctrina id, quod sec. X. Abbo Abbas scribebat (epist. V. apud. Gallandi *Bibl.* tom. XIV.). « Romana Ecclesia sua super omnes Ecclesias excellentia hoc habet privilegii, ut sicut claviger regni caelestis obtinet principatum apostolici culminis, ita eadem Romana Ecclesia auctoritatem tribuat omnibus quasi suis membris, quae sunt per quatuor climita totius orbis. Qui ergo Romanae Ecclesiae contradicit quid aliud quam se a suis membris subtrahit, ut fiat portio adversariorum Christi? » Porro ea excellentia sedis isque principatus, qui ceteris auctoritatem tribuit, est profecto principatus efficiens unitatem societatis cui praeest. Itaque traditio catholica manifesta est in hac re. Quae autem contra afferri possent, expendemus suo loco in seqq. Thesibus.

THESIS XIII.

Cum hac Primatus dignitate consertum est ut iurisdictio Romani Pontificis in omnes Christi fideles tam seorsim singulos quam simul omnes sit ordinaria et immediata.

I. Haec Thesis nexa est necessario cum praecedente eiusque explicatio haberi debet. Pro intelligentia terminorum adverte quod potestas sive iurisdictio *ordinaria* usu ecclesiastico dicitur ea, quae dignitati vel magistratui vel praefecturae ipso iure sive divino sive humano annexa est, quam quis proinde non vi specialis delegationis, sed vi suae dignitatis suique officii exercet. Ita omnes Canonistae. *Immediata* potestas vel iurisdictio opponitur *mediatae. Mediata* iurisdictio in aliquos dicitur, quae habetur in eorum immediate superiores, per quos veluti medios ipsa attingit quoque horum subditos: contra *immediata* in aliquos iurisdictio est quae in ipsos tanquam proprios subditos fertur absque ope alicuius interpositae potestatis. Immediata iurisdictio non impedit quominus plures sint qui eundem populum immediate regant, dummodo diverso modo et cum subordinatione potestas ea in pluribus sit. Ita in regno gubernatoribus propriis et regi subsunt immediate subditi: in Dioecesi Parochis et Episcopo.

Cum iurisdictio immediata possit esse et princeps et subordinata, si rationem genericam quaeris iurisdictionis immediatae, ea non est, quae potest omnes actus qui necessarii sunt ut sui subditi regantur, cuiusmodi non est iurisdictio gubernatoris quae nequit leges ferre: nec ea est quae debeat per se ipsam omnes actus ponere qui requiruntur ad

regimen subditorum, quemadmodum id non praestat auctoritas Regis in regno, quae tamen est quoad omnes subditos immediata; reguntur enim et ligantur omnes suis legibus absque ulla alia media auctoritate quae prior liget. Sed iurisdictio immediata generice est ea quae aliquos actibus suis regit non quatenus alios regit a quibus illi reguntur, sed quatenus illos ut subditos proprios regit. Specifice vero iurisdictio immediata eademque princeps in societate ita describi potest; ut sit ea quae omnes ad societatem spectantes actibus suis regit ut proprios subditos absque ope intermediae auctoritatis, quaeque ex se potest omnes actus qui requiruntur ut subditi bene regantur. Cum autem ea dicitur posse omnes actus, distingue inter *posse physicum* et *posse iuridicum*. Iuridice quidem potest omnes actus iurisdictio immediata princeps, ita ut semper validi sint cum ponuntur: quoad potestatem vero physicam distinguendum rursus est; nam aliquid physice possumus per nos ipsos, aliquid per alios quibus potestatem nostram delegamus. Si societas ampla sit, fieri nequit ut supremus princeps physice per se possit omnes actus necessarios regimini, at poterit certe per delegatos suos; idque necesse est ut possit, si vere est eius iurisdictio princeps et immediata. Non tamen spectat ad hanc immediatam et principem iurisdictionem obligatio ponendi omnes actus per se ipsam; quia et sine hoc exercitio manet integra ea iurisdictio et non datur obligatio ad impossibile: nec ad eam spectat obligatio exercendi se per alios a se delegatos agentes nomine suo, si constitutio societatis talis sit ut per alios ii actus exerceri possint.

Porro adverte, falsum esse quod in serie ordinata eorum qui potestate funguntur in societate, ille qui praeest imperet tantum iis qui immediate ipsum in ea serie sequuntur: liquet id in monarchia civili, in qua Regi omnes prorsus cives immediate subsunt. Ita quoque Deus in hac mundi universitate omnes immediate movet et regit. Unde cum propter seriem ordinatam praesidentium, alter qui subditis proximus est dicitur *immediatus superior*, alter qui uno gradu vel pluribus excedit, dicitur *superior mediatus*, non significatur distinctio subditorum qui alii sint pro distinctis superioribus, sed designatur ordo praesidentium inter se ipsos diversumque officium in exercitio potestatis. Qui enim inferior est, magis particularia et quae propria sunt alicuius partis societatis, qui superior est, is universalia magis et communia omnibus curare debet.

II. Quaestio modo non est duplex, utrum nempe iurisdictio Romani Pontificis sit ordinaria et utrum sit immediata in omnes: sed una est, scilicet utrum iurisdictio eius sit ordinaria immediata in omnes; sive utrum eius iurisdictio ordinaria sit immediata in omnes Christi fideles.

Ordinariam enim esse iurisdictionem Romani Pontificis nemo negat, nisi qui negat eius Primatum: sed quaestio est quanta sit et quousque se porrigat, an immediate attingat omnes fideles, an tantum mediate.

Febronius censet ad Romanum Pontificem immediatam curam et directionem singularium ovium totius Christiani ovilis non pertinere, sed solum *praesidium et directorium universi* idque se probasse toto suo opere contendit c. 7. §. 7. Praesidium vero et directorium universi in eo est, quod Romanus Pontifex bonum unitatis curet *advigilando et dirigendo*, consilio nempe non coactione (c. 11. §. 4.) atque *in casu negligentiae aut malitiae Episcoporum* possit iudicare causas eorum subditorum etiam citra appellationem eorumque Praelatorum dioeceses administrare et regere etiam contra voluntatem eorundem Praelatorum atque absolvere a peccatis. Excepto eo casu, Romanus Pontifex non nisi mediata gaudet iurisdictione in singulos fideles. Unde eius potestas est per se mediata, per accidens et veluti extraordinarie, immediata. Ita et Eybel damnatus a Pio VI. Brevi *Super Soliditate*.

Sententia catholica est, iurisdictionem ordinariam Romani Pontificis esse immediatam in fideles quosvis tam seorsim singulos, quam simul omnes hucque spectare institutionem Primatus ut huiusmodi iurisdictio obtineat. Falluntur scilicet ii qui putant 1° eatenus Romanum Pontificem esse Ecclesiae caput, quia est primus inter hierarchas et idcirco 2° non aliter ad gregem universum referri, nisi per illos ipsos hierarchas atque ad singulos hierarchas, nisi per gradus medios et interiectos: ipsumque 3° proinde vocari et esse universalis Ecclesiae Episcopum tantummodo mediate. Quare e contrario iuxta doctrinam catholicam spectanda est Ecclesia veluti una familia, cuius unus est Pater, qui omnium et singulorum bono consulit, omnes et singulos pascit et regit: et sicut, auctore Cypriano, Ecclesia est plebs sacerdoti suo adunata et pastori suo grex adhaerens, ita universa Ecclesia est universa plebs fidelium uni Sacerdoti hoc est Episcopo et Pastori adunata et adhaerens, ut tota uni Episcopo immediate subsit. Probandum est igitur institutionem Primatus eo spectare ut iurisdictio ordinaria Romani Pontificis immediate complectatur tum generatim singulos quosque fideles, tum speciatim ipsos quoque Episcopos qui et ipsi fideles sunt atque hos omnes non tantum seorsim singulos sed et simul omnes sumptos; ex quo consequitur iurisdictionem huiusmodi esse vere episcopalem in universam Ecclesiam, ideoque Romanum Pontificem in ipsos Episcopos iurisdictionem Episcopalem habere.

III. Sane 1° Romanus Pontifex solus habet a Christo claves regni caelorum quod est Ecclesia, potest ligare et solvere quaecumque et quoscumque ipse censet in Ecclesia, et ita ut nemo solvere possit quod

ipse ligat, nemo ligare quod ipse solvit, atque idcirco absque concursu alterius auctoritatis possit ipse ligare et solvere quae censet liganda aut solvenda (Th. 1. in haec verba Christi); atqui haec est iurisdictio immediata quoad omnes et singulos fideles: ergo. Prob. minor. Potestas universalis quoad omnia negotia et quoad omnes personas atque independens in exercitio sui et nullius alterius potestatis cooperationis indigens, est immediata iurisdictio in omnia membra societatis: atqui potestas descripta clavium regni est talis; ergo. Maior est evidens; nam si potestas se extendit ad omnia et omnes et non indiget concursu alterius auctoritatis vel paris vel inferioris ut efficax sit, ipsa immediate regit omnes personas societatis: minor quoque evidens est ex superius demonstratis; ergo.

2° Romanus Pontifex est profecto Pastor; ergo aliquos immediate pascit. Consequentia evidens est etiam in sententia adversariorum; quia nisi aliquos immediate pascat, nequit esse aut concipi pastor. Iam vero quinam sunt quos Romanus Pontifex immediate pascit? certe illi qui eidem pascendi traditi sunt a Christo: nam aut hi aut nulli; non enim est Pastor nisi quia Christus ipsi aliquos pascendos commendavit. Atqui Christus ipsi pascendos tradidit omnes, agnos scilicet suos et oves suas: praeter agnos vero et oves Christi nihil est in Ecclesia; ergo omnes immediate pascit. Et sane iuxta adversarios Romanus Pontifex oves saltem aliquas immediate pascit: cur vero nisi quia Christus ei dixit *pasce oves meas?* atqui pariter Christus ei dixit *pasce agnos meos* et non dixit aliquas oves aut aliquos agnos sed *oves meas*, *agnos meos*, quibus verbis universi fideles comprehenduntur: ergo.

3° Dices, Romanum Pontificem esse petram Ecclesiae: in materiali autem aedificio non omnes lapides immediate adhaerent fundamento, sed praeter paucos ceteri mediate; ergo et in Ecclesia non omnes immediate reguntur a Petro. Verum si non leviter, sed penitus rem consideres, oppositum prorsus colliges. Oportet enim habere rationem rei significatae per Petram seu fundamentum. Id porro probavimus esse auctoritatem supremam in Ecclesia et independentem. Iam vero proprium est auctoritatis supremae et independentis in societate, ut omnes ei immediate subsint, ita ut legibus eius eiusque sententiis absque alia auctoritate intermedia obligentur: ergo talis quoque est iurisdictio Petrae Ecclesiae.

4° Institutionem Christi agnoverunt Patres. Sane Romanus Episcopus frequenter vocatur ab his *Episcopus* seu *Patriarcha oecumenicus*: τῷ ἁγιοτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ Λέοντι, aiunt libellum offerentes lectum in Chalcedonensi Synodo

Theodorus et Ischyrion Diaconi Alexandrini, Athanasius Alexandrinus presbyter et Sophronius: eadem appellatio occurrit facta Agapito in Conc. Constantinop. sub Menna: pariter in Concilio VI. Donus vocatur a Constantino Pogonato *oecumenicus* Papa et in Chalcedonensi Concilio sic subscripsit Legatus Paschasinus: « Paschasinus episcopus Lilybetanae, vicarius beatissimi atque *apostolicae universalis Ecclesiae Papae* urbis Romae Leonis » etc. ipseque Leo in epist. 64. ad Marcianum, sibi hunc titulum tribuit: « *Leo Episcopus romanae et universalis Ecclesiae* ». Pariter sententia est Patrum, *unam esse cathedram in Ecclesia*, quae est cathedra Romana seu cathedra Petri, ut audivimus ab Optato et a Cypriano, *ac omnes eos proprie regi a Petro quos principaliter regit Christus*, ut ait Leo serm. 3. in assumpt. sua, atque « *curam b. Petri praesentes habere omnes fideles licet longissime dissitos* », ut loquitur Caelestinus in litteris ad Patres Ephesinos: cui similia habet Gelasius ad Aeonium episc. arelatensem: « quanto enim totius ovilis curam Christo Domino delegante susceptam b. Petro gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas Ecclesias earumque rectores amplectitur »; cf. et testimonium Bernardi mox afferendum. Atqui titulis huiusmodi et assertionibus continetur evidenter ea doctrina quam defendimus. Cathedra enim formaliter spectata est auctoritas: porro nequit esse una singularis cathedra in tota Ecclesia, h. e. cathedra Romana, nisi auctoritati unius Romani Episcopi omnes fideles immediate subsint; immediate enim omnes subesse oportet alicui supremae auctoritati; haec autem si pluribus est communis, vel non erit una cathedra in Ecclesia, vel ea ex collectione veluti omnium episcopalium cathedrarum coalescet, non erit autem una cathedra Romana; atqui una est cathedra in tota Ecclesia ipsaque est cathedra Romana: ergo.

Et sane Episcopus iuxta Ecclesiasticum concipiendi modum est Pastor immediatus: habet enim proprias oves, oves autem propriae dicuntur illae, in quas immediata est auctoritas, quas nempe regendi actibus suae potestatis citra ullum medium ius quis habet: atqui Romanus Pontifex sicut est Episcopus Urbis, ita pariter est Episcopus Orbis: ergo. Quocirca ipse proprie pascit et regit omnes, quos pascit et regit Christus, ut ait s. Leo l. c. potestate scilicet vicaria quae immediata est eiusque curae omnes fideles sunt praesentes, quod immediatam iurisdictionem aperte significat: ergo. Hanc immediatam potestatem universalem expressit Nicolaus I. epist: 8ª ad Imper. Constantinop. affirmans « se ius habere non solum monachos, verum etiam quoslibet clericos de quacumque dioecesi, cum necesse fuerit, ad se convocare atque, ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus, invitare ».

5° Idem in Conciliis oecumenicis confirmatum est. Sane in Lateranensi IV. c. 5. de Romana Ecclesia dicitur, quod « disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra ». Mater Ecclesiarum omnium dicitur Ecclesia Romana ratione quidem *auctoritatis*, qua universam familiam Christianam ut mater regit: « Ecclesia Romana (ait Innocentius III. ep. 209. l. 2.) mater dicitur non ratione temporis, sed ratione potius dignitatis... quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est praelata ». Porro ratione *originis* quoque, si ipsam spectes quidem *materialiter* prout est Ecclesia certo tempore fundata, ipsa non fuit prior nec mater omnium; si vero spectes *formaliter* in suo capite, qui est Petrus: sicut ab ipso Ecclesia omnis et iudaica et gentilis ortum habuit, primus enim Petrus utramque fundavit ac praeterea singulares alias Ecclesias ab Apostolis institutas Petrus semper ut princeps regebat; sic et Ecclesia Romana ratione quoque originis dici potest Mater omnium Ecclesiarum. In Concilio pariter Florentino definitum est Romanum Pontificem esse » totius Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem exsistere ». Atqui relatio filiorum ad Patrem vel Matrem quibus obedire tenentur, discipulorum ad Magistrum vel Doctorem, cuius doctrinam sequi debent, est immediata: parentes enim suos filios immediate regunt, doctores suos discipulos, qui illud tenentur discere quod ipsi docent eo quod ipsi docent, immediate instruunt; omnes autem Christiani sunt filii et discipuli Romani Pontificis cui obedire tenentur et cuius magisterium sequi debent: ergo.

In Tridentina Synodo Sess. 14. cap. 7° de reservatione casuum, docemur quod « merito (nam ad Christianam disciplinam id magnopere pertinet, ut immediate prius dicitur; redditur nempe ratio non potestatis, sed honesti usus potestatis) Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt iudicio reservare ». Potest nempe Romanus Pontifex reservare sibi casus in universa Ecclesia idque non ex concessione Episcoporum, sed pro suprema sua potestate, quae ei tradita est utique a Christo. Iam vero nemo sibi absolvenda reservare potest nisi peccata suorum subditorum; oportet enim ut ab iis possit ipse absolvere et nemo, ex ipsa Tridentini doctrina cp. eodem, nisi suos subditos potest a peccatis absolvere. Ergo in foro interiori omnes Christi fideles Romano Pontifici subiiciuntur ipseque omnes a peccatis absolvere potest; ergo est omnium pastor immediatus. Hinc Albertus M. in 4. D. 19. a. 10.: « Ad aliud dicendum, quod loco Christi in terris non est nisi unus Papa et ille potest facere (idest absolvere) in omni-

bus; sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt: et ideo non licet eis extendere iurisdictionem ultra quam permissum est ». Et s. Thomas *Contra impugnantes Relig.* c. 4. « Ad illud quod obiicitur, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri *proprio* Sacerdoti, dicendum quod sacerdos *proprius* non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura eius, quam ad Sacerdotem ».

IV. Ergo et ad singulos Episcopos se porrigit immediata iurisdictio Romani Pontificis. Nam argumenta allata quidquid valent, valent quoque in Episcopis. Regit enim immediate Romanus Pontifex eos omnes qui ad aedificium Ecclesiae spectant quod super ipsum Petram incumbit, eos omnes qui sunt in regno et a Petro distincti sunt pascitque omnes nedum agnos sed et oves; atqui inter hos sunt quoque Episcopi, qui veluti columnae aedificii a Petra sustentantur, qui principes in regno regi subsunt, qui oves sunt in ovili Christi: ergo. Hinc quemadmodum Romanus Pontifex dicitur Episcopus universalis, ita et *Pastor Pastorum*, *Episcopus Episcoporum*, *Pater Patrum* appellatur. Tertullianus *de Pudicitia* c. 1. « Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium: *Pontifex* scilicet *Maximus*, *quod est Episcopus Episcoporum*, edicit: ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto ». Is porro erat Zephirinus Romanus Episcopus. Titulos autem illos vere datos fuisse Episcopis Romanis, non confictos ab haeretico Tertulliano per ironiam, manifestum est; his enim probatur edictum propositum *peremptorium* esse, quod quidem a catholicis non ab haereticis tale esse dicebatur. Ii ergo erant qui his titulis Romanos Episcopos honestabant.

Bernardus *de Consid.* l. 2. c. 8. « *Tibi universi crediti, uni unus.* Nec modo ovium, sed et *Pastorum tu unus omnium Pastor.* Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut regni? *oves meas*, *inquit. Cui non planum non designasse aliquas*, *sed assignasse omnes? Nihil excipitur*, *ubi distinguitur nihil* ».

Ita Pius VI. in Responsione ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem etc. praestituto ex verbis Domini Primatu Romani Pontificis, pergit: « Quinimo Patres et Concilia tam ante quam post Gregorium M. inito veluti inter se foedere Romanum Pontificem certatim appellaverunt *Sacerdotem Sacerdotum*, *Patrem Patrum*, *Pastorem Pastorum*, *Episcopum Episcoporum et Episcopum universalem*... Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum

attributa *sicut auctoritatem prae se fert in omnes fideles ordinariam atque immediatam, ita eandem prae se fert auctoritatem ordinariam atque immediatam in omnes pastores*, qui, quacumque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, *ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii, si Pontificem spectes, non nisi ovium numero habeantur* » (a).

V. Nunc probandum est fideles omnes quoque simul sumptos potestate ordinaria et immediata regendos esse a Petro. Duplici modo possunt simul sumi omnes fideles et Pastores eorum. Primo quidem ut tantum intelligatur collectio omnium, sive multitudo in unitatem coacta, licet per orbem dispersa sit et singuli Pastores in suis sedibus maneant. Deinde vero ut intelligatur collectio sive adunatio personalis omnium in unum conventum in unam Synodum, in qua simul aliquid tractent et decernant. Id autem non nisi quoad ipsos Pastores habuit unquam et potest habere locum. Utroque modo sumptos omnes fideles potestate ordinaria immediata regit Romanus Pontifex. Scilicet potestas ordinaria et immediata Romani Pontificis ideo est instituta, ut non attingat tantum hos aut illos singillatim ita ut tantum imperare possit his aut illis prout singuli sunt, vel prout sunt singulae particulares ecclesiae: sed 1° attingat omnes simul collectos prout constituunt unum integrum corpus societatis, licet toto orbe diffusae, atque huic toti corpori leges praescribere possit, in eoque ceteras functiones Primatus exercere: tum 2° praeterea attingat quoque totum corpus Pastorum in unum conventum vel synodum personaliter adunatorum.

Probamus primum. Sane potestas ordinaria immediata ideo competit Romano Pontifici, quia est *Petra*, quia *habet claves*, quia habet *potestatem ligandi et solvendi*, quia est *Pastor;* id ex praecedentibus satis liquet: ergo competit ei ea potestas respectu eorum, pro quibus est Petra, pro quibus habet claves potestatemque ligandi et solvendi quorumque est Pastor. Atqui terminus, ad quem refertur Petra, est *aedificium* h. e. unum totum ex pluribus compositum, terminus, ad quem referuntur claves et potestas ligandi et solvendi, est *regnum* h. e. societas una sive collectio plurium in unitatem coacta, terminus, ad quem

---

(a) Ioannes Maior (cf. excerpta eiusdem posita a Richerio inter opera Gersonis p. 1. pag. 877.) in artic. 10. q. 1. 2ª 2ae ait. Haec quaestio quaerit, an maximus Pont. sit super universale Concilium, vel super universalem Ecclesiam, quam Conc. repraesentat. Super praefata quaestione, duo sunt modi dicendi oppositi: quorum unus tenet Papam esse super universale Concilium... Alium modum semper universitas Parisiensis *a diebus Concilii Constantiensis* imitata est ».

refertur Pastor, sunt oves et agni repraesentati numero multitudinis collectique invicem sub una ratione et vinculo unionis cum Christo, *oves meas, agnos meos;* est nempe *ovile Christi,* quod est totum; ergo. Ergo potestas immediata Romani Pontificis fertur in totum aedificium, in totum regnum, in totum ovile seu in totum Ecclesiae corpus: sive Ecclesia, prout est una integra societas, unum regnum, unum ovile, unum corpus, subordinatum immediatae iurisdictioni Romani Pontificis. Quapropter Rom. Pont. regit immediate singulos, immediate omnes simul sumptos et non ideo regit omnes simul, quia regit singulos; sed e contrario ideo regit singulos, quia regit totum sive omnes simul. Nam terminus immediatus Petrae exhibetur a Christo *aedificium*, clavium *regnum:* unde immediate prius fertur potestas Petri in Ecclesiam, in regnum, in ovile, quam in singulos: ita ut ideo Petrus singulos immediate regat, quia spectant ad hanc Ecclesiam, ad hoc regnum, ad hoc ovile.

Si conferas doctrinam Patrum superius traditam, idem evinces. Quod enim repraesentatur subiectum potestati Romani Pontificis non sunt tantum singuli, sed universa Ecclesia, totum Ecclesiae corpus, totum regnum, ut consideranti patet.

Probamus secundum, quod, ne longiores simus, satis erit argumento uno vel altero evidenti demonstrare, pleniorem, si opus erit, tractationem reiicientes, ubi de Conciliis directe disputandum erit.

Sane quid est tandem Synodus universalis Pastorum? est universa Ecclesia hierarchica ad deliberandum collecta, est proinde pars potior aedificii, regni, ovilis; atqui totum aedificium, quantum est, incumbit Petrae, totum regnum subest habenti eius claves, totum ovile Pastori obedit. Ergo etiam Synodus oecumenica subest Romano Pontifici ut capiti suo eamque ipse ordinaria et immediata plena sua potestate moderatur et regit. Imo, ut iam monuimus, quod immediate deducitur ex verbis Christi, est potestas immediata Petri in totam Ecclesiam, in totum regnum, in totum ovile: porro concilium oecumenicum non est aliquid amplius quam tota Ecclesia, totum regnum, totum ovile: ergo. Et re quidem vera eatenus alia esse posset habitudo Episcoporum ad Romanum Pontificem cum dispersi sunt, alia cum in Synodum omnes coeunt, ut in priore hypothesi subessent, in altera pares essent vel superiores, quatenus penes Pontificem esset quidem suprema potestas exsecutiva, ut aiunt, non vero suprema potestas legislativa et iudicialis, sed haec reperiretur tantum in coetu Pastorum: atqui penes Romanum Pontificem non est sola potestas suprema exsecutiva, sed est potestas suprema legislativa et iudicialis quoque eaque est ipsius propria independenter ab Ecclesiae consensu et voluntate; talis est enim potestas

petrae, potestas clavium regni, potestas omnia atque omnes ligandi et solvendi, quae soli Petro data est (Th. 1.): ergo eadem semper manet habitudo Episcoporum ad Rom. Pont.

VI. Iam vero potestas haec, de qua hactenus locuti sumus, est vere potestas episcopalis. Potestas Episcopalis est ordinaria et immediata potestas ecclesiasticae iurisdictionis in suo genere completae quae nempe sit legislativa, iudicialis, coactiva. Atqui talis est potestas Romani Pontificis in universam Ecclesiam, imo est perfectissima potestas obtinens apicem Episcopatus. Iurisdictio enim ipsius est iurisdictio legislativa, iudicialis, punitiva; huc enim redit potestas solvendi et ligandi omnia et omnes: est suprema universalis independens, quia est potestas habentis claves Regni. Hinc, ut iam audivimus, Episcopus is est et dicitur universalis, vel Episcopus catholicae Ecclesiae. Quia vero eadem potestate gaudet in omnes Episcopos, ut probavimus; hinc et eiusdem potestas in Episcopos vere Episcopalis est, unde dictus est Episcopus Episcoporum, Pastor Pastorum.

THESIS XIV.

Quocirca habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam plenitudinem potestatis, non solum quatenus omnia possit, sed quatenus omnis iurisdictionis potestas, qua fideles reguntur, ab ipso sit; ideoque Episcopi iurisdictionem ordinariam in suis Ecclesiis non a Christo immediate habent sed immediate a Vicario Christi, cui praeterea iure divino potestas competit eligendi Episcopos modumque electionis eorum determinandi.

I. Potestatem Rom. Pontificis vere coactivam esse patet ex dictis (Proleg. §. 19.): nunc de eius perfectione sermo est.

Plenitudo potestatis, de qua loquimur, non absoluta est, sed relativa ad societatem quae regitur: est scilicet plenitudo potestatis in regno et pro regno. Hanc porro claritatis gratia dicimus duplici ratione concipi posse: *positive tantum* et *exclusive*. Positive tantum, si potestas princeps possit quidem atque ordinario iure omnia, quae necessaria et utilia sunt pro regimine totius regni omniumque subditorum: sint tamen alii qui simul cum ipso et sub ipso, quin tamen acceperint ab ipso, aliquid saltem possint. Exclusive vero, si ita princeps possit omnia, ut omnis potestas qua regnum regitur vel sit sua ipsius potestas, vel sit ab ipsa, ita ut eius potestas vel formaliter vel virtualiter contineat omnem potestatem aliam qua societas regitur. Talis est potestas absoluti monarchae in societate politica.

Plenitudinem potestatis secundum priorem rationem competere Romano Pontifici facili negotio demonstratur. Ea enim hos postulat characteres: quod possit scilicet ordinario iure in iis quae pertinent ad regimen societatis omnia quoad omnes sive in ferendis legibus, sive in iudiciis instituendis, sive in tuenda coercitive exsecutione legum atque nihil legitime fieri possit contra eius voluntatem, ut omnis proinde potestas alia in regno sit *directe* ab eo dependens (Prolegomenon §. 18. 3.). Atqui talis est potestas Romani Pontificis in Ecclesia. Qui enim habet claves regni omniaque et omnes potest ligare et solvere et idcirco subiectum est unicum potestatis supremae et universalis in Ecclesia omnesque tum singillatim tum coniunctim immediate regit, is potest profecto ordinario iure omnia quoad omnes sive in ferendis legibus sive in iudiciis instituendis sive in tuenda coercitive observatione legum omnesque in regno auctoritatem habentes, quoad eorum functiones regiminis, directe regit; haec enim sunt propria auctoritatis supremae in societate. Nullus propterea valere potest actus, qui contra voluntatem eius ab aliquo fiat qui sit in regno; ad potestatem enim ligandi et solvendi spectat vis efficiendi ut actus subditi, si ea velit, nihil legitime valeat: hac autem vi exsistente, iam est irritum et inane quidquid fit dissentiente eo, qui illa potestate in universum regnum potitur. Certum proinde est quod ait S. Pius V. in Bulla excommunicationis reginae Elisabeth. « Regnans in excelsis, cui data est in caelo et in terra potestas, unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet Apostolorum Principi Petro Petrique successori Romano Pontifici in potestatis plenitudine tradidit gubernandam ».

Hanc plenitudinem potestatis asseruit certe Bonifacius I., qui (epist. 14. ad universos episcopos per Thessaliam constitutos) affirmans institutionem universalis nascentis Ecclesiae sumpsisse principium de b. Petri honore, in quo regimen eius et forma consistit, monet id testari quoque praecepta Nicaenae Synodi, « adeo ut nihil super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; *omnia denique huic noverat Domini sermone concessa* ». « Si omnia, ergo defuit nihil quod non illi concesserit », ait Nicolaus I. epist. 8. ad Imper. Constantinop. Quibus consonant quae habet Zosimus (epist. 11. ad Patres Concilii Chartaginiensis): Patrum traditionem apostolicae sedi *tantam auctoritatem* tribuisse, *ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, tantam potentiam*, ex ipsa Christi Dei nostri promissione, *ut et ligata solveret et soluta vinciret* atque ita profecto, *ut nullus posset de eius retractare sententia.* Eam certe plenitudinem potestatis definivit florentina Synodus affirmans « Romano Pontifici in b. Petro pascendi

regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. *plenam potestatem* traditam esse ». Eandem doctrinam confirmavit Synodus vaticana sess. 4. c. 3.: « si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent... A. S. ». Imo id cogente universali consensu, vel ipsi Gallicani fassi sunt in art. 2° suae declarationis, etsi ex praeiudicata sua opinione non dubitaverint simul id asserere quod eidem contradiceret: qua de re in Th. XIX.

II. Sed difficultas potissimum est quoad aliam rationem plenitudinis potestatis. Haec autem quaestio huc redit: an iurisdictio Episcoporum in suis ecclesiis sit a Christo immediate, an sit a Christo mediante Romano Pontifice, h. e. immediate a Romano Pontifice. Neque enim ullus negat eam esse a Christo, a quo omnis est in Ecclesia potestas atque esse etiam immediate a Deo immediatione actionis, Deus enim in omnibus cum omnibus causis immediate operatur; sed quaestio est de immediato principio, immediatione scilicet suppositi, quae causam secundam inter primam aut principalem et effectum excludit.

Sunt igitur qui censeant iurisdictionem ordinariam Episcoporum esse immediate a Christo, iisque argumentis utuntur, quibus iam (Proleg. §. 17.), demonstravimus divinam institutionem Episcopatus. Hanc vero immediatam a Christo derivationem potestatis ita generatim explicant, ut ea a Christo conferatur in ipsa ordinatione episcopali, sit tamen tantum in actu primo et quoad exercitium ligata nec ad actum reducibilis nisi cum Summus Pontifex, approbans Episcopum, territorium et subditos assignat. Sic putant manere in tuto subordinationem Episcoporum erga Rom. Pontificem; nam licet utrique immediate a Deo obtineant iurisdictionem, illi tamen subordinatam eam habent potestati Rom. Pontificis; nec enim opus est ut quaevis iurisdictio procedens immediate a Deo, sit independens. Censent e contrario alii plures, instituisse quidem Christum Episcopatum voluisseque Episcopis regi Ecclesiam suam, ita tamen ut Episcopis singulis iurisdictio ordinaria a Papa conferretur, adeo ut ante hanc Papae collationem nulla vi ordinis sit Episcopi iurisdictio vel in actu primo, sed solum aptitudo ex Christi institutione, ut iurisdictio obtineatur.

In priore hypothesi dici nequit, Romanum Pontificem posse absque iusta causa licite et valide iurisdictionem Episcopis adimere vel restringere: posita enim conditione a Romano Pontifice assignationis subditorum, se exerit in Episcopis iurisdictio divinitus accepta; ipsa est enim quae exercetur: ea vero a Rom. Pontifice poterit quidem ratione de-

pendentiae iustis de causis modificari, temperari, imo ex iure interpretandi ius divinum declarare licebit Romano Pontifici quod certis in casibus sit amissa, at directe auferri ab ipsis non poterit; quia in subiecto hoc non exsistit per ipsum, sed iure divino et ius divinum praevalet iuri Pontificis. In altera autem hypothesi nequit quidem id licite Papa, sed potest certe valide, ut actus eius vim per se habeat, nec sibi iurisdictionem asserere possit Episcopus ob praetextum defectus iustae causae. Ex quo iam incipit apparere, quaestionem hanc non esse de nomine, quod manifestius in sequentibus liquebit; attingit enim quaestio naturam Primatus totamque oeconomiam iurisdictionis ecclesiasticae. Loquimur de iurisdictione Episcoporum in suis ecclesiis: quid de iurisdictione eorum in synodis oecumenicis erga universam Ecclesiam tenendum sit, docebimus deinceps suo loco. Quaestio praesens agitur inter Theologos catholicos.

III. Defendimus itaque plenitudinem potestatis Romani Pontificis in universam Ecclesiam esse talem, ut vel formaliter vel virtualiter complectatur omnem potestatem qua Ecclesia regenda est et regitur, ut idcirco sit immediatus fons a quo est iurisdictio Episcoporum. Haec est sententia quam cum Caietano in tract. *de auctoritate Papae et concilii* c. 3. atque Dominico Soto in 4^m^ d. 20. sequitur Bellarminus *de Rom. Pontif.* l. 4. c. 22. seqq. qui ait eandem videri sententiam veterum scolasticorum Bonaventurae, Alberti, Durandi et aliorum in 4^m^ d. 18. aut 19. aut 24.: et quidem si haec loca conferas, certior fies, hanc esse sententiam doctorum quos nominavimus.

Itaque id primo dicimus exigi a natura Primatus quem Christus instituit: cuius proinde verba accurata analysi consideranda sunt. Sane Romanus Pontifex habet sub Christo claves huius regni caelorum quod est Ecclesia: iam vero, collatis iis, quae dedimus in 1^a^ thesi, functio et potestas habentis claves ita repraesentatur, ut ipse aperiat et nemo claudere possit, ut ipse claudat et nemo possit aperire; qui vero talem potestatem aperiendi et claudendi puta domum habet, eo ipso tali etiam potestate est instructus, ut nemo alius aperire aut claudere possit nisi ipso simul aperiente aut claudente, vel faciente potestatem aperiendi aut claudendi. Si enim quis sine ipso aut citra potestatem ab eo factam possit aperire et claudere, fieri quoque poterit ut eo aperiente aliquis claudat, et eo claudente aliquis aperiat. Propria ergo vis huius imaginis clavium, quas habens aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, eo spectat quoque, ut significetur, quod sine eius cooperatione aut sine potestate ab eo facta nemo possit claudere et aperire. Porro si haec ad rem significatam transferantur quae est potestas in regno nempe in Ecclesia; manifestum est, talem significari potestatem Petri, ut non

nisi ipso cooperante aut facultatem tribuente valeat quivis alius in hoc regno potestatem aliquam exercere quod metaphorice dicitur aperire et claudere. Ergo iurisdictio episcoporum immediate a Romano Pontifice dependet non quidem quatenus cum illis cooperetur, id enim excluditur a dignitate Episcoporum qui ex Christi institutione debent esse in Ecclesia ordinarii Pastores, sed quatenus iurisdictionem accipiant ab eo, qui claves solus accepit communicandas ceteris.

Et re quidem vera Romanus Pontifex potest in hoc regno omnia solvere et ligare. Si per se res spectetur, actus huius potestatis hic quoque esse potest, ut iurisdictio cuiuslibet Episcopi valide etiam citra certam causam vel sine reddita ratione auferatur. Bonum quidem Ecclesiae, sicut nec alterius societatis, non exigit ut suprema potestas ex arbitrio exerceatur; sed bonum Ecclesiae postulare potest, ut talis sit potestas suprema quae, etsi identidem (frequentiam enim casuum ipsa natura societatis ac supremi rectoris utilitas, spectatis legibus moralibus, ac divina providentia certe impedient) sine iusta causa exerceatur, eius tamen actus valeat. Id certe exigitur quoad plura quae auctoritati politicae subduntur, cum in civili societate suprema potestas se exercet idque finis ipse socialis h. e. tranquillitas ordinis exigit. Igitur potuit Christus hanc auctoritatem conferre Romano Pontifici, ut valeat etiam sine iusta causa auferre ab Episcopo iurisdictionem. Iam vero si ita est, oportet verba Christi: *quodcumque solveris* etc. ita interpretari, ut hanc quoque potestatem contineant. Nam Christus nullum iurisdictionis supremae actum excipit, imo omnem includit; limes proinde si quis figendus est, peti debet ex fine qui est bonum Ecclesiae. Sed ne erretur in usu huius normae, ea caute adhibenda est. Scilicet non ita est adhibenda, ut ea tantum auctoritas asseratur collata a Christo Petro, quae necessaria et sufficiens est, aut nobis videtur; nam fieri potest quod Christus aliquid amplius dare voluerit et amplitudo verborum Christi quantum fieri potest servanda est: sed ita est ea norma adhibenda, ut illud solum excludatur quod nequit componi cum utili regimine huius regni vel quod ab alia aliunde nota Christi institutione excludatur. Atqui utile regimen Ecclesiae tantam potestatem a iurisdictione Romani Pontificis non excludit, sicut nec societates politicae eam excludunt a suprema auctoritate: alia vero institutio Christi, quae est institutio episcoporum, huic potestati Romani Pontificis non adversatur; cum eo enim quod Christus voluit esse episcopos, apte componitur quod voluerit ipsorum iurisdictionem ex toto pendere a suo Vicario. Ergo verba Christi dicta Petro hanc quoque potestatem continent. Atqui non haberet hanc potestatem Romanus Pontifex, si ipse non conferret Episcopis iurisdictionem, ut iam monuimus: ergo.

Et sane iurisdictio Romani Pontificis est iurisdictio vicaria Christi, est scilicet ipsa iurisdictio Christi communicata Romano Pontifici: est autem iurisdictio universalis pro toto regno. Atqui institutio talis potestatis vicariae exigit ut quamlibet iurisdictionem, quam Christus in Ecclesia exercet, exerceat per suum vicarium: porro conferre iurisdictionem est actus iurisdictionis: ergo.

Talem certe potestatem intellexerunt tum Optatus (l. 7. n. 3.) inquiens « Petrum solum accepisse claves regni communicandas ceteris », tum aquileiense concilium affirmans cum Ambrosio (epist. 11.), a Romana Ecclesia in omnes venerandae communionis iura dimanare: tum Leo (serm. 4. de assumpt. sua) affirmans Christum nunquam nisi per Petrum dedisse quidquid aliis non negavit ac (epist. 10.) huius muneris sacramentum ita in Petro apostolorum omnium summo principaliter collocasse, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet: atque Innocentius III. (epist. 209. l. 2.) docens sic vocatos esse ceteros episcopos in partem sollicitudinis, ut nihil successoribus Petri de potestatis plenitudine deperiret Romanamque Ecclesiam partem esse primam et praecipuam universalis Ecclesiae veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis exsistit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur.

Dices dicta ab Optato et Leone affirmari quoque de Petro respectu Apostolorum, qui non acceperunt a Petro immediate iurisdictionem. Respondeo cum Bellarmino (*de Rom. Pont.* l. 4. c. 24.) hos Patres loqui de modo ordinario quo Deus Ecclesiae principibus dona sua confert, seposita aliqua extraordinaria ratione quae in Apostolis habuerit locum. Quae responsio ex eo probatur quod secus falsae forent simpliciter huiusmodi sententiae. Neque enim, ut ait Bossuet (*defens. declar.* p. 2. l. 13.), haec ideo dici potuissent, quia Petro ceteros Pastores repraesentanti primum promissa est iurisdictio. Nam in hac hypothesi dicere quidem licuisset, datum esse *in ipso* quidquid aliis non est negatum, non vero datum *per ipsum;* nec proprie diceretur Petrus accepisse claves communicandas, utique a se, ceteris; hac enim formula activitas quaedam et auctoritas Petri significatur.

Alia demonstratio, qua efficiatur iurisdictionem episcoporum conferri immediate a Romano Pontifice, deducitur ex analysi sententiae oppositae, quae continet contradictionem.

Nam affirmatur, Episcopum consecratum habere iurisdictionem et simul affirmatur, oportere a Rom. Pontifice subditos assignari ut ea ad actum procedat. Ergo ante assignationem factam a Rom. Pontifice nulli sunt subditi Episcopo consecrato nullique fideles designari possunt, in quos ius habeat Episcopus quique teneantur illi parere. Atqui

contradictoria haec sunt; nam iurisdictio est essentialiter aliquid relativum postulans terminum nempe subditos. Fieri quidem potest, ut iurisdictio sit tantum in habitu, quemadmodum in rege vi exacto a Regno: at in hoc quoque casu ideo iurisdictio manet habitualiter; quia exstant et possunt designari illi qui per se tenentur ei parere, puta cives illius regni, licet ex accidenti suspendatur haec obligatio: quod si nusquam illi exstent qui dici possunt subditi sui, nec ulla est amplius in eo Rege expulso iurisdictio. Atqui par huic regi est in hypothesi adversariorum episcopus solum consecratus; nulli enim adhuc sunt aut designari possunt qui subditi sint Episcopi solum consecrati: nam ad eos designandos non sufficit postulatio populi vel nominatio Principis aut electio capituli ad aliquam ecclesiam; certum est enim his nullam conferri iurisdictionem electis aut postulatis, nec ullam obligationem imponi fidelibus parendi illis. Ergo Episcopus antequam R. P. ipsi assignet subditos, habet et non habet iurisdictionem, quod implicat: ergo.

Idem evinci potest ex defectu rationis sufficientis eorum, quae in opposita sententia affirmantur. Dicitur enim conferri iurisdictio consecratione: quaeritur an possit nec ne conferri ante consecrationem a Romano Pontifice? si affirmas, negare debes talem esse ex institutione Christi hanc iurisdictionem ut sit immediate a Deo: quo posito deest ratio cur contendas eam a Deo immediate conferri. Si vero negas, adversaris praxi Romanae Sedis Ecclesiaeque sensui, quae eos habet ut vere instructos iurisdictione episcopali quos R. P. elegit et confirmavit licet nondum consecratos. Oportet ergo, ut dicas aliam esse iurisdictionem, seu aliam esse eius vim vel stabilitatem, eo quod alio modo conferatur. Verum huius affirmationis quoad vim iurisdictionis quaenam est ratio? cum constet reapse idem posse non consecratum ac qui est consecratus, quod spectat ad iurisdictionem. Quoad stabilitatem vero ratio cur non adeo stabilis sit in non consecrato iurisdictio haec potest afferri, quia ex Christi institutione Episcopi sunt ii quibus cura Ecclesiarum demandanda est generatim; id autem probat quidem ex Christi institutione Episcopos debere praeesse Ecclesiis; non vero ipsos a Christo immediate obtinere iurisdictionem: ergo.

Tandem sic licet arguere cum Bellarmino l. c. ex inaequalitate iurisdictionis. Nam si Deus conferret per ordinationem episcopis iurisdictionem, omnes episcopi haberent aequalem iurisdictionem sicut habent aequaliter ordinis potestatem; Deus enim non determinavit unquam ἐν ἀτόμῳ episcoporum iurisdictionem: at episcopi omnes non eandem habent iurisdictionem sive quoad extensionem sive quoad intensitatem: ergo.

Talis igitur est plenitudo potestatis Romani Pontificis, ut in ipsa tanquam in fonte sit omnis iurisdictio, qua Ecclesia regitur. Haec est profecto sententia s. Thomae, qui pluribus in locis eam docet. Satis sit haec recitare. C. G. L. IV. c. 72.: « Ad iudiciariam potestatem duo requiruntur, scilicet auctoritas cognoscendi de culpa et potestas absolvendi vel condemnandi. Et haec duo dicuntur duae claves Ecclesiae, scilicet scientia discernendi et potentia ligandi et solvendi, quas Dominus Petro commisit iuxta illud Matthaei: *tibi dabo claves Regni caelorum.* Non autem sic intelligitur Petro commisisse ut ipse solus haberet, sed ut per eum derivarentur ad alios; alias non esset sufficienter fidelium saluti provisum ». In II. d. ult. in exposit. textus post art. 3m. q. 2a. inquit: « Respondeo, dicendum quod potestas superior et inferior dupliciter possunt se habere, aut ita quod inferior potestas ex toto oriatur a superiori et tunc tota virtus inferioris fundatur supra virtutem superioris et tunc simpliciter et in omnibus est magis obediendum potestati superiori quam inferiori, sicut etiam in naturalibus causa prima plus influit supra causatum causae secundae quam etiam ipsa causa secunda: et sicut se habet potestas Dei ad omnem potestatem creatam, sic etiam se habet potestas imperatoris ad potestatem proconsulis; sic etiam se habet potestas Papae ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia, quia ab ipso Papa gradus dignitatum diversi in Ecclesia et disponuntur et ordinantur: unde eius potestas est quoddam Ecclesiae fundamentum, ut patet Matth. XVI. Et ideo in omnibus magis tenemur obedire Papae quam Episcopis vel Archiepiscopis. Potest iterum potestas superior et inferior ita se habere, quod ambo oriantur ex una quadam suprema potestate, quae unam alteri subdit secundum quod vult: et tunc una non est superior altera, nisi in his quibus una supponitur alii a suprema potestate et in illis tantum est magis obediendum superiori quam inferiori. Et hoc modo se habent potestates Episcopi et Archiepiscopi descendentes a Papae potestate ». Cf. et in 4. d. 20. q. 1a a 4o. ad obiect. 2a. et 3a. « Dignitas episcopalis quoad ordinem immediate est a Deo et quoad iurisdictionem ab Apostolica Sede ». Pius VI. in Brevi ad Episcopum Motulensen.

Quemadmodum vero ad id quod defendimus confirmandum parum apte produceretur formula, qua Episcopi se inscribere solent Episcopos non solum *divina gratia* aut *miseratione* sed et *Apostolicae sedis gratia*, quae formula iam seculo XI. apparet et paulatim usurpata usu tandem obtinuit (Cf. Francisci Antonii Zaccaria dissertationum latinarum dissert. 12.) ita perperam ad contrariam sententiam suadendam provocaretur ad veterum usum qui solum se *divina gratia, divina miseratione*, aut similibus formulis identidem episcopos dicebant.

Utraque enim formula in utraque sententia verum sensum fundit. Originem recentioris formulae vide penes auctorem citatum.

Porro doctrina, quam heic defendimus, componenda est cum ea quam in Prolegomeno §. 17. stabilivimus de divina institutione episcopatus. His enim collatis constat, non esse in potestate Romani Pontificis abolere iurisdictionem episcopalem aut sine episcopis iurisdictionem episcopalem habentibus regere Ecclesiam; sed oportere ipsum vocare in partem sollicitudinis episcopos iisque super portiones gregis episcopalem iurisdictionem tribuere. Etsi vero Christus non determinaverit ἐν ἀτόμῳ quanta esse debeat iurisdictio episcopalis; tamen constat eam conferri debere, quae sit vera iurisdictio in foro externo legislativa, iudicialis, coercitiva respectu singularis ecclesiae regendae; talis est enim iurisdictio propria Episcopi seu Pastoris subordinata auctoritati qua universa Ecclesia regitur; ita ut nihil possint singuli episcopi contra ius commune obligans universam Ecclesiam aut in iis quae per se spectant ad universam Ecclesiam, ut in quaestionibus fidei decidendis et generatim in iis causis quae maiores dicuntur: possint autem in suis ecclesiis omnia quae necessaria et utilia sunt proprio regimini earum, ita tamen ut haec potestas semper sit subordinata potestati supremi Pastoris qui immediatus est Pastor omnium fidelium.

Quocirca licet episcopalis iurisdictio per hominem h. e. per R. Pontificem conferatur, est tamen secundum institutionem suam de iure divino, quod eiusdem naturam, secundum rationem specificam, ut sit nempe potestas coactiva regendi, iudicandi, docendi portiones gregis eiusque exsistentiam et perennitatem determinavit. Hinc non negamus, fieri posse ut aliquando R. Pontifex modum excedat in coarctanda episcoporum auctoritate quoad quaedam accidentalia, ut Bernardus innuit (*de Consid.* l. 3. c. 4. cf. seq. Thesim), quod et Nicolaus V. putavit contigisse identidem (in responsione ad oratores Germaniae post initum Pontificatum, V. Manetti in eius vita); opus est enim prudentiae: at meminisse oportet bonum Ecclesiae universalis praevalere bono cuiusque Ecclesiae particularis magisque necessariam esse unionem fidelium cum Romano Pontifice qui est Petra Ecclesiae, quam cum singulis episcopis: eiusque actus validos esse posse, etsi forte minus liciti sint, ut monet l. c. Bernardus, iudicemque supremum in controversia de limitibus potestatis episcopalis esse unum Episcopum episcoporum, cui eiusdem quoque custodia et defensio, sicut et ceterorum iurium quae sunt in Ecclesia, concredita est ipsumque esse fontem immediatum episcopalis iurisdictionis, qui proinde tunc vere honoratur cum singulis suis fratribus honor debitus non negatur, ut ait Gregorius M. epist. 30. l. 8. ad Eulogium Alex. Unde et Nicolaus V. l. c.

aiebat « nobis sententia est, in partem sollicitudinis qui vocati sunt episcopos iure suo minime spoliare: sic enim iurisdictionem nostram deinceps servaturos speramus, si non usurpaverimus aliena », quae ipsis nimirum ex Christi institutione debentur.

IV. Quae pro contraria sententia proferuntur argumenta, petuntur vel ex iis testimoniis Scripturae, quibus docemur auctore Christo aut Spiritu S. esse in Ecclesia Episcopos, ut Act. XX. 28. (perperam provocari ad Act. XIII. 1. 2. ostendimus Th. 6.), vel ex eo quod Episcopi sint successores Apostolorum, quos immediate Christus misit, sicut Romani Pontifices sunt Petri successores, vel ex eo quod in nostra sententia Episcopi forent vicarii Papae, quales reapse non sunt, vel eo quod e sententia theologorum regimen Ecclesiae sit monarchicum aristocratia temperatum, vel eo quod olim Episcopi citra consensum Romani Pontificis instituebantur sive ab Apostolis sive deinde a Metropolitanis aut Patriarchis.

Verum 1° iis Scripturae testimoniis efficitur quidem divina institutio Episcopatus; at non efficitur immediata a Deo collatio potestatis. 2° Episcopi *a)* non sunt successores Apostolorum presse accepta successione; quia Episcopi exstiterunt viventibus Apostolis, qui eos constituebant: nec sunt *b)* successores quoad aequalitatem; quia potestas apostolica qua talis desiit in Apostolis: sed *c)* sunt successores quoad similitudinem, quia continuatur in ipsis potestas quaedam Apostolorum potestas scilicet ligandi et solvendi, docendi et sacramenta administrandi sacrosque ministros et episcopos consecrandi, quam potestatem voluit Christus ordinariam esse in Ecclesia in aliis praeter successores Petri. Haec autem non postulant eadem missione mitti Episcopos qua missi sunt Apostoli. Quemadmodum ratione potestatis sacrificandi et remittendi peccata presbyteri quoque dicuntur successores Apostolorum (Trid. Syn. Sess. 23. c. 1.); quin exinde liceat inferre quod habeant a Deo immediate iurisdictionem in foro conscientiae, vel quod licite valeant celebrare sine licentia Episcopi. Quocirca *d)* falsum est, esse Episcopos successores Apostolorum sicut Romanus Pontifex est successor Petri; nam hic succedit in universa iurisdictione Petri quae maior erat quam in ceteris Apostolis, et ordinaria: deinde Romanus Pontifex sedet in cathedra episcopali Petri quae iure divino saltem consequente evecta est ad dignitatem Primatus; nullius vero Episcopi sedes iure ullo divino exsistit.

3° Falsum est, esse in nostra sententia Episcopos Vicarios Papae. Nam non iure Papae sed Christi sunt Episcopi in Ecclesia nec eorum dignitatem aut auctoritatem potest Papa abolere: exinde duplex est potestas et tribunal Papae et Episcopi; quia Christus praeter cathedram

Petri voluit esse cathedras Episcoporum. Nec sunt Episcopi delegati Papae, quia iurisdictionem habent ordinariam vi muneris a Christo instituti. Regunt scilicet Episcopi oves ut suas, quoniam ex Christi institutione Pastores esse debent portionis gregis, in quam potestatem ligandi et solvendi exerceant. Et licet possit Romanus Pontifex valide a singulis et ab omnibus quoque iurisdictionem auferre, tenetur tamen alios substituere, ut semper sint Episcopi in Ecclesia; nequit enim ipse episcopalem auctoritatem abolere.

4° Aristocratiae temperamentum eo continetur quod defendimus in Proleg. §. 17.

5° Praxis obiecta potius contrarium probat. Nam certe auctoritas Metropolitanorum et Patriarcharum non est de iure divino, ideoque est de iure Ecclesiastico et idcirco tandem Romani Pontificis: si ergo Metropolitani vel Patriarchae auctoritas requirebatur ut Episcopus iurisdictionem haberet, a potestate ecclesiastica h. e. a potestate Papae iurisdictio Episcopi dimanabat. Et sane ex hac praxi liquet, quod Ecclesia regens ea est quae iurisdictionem confert Episcopis: porro ad eam conferendam requiritur plenitudo potestatis: plenitudo autem potestatis est quidem in Ecclesia sed per Romanum Pontificem qui solus est subiectum eius; ergo ex ea praxi liquet, quod iurisdictio ordinaria Episcoporum dimanat a Romano Pontifice vel explicite conferente, vel tacite prout probant canones synodorum, secundum quos electio Episcoporum peragitur. Ceterum prioribus seculis Romanus Pontifex Patriarchas confirmabat, ad eos rescribens acceptis litteris electionem significantibus et per eos mediate ceteros ab iis confirmatos. Auctoritatem autem confirmandi Episcopos Patriarchae obtinuerant a suo institutore h. e. Petro utente auctoritate Primatus, quae manet integra in suis successoribus, qui aliud proinde ius inducere possunt. Quod spectat ad Episcopos institutos ab Apostolis, cum hi, licet tanta freti auctoritate, essent reapse inferiores Petro eiusque subessent iurisdictioni, eorumque extraordinaria auctoritas, cuius erat pars potestas constituendi Episcopos ubicumque expedire iudicarent, cum ipsis finire deberet, ideoque non amplius post eorum mortem valitura; pronum est cogitare, ipsos consentiente Petro Episcopos per diversa loca constituisse, h. e. constituisse vi illius auctoritatis quae ordinaria erat et semper duratura, quae non erat nisi auctoritas ordinaria Petri, ut eorum scilicet episcoporum constitutio perpetuam firmitatem haberet: sicut certum est ab Apostolis Episcopos ita esse constitutos, ut ipsos Apostoli subordinaverint cathedrae Petri, cuius supremam auctoritatem in omnes etiam Episcopos cum ceteris dogmatis Apostoli docuerunt Ecclesias.

V. Patet igitur, quod electio episcoporum iure divino pertinet ad

Romanum Pontificem, ut vel ipse eligat vel praescribat eligendi modum (Bellarminus, *de Clericis*, l. 1. c. 8.). Sane qui iure divino Pastor est supremus universalis et immediatus Ecclesiae, is eodem iure potestatem habet et officium praeficiendi singulis portionibus gregis praepositos qui vocantur in partem sollicitudinis, nec nisi eo consentiente possunt alii sibi assumere pascendos eos qui iam illius subditi immediati sunt, ne audiant Romanum Pontificem eis dicentem: *quid in meo agitis non mei?* Porro qui ius habet praeficiendi pastores Ecclesiis is ius pariter habet eligendi; eliguntur enim tantummodo ut praeficiantur: nullam proinde vim habere potest ea electio, quae sine auctoritate illius fiat, qui ex divina institutione ius habet praeficiendi quos censeat idoneos. Si ergo olim ad alios sive Episcopos Provinciae (can. nicaeno 4.), sive capitula cathedralium (cf. Gerhohi scriptoris sec. II. expositionem in Ps. 64. n. 27.) pertinebat ius eligendi, quo ius quoddam ad rem conferebatur electo, vel ad Patriarchas aut Metropolitanos pertinebat ius instituendi canonice pastores, id ex concessione Vicarii Christi ita pro bono Ecclesiae statuentis dimanasse dicendum est. Sane decreta Nicaenae Synodi a Romana Sede auctoritatem mutuata sunt et Patriarcharum auctoritas a Petro originem habuit. Cum igitur omnia sita sint in potestate Vicarii Christi, impium est et ineptum contendere, ut electiones episcoporum nunc fiant eo modo quo fiebant olim, ac si ex iure aliquo sibi insito Episcopi Provinciae, aut clerus Ecclesiae tunc eligerent, quo iure essent nunc iniuste spoliati, quod falsissimum est et blasphemum. Quaenam autem sint partes plebis in electione Episcoporum diximus in proleg. §. 8. n. 5.

THESIS XV.

Proprium est proinde Potestatis Primatus ut nullis ecclesiasticis canonibus sit coactive circumscripta aut limitata.

I. Canones vel iuris sunt divini, aut naturalis, vel ecclesiastici, hi vel universales vel particulares, iidem vel a Concilio sive oecumenico sive alicuius provinciae, vel a sola Romana Sede profecti sunt. De Canonibus iuris divini aut naturalis non disputamus, sed de aliis. Heic nobis occurrunt Gallicani. In Declaratione enim anni MDCLXXXII., praemissa in articulo 2° auctoritate Conciliorum generalium supra Pontificem, colligunt in articulo 3°. « Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta Patrumque terminos manere inconcussos atque id pertinere ad Amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et

consuetudines, santae Sedis et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant ».

Vim huius articuli exponit nobis Benignus Bossuet in Defensione Declarationis l. 11. Censent ergo auctores illius articuli plenitudinem potestatis Ecclesiasticae esse penes Petrum et successores eius iure divino: *exercitium autem potestatis huius* regulandum esse per Sacros Canones. *Exercitium* aiunt non ipsam *potestatem;* quia concedunt Papam omnia posse cum necessitas id exigit, sed una sciunt, canones universali reverentia consecratos praescribere regulas quas ipse sequi debeat. Cum ergo canones non potestatem in se ipsam, sed usum eius tantum respiciant; idcirco dictum est *exercitium potestatis moderandum esse* (c. 20.). Haec sunt verba Gersonii in eius tractatu *de Potestate ecclesiastica et de origine iuris et legum* edito Constantiae tempore Concilii generalis, diviso in 13. Considerationes. Consider. 10. «Habet auctoritatem generale Concilium praescribere leges seu regulas, secundum quas plenitudo potestatis papalis, non quidem in se, quae semper eadem est, sed in usu suo moderanda regulandaque est ». Nimirum Ecclesia nequit gubernari voluntate arbitraria Romani Pontificis; sed is in regimine quidem universalis Ecclesiae sequi debet canones universaliter receptos et totius mundi reverentia consecratos: in regimine autem particularium Ecclesiarum, cuiusmodi est Ecclesia gallicana, sequi debet regulas receptas in iis ecclesiis. Comprehenduntur vero sub nomine regularum consuetudines approbatae. Illae porro leges vel regulae censentur receptae et approbatae, quae ex consensu Romanae Sedis simul et ecclesiarum fuerint receptae et approbatae (*def. declar.* c. 2.). Hinc leges latae a Romano Pontifice contra dispositionem Sacrorum Canonum habendae sunt ut nullae (c. 10.), et si huiusmodi sint ut funditus labefactent totam disciplinam, ad Concilium generale appellandum est (ibid.). Potest quidem Romanus Pontifex dispensare in legibus Ecclesiae; sed dispensationes *sine causa* ne dum illicitae, sed et invalidae sunt (cc. 17. 18. 10.). Nec novae leges aut nova iura reiiciuntur; sed ea exigi debent ad normam veterum, ut termini Patrum maneant inconcussi (cc. 13. 14.). Quemadmodum autem se habet potestas Pontificis erga canones et consuetudines universales, ita se habet quoque ad canones et consuetudines ecclesiarum particularium: harum porro consuetudines eandem vim habent ac canones (c. 12.). Munus ergo proprium Romani Pontificis est procurare et efficere ut canones, quos ipse cum Ecclesia statuit, observentur (c. 10.) Ecclesiaque Romana, idest Romanus Pontifex iisdem legibus regitur et obstrictus est, quibus universa Ecclesia (cc. 3. 4. 5. 6.).

Ratio horum omnium est, quia potestas supremae Ecclesiae est in

universitate, seu in Concilio Ecclesiam universalem repraesentante, cui ipse subest Romanus Pontifex, ut articulus 2us declarat (c. 15.). Porro doctrina hoc 3° articulo contenta est fundamentum disciplinae *et libertatum Ecclesiae Gallicanae* (c. 2.): quae libertates (teste Bossuet, nam non est omnium una sententia: cf. Charlas *de Libertatibus Ecclesiae gallicanae* l. 1. c. 3.) in hoc consistunt, quod Ecclesia Franciae regitur secundum ius commune, auctoritate conciliorum et regulis sanctorum Patrum (c. 9.). Unde ait, Episcopos Franciae non reiicere ius novum receptum penes eos, sed contendere quod leges extraordinariae et potestas arbitraria locum non habeant in regimine suarum ecclesiarum et in hoc eos collocare libertatem ecclesiasticam (c. 20.) (a).

II. Ut constet quanta sit levitas in hac opinione falsissima, praemonemus 1° cum de actibus potestatis agitur, distinguendum esse inter liceitatem actus et eius valorem. Potest enim esse actus illicitus et tamen validus: qua de re consulantur tractatores iuris naturalis et theologi morales. Porro cum dicitur potestas Romani Pontificis non esse limitata canonibus, non intelligitur quod actus eius exsors sit a lege honestatis, sed intelligitur, quod ut eius actus valeat non est opus ut sit conformis canonibus praecedentibus, et quod canones praecedentes abrogare potest.

2° Licet nomine potestatis arbitrariae intelligi possit (si vis vocis spectetur) ea potestas, quae in societate independens est suoque arbitrio non constricto ulla lege omnia decernit; tamen usu loquendi ea potestas arbitraria dicitur quae *sine consilio* agit: et quia cum consilium deest, nequeunt ferri leges quae conducant bono communi, potestas arbitraria ea dicitur, quae despotica est et qua non bonum commune, sed bonum potius principis ferentis leges procuratur; illud enim tunc princeps decernit quod sibi placet. Sane quaerere licet, an potestas suprema Ecclesiae, quam Gallicani Concilio oecumenico vindicant, sit limitata canonibus praecedentibus. Id quidam affirmare non dubitant, cum libertates Gallicanas adstruant etiam contra decreta Conciliorum (cf. Marca *Concordia Sacerdotii et imperii* l. 3. c. 7.); verum id est absurdissimum. Si enim ita est, potestas quae modo in tota Ecclesia viget, non est amplius ea, quam Christus primo instituit: et tandem aetas venire poterit, in qua nulla sit amplius vel minima potestas legislativa. Et re quidem vera non est, cur Gallicani eam potestatem

---

(a) Gersonius retractavit et reiecit suam opinionem de superioritate Concilii supra Papam, ultimis annis vitae suae post Const. Concilium. Eam opinionem vocat novam. Vid. Bernardum Desirant, *Consilium pietatis*, Diss. 2. *de Retractationibus Joannis Ckarlier Gersonii*.

negent esse in Ecclesia, quam fatentur esse in societate civili, et adserunt regi, cuius nullus finem faciunt magnificandae auctoritatis. Porro eo modo illimitatam censemus potestatem Romani Pontificis, quo illimitata censenda est potestas Concilii oecumenici, cui ipse praesit. Quis vero mente sanus audeat potestatem horum conciliorum illimitatam appellare arbitrariam?

3° Cum dicitur quod canones novi debent exigi ad normam veterum, *a)* plura implicite affirmantur falsa, *b)* regula ea proponitur, quam nec ipsi proponentes intelligunt, *c)* quae tantum confert ad subvertendam hierarchicam subordinationem. Sane *a)* affirmatur implicite potestatem Ecclesiae praesentis non eandem esse ac potestatem Ecclesiae primitivae, quod absurdum est: affirmatur vel supponitur, Ecclesiam veterem ita suos canones condidisse, ut noluerit eos, etiam mutatis prorsus adiunctis, novis exortis necessitatibus, ex toto aboleri non posse a legitima auctoritate, quod est traducere primitivam Ecclesiam tanquam insipientem: affirmatur canones veteres meliores esse quam possint esse canones novi; quod quidem qua ratione probari potest? imo constat progressu temporis in non paucis disciplinam Ecclesiae fuisse in melius mutatam. Nonne enim disciplina praesens quoad electionem Episcoporum, quoad administrationem Eucharistiae qua laicis calix est sublatus, quoad statum professionis religiosae, quoad impedimenta matrimonii melior est et perfectior praecedente? *b)* Volunt canones novos exigi ad normam veterum, quia nolunt canones qui adversentur veteribus: at quid est canones novos exigi ad normam veterum? audiatur Bossuet l. c. c. 14. « Libertas nostra igitur, ut paucis absolvam, posita est in observatione iurium novorum, *quae statuantur propter motiva pietatis aut necessitatis,* ita tamen ut ob oculos semper habeantur veteres canones, ad quos semper recurrere oportet ne disciplina relaxetur ». Bene est. Verum quid agendum, si pietas aut necessitas exigat, ut lex prorsus opposita veteri statuatur, qualis fuit lex abolitionis usus calicis pro laicis, ac concursus populi ad electionem Romani Pontificis et Episcoporum, et decretum Concilii Lateranensis IV. conferentis secundum locum post Romanum Episcopo Constantinopolitano? Licebat ne haec statuere? non negabit, credo, Bossuet. Quomodo autem cum haec statuta sunt, habiti sunt ob oculos canones veteres? nimirum habita est ratio boni communis, ad quod canones quoque veteres spectabant: sed hoc non est habere ob oculos canones veteres, nisi ut aboleantur pro consulendo bono communi; non vero tanquam norma secundum quam novae leges fiant. Itaque Gallicani concedunt, canones novos fieri posse cum ratio pietatis aut necessitatis id exigit; pietas vero et necessitas exigere possunt, ut canones

statuantur prorsus oppositi veteribus; at huiusmodi nolunt Gallicani: sciuntne ergo et ipsi quid sibi velint? Quocirca *c)* quid ex hac regula proposita consequi necesse est? illud unum: praetextu novitatis reiicere ea omnia recentia decreta vel Romanae Sedis vel Concilii oecumenici, quae non placeant; ea enim regula statuta, nulla ratione persuadebis aliquem ad obediendum alicui decreto recenti, nisi tibi contradicas.

Quid ergo est vel fuit libertas Ecclesiae Gallicanae? cum libertatem Ecclesiae audis, putares eam se habere erga potestates et principes seculi, qui iura Sacerdotii invadere saepe ambiunt, quemadmodum ab ipsa Ecclesia semper intellecta est: at falleris egregie. Libertas Ecclesiae Gallicanae fuit adversus Ecclesiae caput a Christo institutum, adversus legitimum superiorem Ecclesiae Gallicanae, libertas respuendi eius decreta. Et sicut libertas a iustitia est servitus peccati, ita libertas a Romano Pontifice fuit servitus praestita Regi, in cuius potestatem se Episcopi tradiderunt.

III. His praemissis veniamus ab probationem thesis et confutationem articuli 3. Iam vero quaestio non est, utrum canones pro regimine Ecclesiae conditi habeant *vim directivam* in Romanum Pontificem. Vis directivae normae alicuius in eo est, quod eam sequens honeste et licite agat officiumque suum recte impleat. Non ergo quaeritur, utrum Romanus Pontifex debeat ex lege honestatis, ut suo officio faciat satis, rationem Domino redditurus, canonum exsecutionem procurare et in sua speciali Ecclesia et in aliis, *ut recte scilicet gubernet Ecclesiam;* ad quod obligatione morali tenetur, manente semper potestate dispensandi, ubi necessitas id exigat: nec quaeritur, an quaecumque lex sive sententia ab eo feratur sit valida: nam scimus leges et sententias iniustas esse per se nullas. Sed quaestio est, utrum *vi coactiva* tum praecipiente tum punitiva ecclesiasticorum canonum teneatur Romanus Pontifex, ita ut tanquam inferior iis legibus obligari poenisque ab iis statutis ligari possit et sic proinde invalidus sit eius actus aliquid decernens contra canones vel eos abrogans, ex eo tantum quod sit contra ipsos, licet quod praecipit Pontifex non sit per se aliquid inhonestum: hoc enim est canones habere vim coactivam in aliquem. Id nos contra Gallicanos negamus. Ita porro refellimus sententiam gallicanam.

Sane 1° haec duo quae ab auctoribus declarationis asseruntur, *Petri successoribus Christi vicariis inesse rerum spiritualium plenam potestatem* (art. 2.), *Apostolicae potestatis usum moderandum esse per canones* (art. 3.) contradictionem manifestam implicant. Nam potestas est potestas ad actum: potest quidem concipi et esse potestas in habitu sine actu; sed nequit concipi et esse sine ordine ad actum: quae idcirco, si actus sit impossibilis, quoad illum non est amplius potestas.

Hinc sequitur quod limites ponere exercitio potestatis ita ut actus aliquos efficere nequeat, est limitare ipsam potestatem; nec fieri potest ut potestas in potentia maior sit ea quae potest venire ad actum, cum potestas in potentia nihil aliud sit quam ea quae potest exire in actum. Non erat ergo cur Bossuet praedicaret (l. c. c. 20.) accuratam loquendi rationem coetus Gallicani, sive suam (si ipse est auctor eorum articulorum), quia non potestatem sed exercitium potestatis moderandum esse dixerunt. Porro potestas, quam habuit Petrus, est potestas, quae potest omnes actus, quibus iurisdictio in Ecclesia exercetur; atqui potestas limitata per canones non est amplius tota illa potestas, quam habuit Petrus, non potest amplius omnes actus, quibus iurisdictio in Ecclesia exercetur; nequit enim circa eas res aliquid ipsa decernere, circa quas praedecessores potuerunt. Non est ergo potestas plena: ergo contradictione laborant hi duo articuli.

2° Quanta sit potestas Romani Pontificis qualisque eius habitudo ad canones conditos ab Ecclesia, ex verbis Christi instituentis Primatum dignosci debet; quamvis illustrissimus Bossuet satius duxerit ea silentio praeterire. Atqui potestas Romani Pontificis est potestas universalis ligandi et solvendi *quaecumque*, est potestas efficax, ligandi scilicet et solvendi ita ut quae ipsa ligat, immediate liget Deus, quae ipsa solvit, solvat Deus; est potestas ligandi et solvendi propria eius qui habet claves huius regni quod est Ecclesia, nempe potestas independens a quavis alia potestate huius regni (Th. 1. in h. l.): iam vero si potest Pontifex omnia solvere, poterit solvere et leges seu canones iam latos: si solutionem ipsius immediate sequitur solutio Dei, nulla est vis in Ecclesia quae solutionem Pontificis impedire possit: si potestas eius est independens, repugnat ut ab alio vel aliis ligetur Pontifex. Atqui cum his repugnat potestas, cuius exercitium sit moderandum per canones, quorum nempe vi praeceptiva et coactiva Pontifex teneatur: ergo.

Aiunt credibile non esse, quod Christo omnia in Ecclesia permiserit arbitrio unius, qui pro voluntate sua cuncta disponat. Respondeo 1° mirum esse id ab eis dici, qui in societate civili permittunt omnia arbitrio unius, cuius auctoritatem volunt immediate a Deo acceptam et a quavis potestate in terris prorsus independentem: 2° quid Christus voluerit, ex verbis dissertis Christi manifestantibus eius voluntatem, non ex quibusdam placitis rationis, investigandum esse: 3° cum aperta sit Christi voluntas, ea obiectio non est nisi iniuria irrogata Christo, qui nesciverit consulere bono Ecclesiae suae. Ceterum 4° Christus non ita huiusmodi potestatem fecit Petro et successoribus eius, ut exemerit ipsos a lege morali honestatis et a debito rectae gubernationis.

Excessibus vero tyrannicae gubernationis plura impedimenta apposuit. Haec vero sunt primo auctoritas fratrum suorum h. e. episcoporum qui, si Pontifex evidenter iniusta praeciperet non ambulans secundum Evangelium, corrigere eum et resistere ei possent; quod quidem non eis licet propter auctoritatem quam in ipsum habeant, sed quia omnibus competit ius defensionis et quia lex iniusta non est lex idque Episcopi docere possunt. Exemplum huius rei suppeditat nobis historia ecclesiastica aetate Paschalis II. Pariter impedimentum est charisma infallibilitatis, quo Romanus Pontifex instructus est; eo enim impeditur, ne Pontifex possit ferre pro universa Ecclesia leges, quae in se malae sint et licet id directe non impediat, quominus in causis particularibus sententias iniustas ferat, vel iniuste praecipiat; indirecte tamen id non infrequenter impedire potest, quoties scilicet eo res adduci posset, ut Pontifex praeceptum aut sententiam suam tueri deberet definiendo, rectum et sanctum esse quod iubetur. Impedimentum est quoque spiritus ille, quo Ecclesia regitur, quo fit ut Ecclesia universim ab iniquis legibus et iniustis abhorreat; sic enim moraliter impeditur eius rector, qui in hac hypothesi bonum suum quaereret, ab iis ferendis. Impedimentum est tandem quod careat Pontifex immediato exercitio illius medii, quo iniqui Principes solent suas iniustas leges tueri, nempe careat usu immediato vis physicae, qua cogere valeat reluctantes sibi Ecclesias: usus autem mediatus huius vis ope praecepti impositi Principibus, cum lex iniusta Pontificis defendenda esset, eius iniustitiam docentibus episcopis et repugnante Ecclesia, est moraliter impossibilis: quocirca Pontifex malus, si suam auctoritatem tueri vult, cogitur moraliter abstinere a legibus iniquis et tyrannicis. Christus ergo satis consuluit recto exercitio potestatis Primatus.

3° Canones editi ab universa Ecclesia vel spectantur prout procedunt a Romano Pontifice sua auctoritate eos confirmante, vel prout procedunt a ceteris Episcopis; vel prout procedunt ab omnibus simul. Atqui prout a ceteris Episcopis procedunt, nequeunt ligare Romanum Pontificem; totum enim reliquum corpus iuferius est capite, inferior autem nequit ligare superiorem: quatenus vero procedunt a Romano Pontifice nequeunt rursus ipsum ligare; quia nemo in se ipsum coactivam vim exercere potest nec successores suos ligare possunt, quippe qui eadem potiantur potestate. Prout vero procedunt ab omnibus simul, non habent maiorem vim in Romanum Pontificem, quam si procederent ab ipso solo. Nam cum Romanus Pontifex obtineat plenitudinem potestatis, quaevis alia potestas non est nisi dependens ab ipso, qui omnes actus eius solvere et irritare potest: potestas vero

dependens nullam vim coactivam addit decreto respectu sui superioris: ergo quoad Romanum Pontificem tantundem est quod canon sit editus a sola Apostolica Sede, aut ab universa Ecclesia simul cum eo. Atqui nequit ipse ligari actibus suis: ergo.

4° Articulus 3us Gallicanus pervertit universam formam regiminis Ecclesiae a Christo institutam. Nam hoc posito Romanus Pontifex haberet tantum supremam potestatem *exsecutivam*, quemadmodum contingit in regno quod dicitur *constitutionale*, non vero supremam potestatem legislativam, quae vere in corpore Ecclesiae resideret et cui ipse Pontifex esset subiectus: atqui Romanus Pontifex accepit a Christo potestatem supremam plenam, nedum exsecutivam, sed legislativam et iudiciariam; utraque enim haec continetur in potestate universali ligandi et solvendi, potestate pascendi h. e. regendi universam Ecclesiam, ut proinde ipse vere appellari possit non secus ac Petrus appellatus est a Nazianzeno Apolog. n. 15. « Legislator noster »: ergo.

IV. Itaque canones habent in Pontificem vim tantum directivam. Quod hanc habeant manifestum est. Si enim ab universa Ecclesia canones conditi sunt in bonum Ecclesiae, cum Ecclesia a Spiritu S. regatur, tenendum est, eos canones Ecclesiae esse utiles bonumque Ecclesiae postulare generatim, nisi conditiones mutentur, ut ii observentur. Quoniam igitur Romanus Pontifex debet ex officio suo Ecclesiae bonum procurare, ut id assequatur, necesse est ut ad normam canonum, quatenus in adiunctis in quibus versatur bonum Ecclesiae id postulat, gubernationem suam exigat. Quod si non faciat, legem divinam aut naturalem violabit, non secus ac si legem novam, quam Ecclesiae necessariam certo cognoscit, non conderet Deoque rationem reddet peccati sui. Distinctio ergo inter *vim directivam* et *coactivam* canonum exhibetur nobis ab ipsa natura Primatus a Christo instituti; proprium est enim potestatis supremae plenaeque in societate monarchica, quod monarcha legibus societatis coactive non teneatur.

Recolenda est autem animadversio facta in th. 14.; quod nimirum etsi utile non sit societati exercitium non honestum potestatis, est tamen utile quod eius actus validus sit etiam cum minus est licitus, dummodo non sit certo iniustus; lex enim iniusta, ut diximus, non est lex.

Cum ergo iurisdictio Romani Pontificis sit suprema et immediata in omnes Ecclesias omnesque fideles, nulla Ecclesia potest opponere leges aut consuetudines suas decretis Romani Pontificis decernentis aliquid pro ea Ecclesia, sive nequit obtentu suarum legum aut consuetudinum detrectare obedientiam Romano Pontifici praecipienti.

V. Argumenta quibus Bossuet defendit articulum 3^{m} gallicanum continentur tum testimoniis quorumdam Romanorum Pontificum, qui

negarunt se agere posse contra canones (Zosimus epist. 6. ad Episcopos Provinciae Narbonensis et Viennensis), qui asserunt iustum esse ut Ecclesia Romana quae et unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, observet canones quos consensus universalis Ecclesiae probavit (Gelasius epist. 13. ad Episcopos Dardan.), qui affirmant rem actam contra canones esse improbam et pravam, et privilegia fixa decretis Nicaenae Synodi nulla posse novitate mutari (Leo ep. 106. ad Anatolium et 104. ad Marcianum): tum factis quorumdam Episcoporum aut Synodorum Galliae quae reiecerunt quaedam decreta et privilegia profecta a Romana Sede, qui contra vel praeter canones: tum iuramento, quod edunt Pontifices electi servaturus se canones. Bousset, l. c., cc. 3. 4. 5. 7. 8.

Verum ut ab hoc ultimo incipiamus, non eo spectat iuramentum ut Pontifices fateantur se obnoxios vi coactivae canonum, vel ut se ei subiiciant; sed ut profiteantur, se velle Ecclesiam regere prout ratio officii sui postulat, procurando bonum ipsius, ideoque custodiendo canones et secundum eos gubernationem suam dirigendo. Ad alterum respondemus, ineptum satis esse (quamvis id auctoribus gallicanis frequentissimum) ex quibusdam factis velle ius colligere, ac si non possent esse facta praeter et contra ius. Quod Episcopi et non raro, restiterint Apostolicae Sedi, id factum est nemini ignotum, sed probandum est praeterea, quod restiterint *iure:* secus eorum acta eo in loco habebimus, quo declarationem Cleri Gallicani. Ceterum in paucis factis, quae refert Bousset cc. 7. 8. ipsa historica veritas desideratur. Cf. Concilium Mosomense anno 948., Concilium Ansanum an. 1025., collatum cum Cabilonensi an. 1063., Concilium Lemovicense II. an. 1031. Rebus enim vel leviter perpensis, liquet Episcopos quaedam rescripta Romanae Sedis noluisse accipere; quia subreptionis vitio laborare videbantur (cf. Marchetti egregium opus *Critica del Fleury* art. 2. c. 2. n. 74.) eademque, hac dubitatione deleta, reverenter accepisse, etsi iuri communi contraria. Liquet ex Concilio Cabilonensi citato. Cum vero Patres Lemovicenses aiunt, Petrum non fuisse absoluturum eum subditum Martialis, quem ab eodem scivisset excommunicatum; si ius Petri negare volunt, non sunt audiendi: si vero asserunt tantum quid facturus fuisset Petrus propter reverentiam Episcopi, non adversantur nobis.

Sententiae autem Romanorum Pontificum hunc sensum fundunt, non licere ipsis agere contra canones, cum id in detrimentum cederet disciplinae, seu permittere relaxationem canonum, quibus bono Ecclesiae consulitur; eo quod ipsi lege divina et naturali teneantur procurare bonum Ecclesiae sintque Deo reddituri raticnem sui regiminis,

non eo quod coactiva vi canonum adstringantur. Nemo vero dubitat esse manifeste malum quod contra canones agitur nempe ab iis qui canonibus sunt subiecti, cuiusmodi erat Anatolius. Specialis praeterea reverentia canonibus Nicaenae Synodi utpote primae deferebatur, cui idcirco « quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum nec comparare se auderet nec praeferre » (s. Leo ep. 106.). Cuius Synodi decretum de primis Sedibus inviolabiliter custodiri aetate Leonis ob bonum Ecclesiae quam maxime oportebat. Ut vero evidens fiat nostra haec interpretatio adhibita verbis Romanorum Pontificum, satis erit afferre in medium quod in quaestione Anatolii Leo M. declaravit et gessit.

Procuraverat Anatolius, ut Patres Chalcedonenses canone statuerent Ecclesiam Constantinopolitanam esse secundam post Romanam, praeferri proinde Alexandrinae et Antiochenae illique subiici tres exarchatus Asiae, Ponti et Thraciae, in quibus patriarchatus iura exerceret. Patres Chalcedonenses, absentibus legatis Romanae Sedis, id canone 25. firmaverant. Leo consensum suum, qui flagitatus est, praestare noluit; negavit id posse fieri; quia adversabatur canoni Concilii Nicaeni « quoniam contra statuta paternorum canonum quae ante longissimae aetatis annos in urbe nicaena spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur; ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat quam illa corrumpat » (Epist. 105. *ad Pulcheriam*). Porro advertendum est quod tunc non agebatur de canone condendo a solo Leone, sed condendo a concilio oecumenico cum Pontifice; concilium quidem iam suum suffragium dederat, solius Leonis confirmatio desiderabatur. Quare cum Pontifex negat id fieri posse, non negat se solum id facere posse; de hoc enim non agebatur: sed negat se cum Concilio vel Concilium oecumenicum secum ipso id posse facere. Quaerere nunc licet a Bossuet, cuiusmodi sit haec impotentia: est ne ex defectu iurisdictionis, an ex defectu honestatis actus qui tunc non liceret, eo quod, ut ibidem significat Leo, pax et concordia Ecclesiarum turbaretur? Evidens est catholico non fuisse defectum iurisdictionis. Nam si deerat tunc iurisdictio, defuisset in posterum semper. At constat Innocentium III. in Concilio Lateranensi eum honorem detulisse Constantinopolitanae Sedi quem negaverat Leo. Dicetne Bossuet errasse nec suae potestatis limites agnovisse Concilium Lateranense? fecit tamen illud quod Chalcedonense facere posse negabat Leo. Ergo non defectus iurisdictionis causa fuit, cur tunc id fieri non posse diceretur. Neque suspicari licet Leonem iura conciliorum suaeque Sedis ignorasse. Relinquitur ergo, Leonem negasse se id posse facere, *quia non licebat;* « quoniam scilicet, ut ipse ait epist. 119. ad Maximum

Antioch., universae pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur ».

At non dissimilia sunt a verbis Leonis, imo efficacia plerumque minus quae ab aliis Pontificibus in paribus causis prolata sunt. Merito ergo suffragante etiam historia ita ea interpretati sumus. Nec limitem figunt auctoritati Pontificis verba Leonis in Serm. 4. Assumpt. suae: « Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur aequitate iudicium »; sensus est enim iudicia in Ecclesia valere cum feruntur secundum aequitatem Petri seu Romani Pontificis, h. e. secundum normam iuris et aequi ab ipso praestitutam. Id sane exigit contextus. Praecedit enim: « Transivit quidem etiam in alios Apostolos ius potestatis istius (ligandi et solvendi) et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur (al. proponitur). Manet ergo etc. » Sequitur autem: « nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod b. Petrus aut solverit aut ligaverit ». Cum quibus omnibus nostra interpretatio cohaeret.

THESIS XVI.

Perperam Gallicani, ad suam tuendam doctrinam circa potestatem Romani Pontificis, ad decreta Concilii Constantiensis aliorumque conciliorum sententias provocabant.

I. Fassi sunt Gallicani artic. 2° declarationis suae inesse Romano Pontifici plenam potestatem; verum ea aliter ab ipsis intelligebatur ac a ceteris. Sententia Gallicana ita artic. 2° proposita fuit: « Sic inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata atque ab ecclesia gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quae sessione 4ª et 5ª continentur: nec probari a gallicana ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant ». Sententia gallicana penitius inspecta penes eos qui illius defensionem susceperunt, huc redit.

In primis hoc principium statuitur: scilicet suprema potestas iurisdictionis et magisterii in Ecclesia est penes universitatem Pastorum, ita ut haec collectio omnium simul sive in suis singulis cathedris do-

centium sive una in Synodum convenientium sit subiectum unicum supremae potestatis Ecclesiasticae. Ad hanc collectionem spectat quoque Romanus Pontifex qui est Princeps Pastorum, ad eumque ordinario iure spectat convocare Synodum oecumenicam illique praesidere et sine hac convocatione ac praesidentia non habetur Concilium oecumenicum h. e. subiectum supremae potestatis. Convocatis autem in Synodum patribus, quoniam suprema potestas est in universitate, vis decretorum pendet a consensu omnium vel maioris partis votumque Romani Pontificis se habet non secus ac votum cuiusque Episcopi et sicut statuto decreto a maiore parte Synodi, singuli et ii quoque qui prius dissenserant, eidem subiiciuntur, ita et Romanus Pontifex, etsi antea in alia esset sententia, Synodo parere tenetur. Hoc sensu dicebant Gallicani Papam subesse Concilio. Ex his porro consequitur, licere a sententia Romani Pontificis ad Synodum oecumenicam appellare.

Hoc vero posito quod suprema potestas sit in universitate eaque sola et sic Pontifex subsit auctoritati Synodi oecumenicae ita convocatae et celebratae, sequitur quod Romanus Pontifex emendari potest et iudicari ab universitate in Synodum collecta; ideoque in casu extraordinario quod Papa non bene se gerat Ecclesiaeque vere noceat, potest legitime universitas Pastorum se ipsam cogere in Synodum iudiciumque instituere de Romano Pontifice qui, velit nolit, ab ipsa iudicabitur et si videatur, etiam deponetur. Item si Papa dubius est, potest universitas Pastorum rursus se in Synodum adunare et bono Ecclesiae consulere. In his duobus casibus synodus coacta etiam sine convocatione et praesidentia Romani Pontificis est vera et legitima Synodus oecumenica, quia et subiectum adest supremae potestatis et bonum Ecclesiae exigit ut modus ordinarius convocationis et celebrationis non observetur. Confirmat quidem Romanus Pontifex Concilia eiusque confirmatio necessaria est; ipsa autem non eo pertinet ut robur addat decretis Synodi, sed ut authentice declaret, Synodum fuisse rite celebratam.

Haec autem cohaerent cum ea doctrina quod Papa habeat quidem iurisdictionem in universa Ecclesia non vero in *universam Ecclesiam*, h. e. tantum in omnes particulares Ecclesias singillatim sumptas, non in totam universitatem collective acceptam, cuiusmodi in Conciliis oecumenicis repraesentatur, quae e contrario superior est Papa. (Cf. Bossuet *Defens. Declarationis Cleri Gallicani* L. E. c. 11. seqq. et l. 7. c. 2. et l. 8. c. 6. Tournely *de Ecclesia*, p. 2. edit. Paris. pag. 66. 67. 151. 159. 161. 162. Gerson *in Vindiciis doctrinae Maiorum Scholae Parisiensis*, tom 1. pag. 185. seqq. 223. seqq.).

Talis sententia Gallicanorum non exhibet eam formam regiminis Ecclesiae, quae per se sit absurda; eam videre est in pluribus ordinibus

religiosis. Quaestio igitur tantum est, utrum haec sententia exhibeat eam formam regiminis, quam Christus instituit. Sententiam suam Gallicani fulciebant potissimum auctoritate Concilii Constantiensis : quod duo decreta edidit, alterum in sess. 4ª, alterum in 5ª, cum adhuc ex sola obedientia Ioannis XXIII. constitueretur. Primum porro ita se habet « Et primo declarat, quod ipsa s. Synodus in Spiritu S. congregata, legitime generale Concilium faciens Ecclesiam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis exsistat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis ». Hactenus in sess. 4ª. In sessione vero 5ª eidem decreto addita sunt haec alia verba « et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris », licet in editionibus profectis a collectione decretorum, quam Patres Basileenses fecerunt, appareant etiam in sess. 4ª; sed confer optime de hac re disputantem Schelstrate *De sensu et auctoritate Decretorum Concilii Constantiensis* etc. In sess. 5ª secundum decretum accessit : « Item declarat quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis aut praeceptis huius sacrae Synodi et cuiuscumque alterius concilii generalis legitime congregati, super praemissis seu ad ea spectantibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur et debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo ».

Ita porro arguebant Gallicani. Decreta haec sunt concilii oecumenici approbata a Martino V. eiusque successoribus : certa sunt ergo et infallibilia. Ea autem manifeste docent, Papam subesse auctoritati conciliorum oecumenicorum universam Ecclesiam repraesentantium hancque esse supremam auctoritatem in Ecclesia a Deo immediate collatam; ergo. Iam vero controversia omnis est de subiecto auctoritatis supremae, cui omnes fideles et Ecclesiae omnisque Ecclesia universa subesse debet, contendentibus Gallicanis illud esse universitatem coetus Pastorum, nobis docentibus esse unum Romanum Pontificem, cuius proprius est Primatus, cui universi coetus Pastorum subiecta est auctoritas : atqui iam in praecedentibus Thesibus id evidenter demonstravimus; opus ergo non est alia addere, sed satis est expedire difficultates.

II. Itaque quod spectat ad decreta constantiensia (a) affirmamus

(a) Prima collectio Actorum Conc. Constant. debetur Patribus Basileensibus, quorum iussu, quidam extraxerunt et collegerunt ac fideliter conscribi fecerunt decreta et gesta nonnulla praefati s. Concilii Constant. in unum redigentes volumen. Cf. praefationem positam ab Harduino.

1. quod haec decreta accepta eo sensu, ut asseratur absolute auctoritas Concilii supra Papam ideoque etiam supra Papam certum, nunquam fuerunt ab Ecclesia approbata, sed e contrario reprobata. Sane eo sensu accepta fuerunt a Patribus Basileensibus, qui proinde tres propositiones istas statuerunt (sess. 33[a]): 1° « Veritas de potestate Concilii generalis universalem Ecclesiam repraesentantis supra Papam et quemlibet alterum, declarata per Constantiense et hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei catholicae. 2° Veritas haec, quod Papa Concilium generale universalem Ecclesiam repraesentans actu legitime congregatum, super declaratis in praefata veritate aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus potest auctoritative dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei catholicae. 3° Veritatibus duabus praedictis pertinaciter repugnans est censendus haereticus. » Atqui Eugenius IV. Constitutione *Moyses* data Florentiae in Sessione publica synodali sollemniter in Ecclesia s. Mariae Novellae celebrata anno 1439. pridie nonas Septembris, ipso Sacro approbante Concilio, damnavit et reprobavit ac damnatas et reprobatas nuntiavit eas ipsas propositiones iuxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrabant, veluti sacrosanctae Scripturae et sanctorum Patrum et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium easque tanquam impias et scandalosas, nec non in manifestam Ecclesiae Dei scissuram ac omnis Ecclesiastici ordinis et christiani principatus confusionem tendentes (Cf. Oderici Raynaldi Annales an. 1439. n. 29. et Sess. 38[m]. Synodi Basileensis). Item Leo X. Constit. *Pastor aeternus* lata in Sess. 11. Concilii Lateranensis, sacro approbante Concilio, haec decernit, quae secundum articulum fidei Basileensium directe respiciunt: « Solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat ». Porro haec decreta in publicis sessionibus conciliaribus lata, approbantibus Patribus, directe impetunt doctrinam Basileensium interpretantium decreta Constantiensia, atque impetunt simul doctrinam Gallicanam, quae hoc modo interpretari debet decreta Constantiensia, si auctoritas conciliorum est supra Papam idque constat ex iis decretis. Itane ergo decreta Constantiensia sensu Gallicano, qui est et Basileensis, accepta fuerunt ab Apostolica Sede, ut in 2° articulo clerus Gallicanus affirmat?

Imo ipse Martinus V. electus in Concilio Constantiensi manifestissime significavit, se decreta illa eo sensu accepta reiicere prorsus et irrita facere. Etenim cum quibusdam postulationibus Polonorum non acquievisset Martinus ipsique interiecissent appellationem ad futurum Concilium, Martinus in sua Constitutione ad perpetuam rei memoriam facta et promulgata in Concistorio generali celebrato Constantiae 6° Idus Martii, Pontificatus sui anni 1. decrevit quod « nulli fas est a Supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quae tanquam maiores ad ipsum et Sedem Apostolicam deferendae sunt) declinare ». Id testatur Ioannes Gerson, qui proinde illud Pontificis decretum impugnavit in Tractatu suo *(Quomodo et an liceat a Summo Pontifice appellare)*, utpote decretis Constantiensibus contrarium. Scilicet contrarium erat iis decretis acceptis eo sensu, quo a Gersone accipiebantur et a Basileensibus et a Gallicanis postea accepta sunt, de auctoritate nempe absoluta asserta Conciliis generalibus supra Papam: ex qua doctrina evidenter sequitur licere appellare a Papa ad Concilium. Si vero Martini sententia contraria erat decretis Constantiensibus ita intellectis; ergo ipse eadem ita intellecta non probavit, imo improbavit.

Affirmamus 2. decreta illa duo Constantiensia non fuisse in se ipsis approbata vel confirmata a Martino V. Etenim 1° exstat decretum ab eo editum Confirmationis rerum in Concilio decretarum *In eminentis* (vide Schelstrate op. cit. dissert. 3. c. 4.) datum Constantiae 8. Kalendas Martii anno primo: porro in eo solum confirmantur definitiones, reprobationes, mandata, condemnationes etc. latae contra Ioannem Wiclephum, Ioannem Hus et Hieronymum de Praga a Ioanne XXIII. in Concilio Romano, ad quod Patres quoque Constantienses provocaverant, et statuta Constantiensis Concilii contra propositiones Wiclephi et Hus, atque errorem Boehmorum circa communionem sub utraque specie. Eodem die Bulla data est a Martino *Inter cunctas*, ad omnes inquisitores haereticae pravitatis, in qua sacro approbante Concilio errores Wiclephi, Hus et Hieronymi proscribuntur.

2° Post sessionem 45ᵐ habitam die 22ª Aprilis, in qua finis impositus est Concilio, cum tumulus fieret ab iis, qui volebant damnari librum quemdam Ioannis a Falckenberg, quem Martinus praetermiserat; referunt Protonotarii Concilii, in compilatione Actorum a se facta, quod Martinus V. silentio omnibus imposito, dixerit respondendo ad praedicta, « quod omnia et singula decreta Constantiensis Concilii approbabat et ratificabat, quae in materia Fidei conciliariter statuta erant et non aliter nec alio modo ».

Atqui evidens est inter haec non comprehendi a Martino decreta 4ae et 5ae Sessionis. Nam *a)* decreta Sess. 4ae et 5ae non censebantur inter ea, quae essent in materia fidei; quidquid enim sit quod attingere videantur materiam fidei, attamen ex ipsis Actis Concilii manifestum est quod sub appellatione materiae fidei veniebant tantum articuli Wiclephi aliorumque, de quibus agi caeptum est a Sessione 6a. Conferatur praefatio praemissa decretis sess. 5ae, ubi distinguuntur certa *capitula per modum constitutionum synodalium* et quaedam *avisamenta in materia fidei*, quae pertinebant scilicet ad doctrinam Wicklephi etc. *b)* Cum Martinus dixit se approbare *acta conciliariter*, non est censendus novum edidisse decretum confirmationis; per accidens enim ea verba protulit occasione cuiusdam tumultus, absoluto iam concilio eiusque decretis iam confirmatis, nulla adhibita sollemnitate; sed significavit tantum quid ipse praecedente confirmatione confirmasset et tunc quoque, eadem perseverante voluntate, confirmare intenderet. Quo posito consequens est ut decreta in materia fidei conciliariter facta ea dicantur esse iuxta Martini opinionem, quae in decreto confirmationis reperiuntur: atqui inter haec non sunt decreta Sessionis 4ae et 5ae: ergo haec non continentur iis quae dicuntur a Martino facta in materia fidei et conciliariter. Id porro per se satis est ad evincendum ea formula Martinum V. non comprehendisse illa decreta.

Ceterum satis constat decreta praesertim Sessionis 5ae non fuisse conciliariter facta. Testem habemus Petrum Alliacensem in libro de *Ecclesiae et Cardinalium auctoritate*, quem scripsit in Concilio. Ait, multos dubitare de ordine huius Concilii: quia deliberatio non facta fuerat in communi sessione, collatis votis, sed seorsim in congregationibus nationum, suffragium ferentibus presbyteris quoque, diaconis imo et laicis, quorum commune vel praevalens suffragium unus episcopus deinceps non suo sed nationis nomine ad sessionem publicam ferebat.

Disputari solet, quid ea vox *conciliariter* significet et tamen oportuit, clarum esse et apertum omnibus sensum huius vocis. Ut omnis ergo difficultas praecidatur, dicimus posse eam duplici modo accipi. Nempe actum *conciliariter* dicitur vel quod a Concilio secundum essentiam suam completo ex consensu Patrum, vel maioris eorum partis atque consensu quoque Romani Pontificis, si de oecumenico concilio agatur, decretum est: vel actum *conciliariter* dicitur quod a Concilio licet adhuc incompleto et ad id sui complementum tendente, decernitur more communi conciliorum. Porro si priore sensu sumatur vox *conciliariter*, patet ea decreta non fuisse conciliariter facta, nam edita sunt antequam concilium perfectum exsisteret, ab una tantum obedientia Ioannis XXIII., quae universam Ecclesiam profecto non repraesentabat. Si autem alio

sensu minus presso accipiatur, ut ea dicantur acta conciliariter licet a concilio nondum completo, quae tamen secundum morem conciliorum acta sunt, rursus manifestum est, decreta saltem quintae Sessionis, in quibus tantum difficultas esse potest, acta non fuisse conciliariter. Nam constat decretorum eorum promulgationem deberi iis qui non unionem et pacem Ecclesiae, sed schismata et scandala quaerere videbantur, qui nullo antiquorum conciliorum ritu observato, non publice sed sparsim et privatim de rebus Ecclesiae conciliabula celebrabant, qui non per viam S. Spiritus, ut decet, sed per vim et strepitum et contumelias multa machinabantur indigna relatu contra decus Apostolicae Sedis (epist. Ioann. XXIII. ad Regem Poloniae): constat sessionem quintam tumultuario modo fuisse habitam; nam ut refert Eugenius IV. in Apologia sua contra Basileenses, qui Concilio Constantiensi interfuit dum adhuc esset in minoribus constitutus, nonnulli reclamaverunt graviores, qui *strepente multitudine superati audiri nequiverunt:* constat, cum suffragia per nationes darentur, suffragia quoque laicorum, subtractis insuper praelatorum suffragiis, recepta fuisse (Ioann. XXIII. ibid.): constat plures Patres doctissimos assensum suum non praestitisse (Turrecremata *de Ecclesia*, l. 2. c. 99. Rodericus Episcopus Calaguritanus *in Dialogo de auctoritate Rom. Pont.*): constat Ecclesiam Romanam, h. e. non solum Ioannem XXIII. Pontificem illius obedientiae, sed et omnes eius cardinales, restitisse iis decretis; imo constat eo tempore nullam habitam fuisse rationem suffragiorum ordinis Cardinalium, quibus permissum non est ferre votum seorsim ab aliis nomine suo, sed tantum concessum, ut quisque ex illis cum sua natione suffragium daret (ex actis. Cf. Schelstrate op. cit. Dissert. 2.). Iure autem postulabant Cardinales ut eorum Ordo, h. e. Ecclesia Romana, in Concilio seorsim repraesentaretur, quod in aliis sequentibus Sessionibus tandem pervicerunt.

Atqui haec satis superque sunt ad ostendendum, quod ea decreta non sunt sancita more conciliorum, ideoque non fuerunt conciliariter facta.

Dices, si ex eo quod suffragia per nationes, non singillatim, dabantur, decreta non sunt facta conciliariter, nec damnatio articulorum Wiclephi et Huss dicenda erunt facta conciliariter; nam eodem modo statuta sunt Sess. 8. et 15. Respondeo, 1° quod non ex hoc capite tantum negamus illa decreta fuisse facta conciliariter, sed quia per vim et tumultum facta, quia laicorum suffragia admissa, quia plurium consensus defuit et praesertim omnium Cardinalium; ideoque si non maior, certe sanior pars contradixit: ea nempe quae nihil per vim et strepitum ac praepropere et ab omnibus cuiuscumque gradus indiscriminatim, sed

post accuratum examen, auditis iis omnibus et solis qui ius suffragii habebant, decretum statui volebat: huiusmodi autem fuerunt ii qui restiterunt iis decretis. Respondeo 2° iste mos ferendi suffragia per nationes, ex quo fieri poterat ut ratum haberetur decretum latum a minore parte eorum qui ius suffragii habebant, erat certe vitiosus; quamvis si contigisset ut omnes vel maior pars eorum qui ius suffragii habebant, consentirent, quod credendum est contigisse quoad articulos Wiclephi et Huss, habebatur aequivalenter mos consuetus conciliorum, ut idcirco eorum articulorum condemnatio potuerit dici *conciliariter* facta saltem aequivalenter. Attamen, quia per se mos erat illegitimus, hinc Martinus in decreto confirmationis damnationis eorum haereticorum factae a Constantiensibus, disserte dici se supplere quoque omnes defectus, si qui forsitan propter sollemnitates iuris in praecedente non servatas intervenerint in iisdem. At non constat, maiorem partem eorum, qui ius suffragii habebant consensisse Decreto 5ae Sessionis.

Affirmamus 3° decretum Sessionis 4ae ad solum tempus illius schismatis referri, eoque spectare, ut regula statueretur pro eo schismate tollendo et, si vis, pro tempore quoque sequenti cum in paribus conditionibus Ecclesia versaretur.

Sane sermo ibi est tantum de ea Synodo Constantiensi et de extirpatione illius determinati schismatis (*Haec sancta Synodo Constantiensis* generale Concilium faciens *pro extirpatione praesentis schismatis* etc. declarat quod *ipsa Synodus* in Spiritu S. congregata legitime generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet etc.) diciturque proinde ei obediendum esse *in iis quae pertinent ad exstirpationem dicti schismatis.* Qui ergo etiam papali dignitate instructus obedire debet, est ille qui ea aetate dicebatur quidem Papa, sed erat Papa dubius, cui tamen in Actis Papae appellatio tribuebatur. Eo proinde decreto statutum est, ut exsistente hoc dubio facti, cum tres sibi auctoritatem Papalem vindicarent, eos quoque oporteret obedire Synodo, haec enim unica via reliqua erat tollendo schismati et cum Christus certe vellet schisma tolli, dici potuit Christum velle, ut hoc adhiberetur medium, ideoque fecisse potestatem immediate Synodo, ut dubios Pontifices abrogaret. Ex lege enim naturae quaelibet societas habet in talibus adiunctis ius consulendi sibi: quod vero in naturalibus societatibus praestat simplex ius naturae, in societate supernaturali positivae divinae institutionis confertur a iure divino. Quod tamen ius eo pertinet ut electioni supremi Pastoris prospiciatur. Ad factum vero quod spectat, duo Pontifices quibuscum pene omnis Ecclesia stabat et quorum ius probabilius erat, sponte se Pontificatu abdicarunt. Unde validitas electionis Martini V.

est independens a valore illius decreti, quod advertere debuissent Basileenses in Sess. 38. De Decretis autem Sessionis 5ae prout aliquid illi decreto superiori superaddunt, non est cur disputemus; cum non solum confirmata non fuerint, sed potius reprobata (n. 1.). Tandem Patres Constantienses noluisse in his sessionibus decreta fidei condere vel ex eo liquet quod a Sessione 6. tantum initium fiat tractandis materiis fidei idque disserte significetur.

Praeterea ipsis Gallicanis consentientibus demonstrare licet decreta haec Synodi Constantiensis non ita accipi posse, ut valeant pro quavis Synodo oecumenica, quae in Ecclesia unquam convocata sit et convocetur, ut sic auctoritatem propriam Concilii oecumenici qua talis doceant. Nam si ita est, oportet ut pro oecumenica habeatur quaecumque Synodus par sit Synodo Constantiensi et idcirco Synodus collecta quoque sine auctoritate legitimi Pontificis cui omnis Ecclesia obedire debet. Talis enim erat pro iis adiunctis Synodus Constantiensis. Si ergo ea propositio (ipsa Synodus etc.) aequivalet propositioni universali et pro quovis tempore, vera erit et de simili Synodo collecta sine auctoritate Papae, cum Papa certus rite suo munere fungens exstitit. Atqui id ipsi Gallicani negant, qui pro legitima exsistentia Synodi oecumenicae requirunt convocationem Papae eiusque praesidentiam, cum Papa adest atque muneri suo facit satis. Fateantur igitur oportet haec non dicta esse a Constantiensibus universaliter pro quovis tempore et Concilio generali, sed singulariter pro certo tempore et Synodo, cum nempe Papa est dubius et ita dubius, ut non nisi eo remoto schisma caveri possit.

Quaeres: cur ergo dictum est in illo priore decreto: *in iis quae pertinent ad fidem* obedire debere quemlibet, etiam Papam? Respondeo. Ut securius ad depositionem duorum contendentium de Papatu Patres in praecedenti Concilio Pisano procedere valerent, quoniam in iure cautum erat, Papam haereticum iudicari ab Ecclesia posse, statuerunt haereticum quoque esse qui facto vel opere suo adversatur dogmati: porro dogma est unitas Ecclesiae, quam duo Pontifices facto suo scindebant: haeretici ergo habendi erant illi duo contendentes. Quare in eo Concilio Pisano duo illi contendentes de Papatu, h. e. Gregorius XII. reapse verus Pontifex et Antipapa Petrus de Luna dictus Benedict. XIII. dicuntur vocati in Concilium et proclamati *in causa schismatis et fidei* (Sess. 3.) eorumque contumacia et pertinacia in contentione de Papatu dicitur esse *in materia schismatis et fidei* (Sess. 8.); quia nimirum schisma gignebat fideique de unitate Ecclesiae adversabatur. Porro idem est sensus verborum occurrentium in decretis Constantiensibus: *in his quae pertinent ad fidem;* quoad unitatem scilicet Ecclesiae sub

uno visibili capite servandam, quam necessariam esse fides docet, volebant Constantienses, ut quilibet obedire teneretur Synodo. Hunc limitatum sensum subesse iis verbis, liquet tum ex historia illius aetatis, tum ex eo quod immediate consequitur: *et extirpationem dicti schismatis;* non ergo universalis obedientia praecipitur, sed quatenus spectat ad extirpationem illius schismatis; igitur et obedientia in iis, quae ad fidem pertinent, in iis tantum exigitur, quae referuntur ad dicti schismatis extirpationem.

Sensisse Patres Constantienses, se nihil posse in Papam certum, quamvis id quidam aut minus docti aut cupidi potestatis summopere exoptarent, id quoque ostendit, quod ante electionem Papae propositi sunt plures articuli reformationis, quae fieri deberet a Papa. Porro 1° cum tunc natio germanica postularet assecurationem et cautionem per decretum irritans quod post electionem Papae fieret reformatio ante coronationem Papae et administrationem aliquam... « tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poterat ». 2° Electo Martino V. de quibusdam ex illis articulis decreta edita sunt ab eodem in Sess. 43ª h. e. de exemptionibus, de unionibus beneficiorum, de fructibus percipiendis, de simonia, de dispensationibus, de decimis, de vita et honestate clericorum. At de aliis, praecipue quae ad ipsam Romanam Sedem spectabant, ut de numero, qualitate et natione Cardinalium, de reformationibus Sedis Apostolicae, de causis in Romana curia tractandis vel non, de appellationibus etc. nec actum est, nec postulatum ab ullo ut ageretur. Cur vero? quia scilicet concilium suberat prorsus auctoritati Romani Pontificis idque universali sensu tenebatur (Cf. Schelstrate op. cit. *Acta Constantiensia ex pluribus codicibus manuscriptis*).

Dices: Martinus V. in Bulla *Inter cunctas* praecipit interrogari haereticos, utrum credant quodlibet Concilium generale et etiam Constantiense repraesentare universam Ecclesiam, utrum credant quod illud quod Sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repraesentans in favorem fidei approbavit et approbat, hoc esse a cunctis fidelibus approbandum et alia his similia. Ergo Concilium Constantiense fuit iuxta Martinum concilium verum repraesentans universam Ecclesiam etiam ante electionem Martini *(approbavit* et *approbat)*.

Respondeo: 1° haec non spectant nisi ad decreta Concilii contra haereticos: 2° Concilium, quod ab haereticis habendum erat ut verum Concilium repraesentans universam Ecclesiam, erat concilium cui iam Pontifex certus praesidebat, qui eius decreta fidei confirmaverat ideoque concilium vere oecumenicum. Concilium vero hoc in duplici fuit stadio, primo inchoationis, altero perfectionis et complementi; propter ordinem vero qui est inchoati ad completum, unum reapse fuit concilium et

idcirco appellatio Concilii repraesentantis universam Ecclesiam tribuitur ipsi spectato quoque in priori stadio, non quatenus seiungitur ab alio, sed quatenus ordinatur ad illud et quatenus eius decreta edita in priore stadio confirmanda erant et confirmata sunt in stadio complementi per sententiam conciliarem, accedente consensu Pontificis suffragio ceterorum. Ita ad modum unius Concilium Constantiense spectatum potest prae quavis sui parte dici Concilium generale repraesentans universam Ecclesiam, sed diverso modo, primum incomplete et in potentia, deinde complete et in actu. Unde Martinus non dicit tantum *quod* Concilium *approbavit*, sed *quod approbavit et approbat,* eo quod illa prior approbatio confirmanda adhuc erat et per se insufficiens.

III. Aiunt Gallicani. Caput *Frequens* statutum in sess. 39ª, quo decernebatur convocatio Concilii facienda deinceps intra certum orbem annorum a Romanis Pontificibus, vim exerit coactivam in quemlibet Pontificem futurum eumque certum; innititur autem manifeste vis huius auctoritatis exercitae a Concilio in Pontifices decretis sessionum 4ae et 5ae acceptatumque fuit illud decretum *Frequens* a Martino V. qui voluit huic decreto satisfacere sess. 44ª et ab Eugenio IV. qui morti proximus (cf. Oderici Raynaldi Annales ad annum 1447.) fassus est, se concilia oecumenica et Constantiense Concilium illiusque caput *Frequens* recipere non secus ac sui antecessores. Ex his vero colligunt Gallicani, Constantienses Patres decreta sessionis 4ae et 5ae edidisse absolute pro quovis Pontifice, utpote quae fundamentum sunt capitis *Frequens*, quod omnes Pontifices obligabat eaque probata fuisse a Romanis Pontificibus, qui decreto capitis *Frequens* paruerunt.

Respondemus, negando antecedens. Nam vis decreti *Frequens* ex approbatione Martini oriebatur, qui non paruit, sed voluit facere satis illi decreto; eo quod putaverit expedire, quod eo cautum fuerat. Qua approbatione Martinus nec se nec suos successores ligavit, sed censentes Romani Pontifices ad bonum Ecclesiae conducere pro evitando schismate, si tunc morem gererent tot desiderantibus concilia, ipsi pro modestia sua se accommodantes infirmitati ovium, morem in hac re eis gerere voluerunt, quandiu liceret. Quocirca ad illud decretum abolendum nulla conciliari sanctione opus fuit, sed fuit satis voluntas Pontificum. Negamus pariter caput *Frequens* inniti decretis sessionis 4ae et 5ae; nam gratis asseritur Constantiensem Synodum voluisse obligare Romanos Pontifices citra eorum consensum idque repugnat Primatui in ipsoque concilio agnitum fuit, quod *Papa electus ligari non potest:* neque ad illud decretum capitis *Frequens* proponendum ut Ecclesiae utile, confirmandum deinceps a legitimo Papa, opus erat Constantiensibus ulla auctoritate coactiva in Romanos Pontifices. Ceterum in hac

quaestione de Concilio Constantiensi secernendae sunt sententiae conciliares ab opinionibus privatis quorundam qui interfuerunt Concilio, de quibus solliciti non sumus.

NOTA. Inter errores Wiclephi 41[us] ita se habet: *non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Porro hic error ita fuerat reprobatus a Constantiensidus sess. 8. « Error, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares ». Haec autem verba inserta sunt a Martino suis litteris apostolicis. Ergone solum super ecclesis particulares Primatum habet Romanus Pontifex et non super universam Ecclesiam, ut Richerius (*de Eccles. et polit. potestate* c. 3.) atque generatim Gallicani contendebant ?

Adverte 1° verba ea non esse exclusiva; 2° *primatum super alias Ecclesias particulares* continere implicite *primatum super universam Ecclesiam;* nam *Ecclesiae particulares* et *Ecclesia universa* non sunt duo subiecta distincta, sed unum diverso modo se habens, prout nempe singulae seorsim spectantur et agunt, et sunt omnes Ecclesiae particulares, vel prout simul agunt simulque spectantur, et sunt universa Ecclesia: cum ergo dicuntur Ecclesiae particulares, dicitur etiam implicite universa Ecclesia; modus enim in suo subiecto continetur. Abstinuit ergo Martinus ab explicita huius rei declaratione, ex speciali ratione, quam forte prudentia suggessit; praesertim cum ea necessaria non foret, eo quod iam in Concilii Lugdunensis II. professione fuerit ea affirmata his verbis: « ipsa Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum *super universam Ecclesiam catholicam* obtinet » et praeterea idem Martinus in articulo 24° ex iis de quibus haereticos interrogari iussit, id quoque sufficienter asseruerit. Articulus ita se habet: « utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor b. Petri, *habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei* »: porro suprema auctoritas in Ecclesia nulli alii auctoritati subest eo ipso quod est suprema, sed omnes simul quoque sumpti ei subsunt, quemadmodum de auctoritate conciliorum censent Gallicani, qui eam volunt esse supremam in Ecclesia. Non ergo, auctore Martino V. Romanus Pontifex subest concilio; sed imo concilium quoque ei subesse dicendum est.

IV. Non est opus, ut de Synodo Basileensi speciatim aliquid dicamus. Etsi identidem legitima fuerit (quod tamen omnibus eius sessionibus et actis perpensis, ratione etiam habita spiritus, quo ii Patres ducebantur, quique satis manifeste semper se prodebat, ignoramus quo pacto possit affirmari), eius tamen decreta quoad potestatis suae

declarationem abrogata sunt ab Eugenio in Concilio Florentino et in Lateranensi a Leone X. Synagoga fuit hominum turbulentissimorum, ex inferiori clero, doctoribus Universitatum et laicis quoque magna ex parte adunata: cui nihil aliud cordi erat quam ambitiosa suae auctoritatis ampliatio. Ineptos autem historicos hospitesque in Theologia et Ecclesiastico Iure aut malevolos se produnt illi, qui Synodorum huius aetatis, cuiusmodi fuerunt Senensis et Basileensis, historiam describentes, in sollicitudine Romanorum Pontificum tuendae auctoritatis sui Primatus eaque animi alienatione a Synodis generalibus habendis quam praeseferebant, non vident nisi quendam humanum affectum studiumque profanum augendae potestatis. Primatus Petri eiusque plena libertas in exercitio suorum iurium necessaria sunt Ecclesiae huiusque bonum procurat qui illa tuetur. Officium est autem Rom. Pontificis bonum Ecclesiae omni nisu curare. Integritati porro Primatus eiusque libertati, quam sibi in pluribus superbissime et insipientissime subiicere volebant, adversum animum gerebant non pauci ex illis, qui Synodos generales postulabant ea aetate iisque intererant easdemque agere volebant praeter morem ecclesiasticum; erat proinde officium Romanae Sedis huiusmodi Synodos, nisi maius malum ex hominum malitia timeretur, impedire; quod si propter pravitatem temporum fieri non posset, easdem ita fortiter moderari, ut Primatus auctoritas esset in tuto.

V. Praeter Constantiense et Basileense concilia ad alia quoque provocabatur a Gallicanis. Haec breviter perstringemus. Canon 21. Synodi oecumenicae 8. prohibet, ne quis inhonorare aut movere a suo throno tentet Patriarchas et praecipue sanctissimum Papam senioris Romae et ne contra eum audeat conscriptiones ac verba complicare et componere sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum, sicut Photius et antea Dioscorus fecerat. Tum subdit: « Porro si Synodus universalis fuerit congregata et facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari et solutionem accipere et profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romae Pontifices ». Ergo, aiunt, causae Ecclesiae Romanae deferri possunt ad Synodum oecumenicam ibique de ea sententiam ferre licet, modeste quidem non audacter.

Verum 1° quod prohibitum fuit non est tantum modus quidam in ferenda sententia, sed ipsa sententia, quae ferenda non est in Rom. Pontificem; quod sine audacia fieri nequit. Id enim Nicolai I. et Hadriani II. epistolae, probante Synodo, satis aperte docuerant: quod

vero 2° ipso permittente Rom. Pontifice, causae Romanae Ecclesiae deferri ad Synodum oecumenicam possint, id non derogat auctoritati Romani Pontificis, ut ex Actis olim in causa Symmachi liquet: porro canon citatus in hac hypothesi loquitur, quod nempe sponte consentiente Romano Pontifice, causa eius ad Synodum deferatur.

Obiicitur etiam, Siricium Papam detrectasse iudicium in causa Bonosi quod ei pro sua modestia detulerat Anysius Thessalonicensis, cui a Concilio Capuano fuerat haec causa commissa: « Cum huiusmodi fuerit (ait epis. 5. ad Anysium) Concilii Capuensis iudicium, ut finitimi Bonoso atque eius accusatoribus iudices tribuerentur et praecipue Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de eius factis cognoscerent; advertimus, quod nobis iudicandi forma competere non posset ». Cur vero? an quia subest Papa Concilio? audi Siricium ibidem: « Primum est, ut ii audiant quibus iudicandi facultas est data: nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non convenit ». Scilicet cum Synodo superiores simus, non convenit ut veluti eius delegata auctoritate iudicemus. Dubitatur autem an haec epistola a Baronio adscripta Siricio, sit eiusdem. Cf. inter opera Ambrosii edit. Maurin. t. 3. notas post epist. 56[m].

VI. Obiicitur tandem argumentum petitum ex clausula definitionis Florentinae: definitur enim Romano Pontifici... pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse: *quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur*. Porro eam ex textu graeco (καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται) sic legi volunt: *secundum eum modum, qui continetur in gestis* etc. Unde concludunt potestatem Primatus limitatam esse decretis conciliorum ac canonibus iisque obnoxiam (Bossuet opere citato l. 6. c. 11.). Heic iam non exercitium potestatis, ut Bossuet aiebat, sed ipsam potestatem haberemus limitatam.

Verum 1° certissime constat, lectionem latinam: *quemadmodum etiam* etc. non esse versionem ex graeco, sed prorsus originalem: id ex manuscriptis autographis eiusdem Concilii, quae in bibliothecis Romae et Florentiae servantur, manifestum est. Et sane inter Collationes habitas in Conc. Florent. scriptas ab Andrea de s. Cruce apostolici concistorii advocato, qui Concilio interfuit, exstat XXII. in qua numeri noni hic est titulus: *deputantur sex pro qualibet parte ut tractent dogmatum definiendorum expressionem:* tum refertur sermo Cardinalis Placentini: « a die qua convenistis, hodie est octavus dies, quo fuerunt deputati quatuor pro quolibet statu, qui deberent esse cum deputatis graecorum pro formando decreto. Patres singulis diebus convenerunt

de mane et de sero. Tandem hoc mane fuit lectum decretum in s. Francisco in graeco et in latino et omnes deputati remanserunt contenti ». Cf. et Sess. 25. sub finem. Haec autem protulit Cardinalis Placentinus in generali Congregatione habita in Palatio Apostolico die 4ª Iulii : sessio ultima habita est 6ª die eiusdem mensis in magna Ecclesia, cui nomen s. Maria liberata, lectumque est decretum latine a Cardinali Iuliano, graece a Cardinali Bessarione, ut ipsa acta nos docent. Quare operam perdunt qui in graecis verbis interpretandis laborant.

Constat 2º certissime, voculam *etiam* originalem esse: exstat enim in autographo originali quod videre licet Florentiae in bibliotheca Laurentiana. Porro particula *etiam* καὶ, sequentia cum praecedentibus vincit, et ita vincit ut significet idem esse quod in proecedentibus et sequentibus affirmatur. Iam vero interpretatio Gallicana excludit particulam *etiam* καὶ, quae quidem in ea interpretatione non habet amplius quid faciat; quoniam aliud novum, h. e. limitatio plenitudinis potestatis hoc inciso significaretur. Quare Gallicana interpretatio est difformis ab originali. Exsistente autem particula *etiam* καὶ, eiusque vi retenta, formula καθ' ὃν τρόπον (quae literaliter est; secundum quem modum, h. e. quemadmodum, ὡς *ut*) non includit implicite antecedens (secundum eum modum quem) sed est simpliciter relativa, et ad praecedentia verba definitionis refertur. Ex quibus omnibus patet formulam καθ' ὃν τρόπον *quemadmodum* etc. non significare ullam limitationem, sed exhibere tantum argumentum ex traditione Conciliorum et canonum desumptum, ad confirmationem veritatis definitae.

Ceterum etsi legeremus: *Secundum eum modum, qui etiam continetur in gestis conciliorum et in sacris canonibus,* non esset consequens, heic limitationem quamdam poni. Nam idem ne dicunt hae duae formulae, 1ª *Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis secundum eum modum qui continetur in actis conciliorum et sacris canonibus ;* 2ª *Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis limitatam tamen auctorite conciliorum, quibus subest et auctoritate canonum, quos servare debet ?* Evidens satis est discrimen: prima enim formula significatur modus, quo intelligenda sit plenitudo potestatis, nempe sicut a Conciliis et a canonibus est intellecta: altera vero formula limitatio sola significatur. Evidens proinde est quoque non eo modo fuisse locuturos Patres, si hoc alterum voluissent significare. Rursus quaenam cohaerentia est, asserere Pontifici plenitudinem potestatis et simul affirmare eius limitationem ?

VII. Quia vero adversarii argumentum ducunt non ex sola hac clausula per se spectata, sed collata cum iis animadversionibus quas graeci fecerunt ad hunc articulum definiendum propositum a latinis: haec satis

sit recolere. Absoluta disputatione de processione Spiritus S. ac probata formula definitionis, propositi a Papa sunt graecis alii articuli post Sess. 25^{am} inter quos primus de Primatu Papae: ut Sedes Apostolica seu Vicarius D. N. I. C. Summus Pontifex habeat sua privilegia et licuerit ei suo iure, quippe ut summo Pontifici, adiicere quod sacro symbolo addidit (nempe particulam *Filioque*). Verum hoc alterum graeci, non quidem in publica sessione, sed apud se privatam agentes, improbarunt dicentes, consensum ad id requiri fratrum Patriarcharum.

Mox defuncto Patriarcha constantinop. Iosepho, inventum est eius chirographum pridie mortis scriptum, in quo haec profitebatur: «Omnia quae sentit et dogmatizat catholica et apostolica Ecclesia D. N. I. C. senioris Romae, ipse quoque sentio et iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoque ad certam omnium fidem, beatissimum Patrem Patrum et maximum Pontificem et Vicarium D. N. I. C. antiquae Romae Papam ».

Cum latini instarent, ut graeci articulum de Primatu reciperent, responderunt graeci, de Primatu Papae se consentire, ut facta unione habeat quidquid illi iure debetur. Deinde praesente Papa, Ioannes Provincialis longa oratione demonstravit Graecis doctrinam de Primatu Papae. Graeci autem Imperatoris domum convenientes examinarunt postulata Latinorum et repererunt ea quinque aequa omnia et recta; scilicet de processione Spiritus S., de azymo et fermentato, de Primatu Papae, de additione τοῦ Filioque, de Purgatorio et compellebant Imperatorem ut opus unionis ad finem perduceret, his omnibus assentiendo; ille vero nolebat.

Post alterum diem evocavit ad se Papa orientalem Ecclesiam et iussit duos magistros de privilegiis suis disserere, quod sit Summus Pontifex et Petri successor et Christi Vicarius et iudicet ac regat catholicam Ecclesiam tanquam Doctor et Pastor. Graeci autem consultatione inter se habita admittere se professi sunt privilegia Papae, praeterquam duo: 1^{m} ne convocet Synodum oecumenicam sine Imperatore et Patriarchis, si consentire velint; quod si vocentur et non veniant, ne propterea impedimento sint quominus Synodus fiat: 2^{m} ut si quis putet se ab aliquo Patriarcha pati iniuriam et veniat (Romam) qui interposuit appellationem, ne Patriarchae ipsi se sistant iudicandos, sed Papa mittat in provinciam quamque inquisitores et ibi per eos, ubi negotium est, iniuriam passi ius suum obtineant. Papa autem respondit, se velle omnia Ecclesiae suae privilegia velleque ad se fieri appellationes nec non regere et pascere universam Christi Ecclesiam tanquam Pastorem ovium; auctoritatem praeterea sibi esse et facultatem cele-

brandi Synodum oecumenicam, cum opus fuerit et omnes Patriarchas parere debere suae voluntati. Non acquievit his Imperator.

Collatione postea habita inter se graeci de Primatu Papae fassi sunt, ipsum esse Summum Pontificem, Vicarium Christi, pastorem et doctorem omnium Christianorum, regentem et gubernantem Ecclesiam Dei, salvis privilegiis et iuribus Patriarcharum Orientis et Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam, deinde Alexandrinum etc. Quibus scriptis statuere graeci, nihil amplius esse faciendum, si haec a Papa non reciperentur. Cognoverunt autem ea fuisse recepta et acquieverunt.

Actum est ergo ut fieret tomus definitionis graece et latine omnesque subscriberent. In quo cum scriptum esset, quod Papa sua privilegia habeat iuxta determinationem sacrae Scripturne et dicta Sanctorum, hoc alterum veluti ambiguum non placuit Imperatori, qui voluit addi: iuxta tenorem κατά τήν δύναμιν canonum. De hoc ergo disputatum est latinos inter et graecos. Egressisque latinis graeci statim consilium inierunt scripseruntque, habenda esse a Papa sua privilegia iuxta canones et dicta Sanctorum sacramque Scripturam et acta Synodorum τά πρακτικά τῶν συνόδων. Haec tradita latinis, qui responderunt, se de his relaturos ad Papam. Tandem convenere ex utraque parte sex ut definitio et tomus unionis scriberetur graece et latine; cumque occasione illius clausulae additae a graecis: salvis iuribus et privilegiis quatuor Patriarcharum, latini audirent additum esse *omnibus,* perstrepere ceperunt, expungendam eam particulam esse contendentes. At tandem amice convenientes eam omnes admiserunt et sic tandem graeci subscripserunt. Hinc definitionem Primatus post clausulam notam haec verba sequuntur: « Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinop. secundus sit post Sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum ».

Porro ex hac historia manifestum est, 1° in stadio disquisitionis et praeparationis difficultates contra dogma profectas potius esse ab Imperatore quam ab Episcopis graecis: 2° Eugenium strenue iura suae sedis defendisse semper: 3° Omnes tandem libere consensisse graecos cum latinis in definitionem prouti iacet: 4° formulam postulatam ab Imperatore: *iuxta tenorem canonum,* quae substituenda esset vel addenda alteri: *iuxta dicta Sanctorum,* non eo spectasse ut diceretur exercitium potestatis Pontificis moderandum esse per canones, sed eo spectasse, ut significaretur ex doctrina canonum colligendam esse notitiam potestatis Primatus; latini enim dixerant eam *ex dictis Sancto-*

rum hauriendam esse; cum vero Imperator adverteret huiusmodi dicta frequenter honoris causa proferri et laxiore sensu usurpari, voluit vel substitui vel addi: *iuxta tenorem seu vim canonum*, quod et episcopi graeci expresserunt dicentes: iuxta canones et dicta sanctorum sacramque Scripturam et acta Synodorum.

VIII. Provocatio scilicet ad canones in hac definitione eo spectabat, quo spectabat Gelasius I. in Commonitorio ad Faustum seu epistola 4ª (Migne P. L. 59. p. 26.) ubi ait: « Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae (cf. Th. seq.) ad huius Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium nec de eius unquam praeceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius decreta sequenda mandarunt ». Et in eadem causa Acacii scribens ad Episcopos Dardaniae epist. 13. inquit: « Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli ius habet resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat iudicandi neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus ». An censebat Gelasius potestatem supremam iudicandi inappellabiliter de omnibus et ligandi quidquid ceteri Episcopi solverint et solvendi quidquid ceteri Episcopi ligaverint, originem habere a canonibus, quos Ecclesia statuit ab iisque idcirco dependere illisque posse circumscribi et limitari? an solum significare volebat ipsam Ecclesiam suis definitionibus et decretis canonicis agnovisse praerogativam Sedis suae, quam iure divino obtinet; ideoque ex canonibus Ecclesiasticis arguebat tanquam ex testimoniis ab omnibus receptis divinae institutionis? Hunc alterum sensum verum esse ostendit ipse Gelasius vel alius Pontifex in decreto de apocryphis scripturis quod exorditur a stabilienda auctoritate Romanae Ecclesiae: « Quamvis universae per orbem catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana Catholica et Apostolica Ecclesia *nullis synodicis constitutis* ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: *Tu es Petrus* inquientis etc. » Quod et Innocentius III. testatur ep. 209. l. 2. inquiens: « Apostolicae Sedis Primatus, quem non homo, sed Deus imo verius Deus homo constituit, multis quidem et evangelicis et apostolicis testimoniis comprobatur, a quibus postmodum canonicae constitutiones processerunt concorditer asserentes, Romanam Ecclesiam in beato Petro apostolo-

rum principe consecratam quasi magistram et matrem ceteris praeeminere ». Porro primatus ipsa est potestas omnia ligandi et solvendi, de omnibus inappellabiliter iudicandi: ergo.

THESIS XVII.

Propria est quoque Primatus Romani Pontificis potestas recipiendi ex toto orbe appellationes a quocumque iudicio Episcoporum sententiamque ultimam ferendi super causis ab Episcopis iudicatis, non solum per iudices delegatos eo ubi causa exorta est, sed per se ipsum Romae. Proprium quoque ipsius ius est legatos suos mittendi in omnes orbis christiani partes.

I. *Appellatio* in iure dicitur *ab inferiore iudice ad superiorem provocatio rei vel actoris, ut lata a priore iudice sententia corrigatur ab altero vel revocetur.* Hinc iudex qui appellationem recipere potest, ius habet instituendi per se novum examen causae ferendique sententiam definitivam, qua sententia prior vel confirmetur vel rescindatur. Liquet huiusmodi ius esse 1° aliud a iure simplici concedendi revisionem causae, quod verbis de Marca, quem confutare oportebit in quaestione hac de iure appellationum ad s. Sedem, explicare placet: « Discrimen quippe est (ait in *Concordia* etc. l. 7. c. 3. n. 6.) inter appellationem et revisionem. Illa namque integram causae cognitionem transfert ad iudicem superiorem, qui quaestionem excutit et definit in suo tribunali. At revisio definitivum iudicium relinquit priori iurisdictioni, ea ratione ut prioribus iudicibus novi etiam adiungantur ». Non litigamus de huius alterius partis veritate; id tantum sumimus ut determinemus obiectum, de quo est quaestio, quod est ius appellationis; de iure concedendae revisionis dicemus postea, quod proprium fuisse Imperatorum falso docet idem de Marca ibid. Liquet 2° quoque ius recipiendae appellationis diversum esse ab eo quo exigitur, ut Episcopi, cum in Synodo iudicaverint, referant quid gestum sit ad Romanum Pontificem, ut ipse vel probet vel improbet. Quod quidem ius etiam Hincmarus Remensis Pontifici concedit (vide infra). Subiectum ergo disputationis nostrae est ius *proprie dictae appellationis.* Duo probanda sunt: 1° quod Romanus Pontifex ius habeat excipiendi appellationes ex toto orbe a quovis iudicio Episcoporum sententiamque ultimam ferendi: 2° quod cognitionem causae instituere sententiamque ferre possit ipse per se in suo tribunali Romae circa ea quae iam in Synodo Episcoporum iudicata sunt: quod alterum potissimum ab adversariis negatur.

Probatur utrumque ex natura Primatus. Romanus enim Pontifex

gaudet plena potestate in Ecclesia, potestate ligandi et solvendi quoad omnia et omnes: atqui potestas ligandi et solvendi est potestas quoque sententias iudiciales sive absolutionis sive damnationis ferendi quoad omnes et omnia: atqui inter omnes et omnia, quae subsunt huic potestati sunt quoque Episcopi eorumque sententiae: ergo potestas Romano Pontifici competit ferendi sententiam iudicialem circa sententias ipsas Episcoporum eorumque sententias vel rescindendi vel confirmandi. Huc autem redit ius appellationes recipiendi. Cf. testimonium Gelasii Paulo ante citatum. Praeterea potestas Romani Pontificis est *immediata* in omnes fideles et *suprema*. Prout est immediata ius habet causas omnes uniuscuiusque fidelis cognoscendi et iudicandi: prout est suprema ius habet, ut nulla sententia circa suos proprios subditos sit peremptoria citra suum consensum. Idcirco ius habet Romanus Pontifex rursus cognoscendi et iudicandi causam iam ab aliis iudicatam et iudicandi quoque de sententia aliorum; qui et ipsi sunt eius subditi immediati, ferendique ultimam peremptoriam sententiam, quae a sola suprema auctoritate ferri potest. Quia vero hoc ius proprium est Primatus, qui sicut personae Petri ita personae singulorum eius successorum competit; hinc ius istud potest personaliter sive per se ipsum Romanus Pontifex exercere.

Porro ex hoc constat, Romanum Pontificem recipere posse appellationem ne dum Episcopi appellantis a iudicio Synodi Episcoporum, sed et clerici inferioris et laici appellantis a iudicio Episcopi; neque enim Romanus Pontifex, qui est omnium superior immediatus, minus est superior Episcopi, quam Synodi Episcoporum. Ius huiusmodi Romani Pontificis, cum sit ius ipsius Primatus, est ius divinum, quod proinde nec ab ulla humana aut Ecclesiastica lege originem habuit nec ulla humana aut Ecclesiastica lege aboleri potest.

Hoc porro ius distinguendum est ab eius exercitio, quod ex voluntate ipsius Romani Pontificis diversum identidem esse potest et plus minus temperatum. Ipsi enim supremi Principes noluerunt licere subditis in omnibus causis appellare, vel unam tantum in certis causis appellationem concesserunt idque bonum publicum exposcebat. Idem quoque in iure canonico institutum est. Verum non nisi ineptissime quis exinde inferret non esse in potestate Romani Pontificis appellationes ex quovis iudicio recipere, cum ipsa temperamenta quoad praxim sint auctoritate eiusdem constituta.

II. Ast opponunt nobis veterem Ecclesiae praxim, canones Conciliorum, Episcopos sanctitate et doctrina insignes, qui huiusmodi appellationibus obstiterunt suasque opponunt coniecturas, quibus testimonia antiquitatis sibi contraria in alium sensum detorquere contendunt

Itaque per instrumenta quoque et testes rem conficiamus. Incipiamus ergo a Concilio Sardicensi.

Concilium hoc CCC. circiter Episcoporum habitum anno 346° oecumenicum fuit convocatione, celebratione, confirmatione; cuius rei demonstrationem vide penes Marchetti in *Dissertatione polemico-canonica sopra il Concilio di Sardica: parte* 1ª (a). Quod si seorsim ab aliis oecumenicis non enumeratur, id inde repetendum est, quod nullum dogma fidei sanciverit eiusque canones veluti appendix canonum Nicaenorum sint habiti et sub censu Nicaenorum a Romana Sede semper citati. Canonum huius Synodi mentionem faciunt Patres Chalcedonenses in oratione ad Imper. Marcianum et laudibus extollunt eam Synodum eamque se recipere significant non secus ac Constantinopolitanam et Ephesinam. Iustinianus Imp. ipse eam citat in suo edicto fidei.

Porro inter canones viginti et unum Sardicenses ad nostram quaestionem spectant tertius, quartus et septimus secundum ordinem Dionysianum. Advertendum est autem, lectionem latinam horum canonum non esse versionem, sed esse originalem; cum maior pars Episcoporum Occidentalium fuerit et Dionysius Exiguus in literis ad Stephanum id disserte testetur inquiens: « Statuta quoque Sardicensis Concilii atque Africani, *quae latine sunt edita* ». (Cf. Fratres Ballerinios Oper. s. Leonis tom. III. *de Antiquis Canonum Collectionibus* p. I. c. 5.). Editionem Canonum dionysianam exhibemus.

Prior ex his tribus canonibus is est: « Osius Episcopus dixit... quod si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne unus de duobus ex alia provincia Episcopos advocet cognitores. Quod si aliquis Episcopus iudicatus fuerit et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur; si vobis placet, s. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur et det iudices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet ».

Alter: « Gaudentius Episcopus dixit: addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulistis, ut cum aliquis Episcopus

(a) Intolerabilis est porro audacia, ne insipientiam dicam, Illustrissimi de Marca op. cit. l. 7. c. 3. qui negat fuisse concilium celebratione oecumenicum, quia antequam Concilium foret constitutum, divortium fecerunt Orientales; nimirum 80, Ariani, qui Philippopolim secesserunt. At manserunt tamen non pauci alii graeci, ut ex subscriptionibus evidens est. An ergo Concilium desinit esse oecumenicum, quia haeretici recedunt? Id quidem gratissimum Protestantibus.

depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio qui in vicinis locis commorantur et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma: alter Episcopus in eius cathedra, post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata ».

Tertius: « Osius Episcopus dixit: placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit et iudicaverint congregati Episcopi regionis ipsius et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit (graece: veluti appellans confugerit etc.) qui deiectus est et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae et voluerit se audiri: si iustum putaverit (Episcopus Romanus), ut iudicium renovetur vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia inquirant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi (Romani) quid velit et quid aestimet: et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos (provinciales) sufficere ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit. Responderunt Episcopi: quae dicta sunt placuerunt ».

Ut sensum canonum clare assequaris, adverte quoad 1^m olim eam consuetudinem exstitisse, ut cum Episcopus damnatus in Synodo Provinciae audiri rursus postularet, ad alios iudices se convertere potuisset: Concilium vero Antiochenum statuisse canone 12. ut deberet *se convertere ad maius Episcoporum Concilium* et quae putaverit habere iusta *plurimis Episcopis suggerere* eorumque discussiones ac iudicia praestolari. Cuiusmodi vero erat istud maius Concilium? Zaccaria (*Antifeb.* p. 2. l. 3. c. 3.) ait fuisse coactum ex Episcopis vicinarum provinciarum, quos Metropolitanus Episcopi damnati convocabat, ut in secunda instantia iudicarent. Idque probat ex canone Antiocheno 14. (De vi Canonum huius Synodi cf. Fratres Ballerinios oper. s. Leonis tom. 3. p. 1. c. 4. §. 2.): « Si quis episcopus de certis criminibus iudicetur et contingat de eo provinciales Episcopos dissidere, cum iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis: pro totius ambiguitatis solutione sanctae Synodo placuit, ut metropolitanus Episcopus a vicina provincia (ἐπαρχία) iudices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul et per provinciales (τῆς ἐπαρχίας) Episcopos quod iustum visum fuerit approbetur ».

Atqui legenti hunc canonem evidens est ibi non agi de hypothesi quod sententia iam lata sit a provincialibus Episcopis in prima in-

stantia et Episcopus damnatus aliud iudicium petat, in quo rursus causa sua iudicetur in secunda instantia; sed agi de alia prorsus hypothesi, nempe quod in iudicio primae instantiae Episcopi provinciales dissentiant et propter dissensum nequeant ferre sententiam et ita intellexit Hadrianus I. et antiquus epitomator graecus (cf. Schelstrate Sacr. Conc. Antiochenum in h. l.). Nec videtur posse praecipi simpliciter, ut priores iudices iudicent rursus simul cum secundis, quod tamen dicendum foret praeceptum, si ad hanc alteram hypothesim canon 14. pertineret. Hac animadversione nolumus dicere, quod falsa sit sententia Zaccaria, nimirum secundam Synodum, quae in secunda instantia iudicaret, coactum fuisse ex Episcopis finitimarum provinciarum, sed tantum quod ea sententia canone illo 14. non probatur, quem solum Zaccaria expresse citat. Ceterum ea sententia certe probatur per alterum canonem Sardicensem allatum: ibi enim dicitur Episcopus depositus *iudicio Episcoporum qui in vicinis locis commorantur:* porro huiusmodi iudicium non potuit iure esse in prima instantia, cum evidenter id metropolitano eiusque concilio competeret. Erat ergo secundum iudicium quod instituebatur, cum reus bonam causam se habere putaret. Igitur iudicium in secunda instantia ex vicinis Episcopis alterius provinciae cogebatur.

Porro Synodus Sardicensis canone priore quoad iudicia Episcoporum haec statuit: 1° Quod si quis Episcopus habet litem contra alium Episcopum eiusdem provinciae, neuter ex iis vocet iudices ex alia provincia Episcopos; sed in prima instantia iudicent Episcopi provinciales. 2° Si in iudicio provinciali aliquis Episcopus damnatus fuerit, isque existimet se habere bonam causam ut iterum iudicium fiat, ii qui iudicarunt, scribant ad Romanum Pontificem, qui si censuerit renovandum esse iudicium, destinet iudices, a quibus renovetur: si vero censuerit non opus esse causam rursus iudicari, valeat quod ipse decreverit. 3° Id Patres Sardicenses statuere se dicunt, ut B. Petri memoria honoretur.

Itaque *a)* hic non est sermo de appellatione ad Romanam Sedem; non dicitur: *Si reus appellaverit ad Pontificem*, vel *quod possit appellare:* et sane si hypothesis appellationis ageretur, non iudices, sed reus, aut ipse certe scribere deberet ad Romanum Pontificem. Agitur ergo ea hypothesis tantum quod Episcopus causa cadens in prima instantia postulet aliud iudicium. Hoc alterum curae erat metropolitano qui a finitimis provinciis Episcopos vocabat: Sardicenses autem statuunt, hoc alterum iudicium committendum esse curae Romani Pontificis, cuius sit 1° iudicare, an oporteat iudicium instaurare, 2° dare iudices, si putat renovandum iudicium. Iam vero primum non poterat

praestari a Pontifice nisi causa cognita; huius ergo notitia referenda erat ei a Synodo provinciae quae iudicaverat: alterum est actus superioris iurisdictionis nec limitatae, ita ut debuerit hos vel illos iudices assignare, puta Episcopos provinciae vel finitimos, sed illimitatae: *det iudices* inquiunt, nempe quos ipse velit. Versio quidem graeca habet « et per propinquos provinciae Episcopos, si opus sit, iudicium renovetur et cognitores ipse (R. P.) praebeat », ut scilicet in potestate sit Romani Pontificis eligere ex vicinis Episcopis, quos velit, et ita secunda synodus adunetur ex vicinis Episcopis: quod canoni sequenti congruit.

Huiusmodi autem decretum statuens ut pro secundo iudicio scribatur Romano Pontifici, ipseque decernat an sit habendum et si censet, det iudices, aliquid novi constituit: quae quidem novitas non est posita in iure aliquo concesso Romano Pontifici, sed in exercitio iuris, quod exercitium necessarium non est et prius non exstabat; est tamen maxime conveniens iuribus Primatus. Scilicet Romanus Pontifex propter Primatum iurisdictionis in omnes Episcopos iure divino ipse est iudex Episcoporum: et cum iure divino non sint in Ecclesia nisi Episcopi et Romanus Pontifex successor Petri in Primatu, ceterae autem dignitates Metropolitanorum, Patriarcharum etc. sint iure tantum ecclesiastico, quod a Romano Pontifice pendet nec ius eius divinum limitare potest; ipse Romanus Pontifex iure divino est iudex Episcoporum etiam in prima instantia. Verum institutis iam ad initio Patriarchis et Metropolitanis deinde iisque vocatis in partem sollicitudinis, quam circa Episcopos gerit successor Petri, his datum est, ut in suorum Episcoporum Concilio causas Episcopi in prima instantia iudicarent; secundum vero iudicium haberetur a finitimis Episcopis vocatis a metropolitano. At Sardicenses statuunt ut huius alterius iudicii dispositio permittatur Romano Pontifici, qui ius, quod a Christo habet, libere quoad illud exerceat. Novam fuisse legem huius disciplinae liquet tum ex eo quod prius ea non compareat, tum ex verbis quibus proponitur: *Si vobis placet, s. Petri memoriam honoremus.* Eaque disciplina admodum rationabiliter est inducta. Romanus enim Pontifex ratione sui Primatus potest vicinos Episcopos vel alios cogere ut iudicium instaurent eisque auctoritatem superiorem vere impertiri: quae quidem facere non poterat metropolitanus, qui in aliena provincia iurisdictionem non habebat; sed solum poterat petere et invitare: iurisdictionem vero alieni Episcopi a lege vel consuetudine obtinebant.

Diximus novam fuisse legem huius disciplinae et fuit nova tantum quoad hunc specialem casum, ut iudices secundos daret Pontifex ipseque decerneret, an renovandum esset iudicium, necne. Ceterum iam

antiquitus canon et consuetudo exstabat, ut in causis Episcoporum, saltem praecipuarum sedium, sententia ultima a Romano Pontifice ferretur. Ita Iulius I. ad Orientales in causa Athanasii, Marcelli Episcopi Ancyrae, Asclepae Episcopi Gazae, qui ab Arianis depositi fuerant: « Nam si, ut dicitis, in culpa fuerunt, oportuit *secundum canonem* et non isto modo iudicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis (Synodo Romanae) ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur. Episcopi enim erant, et non vulgares Ecclesiae, quae ista patiebantur; sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerunt. Cur igitur et in primis de alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? *an ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod iustum est definiri possit?* »

Coroll. Errant ergo qui putant heic novum ius conferri a Synodo Pontifici; nam ius, cuius exercitium heic decernitur, divinitus inest Romano Pontifici, sicut cetera iura Primatus; idque significare Patres Sardicenses censendi sunt cum aiunt: *b. Petri memoriam honoremus*, si credendum est eosdem perspectas habuisse praerogativas divinitus collatas Petro. Si enim res ita se habebat, ut certe se habuit, honor delatus memoriae b. Petri in eo est situs, ut exercitium sui iuris synodali iudicio declaretur et vindicetur. Errant proinde qui censent heic primum ab Ecclesia concessum esse Pontifici ius recipiendarum appellationum et tale ius ei idcirco competere non ex institutione divina, sed ecclesiastica: errant, inquam, quia, praeter dicta, in hoc canone de appellationibus ne verbum quidem: frustra proinde sunt et inepti, qui ut illud ius divinum negent, provocant ad ea verba *b. Petri memoriam honoremus,* quibus aliquid novi statui significetur.

In secundo canone distinguenda est pars narrativa a parte dispositiva. Ea complectitur speciem casus seu factum quod supponitur, circa quod suffragium ferendum non versatur: haec docet quid in eo casu faciendum sit. Porro ad partem narrativam haec spectant: nimirum quod aliquis Episcopus depositus iudicio Episcoporum vicinorum proclamet, agendum sibi negotium in urbe Roma, sive appellet ad Romanum Pontificem. Pars dispositiva haec est, quod post appellationem eius, alter in eius cathedra omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani terminata. Iam vero ex hac simplici canonis inspectione haec liquent. 1° Agitur heic de Episcopo deposito in secundo iudicio, quod a vicinis Episcopis habebatur. 2° Cum mentio disciplinae appellationum spectet ad partem narrativam canonis, circa quam deinceps Patres Sardicenses aliquid statuunt, et cum tamen non statuant licere appellationes, sed illud tantum quod eo iure supposito consequens est; patet supposuisse Patres, quod citra quoque ullum eorum decre-

tum ius haberent Episcopi appellandi Romam iusque haberet Roma excipiendi eorum appellationes.

Patres quidem Sardicenses ratum habuerunt hoc ius; nam *a)* qui a iudicio in secunda instantia depositus est, post appellationem suam ad Romanam Sedem, non iam dicitur depositus, sed *qui videtur esse* depositus: *b)* tribuunt appellationi effectum suspensivum, ut sententia praecedens non adducatur in praxim: *c)* causa nondum finita dicitur, sed terminanda a Romano Pontifice, *d)* terminanda vero in iudicio Episcopi Romani, h. e. in eius tribunali. Atqui haec est professio vere dictae appellationis, iuris nempe quod habent Episcopi appellandi ad Romanam Sedem iurisque quod habet Romanus Pontifex recipiendae appellationis, quae sit appellatio proprie dicta, non sola potestas concedendi revisionem causae. Nam termini in propria significatione sunt accipiendi, praecipue cum leges seu canones conduntur et maxime si sint termini legales: porro huiusmodi est *appellare*, cuius significatio in foro civili notissima erat. Praeterea appellatione interposita, causa iudicanda erat in ipso tribunali Romani Pontificis, vel ius ad id ipse habebat; dicitur enim: « nisi causa fuerit *in iudicio Episcopi Romani determinata* » et, « proclamaverit *agendum sibi negotium in urbe Roma* »: iudicium ergo Romae instituebatur. Episcopus ergo Romanus iudicabat, non tantum mittebat iudices delegatos qui in loco prioris iudicii causam agnoscerent et iudicarent. Tandem Romanus Pontifex in suo iudicio poterat irritare sententiam priorem; haec enim est ratio cur ille depositus appellabat, et haec est ratio cur prohibeatur ne alius interea ordinetur: per sententiam autem Romani Pontificis causa terminabatur. Atqui hi sunt characteres proprii appellationis: ergo ius verarum appellationum recipiendarum vigebat in Romano Pontifice ante Concilium Sardicense cunctisque Ecclesiis notum erat huiusque iuris non auctores sed testes sunt Patres Sardicenses (a).

Dices: in lectione graeca huius canonis desunt ea verba, *appellationem* et *in urbe Roma*. Respondeo, 1° quod canones latine sunt editi: 2° et si ea verba desint, sensus tamen est idem. Ait enim: « si quis Episcopus... dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Episcopus causa cognita sententiam tulerit ». Causa ergo cognoscenda a Romano Episcopo, ab eo sententia ferenda, ante hanc nihil innovandum: negotium ergo defensionis competens reo erat provocatio ad iudicium Romanae Sedis ad eamque appellabat qui hanc defensionem sibi competere dicebat.

(a) Eodem pacto Balsamon canones istos interpretatur, hoc unum contendens, quod privilegia veteris Romae competant modo et novae.

In tertio quoque canone distinguenda est pars narrativa a dispositiva. Prior est, si episcopus iudicatus fuerit in Synodo provinciae suae et depositus fuerit atque appellaverit et confugerit ad Romanam Sedem. Ex quibus verbis liquet, agi heic alteram hypothesim a praecedente. Heic enim agitur de appellatione quae interponatur post primum iudicium; sermo est enim de sententia lata ab *Episcopis regionis ipsius* h. e. provinciae Episcopi depositi, quod erat iudicium in prima instantia. Ex ipsa indole rei et structura sermonis patet iudicem, ad quem appellare is dicitur, esse Romanum Pontificem: « si appellaverit qui deiectus est et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae »; nam iudex appellationis significandus erat, ut deinceps certi aliquid super ea specie facti posset constitui: verba autem: *ad Romanae Ecclesiae Episcopum,* ad utrumque verbum *confugerit* et *appellaverit* per se referri possunt, ac per alterum verbum *confugerit* ipse scopus appellationis significatur, ad se tuendum scilicet ab iniusta sententia. Quod quidem confirmari potest lectione graeca quae actionem unam pressius significat: καὶ ὥσπερ (a) ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπι κ. τ. λ. et veluti appellans confugerit. Ineptum porro est contendere, ibi de proprie dicta *appellatione* sermonem non fieri, quia dicitur *veluti appellans*, non simpliciter *appellans*, ac si proprie non appellet, sed aliud simile appellationi faciat. Nam particula ὥς vel ὥσπερ (quae significationes omnes τού *ut* latini habet) non habet tantum sensum, ut ita dicam, *approximativum*, sed et *reduplicativum*, vel *identitatis*, ut perinde sit ac *quatenus, quippe qui:* εἰ ὥς ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ si quatenus appellans confugerit, seu si confugerit, quippe qui appellaverit: nimirum, si appellando confugerit. Hunc vero certum sensum subesse iis verbis et ex lectione originali latina liquet et ex collatione cum canone praecedente liquere potest.

Iam vero ut intelligatur quid Patres Sardicenses constituerint, recolendum est, moris tum fuisse ut secundum iudicium a Synodo finitimorum episcoporum institueretur; quamvis autem esset in potestate Romani Pontificis iudicare in secunda instantia sicut etiam in prima: huiusmodi tamen ordo ut a tribunali immediato ad immediate superius appelletur, utilis est et rectus, atque a lege tum civili tum canonica constitutus. Est ergo ratio sufficiens, cur Romanus Pontifex hunc ordinem servari velit. Porro in hac specie casus qui a iudicio primae instantiae ad Romanum Pontificem appellaret, saltum faceret, praeter-

(a) In iure graecorum edito a Cardinali Pitra tom. 1° pag. 404., lectio codicum, excepto uno Parisiensi, est ὅσπερ; qua lectione constructio non admodum plana videtur: sensus tamen non mutatur.

misso tribunali proxime superiore. Hinc quoniam eam consuetudinem, quam canone primo ad meliorem quoque formam reduxerant, abolere nolebant, sequentia statuunt, quae satis sunt clara. In quibus illud praesertim advertendum est, quomodo nempe loquantur; nihil enim *imperative* dicunt, sed consilium suum proponunt, relinquentes Pontifici totius rei arbitrium: « Scribere his episcopis *dignetur... erit in potestate Episcopi* (Romani) qui velit et quid aestimet... *erit in suo arbitrio... faciet quod sapientissimo suo consilio iudicaverit* ». Haec autem loquendi ratio testimonium est persuasionis totius illius Synodi, quod nullam ipsa haberet potestatem coactivam in Romanum Pontificem et esset in potestate eiusdem aliter ac ipsi consulebant agere ac causam per se ipsum, praetermisso secundo iudicio episcoporum finitimorum aliorumve, Romae iudicare.

Porro ex his constat, a Patribus Sardicensibus 1° tanquam testibus nos certiores fieri consuetudinis praecedentis et iuris Romanae Sedis tum appellationes recipiendi, tum iudicandi causam appellantis in suo tribunali: 2° ab iisdem tanquam iudicibus decretis suis idem ius confirmari. Horum certe canones citabat Gelasius, cum aiebat ep. 4. « Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiae ad huius Sedis examen voluere deferri ». Hoc ius recipiendi appellationes et per se iudicandi in causis huiusmodi, non secus ac convocandi Synodos oecumenicas, etsi Patriarchae dissentiant, defendit in Concilio florentino adversus graecos Eugenius Sess. 25.

Hactenus explicata si advertisset Hincmarus Remensis, turbulentus homo et quo arrogantior in subditos eo irreverentior in Romanum Pontificem, non ita hos tres canones esset interpretatus, ut Romanus Pontifex appellationem episcopi excipiens non deberet causam ipse iudicare Romae, sed iudices dare qui in provincia iudicarent (Opusculo 55. capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem episcopum c. 5.). Quasi vero verba secundi canonis, quem Hincmarus recitat ut nos recitavimus, clara non sint et tertius canon, quo abutitur, ad eamdem speciem facti spectet ac secundus, ita ut iste per illum sit enarrandus atque in tertio canone aliquid statuatur, quo Romanus Pontifex obligetur.

III. Et sane ante Concilium Sardicense Episcopi ad Romanam Sedem appellarunt ibique causa cognita et sententia lata fuit a Romano Pontifice. Ad appellationis factum quod spectat quaestio est an appellaverit Romam Athanasius aliique episcopi cum eo, qui plura iniuste passi erant ab Eusebianis. Appellasse Athanasium dicit Liberatus Diaconus scriptor sec. 6. in *Breviario* c. 18. inquiens de Ioanne Talaia quod « sumptis synodicis litteris Romanum Pontificem Simplicium appella-

vit, sicut b. fecit Athanasius ». Verum concedendum arbitramur, quod si forma iudicialis ratio habeatur, non videatur vera fuisse appellatio. Nam 1° appellatio est ad superiorem a sententia iudicis inferioris, cuius auctoritas aliquo modo admittatur et sententia acceptetur. Secus autem si inferioris iudicis nulla ratio habeatur et postea ad superiorem recurratur ut ipse causam iudicet, vera appellatio locum non habet: atqui hoc altero modo se gessit Athanasius, qui Synodi Tyriae iudicium non admisit nec eius sententiae ullam rationem habuit, at postmodum vocatus a Iulio Romam confugit. 2° Qui appellat ipse est qui provocat ad iudicium superioris: atqui in hac causa non ipse provocasse Athanasius videtur, sed vocatus fuit a Iulio (« non suo motu sed accersitus ac litteris nostris acceptis huc accessit ». Iulii epist.), postquam hic litteras ab Eusebianis acceperat, quibus illi postulabant Synodum cogi Romae et ipsi Iulio arbitrium causae deferebant (Cf. Athanasium *Apologia cont. Arianos* n. 20. Iulii epistolam ad Eusebianos n. 2. et 20. Theodoretum H. E. l. 2. c. 4°). Quamvis vero legati Synodi Alexandrinae ipsiusque Athanasii, qui litteras Synodicas Romam tulerant, quas ad omnes Episcopos Synodus ea misit, ut nefaria facinora Arianorum nota facerent, postulaverint Synodum fieri Romae quod iam legati Eusebianorum petierant (Athanasius l. c.); tamen id non probat Athanasium proprie appellasse, tum quia ea petitio videtur facta postquam Eusebiani arbitrium causae detulerant Iulio, in idem sponte consentientibus aliis, tum quia aliud est, ut diximus, appellare, aliud postulare iudicium penes legitimum et iustum iudicem, quod tunc factum fuit.

Attamen etsi forma propria appellationis defuerit, si id quod gestum est consideretur, dicendum est, Iulium ius exercuisse proprium eius, qui appellationes a iudiciis Episcoporum recipere potest atque sententiam ab eo latam fuisse aequivalentem sententiae in causa appellationis. Etenim ius appellationis recipiendae in eo est quod sententia ferri possit post aliorum sententiam de eadem re, quod cogi possint iudices priores se sistere cum reo iudici secundo, quod hic possit rescindere et irritare sententiam priorem. Quod vero reus vel appellet, vel vocatus veniat, id non minuit ius superioris iudicantis, sed solum mutat modum instituendi iudicii. Porro ea omnia praestitit Iulius in causa Athanasii aliorumque Episcoporum et sententia Iulii lata in sua Synodo efficax ex se fuit, ut primum docent nos Patres Sardicenses in epistola ad Ecclesiam Alexandrinam, aientes quod « aequitas iudicii fratris et coepiscopi nostri Iulii liquido apparuit, qui non temerario consilio, sed cum debita accuratione sententiam tulit, adeo ut nihil sit dubii de communione fratris nostri Athanasii relictum ». Tum docent Socrates et Sozomenus:

ille l. 2. c. 15. « Porro Athanasius post diuturnos labores aegre tandem in Italiam pervenit... Eodem tempore Paulus quoque Constantinopolis Episcopus, Asclepas Gazae etc. in urbem regiam adventant. Ubi cum Iulio Romanae Urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, *quae est Romanae Ecclesiae praerogativa*, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, singulis sedes suas restituens simulque perstringens illos, qui supradictos Episcopos temere deposuissent ». Et Sozomenus l. 3. c. 8. de eadem re: « Episcopus igitur Romanus, quum *singulorum causas cognovisset* omnesque consentientes Nicaenae Fidei comperisset, in communionem recepit. Et *quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat,* suam cuique Ecclesiam restituit ». Negat Henricus Valesius ad locum Socratis citatum et negant Maurini editores (in Admonitione ad Apologiam citatam) factam unquam reapse a Iulio restitutionem Athanasii in suam sedem. Verum nonne ipse Iulius in epist. ad Eusebianos testatur se habuisse Athanasium ut verum Episcopum ac habere, post causam discussam? Quid porro hoc erat, nisi iudicare ipsum esse Alexandriae legitimum Episcopum nullamque rationem habendam esse intrusi Gregorii? Id porro est tantundem ac ei suam sedem restituisse; neque enim de materiali restitutione agebatur, neque is unquam vel aliqua specie iuris, sed solum per vim deturbatus ab ea fuerat. Recte proinde Socrates et Sozomenus actum Iulii sunt interpretati.

Ante Athanasium eiusque in appellatione socios alii quoque appellarunt Romam. Omittimus Marcionem, Privatum Lambesitanum et Fortunatum pseudoepiscopum, de quibus confer Zaccaria *Antifebb.* p. 2. l. 3. c. 2., hi enim forte vere non appellarunt. Nam ad Marcionem quod spectat, etsi fides potius habenda sit Epiphanio (h. 42.) quam Tertulliano (*de Praescript.* c. 35.); non satis liquet ipsum appellasse. Ipse quidem, postquam propter flagitium ab Episcopo Sinopis pulsus est ab Ecclesia et poenitentiam obtinere non potuit, confugit ad Ecclesiam Romanam: verum ratio confugiendi potuit esse multiplex. Etenim potuit confugere appellationis causa, ut sententia Episcopi sui retractaretur: potuit etiam confugere, ut communionem et locum presbyterii, quem in sua ecclesia amiserat, in alia ecclesia, cui ignotum esset suum crimen et quidem in praecipua Ecclesia obtineret. Id enim identidem factum esse, ut aliquis a suo Episcopo excommunicatus, ad alium confugeret eiusque communionem peteret atque etiam obtineret, liquet ex canone 5. Nicaeno et 16. Sardicensi, qui id rursus vetuerunt. Porro hoc aliud est ac appellare. Sane clerus Romanus (vacabat tunc sedes) negans ad sui communionem recipere Marcionem, hanc rationem reddidit: « nobis iniussu venerandi Patris tui (episcopus enim erat eius

Pater) facere istud non licet: una siquidem fides est et animorum una consensio ». Quod si de appellatione actum esset, vel non negassent se posse eam excipere, vel negantes hanc dedissent forte rationem, quia Episcopus Romae non erat. Idem vere intendisse videtur Privatus Episcopus, qui a Synodo depositus Romam legatum misit, « qui furto et fraudulenter litteras a nobis elicere curaret » ait Clerus Romanus ad Cyprianum epist. 30., litteras nempe communionis petebat, sed furto et fraudulenter: at si appellasset, rem totam plane aperire debuisset, de quibus criminibus accusatus, quam sententiam tulerit. In negotio quoque Fortunati appellatio non satis liquet. De ea a Cypriano epist. 55. nunquam fit sermo nec de iterando a Romano Pontifice iudicio, sed tantum de litteris quas Felicissimus, qui Fortunati causam agebat, Romam tulit, quibus criminationes contra Cyprianum continebantur: quare Cyprianus et criminum Fortunati eiusque sociorum ac suae innocentiae in ea epistola probationes affert. Vide Pamelium in hanc epistolam.

Verum his omissis, certa est appellatio duorum episcoporum Hispaniae ad Stephanum probata ab ipso Cypriano. Cum enim Episcopi Basilides et Martialis in Synodo, et quidem *a legitimis iudicibus* depositi fuissent fuissentque his substituti Felix et Sabinus, ii ad Romanum Pontificem Stephanum confugerunt; qui ipsis auditis eorumque causa cognita, eos suis sedibus restitui iussit. Porro haec est vera appellatio a iudicio legitimae Synodi ad tribunal Romani Pontificis, qui causam ipse cognovit sententiamque tulit. Factum narrat Cyprianus epist. 68. ad eas Ecclesias Hispaniae, quae Basilidem et Martialem eiecerant. Porro audita sententia Stephani, illae Ecclesiae per Felicem et Sabinum litteras Cypriano dederunt, ut ipse iustam pariter ac necessariam sollicitudinem eorum vel solatio vel auxilio suae sententiae sublevaret. Quid vero praestitit Cyprianus? convocata Synodo lectisque iis litteris, quibus plura et ingentia crimina Basilidis et Martialis referebantur, censuit cum suis episcopis illos iuste depositos esse nec amplius habendos esse ut episcopos ac legitime esse ordinatos Felicem et Sabinum. Subdit autem: « Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest quod Basilides post crimina sua detecta et conscientiam etiam propria confusione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum et gestae rei ac tacitae veritatis ignarum fefellit (forte ipse Cyprianus deceptus a Felice et Sabino fuit), ut exambiret reponi se iniuste in episcopatum, de quo fuerat iure depositus. Hoc eo pertinet ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata eius etiam fallaciae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam

hic execrandus qui fraudulenter obrepsit ». Scilicet hoc unum notat Cyprianus *vitium obreptionis*, quo sententia nulla est, non ipsam appellationem; quam profecto praecipue improbasset, si ius aut consuetudo non ferebat, ut Romanus Pontifex sententias Synodorum suo iudicio irritaret et damnatorum appellationes exciperet. Imo appellationem probat; qui enim notat vitium obreptionis, supponit et cogitat iudicem esse legitimum illum ad quem recursus fit: obreptio enim et subreptio proprie habent locum penes iudicem et superiorem.

Haec quidem sufficiant: monendum est enim quod, cum pauca veteris aetatis munimenta supersint, non sunt plurima ex huiusmodi factis postulanda. Nihilominus testes certos habemus huius antiquae consuetudinis. Etenim eam testatur Leo M. in controversia cum s. Hilario Arelatensi, Epist. 10. (cf. hac de re Fratres Ballerinios Operum S. Leonis tom. 2. ad dissertationem 5^{m} Quesnelli): « Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestrae etiam provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam et per diversarum, *quemadmodum vetus consuetudo poscebat* (non heic citantur canones Sardicenses, sed *consuetudo* eaque *vetus*), appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse iudicia ». Augustinus quoque tamquam rem notissimam tradit, ius Romano Pontifici fuisse ante Nicaenam Synodum iudicandi per se ipsum causas Episcoporum iam alibi damnatorum (Epist. 43. n. 7.): « Posset (Caecilianus) conspirantem multitudinem inimicorum non curare, cum se videret et Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus... per communicatorias litteras esse coniunctum, *ubi paratus esset causam dicere*, si adversarii eius ab eo illas ecclesias alienare conarentur ». De subsequentibus appellationibus Chrysostomi, Euthychetis, Flaviani, Theodoreti lege Fratres Ballerinios l. c. ad Dissertationes Quesnelli 8^{m} 9^{m} 10^{m}.

Opponunt quidem adversarii quaedam facta, quibus Episcopi videntur restitisse huic iuri Romanae Sedis et contendisse ex se firmas esse et immutabiles sententias synodorum Metropolitani vel Primatis vel Patriarchae; sed ea expendemus thesi XX.

IV. Constat itaque ius Romani Pontificis excipiendi ex toto orbe appellationes. Hactenus quidem videmur in argumento historico tantum locuti de Episcopis appellantibus: sed et inferiores clericos ceterosque fideles appellare posse manifestum est. 1° Quidem quia par est ratio; nam auctoritati Primatus immediate subsunt omnes fideles eorumque iudices; 2° quia si episcopi appellare possunt, deficit principium adversariorum, quod sententiae Synodorum sint immutabiles; at si hae

immutabiles non sunt, multo minus immutabilis erit sententia unius Episcopi, a quo clericus vel laicus damnetur; poterit ergo ab hoc iudicio et a iudicio Synodi appellari ad Romanum Pontificem. Fieri quidem poterit ut propter certas rationes id prohibeatur lege aliqua, quae vim suam ab auctoritate Pontificis obtineat: sed ius ipsius negari nequit. 3° Etiam quoad appellationes cleri inferioris testimonia exstant in antiquitate. Sane huc spectat interpretatio ab Innocentio I. adhibita canoni 16. Sardicensi, et Canoni 5. Nicaeno, qui sic habet: « De his qui a communione segregati sunt, *sive clericorum sive laicorum sint ordinis*, ab Episcopis qui sunt in quavis provincia, valeat sententia secundum canonem (cf. canonem apostolicum 13.), qui pronuntiat eos qui ab aliis eiecti sunt, non esse ab aliis admittendos: examinentur autem numquid vel pusillanimitate vel contentione vel aliqua eiusdem episcopi acerbitate, e congregatione sint pulsi. Ut hoc ergo convenienter fiat, recte habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis synodi fiant etc. » Haec autem ita Innocentius I. enarret epist. ad Victricium Rothomag. « Si quae causae vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortae, ut, secundum Nicaenam synodum, congregatis eiusdem provinciae Sacerdotibus iurgium terminetur. Nec alicui liceat (verba sequentia exceptiva a quibusdam reiiciuntur ut apocrypha, sed absque sufficiente ratione) *sine praeiudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias ». Scilicet ii canones non prohibent clericos confugere ad Romanam Sedem; imo ius ea habet in omnibus causis excipere eos qui ad se recurrunt. Quia vero in canone nicaeno sermo est quoque de laicis, quoad hos quoque valet interpretatio Innocentii. Ita Caelestinus a Concilio Africano appellavit ad Zosimum, qui causam cognovit sententiamque definitivam tulit (cf. epist. eius 10.). Item appellavit Eutyches archimandrita ad Leonem M., ut ex huius epistola ad Flavianum evidenter liquet. Pariter Gregorius M. appellationem excepit Ioannis presbyteri Chalcedonensis eumque absolutum ad Episcopum Ieiunatorem remisit (epist. I. 6. ep. 15.). Cf. de hac re Zaccaria l. c. Christianum Lupum *de Appellationibus Romanis Operum* tom. 8. et 13., et David opus exquisitissimum maximoque cum fructu legendum editum Parisiis ann. 1671. *Des jugemens canoniques des Evesques*, adversus recentes doctrinas plurium auctorum et praecipue Illustrissimi de Marca.

V. Oportet tamen et heic quoque quasdam ex ratione et auctoritate petitas expedire difficultates. Aiunt primo rationi congruum esse ut ibi iudicium instituatur, ubi delictum patratum est, ubi testes reperiri

possunt. Verum 1° id ratio exigit ideo ut notitia rei per testes haberi possit: atqui haec notitia non deest in tribunali Pontificis ad quem appellatur; ea enim obtineri debuit in primo iudicio Episcoporum, cuius omnia acta referri debent, posita appellatione, ad Romanum Pontificem: ad quem et testes et accusatores praeterea vocantur. 2° Non infrequenter ratio vel aequitas docet ut reus abstrahatur a potestate eorum qui eum damnarunt et iudicetur in loco ubi hi nihil per vim possint; non enim raro contigit, ut metropolitanus aliquis vel coepiscopi ex inordinata affectione sententiam iniquam tulerint eamque voluerint vi aut timore incusso tueri. Quod nos docet Gregorius M. epist. l. 6. epist. 24. ad Metropolitanum Ravennae, cum quidam de eius clero clamitassent: « contra leges et canones esse, ut inter ecclesiam eius et Claudium Abbatem causa Romae examinari et iudicari debeat ». Ait enim querelam illam esse contra ecclesiasticum ordinem « praesertim *quia nec causa illic dici posset, ubi se praedictus Abbas a Decessore vestro quaestus est iniustitiam pertulisse et ex ea hactenus laborare.* Hoc enim poterat fortasse opponi, si non ad maiorem recurreret et apud eum meritum causae suae peteret terminari. Numquid non ipse nosti, quia causa, quae a Ioanne presbytero contra Ioannem Constantip. fratrem et Coepiscopum nostrum orta est, secundum canones ad Apostolicam Sedem recurrit et nostra est sententia definita? »

Affertur deinde auctoritas Cypriani, qui, ut ait De Marca (Concord. l. 7. c. 1.) edisserit iura Episcoporum uniuscuiusque provinciae, quae in eo versantur, ut ad eos pertineat discussio iudiciumque causarum et regimen gregis, rationem administrationis suae Deo reddituros neque licere Romam aliove appellare. En verba Cypriani ex epist. 55. ad Cornelium de Fortunato et Felicissimo: « Nam cum statutum sit omnibus nobis et aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare nec Episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores haberi et testes sui criminis possint... Iam (anno superiore) causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est, nec censurae congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi ». Haec vero afferuntur a De Marca, ut probet Episcopos non posse Romam appellare.

Ut sententia Cypriani intelligatur, advertunt generatim eruditi legem exstitisse in Africa, ut presbyteri ceterique inferiores clerici, si de iudiciis suorum episcoporum questi fuerint, a vicinis episcopis audirentur

et si ab eis appellare voluissent, appellarent ad universale Africae concilium, non vero ad transmarina iudicia h. e. Romam. Haec lex iustis ex causis constitui poterat, nec ulla est ratio, si ea lex tunc exstabat, cur dubitemus, eam ante Cyprianum in aliquo concilio Africae, probante Romano Pontifice, ad quem acta Synodi referebantur, constitutam esse nec arbitrari licet, Cyprianum hoc statutum voluisse Cornelio in defensionem sui allegare, si conditum fuisset sine auctoritate Romanae Sedis. Eadem lex instaurata fuit in Conc. Carthaginiensi an. 419. can. 34° relataque in Codicem Ecclesiae Africanae. Haec porro lex, aiunt, propria erat Africanorum: cf. Lupum, tom. 8. dissert. 2. c. 17. ut ex ipsis verbis Cypriani intelligere licet; ait enim: « cum statutum sit omnibus nobis », nempe non est statutum pro universa Ecclesia, sed pro nobis Africanis omnibus. Ipsa autem lex non episcopos sed inferiores respiciebat (confer Observationes FF. Ballerinior. ad Dissert. 5. Quesnelli Oper. Leonis t. 2.).

Iam vero Fortunatus, qui ab haereticis, tenente Cypriano cathedram Carthaginiensem, superordinatus fuerat Episcopus Carthaginiensis, non habebatur et merito a Cypriano ut Episcopus, gaudens scilicet auctoritate et iuribus episcoporum, sed solum ut presbyter; unde eum semper vocat *pseudoepiscopum*. Hinc si iudicium rursus experiri ipse vellet contendebat Cyprianus vi illius canonis, ut ad Concilium Africae se conferret, non ad iudicium transmarinum. Verum si ita se res habuit, ex his nihil inferri potest contra ius Romani Pontificis recipiendi appellationes Episcoporum, neque contra ius eiusdem recipiendae appellationis inferiorum: lex enim propria alicuius loci, constituta propter speciales rationes illius loci, probata a Romano Pontifice qui sponte cedit exercitio alicui suae potestatis propter bonum commune illius regionis (quod exercitium, ut ex ipsa rei natura intelligitur, resumendum esset, cum bonum commune id postularet et Pontifex vellet, quemadmodum deinceps factum est in causa Apiarii), nihil detrahit iuri ipsius Pontificis. Haec eruditorum responsio quoad illum canonem quem urgere dicitur Cyprianus, sufficientissima est, in hypothesi quod quaestio fuerit de secundo iudicio quod Fortunatus appellando doluisset experiri Romae.

Verum ratio est, cur dubitemus, hanc hypothesim veram esse, et proinde etiam cur dubitemus statutum ad quod provocat Cyprianus esse illud, cuius eruditi mentionem faciunt. Etenim, ut ex ipsa Cypriani epistola liquet, res ita se habuit. Fortunatus quidem a Synodo damnatus propter schismaticam ordinationem, quam ab haereticis susceperat, attamen ipse nondum se stiterat iudicio Episcopi sui Cypriani in cuius Ecclesia presbyter erat, ut, si vellet, accusationes refelleret seque tueretur. Id ipse Cyprianus testatur: « quia conscien-

tiam suam norunt, nec nos audent adire aut ad Ecclesiae limen accedere ». Hinc subdit: « si iudicium nostrum voluerint experiri, veniant ». Nondum ergo Felicissimus et Fortunatus experti erant iudicium Cypriani h. e. eius tribunal adiverant causamque suam apud eum egerant. Quare cum dicuntur a Cypriano damnati *causa cognita*, cognitio haec causae fuit ipsa notorietas delicti, schismatica usurpatio potestatis episcopalis: neque Cyprianus negat posse eam sententiam rursus ad examen vocari, cum paratum se dicat ad instituendum rursus iudicium; sed dicit eam non esse reprehendendam mobilis atque inconstantis animi levitate; quod est prorsus aliud. Adhuc ergo agebatur de primo iudicio, in quo reus simul cum accusatoribus audiretur suamque causam defenderet. Porro hoc est quod Cyprianus contendit, si hi improbi audiri volunt, causam suam defendant ubi crimen admissum est, ubi accusatores haberi et testes sui criminis possint. Loquitur ergo Cyprianus de iudicio primae instantiae, cui reus se sistere deberet.

Id autem ubique statutum erat, ut primum apud Episcopi tribunal reus, si reus esset presbyter, vel Synodi provinciae, si reus esset Episcopus, audiretur. Huiusmodi igitur est statutum, ad quod Cyprianus provocat. Et sane aequitas et iustitia, quam Cyprianus illi statuto vindicat, non habent locum nisi pro iudicio primae instantiae. Ait enim 1° aequum esse et iustum ut illic causa uniuscuiusque *audiatur* (non dicit: *terminetur*) ubi est crimen admissum: 2° quod singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. Atqui prima ratio valere quidem potest pro iudicio primae instantiae, at pro sequentibus nescio an sit aliquis iuris peritus, non excepto De Marca, qui illam admittat (cf. dicta superius). Et sane si ea ratio valeret pro omnibus iudiciis, nec licuisset alicui presbytero longinquae dioecesis appellare ad Synodum universalem Carthaginiensem. Quod si eo se conferre poterant accusatores et testes, cur non poterant Romam? Discrimen tantum erat temporis et expensarum. Altera vero ratio difficilis sane est, nisi de iudicio primae instantiae intelligatur. Singuli pastores sunt Episcopi: Christianus Lupus quidem interpretatus Patriarchas vel Primates, utique autocephalos, cuiusmodi erant tres Exarchi: sed ratio huius limitationis non apparet; cum Cyprianus licet esset Primas Africae, non esset tamen Primas autocephalus, ut Patriarchae et Exarchi; sed subiectus potestati patriarchali Romani Episcopi, qui erat Patriarcha totius Occidentis: unde mentio Primatuum autocephalorum nihil iuvabat Cyprianum. Singuli ergo pastores sunt, ut frequenter Cyprianus loquitur, Episcopi: at ea verba *rationem sui actus Domino reddi-*

turus, quid sibi volunt? an, ut vellet De Marca, exclusive accipienda sunt, h. e. *Domino soli?* sed in hac hypothesi neque ad vicinos Episcopos et ad universalem Africae synodum licuisset appellare. Si autem non exclusive accipienda, sed et suis superioribus Episcopi rationem sui actus reddere debent; quomodo inde colligitur, causas presbyterorum Africae per Episcopos africanos finiendas esse? nonne eorum ipsiusque Primatis superior erat Romanus Pontifex? An voluit dicere Cyprianus dubitandum non esse de iustitia Episcoporum in sententiis ferendis, cum ii regant gregem suum tanquam reddituri Domino rationem suae gubernationis? eodem enim sensu loquitur paulo inferius Cyprianus: « nobis tamen, *a quibus ratio Domino reddenda est,* anxie ponderantibus et sollicite examinantibus etc. » Id quidem probabile magis est: ut haec sit sententia Cypriani: non debere eos, quibus Episcopi praesunt, circumcursare sive alios quaerere iudices *praetermissis suis Episcopis,* quod quidem fit cum iudicium eorum in prima instantia evitatur; quia singulis portionibus gregis Episcopus est praepositus, qui ius proinde habet iudicandi et de cuius sententiae aequitate nefas est dubitare. Verum haec reverentia debita legitimis et honestissimis iudicibus non impedit ius appellationis ab eorum iudiciis ad iudicium superioris. Nihil est ergo quod in his Cypriani verbis impetat appellationes romanas. Neque ex his verbis constare potest exsistentia eo tempore illius canonis, quo prohibebantur inferiores clerici ab appellationibus transmarinis; ad has enim statutum, quod Cyprianus refert, non spectat.

Obiicitur et illud quod canone 5. Nicaeno superius descripto praecipitur, ac si prohibitum foret ad alios iudices extra provinciam ideoque et ad Romanum Episcopum appellare. Sed duo prorsus diversa sunt distinguenda. Aliud est enim legitimum iudicem superiorem recipere subditi appellationem et iudicii ordine servato sententiam ferre: aliud est episcopum quemlibet recipere in sua communione subditum alienum excommunicatum. Istud vero non illud prima parte huius canonis cavetur. Altera vero pars praecipit quidem causas ad Synodum Provinciae deferri; sed 1° ibi sermo est de causis inferiorum clericorum et laicorum: 2° non dicit canon iudicium illud esse supremum. Innocentius vero I. legitimus canonum interpres ait intelligenda ea esse sine *praeiudicio Romanae Sedis,* quemadmodum supra attulimus. Eo canone primum abusi videntur Ariani Antiochiae adunati contra Iulium I. (cf. Sozomenum l. 3. c. 9.) eosque sequuntur De Marca l. 2. c. 2. aliique.

Obiicit idem De Marca ibid. can. 15. Antiochenum. « Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab *omnibus* Episcopis eiusdem provinciae *cunctique consonanter* eandem contra eum

formam decreti protulerint: hunc apud alios nullo modo iudicari, sed firmam *concordantium* Episcoporum provinciae manere sententiam ». Unde consequens esse vult De Marca sententiam Synodi provinciae in causa Episcopi inappellabilem esse. Verum idem De Marca advertit, canone 12. eiusdem Synodi Antiochenae statui, quod Episcopus damnatus a Synodo provinciae possit ad maiorem Synodum provocare: quae quidem ipsi videntur contraria. Sed nulla est oppositio. Canon 15. nectendus est cum 14.: in hoc praecipitur ut si in Synodo provinciae Episcoporum vota non conveniant, ita ut nequeat sententia ferri, metropolitanus vocet episcopos vicinos, ut possit aliquid definiri in prima instantia: canon vero sequens statuit e contrario quod si concordes sunt omnes Episcopi provinciae in ferenda sententia, alii episcopi non vocentur pro iudicio primae instantiae. Sed sicut non negatur appellatio ad maiorem Synodum, de qua in can. 12. quamvis de ea heic mentio non fiat, ita nec negatur appellatio ad Romanum Pontificem, sive eius Synodum, quae certe est maior Synodo provinciali. (Cf. Schelstrate op. cit.).

Perperam rursus idem De Marca ibid. provocat ad canonem 2. Conc. Constantip. 1. ubi dicitur: non invitati Episcopi ultra Dioecesim accedere non debent super ordinandis aliquibus vel quibuscumque disponendis ecclesiasticis causis, servata regula, quae suprascripta est de unaquaque Dioecesi. Manifestum namque est quod per singulas quoque provincias Synodus provincialis administrare et gubernare omnia debeat, secundum ea quae sunt Nicaeae definita ». Quibus posterioribus verbis non dicitur Synodum provincialem esse supremum et inappellabilem iudicem in suis sententiis ferendis, sed ad eam non ad Episcopos alterius provinciae spectare provinciae administrationem. Canon editus est contra Episcopos Vagantes, et sicut non excludit auctoritatem Primatus aut Patriarchae supra Synodum Provincialem, imo in praecedente parte canonis eam significat, ita neque excludit auctoritatem Romani Pontificis. Ceterum canon est editus tantum a graecis, nec olim receptus, sicut nec alii illius Concilii, a Sede Romana.

Idem De Marca parum sibi constans postquam docuit Synodos provinciales inappellabiles esse, praerogativam hanc tribuit Synodis Patriarchalibus, ad quas proinde appellari potest, quo destruitur statuta praerogativa Synodorum provincialium. Provocat De Marca (ibid. c. 5.) ad canonem VI. Concilii Constantinop. I. quod idcirco (nonne mirum?) utramque rem constituisset.

Consideranti canonem liquebit ipsum neque id praecepisse quod vult De Marca, neque aliquid statuisse contra canones Sardicenses. Pars canonis, quae ad nos spectat, haec est: « si nonnulli (quos licet

accusare) dicant se habere aliquas adversus episcopum criminationes, eos iubet s. Synodus primum quidem apud Provinciae episcopos accusationem persequi, et apud eos probare crimina episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. Quod si evenerit ut provinciales episcopi crimina, quae episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad maiorem Synodum Dioecesis illius episcoporum pro hac causa convocatorum. » Prohibet deinde ne ad Imperatorem res deferatur.

Atqui 1° non negant Patres Constantinopolitani Episcopum damnatum a maiore Synodo posse appellare Romam, seu non dicunt sententiam illius Synodi esse supremam et inappellabilem: 2° neque in huius canonis constitutione locus erat sermoni de appellatione; non enim in eo agitur quid liceat reo, sed quid debeat praestare accusator: neque agitur de hypothesi, quod episcopus damnatus velit audiri in alio iudicio, sed de hypothesi quod episcopi provinciales non sint pares corrigendis criminibus, quorum accusatur episcopus. Unde 3° neque opponitur hic canon canoni Sardicensi primo ex citatis, qui iubet arbitrio Romani Pontificis rem permitti; id enim praecipitur in ea hypothesi quod prolata prima sententia a Synodo provinciali, ipse reus petat audiri in alio iudicio.

Provocat quoque (ibid.) ad canonem 9. Chalcedonensem, in quo praecipitur « quod si adversus eiusdem provinciae metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatum Dioeceseos, aut Sedem regiae urbis constantinopolitanae, et apud ipsam iudicetur. » Hic canon editus est in ea sessione, in qua editus est quoque 28. de privilegiis Sedis Constantinop. (Cf. David op. cit. c. 3. a. 4.) et ad eundem scopum spectat; Episcopo enim Constantinopolitano, quem praeferre voluerunt ceteris Patriarchis in Oriente, hanc quoque praerogativam detulerunt, ut causae contra quosvis metropolitanos, praetermissis propriis Primatibus, apud ipsum agerentur. Iam vero 1° Canon editus videtur absque consensu Apostolicae Sedis, quae illum probare non potuit; etenim cum Leo irritaverit canonem 28., et eos quoque irritasse dicendus est, qui cum illo necessario cohaerebant. Imo 2° constat Leonem nullum disciplinarem canonem probasse sed positive improbasse. Epist. 114[m] ad Episcopos Concilii ait, se « per approbationem gestorum Synodalium propriam cum illis inivisse sententiam *in sola videlicet fidei causa, quod saepe dicendum est.* » Et epist. 119[a] ad Maximum Antiochenum « Si quid sane ab his fratribus quos ad s. Synodum vice mea misi, praeter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, *nullius erit penitus firmitatis* ». Ceterum (quoniam hic canon 9. receptus in collectione Dionysiana est

et haec ab Adriano 1° tradita in usum Ecclesiae Gallicanae) in hoc canone iudicium primae instantiae conceditur quidem Episcopo Constantinop. praetermissis propriis Primatibus Orientis: sed non negatur ab eo posse appellari ad alium, h. e. ad Romanum Pontificem. Christianus Lupus (l. c.) censet hoc in canone non agi de omnibus clericis aut episcopis cuiusque Patriarchatus, qui omisso iudicio sui Patriarchae possint adire Episcopum Constantinop. sed de clericis et Episcopis trium dioeceseon, super quas iura Patriarchica conferre voluit Synodus Episcopo Constantinop. Cetera futilia et inepta, quae congerit De Marca videantur confutata penes eundem David l. c.

Febronius c. 5. §. 6. contra appellationes Romanas adducit monumenta antiquitatis: nempe 1° est Novella 122. Imperatoris Iustiniani, qui enumerans instantias iudiciorum ecclesiasticorum, mentionem facit Synodi Episcopi et Synodi provincialis atque patriarchalis, cuius sententiae nullam partem contradicere valere decernit, nulla mentione facta Romani Pontificis. Verum, omisso quod in hac re non est testis idoneus Iustinianus, qui frequenter iura sacerdotii sibi arrogavit, respondemus cum David c. 3. a. 5. et Natali Alexandro H. E. sec. 4. d. 27. p. 3. agi ibi de causis civilibus quorum cognitio Episcopis demandata vel permissa erat. 2° Concilium provinciale Lugduni habitum an. 567. quod praecipit, ut si lites inter Episcopos exstiterint, contenti sint iudicio sui Metropolitani; si autem sit diversarum provinciarum, conveniant ambo Metropolitani et communi sententia fratrum res iudicetur. Respondemus: ergo contra omnes veteres canones secundum et tertium iudicium Episcopis denegatur, cum altum sit de iis silentium in hoc canone? quod si silentium non aequivalet negationi, cur dicitur negatum ius appellandi Romam? Scilicet episcopi in ea Synodo decernunt ea tantum quae ad ipsos spectant, iura nempe episcoporum provinciae in suos subditos, ceteris, quae ad universalius Ecclesiae regimen spectant, permissis superiori auctoritati. Idem respondendum ad canonem 6. Concilii Francofurti, qui eandem exhibet sententiam. 3° Ex 70. capitulis, quae anno 785. Adrianus I. tradidisse dicitur Engelramno, vel vicissim hic illi, capitulum 12. habet, quod prudentissime iustissimeque nicaena sive africana decreta definierunt quaecumque negotia in suis locis ubi orta fuerint finienda: cum praesertim liceat omnibus, qui se gravatos putant ad Synodum provinciae atque etiam ad universalem provocare. Respondemus capitula illa commentitia esse, illiusque hominis esse probabiliter mercem, a quo collectio Isidoriana est profecta (David. c. 15., a. 1.); ideoque falso tribui Adriano et nullius esse auctoritatis. Ceterum inter ea plura sunt quae Primatum Romani

Pontificis iusque appellationis apertissime tuentur; quod conqueritur De Marca l. 7. c. 20.

Coroll. Ex dictis hactenus videre est, quo in pretio sit habendus *Codex Ecclesiae universalis* editus a Iustello homine protestante, tamquam codex quo vetus Ecclesia uteretur. Desiderantur in eo canones, qui vigebant certe in Ecclesia vetere, sunt e contrario canones plures, quos olim Romana Ecclesia non recepit (David. c. 2.).

VI. Potestas mittendi quocumque legatos nexa est essentialiter cum potestate *immediata suprema* regendi omnes fideles et pastores. Potestatem enim Romanus Pontifex habet immediatam in omnes fideles quoad omnia; porro ipse potestatem suam potest delegare aliis, qui ipsum repraesentent suaque vice immediatam potestatem exerceant, longinquis provinciis praesentiam quodammodo Romani Pontificis impendentes (Leo ep. 14ª c. 1° ad Anastasium Thessalon.). Id enim insitum est iuri potestatis cuiusque ordinariae, ut possit delegari. Nec ulla fit iniuria Episcopis; potestas enim Romani Pontificis immediata et ipsa est et Episcopali maior ac necessaria magis; quae potestatem Episcopalem non destruit, sed sibi subordinat. Sicut ergo componitur potestas Episcopi cum potestate Romani Pontificis, ita illa componitur quoque cum potestate legati Pontificis, quae est ipsa potestas Romani Pontificis alteri delegata actu se exercens per medium. Usus porro horum legatorum a necessitate sive utilitate eorundem determinatur. Hinc seculo XI. adeo frequens fuit; cum enim a tot Episcopis et Metropolitis simoniae vel incontinentiae labe pollutis exspectanda non esset reformatio Cleri et populi, opus fuit ut Romanus Pontifex suos mitteret legatos, quibus res strenue agenda committi posset. Sed et prioribus Ecclesiae seculis viguit huiusmodi usus. Sane Concilio Arelatensi non oecumenico praefuit Silvester per suos legatos (Cf. Baronium an. 314. n. 51.). Item Osius in Oriente pluribus Conciliis provincialibus tanquam legatus Romanae Sedis praefuit: nec enim alio iure praeesse potuit. « In qua enim Synodo (ait de eo Athanasius in *Apologia de fuga sua*) ille non dux et antesignanus fuit... quae Ecclesia illius praesidentiae non pulcherrima monumenta retinet? » (Cf. Baronium an. 319., n. 22. 25. seq.). Liberius quoque legatos Vincentium et Marcellum misit ad Constantium, qui cogerent Aquileiae concilium (ibid. an. 353. n. 16.). Hinc iam a 5° seculo ineunte ut vetus Ecclesiae disciplina habebatur institutio Vicariatus Apostolicae Sedis concessi quibusdam Episcopis, ut Thessalonicensi iam ante seculum 5ᵐ, deinde aliis ut Tarraconensi, Arelatensi etc., quo servatis privilegiis Metropolitanorum, vices Apostolicae Sedis cum iurisdictione alicui delegabantur ut sive ea quae ad Canones pertinent, sive ea quae ab Sede Apostolica

erant mandata servarentur. In his autem instituendis vicariatibus Romanus Pontifex non se gerebat ut Patriarcha Occidentis, sed ut successor Petri, et totius Ecclesiae Episcopus, ut patet ex epistolis Innocentii I. Bonifacii I. Sixti III. ac Leonis M. ad Episcopos Thessalonicenses, vel ad omnes Episcopos Illyrici datis. Cf. Ludovicum Thomassini *Vetus et nova disciplina* etc. P. I. l. 1. cc. 30. 51. et Responsionem SS. D. N. Pii VI. ad Metropolitanos... super nunciaturis apostolicis c. 8., sect. 3. Et ne longiores simus, potestas haec mittendi legatos asserta est Romano Pontifici a Patribus Sardicensibus in iis canonibus, quos iam explicavimus: ergo.

THESIS XVIII.

Forma proinde regiminis Ecclesiae iure divino est monarchica.

I. Forma regiminis socialis triplex olim distingui solebat, *monarchica, aristocratica, democratica:* additur nunc et ea quae *constitutionalis* seu *repraesentativa* audit, quae est quoddam temperamentum monarchiae et democratiae. In hac enim suprema auctoritas legislativa est praecipue saltem penes delegatos a populo, potestas autem *exsecutiva* legum penes Regem eiusque ministros. Quaeritur qualis sit forma regiminis a Christo instituti in Ecclesia.

Itaque ut doctrinam catholicam tueamur, praemittimus 1° notionem formae regiminis Ecclesiastici non a priori fingendam, non ex analogia aliarum societatum derivandam, sed ex Christi positiva et libera institutione desumendam esse. 2° Putandum non esse, Christum potestate eâque suprema instruxisse subiectum illud, quod ex ipsius Christi institutione nunquam valeat vel ullum actum potestatis eiusdem exercere; potestas enim datur propter actum et ad nullum actum sive ad nihil nulla est potestas. 3° Cum de forma ecclesiastici regiminis quaestio fit, sermonem esse de ea forma, cuius subiecta visibilia sunt parsque illius societatis quae eo regimine gubernatur. Neque enim ex eo quod quaevis societas Deo monarchae subest, forma regiminis cuiusque societatis est monarchia. Sed in ipsa societate visibili, visibilis forma regiminis esse debet.

Iam vero ex illis tribus recensitis formis nequit una simul cum alia esse *formaliter* in eadem societate: quamvis *virtualiter* una cum alia attemperari possit; verum ab ea forma regimen sive politia societatis denominatur, quae formaliter inest. Porro regimen democraticum dupliciter concipi potest in societate: 1° *radicaliter*, quatenus (secundum quorundam sententiam) suprema potestas sit radicaliter seu secundum originem in ipsa societate: 2° *Formaliter*, quatenus actu exerceatur

ab ipsa societate. Ad hoc alterum vero necesse est, ut suprema potestas sit actu penes universam societatem quae leges sanciat, quae magistratus omnes instituat, quos iudicare et punire pro culpa possit. Est autem forma aristocratica, cum potestas regendi est penes optimates, atque ita ut optimates ex aequo participes sint iurisdictionis, ita ut quamvis inter illos honoris gradu aliquis praecellere possit, nemo tamen sit, qui prae ceteris iurisdictione polleat aliosque subditos sibi habeat. Est tandem forma monarchica, si *a)* unus universae reipublicae praesit et ipse *b)* potestatis plenitudine gaudeat, *c)* magistratus reliquos obnoxios habeat, *d)* iudicare ipse omnes possit et a nemine iudicari, *e)* ipsi tanquam principio totius unitatis socialis omnes, qui in societate esse velint bonisque societatis frui, adhaerere et subesse teneantur. Si haec adsint, forma regiminis nequit esse nisi monarchica: licet non omnia ad eam necessaria sint. Quare non est opus, ut qui praeest praefecturas omnes seu magistratus in societate suo arbitrio statuere et abolere possit, vel ut neque ab universa societate (loquimur generatim de monarchia) certis in adiunctis iudicari possit; si enim aliquis sit ordo magistratuum, quem neque ipse constituerit neque abolere possit, dummodo priora illa quinque maneant, habebitur quidem temperamentum quoddam ex aristocratia adhibitum monarchiae, at regimen erit nihilominus formaliter monarchicum.

II. Atqui forma regiminis a Christo in Ecclesia constituti non est actu democratica. Id iam demonstravimus in Proleg. §. 10. Neque est *radicaliter* democratica, quemadmodum docuit Abulensis Episcopus Tostatus, qui quaestione 48. in c. 15. Mumer. docet, quod multitudo non habet iurisdictionem; quia haec secundum actum nequit cadere in communitatem, sed in personam determinatam; exigit enim actus, ut iudicare, imperare, qui determinatam personam requirunt. Contendit tamen quod *iurisdictio secundum originem et secundum virtutem est in communitate;* quia omnes personae accipientes iurisdictionem, ex virtute communitatis accipiunt. Haec intellecta de societate naturali permitti possunt. At transferens sermonem ad potestatem clavium q. seq. docet pariter, quod *Ecclesia claves habet secundum originem et virtutem, praelati autem habent secundum usum earum; Ecclesia autem non habet eas quantum ad usum.* « Omnia autem, ait, ista descendunt ex hoc quod Ecclesia non est aliquid unum per se, potens habere administrationem clavium, ideo illas alteri commendat; si autem posset per se administrare, non committeret alicui praelato ».

Quanta in his philosophia! Quomodo enim probas, quod Ecclesia secundum originem habet potestatem clavium? verba Christi ipsaque natura potestatis id tantum persuadent, potestatem nempe datam esse

in bonum et utilitatem Ecclesiae; quod est prorsus aliud (Proleg. §. 12.). An id supponis ex essentia cuiusque societatis? Verum pronum est haec advertere: 1° quod quamvis verum esset, quod in societate politica naturali potestas suprema sit radicaliter et originarie in ipsa societate, perperam tamen supponitur idem valere in Ecclesia, quae est societas supernaturalis, divinae positivae liberae institutionis; nullum enim a natura ius habent homines ad bona supernaturalia ideoque ad supernaturalem potestatem, cuiusmodi est ecclesiastica, et ad ea, quae ex illa profluunt beneficia. 2° Ut homines adunati recte et legitime regantur, non est per se opus, ut potestas regentium sit radicaliter in societate: potest enim ea a Deo, a quo tandem est omnis potestas, communicari immediate moderatoribus societatis. Quare nisi *positivis argumentis* probetur Deum universae Ecclesiae primario contulisse potestatem supremam, nunquam aliquid efficietur. Positiva autem argumenta non solum desunt pro hac theoria adstruenda, sed prostant evidentia pro contraria sententia. Ceterum huiusmodi radicalis potestas suprema in societate, quae per se componi potest cum quavis actuali forma regiminis, irrationabiliter supponitur, cum ipsa nunquam potest venire ad actum, cum nempe nunquam fieri potest ut universa societas democratice repraesentata aut mutet formam actualem regiminis, aut leges condat, aut magistratus constituat. Atqui certum est nunquam id fieri posse in Ecclesia; nunquam enim poterit (supposita successione in Primatu, quam et adversarii supponunt) aboleri ab Ecclesia potestas Petri, nunquam lex aliqua valebit, vel aliquis in Ecclesia iurisdictionem habebit nolente Petro. Ergo.

III. Neque forma regiminis a Christo in Ecclesia constituti est aristocratica, secundum quam nempe supremae potestatis subiectum est coetus quidam τῶν ἀρίστων constans ex paribus quoad auctoritatem. Nam, ut demonstravimus, non est par potestas concessa omnibus Apostolis, ratione etiam habita potestatis extraordinariae: sed unus Petrus ceteris Apostolis est praelatus, qui primatum iurisdictionis in ipsos quoque haberet. Nec aliquid pro regimine aristocratico colligitur ex verbis Christi ad omnes Apostolos Matth. XVIII. 18.; quorum sensum iam in prima thesi explicavimus. Inutilis porro est quorundam animadversio, quod nempe quamvis Petro prius dixerit Christus *Tu es Petrus* etc. haec tamen promissio fuit; Apostolis autem collata potestas est hoc loco prius quam Petro Ioan. XXI. Nam et verba Christi ad Apostolos Matth. XVIII. promissoria sunt, sicut eiusdem ad Petrum XVI. *Quaecumque solveritis erunt soluta* etc. *Quodcumque solveris erit solutum* etc. Ex eo vero quod postquam omnes Apostolos miserit Christus Ioan. XX., Petrum pastorem universalem constituit, merito infertur

nova et speciali dignitate et auctoritate prae Apostolis Petrum honestari.

Arguunt quoque ex eo quod Matth. XVIII. 12. supremum tribunal a Christo constitutum sit Ecclesia, h. e. coetus pastorum; *Dic Ecclesiae.* Ecclesia enim est aliquis coetus, qui non potest esse heic nisi coetus Episcoporum. Si autem hi supremum tribunal constituunt, regimen Ecclesiae est aristocraticum.

Verum est quod in hac obiectione dicitur vel supponitur, quod nempe Ecclesia hoc in loco non sit fidelium simplicium coetus; est enim ibi manifestus progressus a privata plus minus correptione ad correptionem publicam, quae nempe publica auctoritate fiat, quod tunc fit cum ad publicum Ecclesiae tribunal, sive ad eos qui in Ecclesia publicam potestatem habent, reus defertur. Dicitur ergo Ecclesiae, cum auctoritati publicae Ecclesiae dicitur. Cum ergo publica potestas Ecclesiae non sit penes populum, *dicere Ecclesiae* ibi non est dicere omnibus fidelibus adunatis, sed dicere ii vel iis, qui in Ecclesia praesunt. Unde Ecclesiae nomen heic fit potestati publicae eius. Ergo ne Ecclesia est coetus Episcoporum? Respondeo Ecclesiam heic non esse definite coetum Episcoporum, sed, ut diximus, potestatem publicam in Ecclesia, quae potestas, quemadmodum in aliis societatibus, potest ipsius societatis nomine designari. Haec vero potestas vel ab uno Episcopo, vel a pluribus aut omnibus simul cum suo capite, vel a solo capite, quamvis non ab his omnibus cum eadem perfectione, exerceri potest; nihil tamen de his determinatur heic a Christo, sed ipse indefinite loquitur. Nomine ergo *Ecclesiae* designat Christus potestatem publicam in Ecclesia; utrum autem competat vel uni seorsim, an pluribus simul, an inter hos sit aliquis, cui potissimum competat, aliis vero sub ipso, heic Christus non definit; quare hic locus opportunus non est ad formam regiminis Ecclesiae determinandam. Divinat porro Gerson l. c. cum dicit verba Christi: *si peccaverit in te frater tuus... dic Ecclesiae*, dicta esse Petro nominatim, ut exinde concludat Petrum nomine Ecclesiae non venire; neque enim posset dicere sibi. Sed locutio Christi est indefinita omnesque alloquitur instruitque Christus in discipulis fideles omnes, quomodo correptio facienda sit.

Arguunt etiam ex Act. XVI. 6. 22. seq.; Synodus enim ab Apostolis et senioribus simul habita est; eiusque decretum Apostolis et senioribus simul tribuitur. At satis constat monarchiae non repugnare quod negotium aliquod in communi procerum conventu et consilio statuatur totiusque conventus nomine a Principe, licet dispari ratione, decretum edatur. Quare ex agendi ratione huius synodi nihil pro forma aristocratica colligi potest. Et sane quis ambigat Apostolos praecelluisse

senioribus? hi tamen simul cum iis decernere exhibentur; poterat ergo et Petrus omnibus praecellere (cuius rei indicium est ipsum primum dixisse sententiam et quaestionem solvisse) et tamen una cum Apostolis et senioribus rem communem tractare decretumque edere omnium nomine inscriptum.

IV. Forma regiminis ecclesiastici a Christo instituta est monarchica. Constat enim ex dictis, unam esse personam cui suprema potestas competat in Ecclesia, Petrum nempe eiusque successores ipsumque unum obtinere plenitudinem potestatis ac praeesse omnibus immediate, praeesse omnibus sive singillatim sive collective sumptis; atqui haec est forma regiminis simpliciter monarchica: ergo.

Neque huic regimini monarchico obest illud temperamentum ex aristocratia petitum situmque in institutione Episcoporum: non enim ii sunt pares quoad iurisdictionem Pontifici, nec simul sumpti ei praestant, nec eorum iurisdictio impedit plenitudinem potestatis Pontificis. Remanet ergo regimen simpliciter monarchicum cum quodam temperamento aristocratiae, ut non sit in potestate Pontificis hanc potestatem ordinariam Episcoporum abolere.

Dices rectam regiminis formam in societate humana postulare, ut omnis auctoritas non sit penes unum aut eosdem: sed alii habeant potestatem legislativam, alii iudicialem, alii exsecutivam. Respondeo, si de suprema potestate sermo est, id non esse ex ipsis rerum naturis, imo supremam auctoritatem per se esse unam, omnesque functiones regiminis veluti in fonte continere. Utrum vero conveniat uni quoque personae illam supremam plenamque auctoritatem inesse, id ex adiunctis diiudicandum est, cum licet societati determinare sibi formam sui regiminis. At cum de divina institutione agitur, si constat Deum supremam auctoritatem uni contulisse, nulla amplius restat quaestio. Ceterum nullum Ecclesiae damnum sequi ex hac Christi institutione iam in superioribus satis declaravimus.

Quid ergo voluit dicere Cyprianus *de Unit. Eccl.* inquiens: « Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur »? Noluit profecto negare quod immediate superius in eodem contextu sermonis dissertissime affirmavit, Christum constituisse unam cathedram ut unitatem manifestaret et *unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuisse,* atque *Primatum Petro datum esse* ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur *et super cathedram Petri fundatam esse Ecclesiam.*

Itaque Cyprianus heic affirmat Episcopatum unum esse sicut affirmat Ecclesiam esse unam; locutus enim de unitate Ecclesiae subdit: « quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime Episcopi, qui in

Ecclesiae praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur ». Idem habet epist. l. 2. de Cornelio et Novatiano: « cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus etc. ». Itaque sicut una est Ecclesia, ita unus est Episcopatus, h. e. una auctoritas quae Ecclesiam regit: quamvis enim plures sint huius auctoritatis participes, quia tamen hi una conveniunt unumque coetum constituunt, unus est reapse Episcopatus sicut una est Ecclesia ex multis membris coalescens. Uniuntur autem Episcopi propter cathedram Petri, quae est origo unitatis et super quam fundata est Ecclesia; ergo unitas Episcopatus asserta a Cypriano non excludit, sed imo supponit Primatum Petri. Cur ergo dixit: « cuius a singulis in solidum pars tenetur? » nempe cuius singuli participes sunt *in unitate*, seu *in unitatem coeuntes;* non quod singuli sint pastores universales: cum idem ad Cornelium ep. 55. dixerit « singulis pastoribus portionem gregis esse adscriptam, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus ». Interpretationem hanc a nobis traditam de unitate Episcopatus ne dum phrasis patitur, sed totus contextus unam exigit; in quo de unitate eiusque necessitate disseritur. Porro quod omnes Episcopi participes sint Episcopalis auctoritatis res est evidens; non dicit autem Cyprianus quod omnes eodem modo participes sint et certe ipse Cyprianus Episcopus Carthaginiensis quandam specialem auctoritatem sibi vindicabat super Episcopos Africae: cum autem superius praedicaverit Primatum Petri eumque originem esse dixerit unitatis, iam virtute affirmavit eam Episcopalem auctoritatem competere Petro, quae, quin excludat consortes in Episcopatu, sit tamen Primatui conveniens.

Perperam vero ad defendendam haeresim richerianam ad Augustinum provocatur. Ipse enim, aiunt, pluries id docet quod monuit in Psal. CVIII. « Sicut quaedam dicuntur quae ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referentur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in discipulos habuit: sicut est: tibi dabo claves segni caelorum, et si qua sunt eiusmodi ». Et in Lib. *de Agone Christiano* c. 30. « Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiae catholicae personam sustinet Petrus. Huic enim claves regni caelorum datae sunt, cum Petro datae sunt: et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me: pasce oves meas ».

At contra: 1° repraesentatio Ecclesiae, quam gerit Petrus, est re-

praesentatio iuridica propria Regis, seu capitis societatis: repraesentat enim *propter primatum quem in discipulos habuit.* 2° Ecclesiae datas esse claves dupliciter intelligi potest: *a)* propter bonum Ecclesiae; hoc quidem verum est, sed, ut iam ab initio vidimus, id nihil iuvat richerianos: *b)* ita ut Ecclesia sit subiectum potestatis: hoc autem rursus dupliciter accipi potest; nempe α) ut immediate et prius Ecclesiae universae vel pastorum coetui datae sint claves et per Ecclesiam Petro: β) ut Petro datae sint claves ita ut semper deberent esse in Ecclesia, h. e. datae sint Petro non ut persona privata erat, aliquando moritura, sed ut erat persona iuridica in successoribus suis semper duratura: ideoque datae sint Petro claves ut eas semper Ecclesia in Petro et successoribus suis habeat, atque in aliis quibus communicantur a Petro. Porro secundus hic sensus, non prior, intentus est ab Augustino; qui a doctrina eiusdem de Primatu Petri alibi et heic quoque dissertissime tradita flagitatur. Atque hic est *illustris intellectus,* quem habent verba Christi, quae non privilegium alicuius privatae personae, sed munus et potestatem publicam in bonum perenne Ecclesiae manifestant. Habet ergo Ecclesia claves, quia Petrus pars eius praecipua, sive caput, eas accepit adhibendas pro Ecclesia et communicandas ceteris. Ratio vero cur Augustinus hanc declarationem frequenter urgeat, fuit haeresis Novatianorum, qui contendebant, Petro ut privatae personae datas fuisse claves easque cum eo desiisse; ideoque non esse amplius in Ecclesia potestatem clavium.

Ergo per potestatem Petro collatam Christus monarchici regiminis formam in Ecclesia constituit et quidem ita, ut non tantum voluerit exercitium potestatis supremae esse penes unum (caput ministeriale), eadem potestate exsistente in universa Ecclesia; sed ut uni Petro ipse Christus immediate contulerit potestatem supremam, ceteris autem participationem eiusdem non nisi per Petrum et dependenter a Petro.

Ergo divinam institutionem Ecclesiastici regiminis prorsus non intellexerant qui sec. XV. aetate Concc. Constantiensis et Basileensis contendebant, auctoritati Synodi generalis subiiciendum esse Romanum Pontificem easdemque generales Synodos certo quovis temporis spatio in perpetuum celebrandas esse. Id enim proprium est societatum, quarum plena potestas sit penes plures, vel prorsus omnes cives vel optimates saltem.

THESIS XIX.

Perperam contra hactenus statuta de iurisdictione Romani Pontificis argumenta petuntur vel ex dignitate Christi, vel ex defectu continuitatis Romanorum Episcoporum, vel ex reiecto a s. Gregorio M. titulo Episcopi oecumenici, *vel ex hierarchica subordinatione, vel ex aliquorum Patrum quibusdam sententiis.*

I. Solvenda sunt quaedam argumenta adversariorum, quae urgentur contra doctrinam statutam in praecedentibus Thesibus. Aiunt enim: 1° Christus etiamnum caput est et principium efficiens unitatis Ecclesiae: non ergo opus est Romano Pontifice ad hunc effectum: ipseque Romanus Pontifex membrum est huius corporis, cuius Christus est caput. Praeterea 2° deficiente Romano Pontifice etiam per plures annos, manet Ecclesia una eademque ac prius. 3° Gregorius M. reprobavit et reiecit titulum *Episcopi universalis;* non est ergo talis Episcopus Romanus et proinde non habet iurisdictionem immediatam in universam Ecclesiam. 4° Subordinatio hierarchica postulare videtur ut inferiores immediate subsint mediis, hi immediate supremis; quod si fideles immediate subsint pluribus h. e. Episcopo et Papae, confusio regiminis exsistet. Et re quidem vera, 5° Deus non confert potestatem cuius exercitium est impossibile; atqui nequit Romanus Pontifex omnes fideles immediate regere: ergo. 6° Cyprianus in Conc. Carthag. 3. in causa rebaptizationis negat quemquam ex Episcopis esse Episcopum episcoporum: Hieronymus vero epistola 101. ad Evangelum inquit, quod « ubicumque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli etc. eiusdem meriti et eiusdem est Sacerdotii ». Sixtus autem III. ad Episcopos Illyricos scribit quod « ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem et vigorem suum perdit et non tenet, quam habuerat dignitatem »: ergo.

II. Iam vero ad 1^{m}. *a)* Satis responsum est in doctrina praestituta in Thesi 12. Christus enim solus est principium efficiens unitatis per influxum seu gubernationem interiorem: verum et gubernatio exterior requiritur et exterius proposita norma credendi et agendi, ad quam sequendam promovet Deus interius per gratiam suam mentes et voluntates; porro huius gubernationis exterioris, per quam socialis unitas obtinetur, Christus principium est per suum Vicarium; ergo.

b) Iam declaratum est Th. 12. quomodo Romanus Pontifex et membrum sit et sit quoque caput Ecclesiae corporis Christi. Nec ex eo quod pars est Ecclesiae sequitur ipsum toti Ecclesiae non praeesse; non enim cum dicitur praeesse toti Ecclesiae intelligitur *caput et reli-*

quum corpus, sed reliquum corpus tantum, cuius Romanus Pontifex est caput. Pars est ergo intrinseca totius corporis Ecclesiae Romanus Pontifex; sed pars eminentior, h. e. caput ceteris membris praesidens: membrumque, si vis, est, sed membrum illud, quod dicitur *caput*.

Ad 2^m^ advertenda sunt haec. 1° Ecclesiae regimem, cum inter homines sit, custodiri non posse nisi humano modo, nisi velit Deus subsidium per miracula praestare, quod alienum est ab eius ordinaria providentia. Porro 2° ut regimen monarchicum in societate perseveret, necesse non est ut perennitas monarchae sit *physica*, sed sufficit *moralis* h. e. ut morali modo, prout inter homines solet et fieri potest, exsistente subinde aliqua interruptione, pergat esse aliquis monarcha in societate. Necesse vero est 3° ut forma regiminis monarchici perennis sit *physice*, h. e. necesse est ut semper perseveret ea forma regiminis quae propria est monarchiae, licet, pro diverso statu eiusdem, alio et alio modo. Si enim haec forma desinit, alia forma regiminis succedet, cum aliquam esse oporteat, si societas manet; si autem alia vel aristocratica vel democratica forma succedit, cessat simpliciter monarchia. Ut ergo regimen monarchicum in societate perseveret, forma huius regiminis, licet diverso modo pro diverso statu societatis, sive vivente sive defuncto monarcha, durare semper debet. Id autem quomodo fiat, intelligi poterit ex demonstratione, quam mox damus, probaturi eam formam monarchici regiminis perseverare semper in Ecclesia etiam defuncto Pontifice.

Sane 4° defuncto Pontifice *a)* potestas suprema regendi neque in toto Ecclesiae corpore, neque in Episcopis reperitur; habetur *b)* necessitas electionis Romani Pontificis, ut ea potestas exsistat in Ecclesia; unde *c)* nequit eo tempore aliquod dogma definiri, nequit ulla lex proprie dicta, quae nempe iam ex se sit perpetua, stabiliri; sed *d)* munus, quod tunc Ecclesiae incumbit, est electio Pontificis: neque *e)* potest ulla lex lata aut confirmata a Romano Pontifice tunc abrogari; sed Ecclesia tunc quoque regitur eo iure quod statutum est a Romano Pontifice. Potestas quidem *f)* Episcoporum manet, quia etsi a Pontifice sit, ea tamen ordinaria est, muneri episcoporum annexa, idque exigitur a bono Ecclesiae: est tamen potestas subordinata adhuc potestati Vicarii Christi, quia est potestas ex se incompleta, insufficiens gubernationi Ecclesiae, exigens potestatem capitis, a quo secundum Christi institutionem Episcopi regantur. Nimirum obligatur adhuc societas lege instituente Primatum, huius necessitas in societate exsistit et Ecclesia est quidem adhuc corpus, sed corpus visibile acephalum, et ideo unum adhuc est, quia potestas qua regitur est potestas quae a Pontifice dimanavit, et quae adhuc subordinatur potestati Primatus et ipsum exigit, imo hoc exigitur ab universa societate. Haec omnia constant ex

probatis de Primatu iurisdictionis eiusque collatione immediate et directe facta Romano Pontifici.

Atqui haec regiminis forma non est democratica, neque aristocratica; tunc enim plena potestas regendi esset penes totam Ecclesiam vel coetum Episcoporum, soluta esset lex Primatus, neque amplius necesse foret eligere eum qui Primas esset. Si qua ergo forma regiminis manet (manet autem certe aliqua), ea dici debet monarchica. Et sane adhuc se gerunt Episcopi, ut se gerebant vivente Pontifice, scilicet utuntur ea auctoritate, quam ab ipso acceperunt, non sibi vindicant vel simul omnes potestatem supremam plenamque in Ecclesia Capitisque necessitatem, quo regatur tota Ecclesia, recognoscunt. Manet autem forma regiminis monarchici, sed diverso modo: h. e. manet incompleta et complenda: completa vero est cum exsistit actu Primas. In priori statu est ordinatio totius Ecclesiae ad subiectionem Primati: in altero est actualis subiectio. Itaque subordinatio potestati Primatus perdurat semper in Ecclesia. Unde et dicitur Sedes Romana manere defuncto sedente. Sedes enim vel cathedra Romana sunt iura Primatus, potestas suprema universalis regendi, docendi; quae potestas manet, quatenus manet lex institutionis perpetui Primatus et subordinatio Ecclesiae ad eum. Hoc autem est essentiale et necessarium in societate monarchica: perennitas autem physica personae Principis necessaria non est. Quocirca deficiente Romano Pontifice manet adhuc Ecclesia eademque una, distinguo; *complete*, nego: *incomplete* et ita ut una adhuc sit propter subordinationem ad potestatem Primatus Romani Pontificis, ideoque ipse sua auctoritate sit in Ecclesia principium efficiens unitatis, *conc.*

Ad 3^m. Advertendum est 1° quod titulus *oecumenicus* seu *universalis* Episcopo attributus dupliciter accipi potest. Primo ut Episcopus oecumenicus intelligatur ille, qui ita universim plenitudinem episcopatus obtinet, ut is sit solus vere Episcopus; quemadmodum si homo universalis actu exsisteret, foret reapse unus tantum homo, non plures. Secundo ut ille dicatur Episcopus oecumenicus seu universalis, qui non exclusis aliis Episcopis vocatis in partem sollicitudinis, universam Ecclesiam immediate regat. Clarius iste appellatur *Episcopus Ecclesiae universalis seu catholicae*. Hoc altero quidem sensu Romanus Pontifex vocatur Episcopus oecumenicus seu universalis, Episcopus scilicet totius Ecclesiae, quam immediate regit, simul tamen cum aliis sibi subordinatis pastoribus.

Hoc posito dicimus 2° quod s. Gregorius M. non negavit sibi rem significatam titulo Episcopi oecumenici seu universalis altero sensu accepti. Sane epistolarum l. 9. ep. 12^a (edit. Ioannis Baptistae Gallic-

ciolli, Venetiis 1770.) inquit: « De Constantinopolitana Ecclesia quis dubitet eam Sedi Apostolicae subiectam esse? » et ibid. epist. 59. ait: « Nescio quis ei (Sedi Apostolicae) subiectus non sit? » et ibid. epist. 116ª. « Quae Sedis Apostolicae fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitae usurpationis modestia quati posse... nil egere firmitatis quae semel eius auctoritate sancita sunt »; hi autem characteres sunt episcopatus universalis. Rursus ep. 43ª l. 5. ad Eulogium episc. Alex. et Anastasium episc. Antioch. et ep. 18. ibid. ad Ioannem Ieiunatorem advertit, Pelagium praedecessorem suum abrogasse acta illius Synodi Constantinop. in qua Ioannes idem Ieiunator titulum *Oecumenici* sibi arrogaverat: qui actus Pelagii est certe actus potestatis huius universalis. Ipseque Gregorius l. 6. ep. 15ª presbyterum perperam damnatum a iudicibus datis a Ieiunatore causa cognita absolvit, iussitque eundem Episcopum Constantinop. bene illum suscipere, quod quidem Gregorius non nisi auctoritate Episcopi universalis facere potuit. Tum l. 3., ep. 6. Ioannem Episcopum primae Iustinianae (quae urbs erat in Macedonia, patria Imperatoris Iustiniani) reprehendit et punit « ex b. Petri Principis Apostolorum auctoritate », decernens ut triginta dierum spatio sacra communione abstineat; quia in Adrianum Episcopum Thebanae civitatis (quae erat in Thessalia et suberat metropolitae Larissaeo), qui a suo metropolita male habitus appellaverat Romam, sententiam tulerat post interpositam appellationem ac sententiam iniquam. Hic porro actus est supremae iurisdictionis in universam Ecclesiam. Idem l. 7. ep. 19ª testatur quod se « cunctarum Ecclesiarum iniuncta sollicitudinis cura constringat ». Idem l. 5. ep. 20ª ad Mauritium Imperat. super hac re significat disserte licuisse Petro nomen sibi vindicare *Apostoli universalis:* « Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica b. Petro totius Ecclesiae cura commissa est (idque probat allatis testimoniis Matth. XVI. Luc. XXII. Ioan. XXI). Ecce *cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur*, et tamen universalis Apostolus non vocatur: et vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari universalis Episcopus conatur »? Quo argumento humilitatis Petri superbiam Episcopi Constantinop. Romanus Pontifex retundit.

Cur ergo 3° illum titulum Gregorius nedum repudiavit, sed vocavit *novum et profanum vocabulum, nomen blasphemiae, perversum vocabulum, novam superbiam, pompaticum sermonem, stultum ac superbum vocabulum, verbum superbiae, nefandum et scelestum elationis vocabulum* in litteris hac super re datis ad supradictos Patriarchas, ad Imperatorem Mauritium, ad Constantiam Augustam, ad ipsum Ioannem Ieiunatorem, ad Cyriacum eius successorem, ad Anianum Diaconum

Constantin.? (cf. l. 5. epist. 18m. 20m. 43m. l. 7. 4m. 27m.). Et quidem vocabulum hoc vocat *temerarium* et *profanum* tum cum testatur, quod ipsum a s. Chalcedonensi Synodo oblatum est Pontifici Sedis Apostolicae l. 5. ep. 43a.: ac si usurpatum quoque a Romano Episcopo habendum esset ut profanum: « Sed nullus, inquit, decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit; quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur: sed absit hoc, absit a Christiani mente, id sibi velle quempiam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur ». Cf. ibid. ep. 18m.

Itaque advertendum est *a)* usurpationem huius tituli, quem sibi Ioannes Ieiunator Episcopus Constantinop. (a) vindicaverat, perturbationem et scandalum genuisse in universa Ecclesia: id testatur Gregorius epist. 18a. l. 5. ad ipsum Ioannem et ibid. epist. 20a. ad Mauritium Imperat. *b)* Titulum *Oecumenici* neutro sensu potuisse competere Episcopo Constantinop. eiusdemque tituli ab eo factam usurpationem flagitium fuisse arrogantia et superbia plenum. *c)* Seposita quaestione an huic titulo, qui fiat Romano Pontifici, sensus verus subesse possit, quod negari nequit ac seposita quaestione quo sensu eum sibi usurpaverit Ieiunator, qui forte id solum voluit significare, nempe se esse Patriarcham principem in Oriente; historice certum est, Gregorium hunc titulum in priore sensu a nobis explicato, ut nimirum sit unicus Episcopus et Patriarcha, in hac controversia accepisse et propter hunc sensum titulum eundem damnasse et a se quoque reiecisse. Id constat ex omnibus epistolis hac super re datis. « Eo perductus es, ait Pontifex ad Ioannem, ut despectis fratribus Episcopus appetas *solus* nominari ». Et ad Constantiam Augustam scribens conqueritur quod Ioannes « *solus* conatur Episcopus appellari ». Quare Gregorius eum comparat Antichristo (epist. 30. l. 6. ad Mauritium): « quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est qui *solus sacerdos appellari appetit*, super ceteros sacerdotes se extollit ».

Atque hanc rationem esse putamus, cur Gregorius titulum hunc oblatum quoque ab oecumenica Synodo Romano Pontifici (nempe in

(a) Non primus fuit Ioannes Ieiunator, qui hoc titulo fretus fuerit. Iustinianus Imp. epist. ad Epiphanium Patriarcham Const. vocat eum in titulo epistolae οἰκουμενικὸν, dum in eadem epistola Primatum Rom. Pont. luculenter asserit et demonstrat. Ignorabat haec Gregorius? Videtur haec appellatio solummodo auctoritatem supremam in Oriente tunc significasse, Ieiunator colitur ut sanctus a Graecis, non refragantibus Latinis.

quibusdam litteris lectis in ea Synodo, vid. th. 13. n. 3.) appellet *profanum* et a se repudiet, ac testetur repudiatum merito esse a praedecessoribus suis (Leo M. sane non se dixit *Episcopum universalem sed Episcopum Ecclesiae universalis,* qui titulus non praefert nisi alterum sensum ex duobus superius explicatis); quia nimirum eo sensu priore acceptus detrahit honorem debitum ceteris Patriarchis et Episcopis. Ut autem ita iudicaret Gregorius, non fuit opus, ut ipse censeret, titulum illum per se spectatum hunc falsum sensum fundere, sed satis fuit quod tunc ita acciperetur vel facile accipi posset, aut probabilis suspicio esset quod ita acciperetur et quod haec Gregorius adverterit. « Si enim, ait ep. 43ª. l. 5. hoc dici libenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit qui universalis dicitur, nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis (h. e. verus Episcopus) invenitur » : et l. 8. ep. 30ª. ad Eulogium Alex. « Meus honor est honor universalis Ecclesiae: meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo vere honoratus sum cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum ». Hanc esse sententiam Gregorii reiicientis a se appellationem *Episcopi universalis* constat tum ex dictis nn. 1. et 2., tum ex ipsa Primatus natura optime Gregorio perspecta.

Porro mirari subit hac in re modestiam singularem optimi Pontificis, qui pro Ecclesiae pace contra insolentem superbiam graecam humilitate romana dimicare statuit, ita tamen ut fortiter rem gereret, comminatus etiam excommunicationem Cyriaco successori Ioannis, si in tam iniqua usurpatione persisteret. « Eum de superstitioso et superbo vocabulo (ait ad Anastasium ep. 27ª. l. 7.) admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem praedicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit ». « In isto enim scelesto vocabulo (quod sibi arrogabat Episcopus Constantinop.) consentire (ut idem Gregorius ait ad Sabinianum Diaconum suum apocrisiarium apud Imperatorem ep. 19ª. l. 5.) nihil est aliud quam fidem perdere ». Periclitabatur nempe fides de auctoritate Episcoporum et Romano Primatu. Non vero censebat Gregorius hoc ipso haereticum Episcopum Constantinopolitanum, qui hunc sibi titulum asserebat; sed crimen potius intolerabilis superbiae, quam errorem in fide arbitrabatur, licet ad fidei quoque perversionem progressum fieri posse videret, quod et tandem contigit.

Occasione huius controversiae adverte 1° s. Gregorium ep. 40ª. l. 7. affirmare sedes tres Romanam, Alexandrinam, Antiochenam esse unam,

unius nempe Petri sedem, cui tres Episcopi praesident. Unitas vero haec non est nisi secundum quid, ratione originis seu institutionis ab eodem Petro, non vero simpliciter, ut sit aequalitas potestatis, multoque minus identitas. Nam ibidem quidem ait: « Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit ex nomine, ut Petrus a Petra vocaretur »; at cum tres illas Sedes a Petro esse docet, tamen sedem antiochenam dicit *firmatam*, alexandrinam *decoratam*, romanam vero *sublimatam* a Petro, cui omnes Episcopos subesse alibi affirmat.

Adverte 2° Gregorium ita arguere ad retundendam Episcopi bizantini temeritatem et audaciam ep. 28ª. l. 5. « Certe Petrus Apostolorum primus, membrum sanctae et universalis Ecclesiae (al. primum membrum etc.), Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud quam singularium sunt plebium capita? et tamen sub uno capite omnes membra ». Quid ergo? nonne omnes Apostoli iurisdictionem habebant universalem? Scilicet illis eam singularitatem in episcopatu attribuit, quae excludit eam universalitatem episcopatus, qua unus sit tantum vere Episcopus; non eam singularitatem episcopatus, quae excludit universalitatem episcopatus patientem secum et sub se alios plures veros Episcopos, qualis est universalitas episcopatus Romani Pontificis: quam s. Gregorius certe agnovit.

Ceterum ut hanc quaestionem finiamus, nihil impedit quominus vero et legitimo sensu, quem superius explicavimus, titulus iste *Episcopus oecumenicus seu universalis* et ante et post Gregorium Romanis Pontificibus tributus fuerit, ut audivimus testantem Pium VI., licet Romani Pontifices maluerint titulum; *Episcopus Ecclesiae Catholicae*, vel *Servus servorum Dei*, qui eandem rem dicit cum condimento humilitatis.

Quid ergo respondendum canoni 3° *Primae Sedis* distinct. 99., in decreto Gratiani ita concepto: « Primae Sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum, aut primus Sacerdos, sed tantum primae Sedis Episcopus »? Respondet Natalis Alexander (H. E. S. I. D. 4. §. 4. arg. 11.) hoc canone perstringi dumtaxat Africanos Metropolitas, qui eos titulos sibi vindicare volebant; nam canon exhibetur ut sextus vel quintus vel vigesimus nonus Concilii Carthaginiensis a Gratiano, Burcardo et Ivone. Unde errat idem Ivo in suo decreto p. v. ep. 57. eum canonem de Papa explicans. Quod vero eidem canoni in decreto Gratiani subditur: « universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur », id primo non est pars canonis, sed additamentum Gratiani; tum deinde eo sensu accipiendum est, quo sententiam Gregorii explicavimus; subiiciuntur enim in canone sequente verba Pelagii rescin-

dentis acta Concilii Constantinop. in quo eum titulum Ioannes assumpserat, et verba Gregorii ad Eulogium Alex. Cf. ibidem notam editorum Decreti.

Tandem si res penitius consideretur, facile patebit, non esse per se consequens, quod aliqua realis praerogativa negetur, eo quod titulus aliquis eam exprimens respuatur. Potest enim esse extrinseca ratio illum reiiciendi, puta, quia nova appellatio est, quia fastum redolet, aut huiusmodi. Ita, si res significata spectetur, quis catholicus neget Romanum Pontificem iis iuribus in Ecclesia potiri, quae propria sunt Imperatoris aut Regis in societate civili? « Imperium et nos quoque Episcopi gerimus, addo etiam praestantius et perfectius » aiebat Nazianzenus ad Theodosium Orat. 17.: quis tamen catholicus velit, Romanum Pontificem appellando, eius nomini titulum addere *Imperatoris Ecclesiae?*

Ad 4^{m}. Falsum est quod in serie ordinata eorum qui potestate funguntur in societate, qui praeest imperet tantum iis qui immediate ipsum in ea serie sequuntur. Cf. explicationem ab initio th. 13. traditam.

Confusio vero locum haberet, si Romanus Pontifex simul cum Episcopo exercere vellet omnia, quoad omnes subditos Episcopi, munera suae potestatis. Hoc vero non est opus, nec eo spectat potestas immediata Pontificis ut *debeat* is omnia ea munera, quae per se potest, exercere. Eo quidem propter suam plenitudinem spectat, ut Pontifex ea omnia possit, si velit; unde actus eius semper validus foret: sed rectus ordo postulat, ut iurisdictionis expeditum exercitium Episcopis relinquatur. Potestas ergo immediata Romani Pontificis id postulat, ut omnes fideles subditi eius sint, ut eos omnes per se ipsum h. e. auctoritate sua regendi facultatem habeat, eosque in pluribus actu immediate regat, tum leges ferendo, tum sententiam in causis dicendo, tum poenis coercendo.

Huc facit quod Romano Pontifici Eugenio III. inquit Bernardus *De Consid.* l. 3. c. 4. « Quid tam indignum tibi, quam ut *totum tenens* non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditae universitatis, *tanquam non sint tuae, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas?... sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis*, sed iustitiae forte non ita. *Facitis hoc quia potestis*, sed utrum hoc debeatis quaestio est ».

Ad 5^{m}. Adverte primum, quod licet impossibile sit quod unus Romanus Pontifex praestet per se ipsum omnia quae singulis fidelibus sunt necessaria, id non est tamen impossibile praestare per suos delegatos. Ceterum haec obiectio supponit quod potestas immediata in omnes fideles eo spectet, ut Romanus Pontifex *debeat* omnes actus

regiminis erga singulos per se ipsum exercere, singulos docendo, absolvendo etc. Sed huiusmodi non est potestas, quam Romano Pontifici vindicavimus. Est potestas cui tanquam propriae oves subsunt omnes et singuli fideles, quos immediate pascit et regit doctrina, legibus, sententiis latis, cum oportet: erga quos omnes actus iurisdictionis episcopalis exercere valide potest, si velit, vel per se ipsum vel per suos delegatos: porro per talem potestatem sibi factam Episcopus Romanus ad nihil impossibile ordinatur.

Ad 6m. *a)* Quaestio primum fieri posset an vere habitum fuerit Concilium illud et genuina sint verba Cypriani quae in eo referuntur. Sed de hac re quid sentiamus aperiemus postea. Nunc admissa historica veritate illius Concilii et sermonis ibi habiti a Cypriano, negamus eundem Cyprianum iis verbis: « *neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse episcoporum constituit* » ferire voluisse Romanum Pontificem Stephanum. Primo quidem quia loquitur de praesentibus; *quisquam nostrum*. Secundo autem quia ratio cur credatur Cyprianus iis verbis reprehendere velle Stephanum, est decretum huius ad Cyprianum missum de non rebaptizandis haereticis, quod decretum aegre tulisse dicitur Cyprianus. Atqui tenendum est, decretum illud nondum cognitum fuisse Cypriano, cum illud Concilium haberet. Etenim si decretum iam Carthaginem latum fuisset, illud profecto in eodem Concilio lectum esset, erat enim responsio Pontificis et quidem responsio epistolae synodali Concilii praecedentis ab iisdem Patribus habiti. Id porro moris erat constantis in Ecclesia, ut tales litterae Romani Pontificis in Concilio, si aderat, legerentur. Praesertim cum in eo tertio Concilio de eadem re ageretur, nempe de baptismo haereticorum et circa id sententiae Episcoporum quaererentur. Abstinere proinde non poterat Cyprianus a legendis litteris Stephani. Verum constat ex actis eius Concilii lectas ab initio fuisse litteras Cypriani de baptismo haereticorum ad Ianuarium huiusque responsa; heic porro locus erat lectioni litterarum Stephani eamque res ipsa poscebat; verum harum litterarum nulla fit mentio. Ignorabatur ergo adhuc responsum Stephani; nulla ergo Cypriano ratio aderat excandescendi in Romanam Sedem: ergo. Ita auctor dissertationis editae Parisiis 1724. De Dissidio inter s. Stephanum et s. Cyprianum.

b) Verissima est sententia Hieronymi, si ratio habeatur tantum characteris episcopalis, non iurisdictionis: id porro tantum considerat Hieronymus, qui par omnibus meritum et Sacerdotium attribuit, quique Episcopos spectat in comparatione cum presbyteris et diaconis, quos postremos probare vult illis esse inferiores. Probat autem praestare presbyteros diaconis, quia illi corpus et sanguinem Christi con-

ficiunt, Episcopos vero utrisque, quia et ordinationem faciunt. Quae quidem probationes ex sola potestate ordinis desumptae sunt ostenduntque eam tantum Hieronymum habuisse prae oculis, cum haec doceret. Inquit porro: « Si auctoritas quaeritur, orbis maior est urbe »: nimirum obiiciebat adversarius consuetudinem quandam Ecclesiae Romanae, qua videbantur diaconi presbyteris praeferri (quod testimonio nempe diaconi presbyteri ordinarentur et absente Episcopo diaconi inter presbyteros sederent), quae tamen consuetudo probabat nihil; respondit Hieronymus: si res auctoritate, argumento scilicet petito ex consensu et consuetudine Ecclesiae, decidenda sit, maior est auctoritas orbis quam Urbis; auctoritas enim consensus et consuetudinis eo per se maior est quo est amplior, si nihil contra ipsam a suprema potestate decretum sit; orbis autem universus Christianus praxi sua probabat diaconos esse presbyteris inferiores. Haec autem sententia Hieronymi secundum subiectam materiam intelligenda est; cum nimirum comparatur praxis totius orbis Christiani cum praxi quadam Cleri Romani, quam nec Episcopus Romanus probabat, ut de sessione diaconorum inter presbyteros indicat ipse Hieronymus: vel cum comparatur praxis totius orbis Christiani, ex qua evidenter doctrina aliqua confirmatur, cum praxi Ecclesiae Romanae, ex qua nihil certe pro utraque opposita sententia colligi potest. In huiusmodi casibus principium illud: *auctoritatem omnium praevalere auctoritati unius*, quod in ordine naturali verissimum est, urgeri profecto potest.

c) Sixtus III. vero illud dicit quod iam Apostolus docuerat 1. Cor. XXII. 21. *non posse caput dicere pedibus: non estis mihi necessarii.* Videlicet caput a suo corpore sustentatur; eo quod caput sine corpore esse nequit, quia adiuvatur a ceteris ministris in exercitio suae auctoritatis ipsaque obedientia prompta subditorum faciliorem et suaviorem efficit administrationem totius corporis.

Contra adeo manifestam veritatem tot argumentis ex Scripturis et testimoniis traditionis, quae hactenus attulimus, firmatam, quid opus erat Spelmannum afferre in medium responsionem quandam Abbatis cuiusdam Banchorensis, cui nomen Dinothus? Is quippe ineunte seculo VII. ita ad Augustinum Angliae Apostolum scribit (Migne (a) P. L. V. 80. p. 22.): « Notum sit et absque dubitatione vobis, quod nos omnes sumus et quilibet nostrum obedientes et subditi Ecclesiae Dei et Papae Romae et unicuique vero Christiano pio ad amandum

(a) Dolendum est, inter Notas aut Praefationes huius optimae Bibliothecae Patrum irrepsisse identidem scripta quaedam aliena a doctrina catholica: quae imprudentibus lectoribus possunt officere.

unumquemque in suo gradu in caritate perfecta et ad iuvandum unumquemque eorum verbo et facto fore filios Dei (sic): et aliam obedientiam quam istam non scio debitam ei quem vos nominatis esse Papam, nec esse Patrem Patrum, vindicari et postulari: et istam obedientiam nos sumus parati dare et solvere ei, et cuique christiano continuo. Praeterea nos sumus sub gubernatione episcopi Caerlegionis super Osca, qui est ad supervidendum sub Deo super nobis, ad faciendum nos servare viam spiritualem ». Quid enim ex ignorantia huius monachi colligas nisi rem catholicam in Anglia tunc temporis adeo fuisse afflictam, ut sane oportuerit mitti eo a Romana Sede Apostolos qui ipsam restituerent doctrinaeque catholicae notitiam integram traderent, ut factum est a s. Gregorio?

THESIS XX.

In Primatu Romani Pontificis insane furentes aut in ecclesiastica antiquitate prorsus hospites se produnt, qui contendunt plurima iura, quibus nunc fruitur Romana Sedes, ab Isidoriana Decretalium collectione ortum habuisse, aut antiquitus Romani Pontificis curam ad solum Occidentem iure patriarchico spectasse.

I. Qui veritatem historicam sibi perspectam negat eo quod adversae parti favet, insane furere dicendus est: alterutrum ergo dicendum, aut furiosos esse aut in historia peregrinos qui id affirmant quod indicamus in thesi. Huius falsitatem argumentis historicis demonstrabimus. Itaque collectio Canonum sub nomine Isidori Mercatoris prodiit seculo IX. (anno circiter 845. aut 846. Cf. Ballerinios Fratres Operum s. Leonis tom. III. p. 3. c. 6. §. 4. et Antonium Zaccaria in Antifebronio p. 1. diss. 3. c. 3. seqq.) Moguntiae eiusque auctor probabiliter est ille Benedictus Levita qui confixit capitula Adriani ad Engelramnum. Non omnia in ea collectione reprobantur. Falsitatis arguitur potissimum pars prima, quae decretales Romanorum Pontificum continet a Clemente ad Melchiadem, cum aliis in tertia parte usque ad Siricium. Eas decretales, prout prostant, vel ipse auctor collectionis effinxit, vel ab alio iam effictas ipse adoptavit. Porro ea aetate Leo IV. (anno 847. Pontificatum iniit) ad Episcopos Britanniae scribens docensque quibus decretalium regulis et Conciliorum Canonibus Ecclesia Romana uteretur, ea depromit singillatim quae in collectione Adriana, duobus aucta additamentis, reperiuntur nullamque profert decretalem quam Isidoro debemus. Cf. Ballerinios ibid. c. 2. n. 5.

In iis vero decretalibus ab Isidoro suppositis affirmantur iura Primatus Romani, universalis eius et suprema potestas. Aiunt ergo per

decretum Isidorianum bona fide susceptum factum esse, ut disciplina Ecclesiae mutaretur, Romanus Pontifex ingentem potestatem super omnes et omnia sibi usurparet ac induceretur forma illa monarchica, quam Romanae Sedis adulatores tuentur. Atqui nihil est certius quam quod Isidorus, licet supposuerit falsa monumenta, nihil tamen dixerit novi in re alicuius momenti nullumque doctrinae caput circa potestatem Romani Pontificis suis ille decretalibus asseruerit, quod legitimis antiquioribus monumentis non possit abunde demonstrari.

II. Sane 1° intrinsece repugnat quod Isidorus mutationes tot ac essentiales induxerit in disciplina et regimine Ecclesiae, quot et quales sunt, quas reprehendunt adversarii, et Ecclesia universa latina acceptaverit eam collectionem, quin suspicaretur suppositionem, quin reclamaret. Ergo doctrina Isidoriana non erat nova, quamvis novos testes eius adduceret. Et re quidem vera 2° quod spectat ad auctoritatem Romani Pontificis quaenam novitates ab eo inductae sunt? Hae potissimum recensentur: *a)* Romanum Pontificem esse Episcopum Ecclesiae universalis: *b)* causas omnes maiores ad Sedem Apostolicam referendas esse: *c)* ius excipiendi appellationes a quovis iudicio Episcoporum: *d)* causas Episcoporum a solo Romano Pontifice *definitive* iudicandas esse: *e)* non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari: *f)* ius ex his ortum mittendi quocumque legatos suos: ex quibus monarchicum regimen Romani Pontificis constitutum esse concludit Febronius c. III. §. 9. n. 10.

Atqui *a)* ex allatis Th. 13. evidens est titulum *Episcopi oecumenici et Episcopi Ecclesiae catholicae* pluribus seculis ante Isidorum Romano Pontifici collatum esse; nec opus est alia addere. *b)* Certissimis monumentis constat hunc morem obtinuisse primis Ecclesiae seculis, ut a qualibet ecclesia Sedes Romana consuleretur super negotiis religionis. Id testatur Hieronymus inquiens ad Ageruchiam epist. 123. n. 10.: « Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis consultationibus responderem etc. ». Atque hanc esse antiquam et legitimam praxim docent Innocentius I. epist. 37. ad Episcopum Nucerinum: « Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta maiorum, omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiet ». Cf. et Iustinianum in Cod. *de Summa Trinit.* tit. 3.

Ad causas maiores quod attinet, ratum antiquitus fuit, ut eae ad Sedem Apostolicam referrentur. Testis huius praxis est Ambrosius, qui ad Theophilum Alexandrinum scribens, cui a Synodo Capuano cognitio

demandata fuerat in causa Antiochenae Sedis a pluribus Episcopis occupatae, ait (epist. 56. n. 7.): « Referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum romanae sacerdotem Ecclesiae, quoniam praesumimus te ea iudicaturum, quae etiam illi displicere nequeant ». Testis huius praxis est rursus Innocentius I. epist. 2. ad Victricium, n. 6.: « Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit et beata consuetudo exigit, post iudicium episcopale, referantur ». Quocirca laudat Milevitanos Patres epist. 30. n. 2. inquiens: « Diligenter et congrue apostolici consulitis honoris arcana (honoris inquam illius, quem praeter illa quae sunt extrinseca, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) super anxiis rebus quae sit tenenda sententia; antiquam scilicet regulam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam » : de iuribus scilicet Primatus non solius Patriarchatus occidentalis agebatur. Quod et s. Leo epist. 5ª ad metropolitanos Illyrici confirmat n. 6.: « Si quae vero causae graviores vel appellationes emerserint, eas sub ipsius (Anastasii scilicet vicarii sui) relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur ». His accedit Theodorus Studites epist. 86ª l. 2. ad Michaelem Imperatorem: « Si quid est eiusmodi (in quaestione fidei), de quo ambigat aut diffidat divina magnificentia vestra pie a Patriarcha posse dissolvi, iubeat magna ipsius et a Deo confirmata manus velut divinorum aemulatrix, ad communem utilitatem, a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos fuit. Haec enim, Christi aemule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit ad quem Dominus dixit: *Tu es Petrus et super hanc petram* etc. ».

Inter causas maiores locum tenent causae episcoporum, eorum confirmatio, translatio, iudicia etc. Porro quoad iudicia iam vidimus in th. 17. quam partem in his semper habuerit Romanus Pontifex. Quoad confirmationem, non quidem primis seculis omnes Episcopos actu Romanus Pontifex confirmabat, sed pro Oriente generatim solos Patriarchas et Primates, qui deinde alios subiectos confirmarent. Huius praxis exemplum suppeditant Damasus epist. 5ª ad Ascholium, Graeci Episcopi in Actione 10. Synodi Chalced. probantes institutionem Maximi Episcopi Antiocheni, quia R. P. Leo iudicaverat ipsum praeesse Ecclesiae Antiochenae; tum Leo ipse epist. 104ª ad Marcianum Augustum affirmans Anatolium assensu suo obtinuisse Constantinop. sedem, atque R. P. Simplicius epist. 17ª ad Acacium manifeste significans, Episcopum Alexand. a Romana Sede confirmandum esse.

Quoad depositionem vero Episcoporum praesertim primarum Sedium iam Eusebianos monuerat Iulius I.: *oportere primum scribere Romam*,

ut hinc quod iustum est decernatur. Et sane Orientales depositionem Timothei Episcopi Beryti a Damaso flagitarunt (epist. Damasi 11.), Nestorium Caelestinus deposuit, qui sententiam depositionis in eum tulit, quam Patres Ephesini exsecuti sunt Act. I. aientes: « coacti per sacros canones et epistolam ss. Patris nostri et comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus ». (Cf. verba Episcopi Caesaraeae Cappadociae Act. II.). Et adeo a sententia Caelestini res tota pendebat, ut Cyrillus aliique Orientales non putarint opus esse Concilio et eo convocato, cum prorogatio temporis Nestorio statuti ad resipiscendum videretur concessa, nihilominus Orientales consuluerint Romanum Episcopum, an Nestorium resipiscentem suscipere deberent post tempus ab ipso Caelestino in literis prius datis constitutum (Epist. Caelestini X. ad Cyrillum). Censebant scilicet sententiam Romani Episcopi adhuc valere, nec contra eam quid posse omnes Patres. Idem ius in sua Synodo exercuit Felix III. (epist. 4ª) deponens Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum et (epist. 6ª) excommunicans et deponens Acacium Episcopum Constantinop. (a).

Episcoporum transitum ab una sede in aliam interdixerat canon apostolicus 14. citra necessitatem; absolute vere prohibuit Synodus Nicaena can. 15. et Sardicensis can. 1. Cum ergo esset lex universalis Ecclesiae, ab ea auctoritas suprema sola poterat dispensare. Et sane auctoritate et iussu Romani Pontificis factum est, ut liceret Corinthiis habere Episcopum Perigenem, qui ordinatus fuerat pro Ecclesia Patrarum (Socrates l. 7. c. 36. cf. epist. 15. Bonifacii I.). Ita quoque ut posset evehi ad thronum Constantinopolitanum Proclus, qui ordinatus fuerat pro Ecclesia Cyzicena, exhibitae sunt a Theodosio Imperatore literae Caelestini, quae id permittebant (Socrates l. 7. c. 40.).

Atque haec satis superque sunt, ut intelligatur an huiusmodi ius, quod causae maiores ad s. Sedem referantur, sit invectum ab Isidoro (Cf. Zaccaria *Antifeb.* p. 2. cc. 2. 3. 4. 5. 6.).

c. d) Ad ius appellationum quod spectat et ad ius iudicandi definitive causas Episcoporum, iam liquet ex dictis in th. 17., an utrumque

---

(a) Epistola 4ª Felicis III. refertur a Mansi Concill. tom. 7. p. 1046. Ea probata fuit Baronio, Pagi, Scip. Maffei: sed censetur supposititia cum aliis epistolis ab Henrico Valesio et a Coustant. Blanchini in notis ad Anastasium sub Felice III., ait argumenta Valesii probabilitatis fines non excedere: probat autem argumenta Coustant.

At Epistola 6ª Felicis recipitur communiter ut genuina. Ceterum Victor Tunnensis scriptor sec. VI. refert in *Chronico* Felicem III. damnasse in Synodo habita in Italia, Acacium, Petrum Mongum, Petrum Fullonem anno 487.

ab Isidoro confictum sit. Constat enim Episcoporum Synodorumque provincialium sententias non fuisse habitas ut inappellabiles, sed appellabiles; ideoque penes solum Romanum Pontificem fuisse potestatem iudicandi definitive. Idque docet Gelasius epist. 13. ad Episc. Dardaniae.

e) Falsum est quod commentum sit Isidori eiusque aetate primum coeperit ea lex, quod non oporteat praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari. Etenim Socrates l. 2. c. 17. refert hanc sententiam Iulii ad Eusebianos, licet in eius epistola ῥητῶς non occurrat, ita saltem indefinite: « Cum ecclesiastico canone interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur ». Porro quidquid Ecclesiae decernebant, in Synodis statuebant. Cf. Sozomenum l. 3. c. 10. Auctor vero Historiae tripartitae l. 4. c. 10. ait « non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari », quae sunt verba ipsa Isidori. Lucentius autem Romanae Sedis Legatus in Synodo Chalcedon. Act. 1. Dioscorum reprehendit: quia « Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit aut factum est ». Theodorus Studites epist. 33ª l. 1. scribens ad Leonem III. de duabus Synodis Costantinopoli habitis pro negotiis particularibus eius Ecclesiae, ait ausos eos fuisse habere propria auctoritate Synodum haereticam, cum neque orthodoxam te nesciente tenere debuissent secundum antiquam consuetudinem ». Itaque falsissimum est, hanc legem excogitatam et invectam esse ab Isidoro. Ceterum haec lex non solas Synodos oecumenicas spectabat; Socrates enim eam refert occasione Synodi non oecumenicae. Sed habita ratione verborum Socratis lex ita accipienda videtur, ut nulla Synodus legem aliquam novam condens haberetur vel vim obtineret sine auctoritate Romani Pontificis, quod aequissimum est.

Hinc Stephanus iunior respondebat Iconoclastis (Cf. eius vitam penes Migne sec. VIII.): « Quanam ratione vestram Synodum oecumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Episcopus, quanquam canone praescribitur res ecclesiasticas absque Papa Romae constitui non debere ». Quapropter Diaconus Ennodius in libello pro defensione Symmachi Papae probato in Synodo romana, adversariis obiicientibus: « Ergo concilia Sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia praesentiam Papae non habent, valetudinem perdiderunt? » respondet: « Legite insanissimi aliquando in illis praeter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de maioribus negotiis ad collationem si quid occurrerit, praefatae Sedis arbitrio fuisse servatum ».

Ideo non opus est ut dicamus, quempiam metropolitanum haud potuisse Synodum suam cogere, nisi prius licentiam obtinuerit et sententiam exploraverit Romani Pontificis. Nam satis erat vel Synodos

per legatos Romanae Sedis haberi, vel post Episcopalem sententiam, si aliquid novi statutum erat aut de causis agebatur maioribus, relationem rei gestae mittere ad Romanam Sedem. Unde Primates Africae in synodica sua ad Rom. Pont. Theodorum I.: « Antiquis regulis, inquiunt, sancitum est, ut quidquid, quamvis remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius *tractandum* (h. e. deducendum in praxim) *vel accipiendum sit* nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum ». Id porro fieri poterat sive immediate, ut Patres Sardicenses in literis ad Iulium aiebant: « optimum esse et congruentissimum si ad caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes »; sive mediate per Episcopos praecipuarum Sedium, ad quos gesta primum referrentur: ideo enim Leo epist. 14ª ad Anastasium Thessalonic. c. 11. aiebat: « magna dispositione provisum esse ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, *per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluueret* ».

Porro in hac re ius ab usu distinguendum est: ius quidem est in Romano Pontifice exigendi, ut e quacumque Synodo rerum in ea gestarum relatio ad ipsum mittatur; usus vero pro gravitate negotiorum pro facilitate transmittendi relationes huiusmodi, pro fiducia qua penes Apostolicam Sedem gaudeant Metropolitani aliisque de causis, diversus esse potest.

Tandem *f)* potestatem mittendi legatos in quasvis orbis catholici partes iam vidimus Th. 17. antiquitus esse usurpatam.

Coroll. Ergo quoniam haec iura, testantibus ipsis adversariis, supponunt potestatem Romani Pontificis supremam et monarchicam in Ecclesia; talis dicenda est semper fuisse habita et esse potestas eiusdem.

III. Verum quia praeterea solet quaeri an primis Ecclesiae seculis h. e. aetate antenicaena viguerit potestas Primatus et an id historice demonstrari possit; advertimus primo hanc quaestionem duplicem esse, facti nempe et immediatae probationis huius facti.

Prima quaestio solvi potest etiam independenter ab huiusmodi probatione, tum argumento a priori ducto ex verbis Christi instituentis Primatum quae semper credita sunt in Ecclesia, tum a posteriori ex ea persuasione et agendi ratione quae subsequentibus seculis apparet, quaeque nequit esse nisi continuatio praecedentis persuasionis et rationis agendi.

Altera vero quaestio, si affirmative solvitur, solvenda est allatis

factis vel monumentis historicis, si qua adsunt eius aetatis, quibus exercitium Primatus eiusque fides in universa Ecclesia sese manifestant. Quae facta vel monumenta si deessent, non exinde nutaret certitudo facti illius, quod aliunde certum est. Verum satis reliqua sunt monumenta vel facta illius aetatis, quae testantur exercitium Primatus eiusque fidem in universa Ecclesia. Haec, quorum quaedam iam retulimus, satis erit heic breviter recensere.

Itaque recolatur 1° quod Ecclesia Corinthiorum (a), adhuc vivente uno Apostolo qui Ecclesias Asiae regebat, ad Romanam Sedem recurrit pro componendis dissensionibus suis. 2° Quod Ecclesia Romana ab s. Ignatio in epistola ad Romanos appellatur *Ecclesia praesidens.* 3° Quod idem Ignatius alia prorsus ratione scribit ad Romanam Ecclesiam ac ad alias. His enim plura mandata servanda suggerit, illi nullius mandati mentionem facit: has docet, illam minime, sed ei Ecclesiam Syriae commendat. 4° Quod Romanus Episcopus a Tertulliano, secundum catholicorum mentem (cf. Th. 12. n. 4.), vocatur (*de Pudicitia* c. 1.) *Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum.* 5° Quod Dionysius Corinthiorum Episcopus in epistola ad Soterem Romanum Episcopum (Euseb. H. E. L. 4. c. 23.) testatur « hanc esse consuetudinem Romanae Ecclesiae iam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiant et Ecclesiis quam plurimis necessaria vitae subsidia transmittant ». Inter quae beneficia connumerandae sunt epistolae tum Clementis tum Soteris quae singulis dominicis in Ecclesia Corinthiaca legebantur, ut idem Dionysius testatur ibidem.

Recolatur 6° Montanistas in Phrygia damnatos ad Romanam confugisse Sedem, ut ab ea pacem haberent et sic catholici censerentur. Colligitur id ex verbis Tertulliani adv. Praxeam c. 1. « Idem (Praxeas nempe) tunc episcopum romanum agnoscentem iam prophetias Montani Priscae, Maximillae et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem (dissidium scilicet iam exstiterat inter catholicos et Montanistas) falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praedecessorum eius auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare iam missas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare ».

(a) Provinciae Achaiae, Thessaliae, Illyrici spectabant ad Patriarcham Romanum. Caput Achaiae Corinthus sub qua Athenae. Asiae caput Ephesus.

Aiunt, nullum esse in epistola indicium certum, quod Corinthii recurrerint Romam. Nam verba cap. I. *de quaesitis a vobis rebus* vertenda sunt *de rebus vobis necessariis.* Nihilo minus apparet auctoritas romana, imo forte maior, si non provocata, intervenit.

Recolatur 7° decretum Zephirini de pace moechis danda habitum fuisse validum pro universa Ecclesia; dicebatur enim edictum peremptorium in ea controversia, nec si ad omnes Ecclesias non spectasset, fuisset admodum de eo sollicitus Tertullianus, qui e contrario sententiam eo edicto contentam omnibus psychicis h. e. catholicis tribuit (*de Pudicitia* l. c.).

Recolatur 8° Victorem iussisse Asianos morem recipere Romanae Ecclesiae in celebratione Paschatis eosque contumaces excommunicasse; quam excommunicationem non irritam et inanem, sed tantum minus prudentem non pauci Episcopi habuerunt (Euseb. l. 5. c. 24. cf. testimonium in seqq.).

Recolatur 9° idem comminatum esse Stephanum iis Ecclesiis, quae ab haereticis baptizatos rebaptizarent, ut testatur Dionysius Alexandrinus penes Eusebium l. 7. c. 6.

Recolatur 10° Origenis doctrinae causam ad Romani Episcopi Fabiani tribunal tandem delatam esse: id enim satis colligitur ex epistola Origenis ad Fabianum, in qua (ut refert Hieronymus epist. 86. ad Pammachium) « poenitentiam agit cur talia scripserit et causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit ». Cf. Eusebium H. E. l. 6. c. 36.

Recolatur 11° appellatio duorum episcoporum hispanorum (Th. 17,3.) ad Stephanum.

Recolatur 12° Novatianum, statim ac is sibi visus est esse Romanus Pontifex, scripsisse ad omnes πανταχοῦ ecclesias et mandata eis dedisse: scilicet et ipse noverat auctoritatem universalem Ecclesiae Romanae (Socrates H. E. l. 4. c. 28.).

Recolatur 13° Cyprianum ad Stephanum epist. 67. haec scribere, cum Marcianus episcopus Arelatensis in partes Novatianorum concessisset: « quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad episcopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum et divinae gratiae ac fraternae salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur... Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, quibus, abstento Marciano, alius in locum eius substituatur ».

Recolatur 14° Dionysium Alexandrinum, eo quod in epistola ad Ammonium contra haeresim Sabellii quaedam minus accurate dicta protulisset, quae divinitatem Verbi negare videbantur, fuisse a quibusdam in Ecclesia fratribus accusatum apud cognominem Dionysium romanum Episcopum atque hunc ei praecepisse ut se purgaret, cui iussioni fecit satis Alexandrinus (penes Athanasium *de sententia Dionysii* n. 13.).

Recolatur 15° quod de eodem Dionysio Romano refert s. Basilius

ep. 70ª ad Damasum: « Novimus ex serie memoriae, a patribus nostris interrogati et litteris etiamnum apud nos servatis edocti, Dionysium illum beatissimum episcopum, qui apud vos et recta fide et reliquis virtutibus enituit, invisisse Ecclesiam nostram caesareensem et patres nostros per litteras consolatum esse ac misisse qui fratres captivos redimerent ». Atque haec satis esse queant.

IV. Ex allegatis in hac et superioribus thesibus constat potestatem Romani Pontificis non inter fines Occidentis antiquitus fuisse inclusam sed Orientem quoque omnemque Ecclesiam occupasse. Sane ut nonnulla evidentissima innuamus, Episcopum Alexandrinum Dionysium iudicavit Romanus Pontifex Dionysius; Damasus Timotheum Apollinaris discipulum, petentibus Orientalibus, de haeresi cum suo magistro damnavit (Gallandi tom. 6. epist. 9.) Ecclesiaeque Antiochenae idem Damasus tesseram fidei praescripsit (ibid. epist. 3ª). Victor iussit Polycratem Episcopum Ephesi concilium cogere pro quaestione Paschatis eumque nolentem sententiae Romanae acquiescere excommunicavit (*Euseb.* H. E. l. 5. c. 24.). In Episcopos Constantinopolitanos potestatem exercuisse Romanam Sedem satis liquet. Quoad Ecclesias Ponti, narrat Basilius epist. 263ª Eustathium Episcopum in provinciali synodo depositum Romam confugisse, tum subdit: « quae vero sint illi a beatissimo Episcopo Liberio proposita ignoramus, nisi quod epistolam attulit per quam restitueretur: eam ubi Synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est ». Scilicet etsi Episcopi rationem ignorarent, satis ipsis fuit Romanum Pontificem id praecipere: adeo certus erat eius Primatus.

Idem s. Basilius frequenter occidentalium episcoporum, et praesertim Romani opem implorabat pro tuenda fide in Oriente contra haereticos: « dudum novi et ipse pro mediocri mea rerum notitia unam esse ecclesiis nostris auxilii viam, si nobiscum conspirent occidentales episcopi », aiebat ipse ad s. Athanasium epist. 66ª. Et ad Damasum epist. 70. orat ipsum, ut succurrat labenti Ecclesiae Orientis; id in more positum ait Occidentalium et praesertim Romani Episcopi. « Omnino autem (ait) nihil exposcimus novi, sed quod et ceteris olim beatis ac Deo dilectis viris usitatum ac praecipue vobis ».

Subirascitur quidem identidem Basilius in Romanum Episcopum eiusque fastum carpit epist. 239. et 215.; verum huius indignationis causa fuit, quod, ut Basilius censebat, nollet Romanus Episcopus in quaestionibus facti ab iis, ut oportebat, edoceri qui res accurate noverant; quod non negamus fieri potuisse, licet et Basilius potuerit hac in re decipi. Haec tamen Basilii lamenta supponunt iudicem necessarium in causis quoque orientalium ecclesiarum habitum fuisse Roma-

num Episcopum. Ex hac supposita ignoratione factorum contigit ut Basilius, audito quod Paulinus Antiochenus acceperit literas communionis ab Occidentalibus, scripserit ep. 214. se id non mirari « illi enim res nostras omnino ignorant... Verum quia accusamus neminem, imo erga omnes habere caritatem cupimus, et maxime erga domesticos fidei, gratulamur iis, qui litteras Roma acceperunt... Non idcirco tamen mihi ipse unquam persuadere potero, ut aut Meletium ignorem aut ecclesiae cui praeest obliviscar ».

Illud praeterea advertisse iuvat quibus verbis exprimat Eusebius l. c. excommunicationem quam Romana Sedes in aliquos ferret, nimirum: « *a communione ab scindere* conatur, datisque literis universos qui illic erant fratres proscribit *et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat* ». Scilicet a communione romana abscissus hoc ipso extra Ecclesiam est: remque ita se habere Irenaeus aliique Episcopi intelligebant, qui non ius negarunt, sed exercitium iuris in ea quaestione parum probarunt.

Habes ergo in quovis Patriarchatu et Exarchatu Orientis exercitam fuisse Romani Pontificis auctoritatem. Quin et in Occidente non ut simplex Patriarcha sed ut Primatum obtinens fere semper se gerebat. Ad ea enim iura Petri provocabat, quibus potestas Primatus in universum orbem continetur. Cum vero Patres Arelatenses in Synodica ad Silvestrum eius dignitatem praedicant his verbis: « a te, *qui maiores Dioeceses tenes* » etc., forte de eius tantum patriarchali dignitate loquuntur, cuius amplitudo maior erat amplitudine aliorum Patriarchatuum, cui patriarchali potestati omnes ii Patres suberant, qui et canones pro Ecclesia occidentali condiderant. De qua dignitate Romani Pontificis cf. Schelstrate *Dissert. de Auctoritate Patriarchali et metropolitica.*

V. Nequit tamen heic praetermitti castigata a cl. Sirmondo inscitia Salmasii. Is cum penes Rufinum breviationem canonis 6. Nicaeni legisset: *ut apud Alexandriam et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat*, primo quidem suburbicarias ecclesias eas dictas esse docuit quae intra centesimum ab Urbe lapidem continerentur, tum ad has solas auctoritatem Romani Episcopi fuisse protensam.

Verum 1° ut de ipso canone nicaeno loquamur, haec certa sunt. In vulgatis editionibus et secundum Dionysii versionem, Canon ita se habet: « Antiqua consuetudo quae est per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim servetur, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopo parilis mox est ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστι. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias (ἐπαρχίας) sua privilegia ser-

ventur ecclesiis ». Porro negandum est his verbis aliquid decerni de Romana Sede (« Non aliquid super eum - Petrum eiusque successorem - ausa est constituere Nicaena Synodus, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa » Bonifacius I. epist. 19. penes Gallandi T. 9.), sed mos Romanae Sedis ut norma et exemplum sumitur ad decernendum quidpiam pro Alexandrino Episcopo. Auctoritas vero Alexandrini Episcopi de qua sermo heic occurrit ea est, quae dicta est postea Patriarchalis (hoc enim nomen ipsa re fuit recentius): si qua ergo comparatio inter Alexandrinum et Romanum Episcopum instituitur, ea est inter utriusque iura patriarchalia. Non erit tamen abs re monere quod hic idem canon paulo aliter a Paschasino Legato Sedis Apostolicae lectus est in Synodo Chalcedonensi, qui illum actione 16. obiecit Patribus qui, legatis insciis, in actione praecedente canonem condiderant pro ampliandis iuribus Ecclesiae Constantinop. Sic ergo legit: « Trecentorum decem et octo Sanctorum Patrum canon sextus. Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum: teneat autem et Aegyptus ut Episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam et Romano Episcopo τοῦτο σύνηθές ἐστι etc. » cui lectioni nemo refragatus est.

Aliam lectionem Sirmondus se vidisse testatur in antiquissima Nicaenorum canonum editione Bibliothecae vaticanae his verbis: « de primatu Ecclesiae Romanae, et aliarum civitatum Episcopis. Antiqui moris est ut Episcopus urbis Romae habeat principatum, ut suburbicaria loca et omnem provinciam suam sollicitudine gubernet etc. » Verum de his videant eruditi.

Ut ergo canon, qualis communiter legitur, intelligatur; recolendum, quod Romanus Episcopus non solum Primatum habet in universam Ecclesiam, sed et speciatim Patriarcha est atque ut talis agnitus semper fuit. Eius autem Patriarchatus fuit totus Occidens. Id satis notum est. Ait Ioannes Zonaras scriptor sec. 12. ad can. 6. Synodi Nicaenae: « Alexandrinum igitur episcopum iis, qui in Aegypto, Lybia, Pentapoli sunt, praesidere iubet, Antiochenum subiectis sibi provinciis Syriae nimirum, Coelesyriae, Ciliciae utrique, Mesopotamiae, ac alios episcopos suis quemque regionibus praeesse, quemadmodum et Ecclesiae Romanae Antistes ut occidentales provincias regat mos obtinuit ». Amplitudo huius Patriarchatus ex eo patet quod metropolitanos Thessalonicensem, Corinthium, Nicopolitanum, Atheniensem, Patrensem subiectos haberet, quos postea per vim sibi adscivit Episcopus Constantinop.: qua de re lege Leonem Sapientem in sua Diatyposi. Et sane cum tribus Patriarchis duo alii additi forent, universam Ecclesiam in quinque Patriarchatus distinctam esse omnes fatebantur (lege Iustinianum in No-

vella 123.); porro quatuor ex illis ad Orientem spectabant; Occidens proinde universus Romano Episcopo suberat, qui primus quoque inter Patriarchas connumeratur.

Quod Patriarchae iurisdictioni subditum erat, Dioecesis dicebatur secundum formam divisionis imperii Romani factam a Constantino, non tamen ita ut singulis dioecesibus civilibus totidem dioeceses ecclesiasticae responderent, plures enim dioeceses civiles comprehendebat dioecesis Romani Episcopi et Antiocheni et Constantinop. Dioecesis plures provincias continebat quibus singuli metropolitani praesidebant; provincia plures ecclesias quae a singulis Episcopis regebantur. Cum Patriarcha civiles dioeceses sub se obtineret, inter ipsum et metropolitanos erant Exarchi qui Dioecesibus praeerant, ut Exarchi Caesareae, Cappadociae, Ephesi et Heracleae, qui Dioeceses Ponti, Asiae et Thraciae gubernabant, suberant Patriarchae Orientis h. e. Antiocheno (Cf. can. 9. Syn. Chalced.). Sedes Patriarchales vocabantur κατ' ἐξοχήν *Sedes θρόνοι*, ut ex Gelasio liquet; qui in commonitorio ad Faustum negat Episcopatum Constantinop. (cuius Patriarchalis potestas a Romana Sede nondum probata fuerat) habere per canones locum inter Sedes.

Itaque quoniam in canone Nicaeno comparatio quaedam instituitur inter Alexandrinum Episcopum et Romanum illiusque dignitas patriarchalis spectatur, dicendum est et Romanum Episcopum sub ea ratione spectari quatenus est Patriarcha.

Quare 2° ad Rufini interpretationem quod spectat, vel iste assecutus est sensum canonis nicaeni, vel secus: si non est assecutus, de eo non sumus solliciti; si assecutus est, non potuit appellatione ecclesiarum suburbicariarum aliud intelligere quam Ecclesias totius Occidentis, quae nempe sub Episcopi Urbis potestate erant. Sicut enim duplici a Constantino constituto Vicario Praefecturae Praetorianae Italiae, altero dicto Vicario Urbis qui Romae Sedem habebat, altero Vicario Italiae, qui sedem habebat Mediolani, eae regiones vel provinciae quae Vicario Urbis parebant dicebantur suburbicariae, ita Rufino fas fuit ecclesias suburbicarias vocare quae parerent Episcopo in Urbe sedenti. Ceterum historice constat iurisdictionem Romani Episcopi nedum patriarchalem, sed metropoliticam antiquitus ultra centesimum lapidem se protulisse, ut prorsus inepta sit Salmasii imaginatio. Lege Diatribas Iacobi Sirmondi *de Suburbicariis regionibus et ecclesiis* Operum tom. 4. edit. Venetae 1728.

VI. Adversarii nobis potissimum obiiciunt quaestionem exortam inter Africanos Episcopos et Romanam Sedem circa appellationes in causa presbyteri Apiarii, qui ab Urbano Episcopo suo Siccensi excommunicatus et depositus appellavit et confugit ad Romanum Pontificem

Zosimum. Quae appellatio inusitata Africanis eos adeo commovit, ut eodem anno 418. (vide Criticam Antonii Pagi an. 419. n. 25.) statuerint in Synodo (can. 125. penes Dionysium) ne clerici appellent ad transmarina iudicia. Zosimus tamen appellationem recepit misitque sub finem eiusdem anni legatos suos in Africam, qui causam cognoscerent sententiamque ferrent cum vicinis Episcopis, quibus commonitorium in scriptis dedit, in quo descripti erant quidam canones sardicenses, appellati tamen a Zosimo canones nicaeni. Ita enim tunc Ecclesia Romana solebat canones hos et alios appellare, denominatione ducta a nicaenis canonibus, quibus subiiciebantur (cf. Oper. s. Leonis tom. 3. edit. FF. Ballerin. p. 2. c. 1. §. 3.).

Episcopi Africani, qui Concilii oecumenici sardicensis memoriam amiserant, mirati sunt eos canones proferri; quoniam eos inter nicaenos non reperiebant statueruntque in Orientem mittere, qui a principalibus Ecclesiis authentica exemplaria Canonum nicaenorum referrent: interim tamen professi sunt se servaturos canones illos, quos Legati Zosimi attulerant, salva diligentiore inquisitione concilii nicaeni, ut aiebat Augustinus. Literas quoque dederunt ad Romanum Pontificem Bonifacium successorem Zosimi, ut ipse quoque id curaret. In quibus literis haec quatuor referunt sibi mandata a Sede Romana: « unum de appellationibus episcoporum ad Romanae Ecclesiae Sacerdotem: alterum ne ad Comitatum episcopi importuni navigent: tertium de tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint: quartum de Urbano episcopo excommunicando vel etiam Romam evocando, nisi ea, quae videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium, inquiunt, de primo et tertio... iam priore anno ad eundem Zosimum insinuari curavimus, ut ea servare sine ulla eius iniuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Concilii nicaeni ». Interea Patres Africani cum quodam temperamento Apiarium restituerunt; qui postea iterum damnatus rursus appellavit Romam rursusque missus in Africam legatus a Caelestino successore Bonifacii Faustinus, qui, si Africanis credimus, cum quodam insolenti fastu se gessit.

Acceptis autem ab Orientalibus Ecclesiis canonibus nicaenis, nec inter eos visis iis quos Zosimus protulerat, scripserunt ad Caelestinum epistolam synodicam, in qua, post mentionem factam Apiarii, haec continentur. 1° Episcopi deprecantur, ut deinceps Romanus Pontifex non adeo facile admittat Episcopos ex Africa venientes, nec ibi excommunicatos velit ultra in suam communionem recipere: 2° item ut repellat improba refugia presbyterorum quoque et sequentium clericorum. Horum primum probant ex canone nicaeno 5. (cf. th. 15. n. 4.) argumento

a minore ad maius: « quia etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis (consequentia sane non apparet) hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi a tua Sanctitate vel festinato vel praepropere vel indebite videantur communioni restitui ». Alterum probant: « quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est Africanae et decreta nicaena sive inferioris gradus clericos sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt ». Utrumque vero probant, quia « prudentissime iustissimeque Patres providerunt, quaecumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda »; tum quia difficile est ad transmarinum iudicium necessarias personas testium adduci. 3° Aiunt se in codicibus nicaenorum canonum non reperisse canones a Zosimo productos. 4° Hortantur tandem ut Romanus Pontifex nolit, quibusque petentibus, mittere aut concedere exsecutores suos.

Ex hac porro historia inferunt adversarii Africanos Episcopos non agnovisse nec probasse ius Romani Pontificis recipiendarum appellationum; si enim id credidissent, etsi eos laterent canones sardicenses, acquievissent sponte mandatis Zosimi. Tum eas appellationes in epistola ad Caelestinum impugnantes ex decretis Concilii nicaeni, videntur ii Patres censuisse, auctoritatem Romani Pontificis esse canonibus limitatam.

Iam vero ut indoles huius facti intelligatur, haec putamus advertenda. 1° Occasio ortae disceptationis fuit appellatio presbyteri ad Romanam Sedem, quam appellationem Zosimus suscepit: ut autem salvo suo iure rem suaviter ageret, noluit iudicium Romae habere, sed legatos in Africam destinavit, qui cum episcopis africanis iudicarent. 2° Praeterea idem Zosimus misit in Africam tres canones sardicenses, primum (ut ipse advertit in suo commonitorio c. 5. lecto in Synodo vulg. dicta sexta Carthaginiensi an. 419. Vide Baronium sub eodem anno) *de episcoporum appellatione,* qui est quintus sardicensium et est ultimus ex iis quos superius attulimus: alterum *ne Episcopi ad Comitatum importune navigent:* tertium *de appellationibus* (ut idem Pontifex ibidem ait) *clericorum idest minoris loci,* qui est septimus decimus sardicensis in quo statuitur, ut si Episcopus ex iracundia cito aut aspere commotus sit adversus presbyterum sive diaconum suum eumque voluerit eiicere ab Ecclesia, providendum sit, ne innocens damnetur, ideoque possit eiectus confugere ad metropolitanum et si hic abest, ad finitimum episcopum (Dionysius legit episcopos finitimos) et rogare ut suum negotium accurate examinetur. Ille vero episcopus, qui iure vel iniuria eiecit presbyterum, aequo animo ferat, rei fieri examinatio-

nem suamque sententiam vel confirmari vel corrigi. Utriusque canonis mentionem faciunt Africani in epist. ad Bonifacium.

Quorsum duos canones primum et tertium protulit Zosimus? an tantum pro tuendo suo iure in appellatione a se recepta presbyteri Apiarii? verum prior canon agit de appellatione episcoporum; alter agit quidem de appellatione clericorum sed ad metropolitanum aut finitimos Episcopos. Quaestio est paululum impedita. Ceterum non possumus consentire Davidi oper. cit. c. 11. a. 9. arbitranti traditos a Pontifice legatis suis eos canones fuisse ad eorum tantum instructionem; nam vix ac Legati Synodum inierunt, postularunt, ut commonitorium quod attulerant cum iis canonibus publice legeretur et actis insereretur, quod factum est eorumque exsecutionem poposcerunt. Docere ergo Africanos vel eis in memoriam revocare aliquid Pontifex volebat, afferendo eos canones. Scilicet cum Zosimus ita appellationem recepisset, ut legatos suos miserit qui iudicarent, iudicarent tamen cum aliis Episcopis Africanis, duos eos canones misit, in quibus statuitur et potestas episcoporum iudicandi in causa appellationis presbyterorum et potestas Romani Pontificis mittendi legatos, qui vice sua iudicent, ut sic pateret alterum ab altero non excludi.

Verum quidem est, quod canon 5. sardicensis agit de potestate Rom. Pont. mittendi logatos in causis episcoporum: attamen censemus mentem fuisse Zosimi, quod idem valere deberet in causis presbyterorum idque ex consuetudine recepta confirmari ideoque censemus dedisse Zosimum in mandatis legatis suis, ut ratione habita consuetudinis sic canonem illum explicarent: et merito quidem. Nam canon non statuit ius, sed solum determinavit exercitium iuris; porro quae rationes valebant pro appellationibus Episcoporum, valere frequenter poterant pro appellationibus presbyterorum: exsistente ergo iure divino in Romano Pontifice quoad utrosque, quod ius a canonibus independens est et exsistente eadem ratione pro appellationibus presbyterorum ac Episcoporum, cum horum appellationes et legatorum missionem in eorum causis canon sardicensis probaverit, censendus erat probasse quoque idem in causis presbyterorum. Quare abs re non est, supponere quod Zosimus legatos suos iusserit iuxta hanc mentem canonem explicare, confirmantes id quoque ex consuetudine, ad quam certe in Synodo an. 419. Faustinus Legatus provocavit. Quia vero alia erat consuetudo Africanae Ecclesiae in huiusmodi causis presbyterorum, hanc interpretationem non probavit Africanis. Sed illud potissimum eos commovebat, quod canones sardicenses ignoti ipsis forent: quare cum hos canones eosque citatos sub nomine nicaenorum audissent Africani, nec eos in suis codicibus Concilii nicaeni imo nec alibi reperissent (in nulla,

aiunt, invenimus Patrum Synodo constitutum) carebant enim canonibus Concilii sardicensis, quod et fuisse catholicum Concilium ignorabant, hinc orta est quaestio de ipsis canonibus.

Porro in hac quaestione Africani non negarunt ius insitum ex divina institutione Romanae Sedi recipiendi appellationes sive Episcoporum sive clericorum aut presbyterorum, sed convenientiam et utilitatem negabant exercitii huius iuris quoad presbyteros aliosque inferiores tantum et quidem pro Africa et nullam legem agnoscentes, quae hoc exercitium praeciperet, negabant se contra ius agere, has presbyterorum appellationes non permittendo. Sane quod spectat ad ius Romanae Sedis recipiendi appellationes presbyterorum, Africani non solum prima vice sed et altera, postquam rursus appellaverat Apiarius, exceperunt legatos Romanae Sedis, qui ut iudices in Concilio sederent. Et postquam ab ipsis legatis damnatus fuit Apiarius, ipsi Africani ad Caelestinum scribentes, petunt quidem (*deprecamur* aiunt), ut ipse nolit recipere appellationes presbyterorum rationesque afferunt id suadentes, sed nec ius negant nec de eo aliquid decernunt. Imo cum illud non negent, sed tantum versentur in afferendis rationibus, quibus suadeatur, non convenire Africanis exercitium illius iuris, eo ipso significant se de iure ipso Romani Pontificis non dubitare. Ceterum cum ab ipsis Orientalibus probatum fuerit ius Patriarchae excipiendi appellationes et Rom. Pont. esset Patriarcha Occidentis, qua ratione hanc sibi praerogativam poterant vindicare Africani, ut eorum sententiae inappellabiles forent? Quaestio ergo tantum erat de utilitate exercitii huius iuris in certis adiunctis.

Quod spectat vero ad ius Romanae Sedis recipiendi appellationem Episcoporum, certum est 1° eas non potuisse reprobari ab Africanis, qui eas admittebant, ut testis est Augustinus epist. 112. loquens de appellatione Ceciliani episcopi carthaginiensis: « Neque enim de presbyteris aut diaconis aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, praesertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integre reservare ». Rursus eadem aetate, qua fervebat controversia ista de Apiario Africanorum Episcoporum, quos inter Augustinus quoque erat, cum Romana Sede, dedit Augustinus epistolam, quae est 209. ad Caelestinum R. P. pro causa Antonii Episcopi Fussalani, qui pessime se gesserat in Episcopatu. Porro in hac Epistola Augustinus significat Antonium, qui ab Synodo Africana damnatus fuerat, appellasse Romanam Sedem (nn. 6. 9.): quod Augustinus non solum non improbat, sed deprecatur Caelestinum, ut auctoritate sua suaviter utens velit et Antonio et populo Fussalae

consulere. Ibidem Augustinus mentionem facit aliarum tum recentium tum antiquarum appellationum Episcoporum ex Africa Romam (n. 8.).

Consequens est proinde, eos Episcopos Africanos, qui in causa Apiarii quaestionem habebant cum Romana Sede, non negasse ius recipiendi appellationes Episcoporum Romano Pontifici. Certum est autem 2° eosdem non nisi precibus usos esse *(deprecamur)* erga Pontificem et suasionibus quibus preces suas confirmarunt; deprecatos vero id esse, ne adeo facile admitteret ad suam audientiam venientes Episcopos ex Africa, nec excommunicatos in Africa ipse in communionem ultra vellet recipere. Quod et canone 5. nicaeno suadent. Id quidem, *communionem nempe dare confugienti*, profecto aliud est ac appellationem recipere iudiciumque instituere (v. p. 432.), verum et de appellatione Africanos loqui ac flagitare ne admittantur, liquet ex sequentibus; scilicet cum aiunt, quaecumque negotia ubi orta sunt finienda esse et transmarinum *iudicium* ratum esse non posse propter impossibilitatem mittendi testes et orant vel suadent, ne legatos a latere mittat, quia id nulla synodo inveniunt constitutum. Orant ergo, ne Romanus Pontifex vel per se vel per suos legatos iudicet causas eorum qui ad ipsum confugerint, quod est petere ne appellationes recipiat: sed permittat causas finiri per concilium provinciae aut universale Africae, ut iidem aiunt. Quod quidem quia nondum ipsis vetitum fuerat, sanxerunt in Synodo quoque anni 419. can. 25. et 34. reservantes tamen ultimum iudicium de hac re Romanae Sedi, ad quam acta synodalia pro confirmatione mittebantur.

Si qua difficultas occurrit in can. 34. in quo asseri videtur Episcopis quoque antea fuisse prohibitum appellare transmarina iudicia, conferantur de hac re FF. Ballerinii in *Observationibus ad Dissertationem* 5^m^ *Quesnelli*, p. I. c. 6. n. 27.

Itaque quaestio exorta propter appellationem presbyteri Apiarii non erat de iure, sed de opportunitate exercitii iuris, quam propter certa adiuncta non haberi censebant Africani; quos tamen potuisse in hac re decipi, vel longius progredi quam par esset, nemo negabit.

Quoad quaestionem vero Canonum sardicensium, quos ignorabant Africani, advertendum est quod alia est quaestio *an ius sit:* alia, cum exercitium iuris non est necessarium, *an lex sit quae illud exercitium praescribat:* qua quidem exsistente, merito reprehenditur qui exercitium illud impedire velit; non exsistente vero et praesertim si exsistat opposita consuetudo, a reprehensione ille est immunis. Porro Zosimus producens canonem sardicensem, non exsistentiam iuris, sed legem praecipientem liberum illius exercitium directe probabat, dignosque esse reprehensione Africanos qui illi legi adversabantur. Quaestio ergo

erat de exsistentia huius legis. Quid ergo mirum, si Africani non invenientes eum canonem, citatum tanquam nicaenum, in suis codicibus concilii nicaeni, dubitarunt de eius exsistentia voluerintque de ea re fieri certiores? Et tamen, cum postea quoque inter nicaenos non fuerit canon ille repertus, ideoque persuasi essent Africani eam legem non exstare; non negant se obedire velle eumque canonem productum a Zosimo sequi; sed tantum *deprecantur* et suadent Pontifici, ne eo obligentur. Scilicet noverant potestatem habere Pontificem illud praecipiendi, etsi nullus canon exstaret. Quare falsum est et illud, putasse Africanos potestatem Pontificis esse canonibus limitatam. Hoc praecipuo argumento historico dissoluto, facile dissolves alia eiusdem momenti, cuiusmodi est e. g. controversia s. Hilarii Arelatensis cum s. Leone M., de qua confer Ballerinios Oper. Leonis T. 2. *Observationes in Diss.* 5^m *Quesnelli.*

Oportet tamen ut impudentissimum argumentum breviter refellamus. Usi frequenter hactenus sumus et porro utemur auctoritate Romanorum Pontificum in praerogativis Romanae Sedis vindicandis. Aiunt autem adversarii, eos non esse audiendos, quia *loquuntur in causa propria.* Verum 1° ipsi loquuntur in causa Christi et Ecclesiae suae. Audiatur Bossuet (*Defensio* p. III. l. 10. c. 6.): « Audio quid dicant: Romanis Pontificibus Sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa, non credendum, sed absit; pari enim iure dixerint ne episcopis quidem aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem praedicant... Quod quidem heic semel dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem: profiteorque me de Sedis Apostolicae maiestate romanorum Pontificum doctrinae ac Traditioni crediturum: quanquam eorum sedem non ipsi magis quam reliqui ac tota ecclesia, orientales non minus quam occidentales praedicent. » 2° Cum sententiis eorum Pontificum consonant sententiae ceterorum Patrum et Synodorum; quare traditioni prorsus conformes haberi debent. Et nos hactenus 3° eos Pontifices adduximus tanquam testes traditionis et Ecclesiae doctores: in huiusmodi enim censu, testium nempe aut doctorum, Ecclesia universa semper eos Pontifices habuit, quorum testimoniis usi sumus; unde eorum testificatio ab Ecclesia probata, tanquam saltem Ecclesiae totius testificatio ab adversariis acceptari debet.

ARTICULUS II.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS ERGA SOCIETATES AB ECCLESIA DISTINCTAS

THESIS XXI.

Inter auctoritatem religiosam, quae propria est Romani Pontificis et potestatem politicam christiani Principis ea exsistit ex ipsis rerum naturis habitudo, ut haec sit illi ne dum negative sed et positive subordinata, licet indirecte.

1. Subordinatio, de qua loquimur, in eo est quod alterum altero inferius sit et ab eodem dependens. Negative subordinatam unam potestatem alteri dicimus, cum inferior intra limites quoque obiecti sui illud agere non potest (prohibente id ipso naturae iure) quod redundet in damnum superioris, atque ab iis actibus abstinere debet, quos altera potestas iudicat non licere. Positive subordinatam unam potestatem alteri dicimus, cum inferior ita dependet ut debeat per actus suos, altera id exigente, ad eius bonum et commodum conferre.

Prior subordinatio potestatis civilis ad auctoritatem Ecclesiae ideoque et Romani Pontificis obtinentis plenitudinem eius auctoritatis, manifesta est. Etenim ex ipsis rerum naturis homo debet esse civis et religiosus; hoc alterum vero ratione finis est praestantius et magis necessarium. Hinc potestas civilis in exercitio sui debet habere rationem religionis saltem negative, h. e. impedire non debet homines ab assecutione finis ultimi: ratio evidens est; quia potestas ea est in bonum hominum: finis autem eorundem praeferendus est ceteris bonis. Neque potestas civilis potest iure esse athea; haec enim potestas est a Deo iuxta Apostolum (Rom. XIII. 1.): cuius doctrinae sensus non is est ut omnis potestas immediate a Deo conferatur; hic enim sensus nec necessarius est et frequenter falsus est in quavis sententia de origine potestatis civilis, si de omnibus superioribus sermo sit quibus in civili societate parendum est, ut loqui videtur Apostolus. Sed sensus est, divina ordinatione exsistere potestatem in societate, quae est quaedam participatio potestatis Dei, qui solus a se ius habet obligandi homines, ita ut sine hac participatione nemo possit habere ius obligandi alios imperio suo; haec scilicet vis regendi coactive actiones eorum qui sunt natura pares et ab invicem independentes, ex aequo ordinati immediate in Deum, solum ab eo, qui hominum superior natura est eorumque conditor, originem habere debet. Atqui nequit esse athea potestas quae a Deo est et instituta est in bonum eorum qui necessario

ordinantur in Deum, sicut nequit esse athea ea potestas a qua originem dicit, et a qua tantum vim habet.

Quod si exsistat potestas religiosa positive instituta a Deo, cui omnis iurisdictio religiosa pro hominibus sit concredita, multoque magis si sit potestas ordinis supernaturalis pro hominibus ad finem supernaturalem elevatis: potestas civilis 1° nullum ius habet amplius in res religiosas et sacras, quae superioris ordinis sunt et a Deo, Domino utriusque ordinis, alteri potestati sunt commissae (cf. quae diximus *de Matrim.* §. 4. prop. 5.): sequitur 2° in hypothesi institutae a Deo potestatis religiosae distinctae, quod potestas civilis pariter negative saltem, sicut diximus, habere rationem debeat ordinis illius religiosi et potestatis eius a qua idem regitur.

Praeterea potestas religiosa Primatus instituta a Deo est magistra infallibilis moralitatis, non vero potestas civilis: haec vero potestas ius nullum habet praecipiendi quod inhonestum est, Princeps autem christianus tenetur se subiicere magisterio Ecclesiae: cum ergo Ecclesia vel Romanus Pontifex docet legem aliquam aut institutionem esse inhonestam nec sine peccato servari posse; illi iudicio submittere se debet potestas illius et a re prohibita abstinere. Ergo.

II. Verum oportet ut potestas civilis habeat quoque *positive* rationem religionis: h. e. non tantum non impediat bonum religionis exercitiumque eius potestatis, qua societas religiosa gubernatur: sed et positive conferat, cum necesse est idque potestas religiosa exposcit, ad bonum religionis, ad auxilium vel praesidium eiusdem potestatis religiosae. Quod quidem praesidium multipliciter ferri potest secundum triplicem potestatem, legislativam, iudicialem, coercitivam. Si nimirum potestas religiosa arbitretur expedire bono religionis, ut quasdam leges ferat auctoritas civilis earumque transgressores iudicet et puniat, vel ut a quibusdam legibus ferendis, etsi non per se malis, vel iudiciis instituendis abstineat, ut vim suam coercitivam exerceat in perturbatores ordinis religiosi, ipsa iubere potest principem haec praestare, isque iure exsequi ea tenetur.

Haec est certa doctrina Bonifacii VIII. in Bulla *Unam Sanctam* (Extravv. Comm. l. 1. tit. 8. *de Maioritate et obedientia*). Docet enim *gladium materialem,* qui in Ecclesia est, esse oportere *sub gladio spirituali* et esse adhibendum *pro Ecclesia, ad nutum Sacerdotis;* dependentiam ergo habet potestas civilis a religiosa: si adhibendus *pro Ecclesia;* ergo non solum non est gladius adhibendus contra Ecclesiam aut eius bonum impedire non debet, sed in commodum et favorem Ecclesiae adhibendus est. Constitutionem porro Bonifacii VIII. Leo X. sacro approbante Concilio Lateranensi Sess. 11. innovavit et

approbavit sine praeiudicio declarationis Clementis V. quae incipit *Meruit*. Declaratio vero haec Clementis V. confirmat Bonifacii doctrinam. Ait enim Clemens (cf. Extravv. comm. l. V. tit. 7. c. 2.) per definitionem et declarationem Bonifacii VIII. regem Francorum Philippum et reguum eius non ampliusesse subiectos Ecclesiae Romanae quam antea exsistebant. Scilicet Bonifacius non ius novum condidit, sed ius antiquum et divinum authentice declaravit et idcirco Christianissimus Rex subiectus erat Romanae Sedi post Bullam Bonifacii non secus ac prius.

Quaeritur quanta sit vis huius prioris partis Bullae (a) in qua traditur subiectio gladii temporalis gladio spirituali: non enim doctrina ibi asserta videtur habere vim definitionis fidei; nam formulae exhibentes definitionem fidei in extrema tantum Bullae parte comparent ac doctrinam afficiunt de necessaria omnibus subiectione ad Roman. Pontif. *(Porro subesse Rom. Pontifici, omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus, pronunciamus omnino esse de necessitate salutis)*. Non contendimus certum esse certitudine quam consequatur obligatio credendi, quod ibi definitio fidei habeatur praeter hanc explicitam conclusionem; quoad hanc enim tantum Romanus Pontifex clare significat, se supremi doctoris munere fungi illudque ut necessario tenendum omnibus explicite proponit.

Verum pars doctrinalis, quae praecedit de subiectione auctoritatis temporalis spirituali, ita nexa est cum extrema conclusione, ut theologica certitudine constet, id quod definitum est eam quoque continere. Sane hic est processus bullae. Ecclesia, extra quam non est salus, una est, unum corpus. Unius Ecclesiae unum est caput, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus Petrique successor. In Ecclesia duplex est potestas, seu duplex gladius, temporalis et spiritualis, sed ille pro Ecclesia, hic ab Ecclesia exercendus, hic sacerdotis manu, ille manu

---

(a) Negarunt quidam recentiores, Bullam, qualis nunc prostat, esse authenticam vimque habere legis. In Periodico *Rivista Universale di Firenze* luglio 1877. negatur canonica eius auctoritas; quia exstat solum inter extravagantes: quia Leo X. eam, quam laudavit, non inseruit suae Constitutioni; ideoque nescimus, quae et qualis fuerit: quia a nullo theologo postea citata. Addit quidam Doctor (in Revue des qq. Historiques Paris, Iul. 1879.), argumenta intrinseca; quibus apparet potius fuisse schema Bullae edendae, quam Bulla edita. Alter (ibid.) ostendit, eam magna ex parte desumptam esse ex opere inedito Aegidii Romani, *de Ecclesiastica potestate libri tres*.

Verum certe Bulla aliqua a Bonifacio edita fuit; secus quo spectaret declaratio Clementis? Leo vero dicendus est eam probasse, quae inter Extravv. exstabat; haec enim omnibus nota erat. Ceterum vetus commentarius proditus est in eam Bullam auctore Cardinali aequali Bonifacii VIII., ubi eadem Bulla integra refertur.

regum et militum sed ad nutum sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati; quia utraque potestas est a Deo, quae autem a Deo sunt, ordinata sunt, quod non foret nisi gladius esset sub gladio et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Spiritualis vero potestas praecellit temporali. Haec spiritualis potestas collata est divinitus Petro, cui qui resistit Dei ordinationi resistit, nisi duo fingat esse principia, quod falsum et haereticum est. Porro etc.

Iam vero vides 1° omnia quae ultimam conclusionem praecedunt, aptissime invicem cohaerere: *una scilicet est Ecclesia, extra quam non est salus, unum caput Christus et Petrus, una potestas suprema et quia duplex reperitur in Ecclesia potestas, temporalis et spiritualis, ea huic subiici debet et ad eius nutum exerceri, ut ordo sit et unitas.* Vides 2° haec quae traduntur de unitate Ecclesiae, unitate capitis ac potestatum subordinatione, non esse obiter et per accidens dicta, sed data opera de iis agi ac ipsa ad substantiam totius Constitutionis spectare; iis enim demptis non eadem constitutio doctrinalis formaliter haberetur: ea enim non ex sola conclusione, sed ex tota serie sermonis contextuque propositionum coalescit. Vides 3° praecedentia necti veluti principia cum ultimis verbis conclusionis; unitas enim Ecclesiae, unitas capitis et debita subordinatio omnium uni, quae enunciantur in praecedentibus, ratio sunt cur necesse sit omnem humanam creaturam subiectam esse Romano Pontifici, quod in fine constitutionis affirmatur. Iam vero 4° in praecedentibus asseritur explicite necessitas subiectionis principum temporalium, quatenus tales sunt, potestati spirituali. Ex iis autem consequitur ultima verba *omni humanae creaturae* complecti quoque reges qua tales, docerique proinde ea definitione necessitatem illius subiectionis potestatis temporalis erga spiritualem, quae explicata est superius. Probatur consequentia: nam amplitudo consequentis pendet ex amplitudine antecedentis, idque certe consequens universaliter expressum comprehendit quod disserte veluti eius pars enunciatum est in praemissis; atqui in praemissis enunciata est disserte subiectio regum qua tales sunt ecclesiasticae potestati; ergo. Igitur analysi instituta huius constitutionis constat rem definitam, h. e. omnes subiici oportere Rom. Pontifici, complecti quoque reges christianos, qua tales, seu politicam potestatem.

Ita certe accepta fuit ea aetate haec Constitutio, et haec ratio fuit cur Rex Christianissimus excandesceret.

Doctrina Bonifacii antiqua est; nam eadem est sententia Patrum. Quorum doctrina cognosci potest tum ex testimoniis citatis in Proleg.

sub §. 18. n. 7. quibus debitum subordinationis politicae potestatis auctoritati ecclesiasticae traditur, tum speciatim ex comparatione frequenter instituta inter habitudinem civilis societatis ad Ecclesiam et habitudinem corporis ad animam quae iam apparet in Constitutionibus Apostolicis l. 2. c. 34. « Vos (sermonem convertens ad Principes et praefectos ait Nazianzenus orat. 13. n. 8.) lex Christi meae potestati meoque subiecit imperio. Imperamus enim et ipsi, addo, maiori imperio et perfectiori; nisi vero aequum sit spiritum carni et caelestia terrenis cedere ». Et Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 249. « Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit; illud enim velut anima est, hoc velut corpus: ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est ad hominum salutem ». Cui consentit doctissimus Ivo epist. 51 ad Henricum Regem Angliae, ipsum monens, ut regnum terrarum caelesti regno, quod Ecclesiae commissum est, subditum esse debere semper cogitet. « Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini et quantum valet corpus nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina ». Eadem formula utitur s. Thomas 2^a 2^{ae} q. 60. a. 6° ad 3^m inquiens quod « potestas secularis subditur spirituali sicut corpus animae et ideo non est usurpatum iudicium, si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus quantum ad ea in quibus subditur ei secularis potestas ». Quam doctrinam authentice professi sunt Patres constantienses in condemnatione errorum Wiclephi: « sicut se habet spiritus ad corpus et regio spiritus ad regionem corporis, sic proportionabiliter iudex ecclesiasticus ad iudicem terrenum et forum ecclesiasticum ad temporale: sicut dicit ven. Hugo de s. Victore et Alexander de Ales, et alii doctores et sacri canones ». Cf. hanc condemnationem in Append. Conc. Constant. n. 23. ad art. 12. Haec ratio loquendi constans et communis fateri cogit ad doctrinam Ecclesiae spectare, quod ea comparatione enunciatur de habitudine inter ecclesiasticam et civilem potestatem. Enunciatur autem subordinatio potestatis civilis ecclesiasticae, non qualis est vivificati ad vivificans; nam in Ecclesia catholica certa est doctrina, potestates esse distinctas et in suo ordine independentes, sed qualis est inferioris ordinati ad bonum superioris et habentis quoad ipsum rationem instrumenti ad id quod superius est finisque rationem habet ac causae principalis: nam haec est proprie altera habitudo corporis ad animam et hac exclusa nulla est alia. Atqui talis subordinatio potestatis civilis ad ecclesiasticam exigit ut ad nutum huius ea positive concurrat in eius auxilium et praesidium; ita enim corpus obedit et inservit animae ut instrumentum eius: ergo.

Et sane inter potestatem civilem in societate Christiana et potestatem religiosam 1° nexus quidam exsistit; nectuntur enim tum ratione eorundem subiectorum, quae ab utraque potestate reguntur, tum ratione finium, ad quos eadem subiecta dirigit utraque potestas; ordo etiam societatis civilis et ordo societatis religiosae mutuo se iuvare possunt: nexus vero 2° non est coordinationis; potestates enim se habent inter se sicut fines earum: finis vero potestatis civilis, qui est ordo in societate civili et finis potestatis alterius, qui est bonum religiosum, non sunt coordinati, quemadmodum coordinati non sunt finis ultimus hominis et felicitas quaedam temporalis; qui fines ratio sunt cur et ordo in societate civili et bonum religiosum in societate religiosa sit per utramque potestatem respective curandum. Sed est 3° nexus subordinationis: nam finis, qui est felicitas temporalis, est quoad homines subordinatus fini ultimo qui per religionem obtinetur. Est autem 4° potestatis civilis ad religiosam subordinatio *medii*, eius nempe quod in bonum subordinatorum referri potest et debet, cum utile est ad finem eorundem et id subordinans exigit. Sunt scilicet quaedam media, quae per se sunt ordinata ad finem aliquem, ut ideo exsistant quia est ille finis, sic sacramenta pro sanctificatione: sunt alia media quae pro certo fine per se necessaria non sunt et sine eo esse possunt; eo tamen fine exsistente, illi subordinantur, ut qui ius habet consequendi huius finis, ius quoque habere possit et habeat, si media ea illi praesto sunt, utendi eis ad finem. Sic etiam sine cultu religioso templorum posset esse aurum et argentum in natura: posito autem quod homines velint aut debeant dedicare templa, ius habent utendi auro et argento ad eorum ornatum veluti mediis in hunc finem subordinatis.

Porro in hac classe mediorum dicimus reperiri potestatem civilem respectu potestatis ecclesiasticae. Etenim potestas civilis est instituta unice in bonum eorum, qui tamen ad unum finem ultimo sunt ordinati, qui est bonum religiosum; ad quod propterea assequendum ius habet homo ut adiuvetur in hac vita per cetera bona, quae propter ipsum exsistunt illique sunt collata, quae idcirco rationem induunt medii ad hunc finem: est ergo subordinatio potestatis civilis ecclesiasticae potestati subordinatio medii. Porro huiusmodi ius fidelium exercet potestas religiosa, quae pro curando bono religioso hominum ultimique finis assecutione est instituta. Ius enim ipsa habet exigendi quod hominibus ad hunc finem est necessarium; cum autem sit vera potestas iurisdictionis eaque versetur circa ea omnia quae ad finem religiosum referuntur atque superior sit potestate civili, sicut finis suus fine illius; iure praecipere principi christiano potest quod sibi utile vel necessarium arbitretur. Iam vero talis subordinatio est positiva:

ergo iurisdictioni Primatus, quae est plenissima potestas religiosa, subordinatur positive potestas politica.

Secundum haec verissime dicebat Innocentius III. (epist. 197. l. 2.) voluisse Christum ut Petri successor « non solum inter principes, sed super principes sederet et de principibus iudicaret » atque (epist. 209.) Christum b. Petro non solum universalem Ecclesiam sed totum seculum gubernandum reliquisse ». Porro tantundem est quod potestas civilis subordinetur positive potestati religiosae eique pareat in aliquo faciendo et quod eidem pareat in aliquo omittendo; eadem est enim formaliter subordinatio et utramque pariter eodem titulo finis religiosus postulare potest: ergo et quoad haec subordinatur positive potestas civilis potestati religiosae. « Haec (ait Ioannes Archiep. Cantuariensis Eduardo Regi Angliae an. 1281. penes Mansi Conc. tom. 24. p. 426.) attendentes imperatores catholici leges suas omnes sacris canonibus subdiderunt, ne schismatici vel haeretici putarentur. Cum igitur ad vos, excellentissime domine rex, pertineat pax inclita imperii et vos etiam tenemini leges vestras canonibus subiicere et contrarias abolere ».

Corollarium. Ex his sequitur quod Innocentius III. (c. *Novit de Iudiciis*) non est amplexus omnem materiam in qua christiani reges auctoritati Pontificis subesse debent cum inquit: « non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (Regem Franciae Philippum) spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura ». Nam non solum ratione intervenientis peccati, propter cuius punitionem Reges christiani non secus ac ceteri fideles subsunt Pontifici, se exerere potest potestas Pontificis in ipsos Reges, sed ratione habita naturae ac finium utriusque potestatis.

III. Verum haec positiva subordinatio est ne directa an indirecta? Iam diximus superius subordinationem directam unius potestatis alteri potestati in eo esse ut potestas subordinata, respectu sui proprii finis, regatur a potestate superiore ideoque ab hac pendeat quoad omnes actus suos et ita proinde, ut superior quoslibet actus suos irritare possit aut validos efficere. Atqui non ita subordinatur potestati religiosae potestas civilis. Nam potestas a Christo data Petro est formaliter potestas religiosa per se ordinata ultimo in finem supernaturalem consequendum in altera vita, immediate ordinata ad cultum divinum in hac vita procurandum eo modo quo Christus instituit. Nulla vero civilis potestas formaliter est collata Petro. Quocirca potestas ecclesiastica curam per se non habet felicitatis temporalis, quae finis est societatis civilis et ideo in iis omnibus, in quibus sola felicitatis temporalis ratio occurrit, civilis potestas, quae ad eam dirigere debet, est independens; cum ipsa et non alia propter hunc finem exsistat. Nec, quamvis ordo

civilis conducere possit ad ordinem religiosae societatis, opus est, ut omnes actus civilis potestatis regantur a religiosa; quia ordo et quies religiosae societatis exposcit quidem ut societas civilis recte et iuste gubernetur, sed non determinat modum, qui multiplex esse potest diversis legibus et institutis. Quare cum dependentia potestatis civilis a religiosa rationem omnem suam mutuetur a fine, finis vero religiosae potestatis non postulet, ut modum etiam ipsa determinet quo civilis societas regatur, sive determinet formam regiminis, leges etc.; hinc deest ratio sufficiens cur potestas religiosa dirigat actus omnes potestatis civilis. Non igitur directe subordinatur potestas civilis potestati religiosae.

Restat ergo ut subordinetur *indirecte*. Et sane ratio subordinationis est excellentia finis potestatis religiosae: ad quem cetera, quae propter hominem instituta sunt, subordinari debent et auxilium et praesidium, si opus est, praebere. Subordinatio vero ratione finis est solum indirecta. Haec porro subordinatio non excluditur ex eo quod sola potestas religiosa sit formaliter data Petro; nam potestas formaliter religiosa eo quod ordinata in finem excellentiorem cui finis potestatis civilis subordinatur, est simul potestas indirecta utendi hac altera potestate; neque ad hunc usum requiritur in utente potestas formaliter civilis. Itaque quamvis ipsa persona Principis sit *directe* subiecta iurisdictioni Romani Pontificis, attamen quatenus ille potestate sua utitur in regimine suae societatis, subiectus est *indirecte;* quia eatenus subest, quatenus postulante fine spirituali ius habet Romanus Pontifex dirigendi exercitium illius potestatis, isque parere tenetur. Porro hanc subordinationem esse ex ipsis rerum naturis, liquet ex data demonstratione, quae petita est ex essentiis rerum. Iure naturae scilicet hypothetico (supposita nempe exsistentia Ecclesiae) id postulatur.

Ineptissime vero quis hanc subordinationem negaret, eo quod potestas civilis sit immediate a Deo: nam et hoc modo dato (cf. Proleg. §. 16.), quid prohibet aliquid a Deo immediate procedere cum subordinatione ad aliud? Nonne animalia a Deo immediate sunt et tamen homini subordinata? Nonne corpus et anima Adami immediate a Deo fuerunt et nihilominus corpus animae subordinatum? An de elementis materiae chimici disponere non poterunt, quia ea sunt immediate a Deo? Nihil est ergo ineptius hoc argumento.

Haec est doctrina s. Thomae. Nam in 2. dist. ult. in exposit. textus post a. 3^{m} q. 2^{a} ait: 4^{m} dicendum quod potestas spiritualis et secularis utraque deducitur a potestate divina, et ideo in tantum secularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his quae ad salutem animae pertinent et ideo ex his magis est obe-

diendum potestati spirituali quam seculari ». Cf. verba eius ex hoc eodem loco recitata in thesi 14.

IV. Diximus iurisdictioni Primatus esse subordinatam potestatem *Principis christiani*. Iurisdictio enim, quae non in abstracto sed in concreto exercetur, personam requirit in quam feratur eaque subdita esse debet: qualis est Princeps christianus. Cum vero princeps subditus Ecclesiae non est, potestas quidem eius civilis ex divina ordinatione est talis, ut Ecclesiae subordinari debeat; quemadmodum vult Deus omnia regna mundi Ecclesiae suae aggregari omnesque reges agnos fieri Romani Pontificis: verum in regem non subditum nequit auctoritatem suam Romanus Pontifex exercere. Quid vero tunc fieri possit aut liceat vel non liceat, si praesertim tota regni societas sit christiana, alterius loci est disputare.

Ergo ne Princeps christianus in peiore conditione versatur quam infidelis? Ineptum et impium id est asserere. Sane 1° princeps, qui Christianus fiat, nullum ius amittit quod prius habebat; non enim prius habebat ius in sacra ordinis supernaturalis sed tantum ad summum in quandam religionem naturalem et quidem in statu praesenti ex hypothesi, ignorantiae scilicet verae religionis quam solam Deus vult. Hoc autem ius in religionem naturalem, si quod est, retinet adhuc Princeps christianus, in hypothesi scilicet quod sola exsisteret religio naturalis, vel etiam in hypothesi quod habeat subditos infideles, qui converti nolint ad fidem: quorum ritus et instituta temperare potest ut terminos naturalis honestatis non excedant. At 2° dependentia a potestate religiosa non est imperfectio, sed perfectio; perfectio est enim coniungi supernaturali ordini ab eoque regi et ad supernaturalem finem ordinari: quemadmodum perfectio est naturae humanae Christi non in se, sed in alio subsistere et generatim posita institutione ordinis supernaturalis, perfectio est naturalium rerum illi famulari. Ceterum 3° an dicendus est in peiore esse conditione fidelis quam infidelis, quia illius libertas pluribus legibus est limitata, e. g. ieiunandi, suscipiendi sacramenta, sanctificandi dies festos etc.? cur ergo dicunt deterreri merito Principes paganos ne christiani fiant, si ea subordinatio potestatis eorum ad potestatem religiosam asseratur? Tandem 4° plurima certe sunt bona quae obtinent principes in societate christiana, non tantum prout privatae personae sunt, sed prout sunt principes, quae enumerare longum esset. Unde nihil amittunt Principes, plura vero consequuntur.

Corollarium. Ex probatis sequitur 1° Principes ex hoc officio nullam sibi posse auctoritatem vindicare in res ecclesiasticas et sacras; se enim tenent ex parte mediorum, quorum non est regere, sed regi, curam scilicet Ecclesiae gerunt reges non ut domini, sed ut ministri, non ut

iudices sed ut exsecutores (cf. Becanum in *Duello de primatu regio* c. 8.). 2° Ad potestatem religiosam spectare iudicium: an et quomodo singulis in adiunctis praesidium religiosae societati a civili potestate suppeditandum sit; iudicium enim de usu mediorum pertinet ad eum qui curam habet finis: et 3° propter eandem rationem esse potestatis religiosae arbitrari, quid Ecclesia exigere possit a potestate civili, et quid haec potestas civilis possit in iis quae ad Ecclesiam spectant. 4° Cum finis temporalis, qui est finis societatis civilis et finis spiritualis, qui est societatis religiosae, concurrunt quibusvis in rebus, sicut finis prior posteriori subordinari debet, ita civilem potestatem potestati religiosae cedere in iis debere. 5° Merito proscriptam esse prop. 54. syllabi: « Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia. »

THESIS XXII.

Etsi dicantur concordata, a Romano Pontifice inita cum Principibus saecularibus, contractus bilateralis rationem habere: non minuitur exinde potestas Primatus.

I. Materia circa quam *concordata* versantur est per se et ordinarie ea quae dicitur *mixta*. Mixta materia vocatur, quae sub diversa ratione et ad ordinem religiosum et ad ordinem civilem spectare potest et sic pro diversa ratione utrique subordinari auctoritati: cuiusmodi sunt bona temporalia clericorum, publica instructio, matrimonium et huiusmodi; haec enim sub uno respectu ad temporalem felicitatem, sub altero ad bonum religiosum ordinantur. Propter subordinationem civilis auctoritatis auctoritati religosae, cum in tali materia vel ius divinum vel ius Ecclesiae quidquam ad ordinem religiosum transfert, cedere debet civilis auctoritas idque sine controversia contingebat, cum civiles societates spiritu religioso informatae Ecclesiae auctoritatem reverebantur. Verum cum abrumpi coepit vinculum debitae subiectionis coeperuntque civiles societates sibi vindicare ius autonomiae ac velle se regere non secus ac si Ecclesia non esset; occasio nata est quasdam ineundi conventiones inter supremas auctoritates religiosam et civilem quibus positive determinarentur limites, ultra quos non deberet civilis auctoritas excurrere et intra quos vellet se continere religiosa auctoritas pro bono pacis servando. Diximus materiam harum conventionum esse per se et ordinarie materiam mixtam. Ordinarie, quia fere semper in hac materia illae versantur: per se, quia cum talis materia ad utrumque ordinem referatur, locum dare potest et cuidam dissensioni et amicabili

compositioni. Extraordinarie tamen et per accidens fieri potest ut materia harum conventionum sit res simpliciter religiosa, cuiusmodi est electio ministrorum, circa quam ius aliquod civili auctoritati concedatur, vel res simpliciter civilis, cuiusmodi esset possessio quaedam temporalis puta feudum, quod Ecclesiae donaretur. Auctores harum conventionum sunt supremae potestates in utroque ordine, religioso et civili, quae aliquid simul constituunt pro iisdem subditis qui utrique subiiciuntur potestati. Hinc non nisi pro christiana societate quae Romano Pontifici subest conventiones huiusmodi fieri possunt: fieri vero possunt cum Principe etiam non fideli, qui in hoc negotio se geret ut repraesentans societatem civilem, quae sit etiam christiana.

Forma, qua iniri solent tales conventiones, est forma contractus synallagmatici seu bilateralis, qua mutua obligatio exprimitur servandi pacta.

II. Quaeritur utrum haec concordata sint veri contractus synallagmatici obligantes ex aequo utramque partem obligatione orta ex ipso contractu, ita ut altero invito nequeat alter recedere a pactis. Haec enim est indoles huius contractus, ut gignat ex utraque parte obligationem nec altera pars absque alterius consensu possit resilire a pactis. Non est proinde quaestio, cum de Rom. Pontif. disputatur, an deceat Rom. Pontificem servare quod pepigit aut ex lege honestatis ad id teneatur: sed quaestio est, an vi conventionis ipse erga alteram partem obligetur, non secus ac altera erga ipsum. Id quidem videri potest ratione saltem habita formae, qua conventiones tales inducuntur. Verum sententia est Theologis italis forte communior, has conventiones non esse veros contractus synallagmaticos nec Romanum Pontificem his obligari erga alteram partem obligatione propria contractus, qua exercitium eius potestatis contra ea, quae pacta sint, impeditum sit et inane citra consensum alterius partis.

III. Sane aiunt, 1° spectetur materia. Materia contractus bilateralis ea sola esse posse videtur, quae pari modo haberi possit ab utroque contrahente: atqui talis haud est ordinarie materia Concordatorum. Tum deinde ipsa materia, circa quam versantur istae conventiones, excludit rationem contractus bilateralis. Agitur enim de rebus spiritualibus aut annexis ad spiritualia, quae nequeunt esse obiectum contractus: nefas proinde est arbitrari velle his conventionibus Romanos Pontifices instituere contractus bilaterales. Quaecumque autem forma his conventionibus addatur, nequit profecto materiam transferre in eam speciem quae ipsi repugnet; ideoque forma ei superaddita contractus bilateralis poterit quidem esse ipsi extrinseca et accidentalis, non vero intrinseca et substantialis.

2° Spectetur ipse actus conventionis. Ex una parte est societas christiana quae prout talis subest iurisdictioni Romani Pontificis, ex altera est ipse Romanus Pontifex Pastor supremus omnium christianorum: agitur de rebus quae subsunt iurisdictioni Romani Pontificis, in quibus societas christiana nullam auctoritatem habet, sed solum officium obediendi: Romanus quidem Pontifex auctoritate sua posset obligare societatem eam ad servanda omnia quae sunt de iure communi quaeque ab auctoritate Pontificis vim habent: ut tamen se accommodet infirmitati ovium excipit quaedam et quaedam specialia statuit attemperata conditioni societatis, statuitque speciale ius, quo ea societas christiana regenda sit, seu quo eam ipse regere vult. Nimirum huiusmodi conventiones non sunt nisi quaedam speciales leges pro regimine alicuius partis gregis christiani statutae a supremo Pastore: sunt privilegium quoddam illi societati concessum; quae in quibusdam plus minus eximitur a iure communi: atqui repugnat superiorem concedentem privilegium sua concessione privilegii obligari, repugnat auctoritatem supremam sua ipsius lege ligari: ergo.

3° Spectetur natura Primatus. Ipse est plenitudo potestatis pro regimine totius Ecclesiae, quae immediate a Deo instituta est et immediate singulis successoribus Petri confertur a Deo; quae eadem semper perseverare debet qualis et quanta instituta est a Christo; primatus enim Petri perennis esse debet. Iam vero perennitas huius plenissimae potestatis non postulat quidem ut semper tota exerceatur, postulat vero ut semper, cum opus est et opus esse iudicat Rom. Pontifex, exerceri possit (cf. dicta Th. 11.) independenter a consensu subditorum aliorumque; secus enim imminutus esset Primatus, eo quod non esset amplius plenitudo potestatis. Et haec quidem potestas se exercendi independenter a consensu subditorum nedum valida sed et licita per se esse debet; est enim dos propria Primatus divinitus instituti. Neque ipse Romanus Pontifex vim huius plenissimae potestatis imminuere potest; exsistit enim ea in Ecclesia de iure divino ipseque eius est depositarius non dominus. Repugnat ergo Primatui, ut liberum eius exercitium a subditorum aliorumque voluntate iure impediatur, ut non amplius quaedam iure possit quae per se in plenitudine potestatis continentur; id vero contingeret si concordata forent contractus synallagmatici: ergo.

Haec argumenta, si primum paulisper seponamus, eo potissimum ne dicam unice, prospiciunt, ne divina auctoritas Primatus ullum detrimentum patiatur, ulli imminutioni obnoxia fiat, sed eadem semper, quoad suam integritatem et plenitudinem, in singulis Petri successoribus, immutabiliter permaneat. Id profecto divina institutio postulat.

Atqui, aiunt, si in Concordatis Romanus Pontifex vere se obligat erga Principem seu civilem societatem, quemadmodum haec erga ipsum; iam is nequit iure de illis omnibus disponere, quae vel alteri cessit vel circa quae ipse se ligavit: potestas igitur Primatus imminuta est. Nihilominus, quia R. P. Concordatum iniens, cum spondet sollemnibus verbis se illud servaturum, aliquam sine dubio obligationem sibi assumit; secus enim ludere videretur: concedunt iidem, R. P. vi Concordati certo quodam modo obligari sive ex honestate sive ex fidelitate, ita ut si idem, absque idonea causa, Concordatum violet, male acturus sit et coram Deo peccaturus: actus eius tamen validus foret.

Atque haec doctrina iis paulo vetustioribus Canonistis probata videtur, qui in Germania praecipue floruerunt et de Concordatis initis inter s. Sedem et nationem Germanicam anno 1447. sub Nicolao V. verba fecerunt. Ita e. g. Georgius Brander can. Augustanus in *Collectaneis super Concordatis* q. 8. (quod opus scriptum, ut redintegraretur collapsa in Germania Concordatorum praxis et absolutum fuit anno 1600.). «In hac quaestione non est multum laborandum. Qui enim agnoscit Pontificem esse summum Christi Vicarium et iure divino habere plenissimam administrationem omnium bonorum ad quascumque ecclesias pertinentium... is non dubitabit, Sanctitatem suam de plenitudine potestatis posse in totum vel pro parte tollere Concordata. Nam dum Concordata dicuntur habere vim Contractus (ex Puteo decis. 47.), intelligendum est ex parte Germanorum, quod videlicet illi non solum iure divino, uti Christiani, sint obligati ad parendum Romano Pontifici circa reservationes, sed etiam ex speciali concordia, quasi in vim contractae pacificationis inita... Ex parte autem Pontificis, Concordata in favorem Germanorum admissa continent meram gratiam, quae in libera Pontificis remanet facultate, iuxta illud: *quidquid ligaveris* etc. Matth. XVI. Et facultatem iure divino Pontifici competentem Papa a se abdicare non potest ».

Laurentius Nicolarts Canon. Leodiensis in *Praxi Beneficiaria* tit. III. dub. 3. §. 5., qua laudatum Brandenii opus retractavit: « Respondeo quod Papa passim pro arbitrio et sine legitima causa nequeat Concordatis Germaniae derogare; *bene tamen, dum iusta et rationabilis id exigit causa*, puta Ecclesiae utilitas vel necessitas aliaque similis pro locorum et temporum circumstantiis. Priorem partem probant argumenta supra pro sententia negante adducta... Posteriorem vero convincit imprimis summa et absoluta potestas a Christo immediate proveniens, quae in Pontifice uti... Vicario residet... *quam nec per ulla pacta a se adeo abdicare vult aut potest, quin semper penes se maiorem retineat* (c. Dudum de Praebendis in 6°); eo quod quis iuri privato pro se et in

suam utilitatem, non vero iuri publico et quidem ut heic, divino, publicam Ecclesiae utilitatem concernenti, renuntiare possit. Et implicat, ut caput corporis hierarchici vel sacri-politici, qua tale consideratum, non sit caput nec habeat potestatem capiti eiusdem corporis hierarchici iure divino competentem; cum per illam potestatem in esse capitis constituatur... Ad haec, Concordata summi Pontificis cum aliquo Rege seu Principe, *quantum est ex parte ipsius Papae, habent non tam vim pacti quam cuiusdam privilegii...*; unde sicut privilegium revocari potest, ita et concordata... Neque officit decretum irritans concordatis appositum; quia *non ligat nec ligare potest manus Papae*, ut constat ex ratione conclusionis nostrae... Sicut porro Papa non potest sibi ligare manus (c. fin. et ibi gloss. *de Rescriptis* in 6° et c. *Innotuit* 20. *de Elect.*) ita nec etiam Papa Papae legem imponere valet; cum par in parem non habeat imperium... Ratio est, quia Pontifices successores non a decessoribus suis nec a Praelatis Germaniae, sed a Deo immediate, hoc ipso quod sint legitime electi in Caput Ecclesiae, suam accipiunt potestatem... Adeoque eius potestatis *usum* non videntur decessores ipsius vel Praelati Germaniae per pactum restringere vel impedire posse ».

Perpende quoad primam partem huius testimonii duo dici: alterum: Papam non posse pro arbitrio absque legitima causa Concordatis derogare, alterum: potestatem Pontificis, quam is circa res in Concordatum deductas obtinebat ante Concordatum, eandem manere post Concordatum: ex quibus facile intelligis, quid sibi velit illud prius ex his duobus. Scilicet cum negatur posse Papam absque legitima causa, pro arbitrio Concordatis derogare, sermo est de liceitate actus, non de validitate, si pro arbitrio Papa deroget. Cetera consona sunt et clara.

Accedit auctoritas Rotae, quam ibid. Nicolarts citat ex *una Leodiensis Canonicatus* 15. Martii 1610. his verbis, dignis certe, quae advertantur: « Cum constet de voluntate Papae, non est dubitandum, quin potuerit dictis Concordatis derogare, propter amplissimam potestatem, quam habet Papa in beneficialibus... Neque taliter videatur assensisse dictis Concordatis, ut sibi penitus ligaverit manus... Et quae alias dicuntur, quod Concordata Germaniae habent vim contractus, vel non sunt vera, quia spiritualia non cadunt in commercium, sed expediuntur per viam gratiae... et Papa per huiusmodi Concordata nihil de novo acquisivit, sed multum de iure suo remisit (haec porro valere in omnibus Concordatis lector non ignorat); unde remanet merum privilegium: vel quatenus sustineri possit nomen contractus, hoc erit improprie et ad effectum, ut Papa difficilius derogare praesumatur et proinde non sufficiant clausulae generales, sed requiratur specialis mentio Concor-

datorum... quae propterea non obstant, quando constat de expressa voluntate Papae ».

Paulus Laymann in *Libros decretales c. Cum dilectus in* 6°: « Concordata Nicolai V. cum natione Germaniae *censentur transisse in pactum*, cui nec Summus Pontifex derogare solet; licet *ex plenitudine potestatis suae*, absolute loquendo, *derogare possit* ». Scilicet Romanus Pontifex derogare Concordatis non solet, utique absque iusta causa: secus propositio historice est falsa: potest tamen ex plenitudine potestatis derogare, utique vel absque iusta causa, ut stet oppositio. Hac formula, *ex plenitudine potestatis* Papam derogare posse Concordatis plures alii utuntur: quid autem ea sibi vult? Plenitudo pontificiae potestatis, est ipsa potestas, quam Papa a Christo accepit, nullo limite circumscripta. *Agere* porro *ex plenitudine potestatis* opponitur τῷ *agere ex potestate ordinaria:* haec vero intelligi solet, quae in suo exercitio se conformat exsistentibus canonibus, consuetudinibus, privilegiis concessis et huiusmodi. Habet tamen Papa potestatem praeter et contra haec agendi *valide*, etiam sine iusta causa: ratio est quia secus non esset locus exercitio plenitudinis potestatis, sed solum potestatis ordinariae, quae facere heic et nunc potest quidquid iusta causa exigit; esset idcirco Papae potestas, quoad valorem actus, circumscripta et limitata canonibus etc. Quod falsissimnm esse probavimus contra Gallicanos (th. 15.). Posse ergo Romanum Pontificem aliquid facere ex plenitudine suae potestatis, quod ordinarie non solet, eo redit, ut possit efficaciter agere etiam praeter et contra leges exsistentes. Cum itaque pariter affirmatur, posse Eum derogare Concordatis ex plenitudine potestatis suae, illud dicitur, exercitium suae potestatis non impediri huiusmodi pactis, quin valide agat, si contra ea pacta aliquid faciat, quaecumque sit causa.

Quemadmodum Laymann, ita plurimi Canonistae loquuntur, e. g. Vitus Pichler (tit. *de Praebendis*, n. 71. seq.) inquiens: « Si Papa uti velit plenitudine potestatis, se solo et sine consensu Nationis Germanicae ac extra Concilium generale, potest absolute (ex causa publici boni seu necessitatis Ecclesiae) dictis Concordatis derogare ». Pro cuius doctrinae demonstratione provocat ad « summam illam et absolutam Pontificis potestatem, quam a se abdicare non potest, etiam *per speciem contractus vel Concordatorum*, quin semper penes se maiorem retineat ». Scilicet, quod iam observavimus ad verba Nicolarts, etiam post Concordata manet in Pontifice potestas eadem ac prius circa res concessas et haec est ratio cur possit derogare Concordatis : est proinde potestas, quae ad actum valide venire potest: si idcirco causae alicuius legitimae mentio fit, id ad liceitatem actus referendum est.

Eodem pacto loquitur Schmalzgrueber (tit. *de Praebendis*, n. 271. seq.), qui addit: « Haec concordata, licet habeant aliquam vim pacti, ut fatetur Iulius III., tamen magis sunt privilegium papale, ut, teste Nicolarts, comprobavit Rota (cf. supr.) et ratio est, tum quia spiritualia sub contractum proprie dictum et commercium non veniunt, tum quia per haec concordata Papa de iure suo potius aliquid remisit vel potius communicavit, quam acquisivit. »

Suarez (*Defensio Fidei* lib. 4. c. 34.) docet 1° « per nullum contractum potest Pontifex a se abdicare supremam potestatem spiritualem, ad disponendum ea, quae ad convenientem Ecclesiae gubernationem pertinent ». Docet 2° « licet Romanus Pontifex sine causa non possit a concordia recedere, si tamen postea mutatis rebus vel melius perspectis, concordiam Ecclesiae nocivam aut non convenientem esse intellexerit, potest, revocando illam, ab ea recedere, compensando alteri parti damnum, si quod fortasse ratione pacti praecedentis patiatur ».

Id vero clarius explicatur 3° seqq. « Quae generalis doctrina, ait, speciali ratione locum habet in hac materia exemptionis; tum quia, ut dicebam, quidquid in ea remittitur ex parte Ecclesiae, ordinarie liberaliter, sine compensatione conceditur, tum maxime quia in hac exemptione magis est attendendum bonum commune status clericalis, quam ulla conventio cum temporali principe facta; quia necesse est, ut semper habeat illam conditionem tacite inclusam: dummodo in praeiudicium aut vexationem vel vilipendium status clericalis non cedat aut aliquando sequatur ex concordia. Intercedente ergo simili causa, poterit revocari: *sine illa vero non poterit, saltem licite; si tamen fiat, existimo factum tenere, propter supremam spiritualem potestatem Papae, quae in se minui non potest* ». Quibus postremis verbis habes expressam doctrinam Canonistarum, quos citavimus.

Atque alii quidem plures in eandem sententiam citari possent: sed non est opus; ex recitatis enim satis constat, Card. Tarquini in sua celebri epistola eiusque sectatores nihil reapse novi protulisse, sed veterum doctrinam instaurasse.

Diffiteri tamen non possumus, in hac veterum doctrina, quoad formam saltem seu modum, quo proponitur, aliquid occurrere, quod non admodum faciat satis, si omnia, quae ad Concordata spectant, perpendantur. Ex ea enim consequitur, Concordata non esse vera pacta, veros contractus bilaterales: id autem nonne repugnat certis affirmationibus Romanorum Pontificum, quas recentiores potissimum urgent?

Sane Iulius III. (apud Nicolarts l. c.) aiebat: « Nos attendentes Concordata praedicta *vim pacti intra partes habere* et quae ex pacto constant, *absque partium consensu abrogari non consuevisse nec debere* etc. ».

Efficacius Pius VI. in *Responsione super Nuntiaturis* c. 6. n. 34. « Sub hisce vocabulis *Concordata Principum* adhibitis a legibus, ab Imperatoribus et a Pontificibus intellecta semper fuerunt intelligique debebant *Concordata* Ascaffenburgensia, utpote quae a Principibus inita cum Apostolica Sede, *verum legitimumque exhibent bilaterale pactum, quod est uniuscuiusque Concordati fundamentum.*

Hinc Concordata inter Leonem X. et Franciscum I. hanc conclusionem gerebant « *Haec Concordata vim habent veri contractus utrinque obligantis* ». Et Pius IX. in Allocutione Concistoriali 1. Nov. 1850., conquestus violari a Sardiniae Gubernio Concordata, ea vocat *pacta:* quorum « vi ac iure contempto et labefactato, aliorum quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret ». Sunt ergo Concordata in eodem genere ac publica et privata pacta, quae utrinque obligant eadem ratione.

Argumentum istud deductum non tam ex clausulis Concordatorum, de quibus quaestio esse posset, utrum formam substantialem rei an accidentalem exhibeant, quam ex declarationibus s. Sedis, quae data opera vim Concordatorum exponens non est cur credatur usa terminis ambiguis minusque propriis, argumentum istud, inquam, obtinet robur non minimum nec praeterire illud licet.

Nostra opinio est, utrumque verum esse et potestatem Romani Pontificis post initum Concordatum imminutam nullo modo esse sed eamdem manere, ita ut valeat, non solum habitu, sed in usu illud idem quod prius, atque Concordata esse contractus bilaterales.

Scilicet distinguenda duplex potestas agendi; altera potestas agendi *valide*, altera agendi *licite*. Frequenter actus est iuridice validus, etsi non licitus seu honestus et identidem (puta ob ignorantiam invincibilem) licitus est, sed iure invalidus et nullus. Iam vero obligatio contractus synallagmatici, illius quidem, *qui in mutua promissione consistit,* impedit vel aufert utique potestatem *licite* agendi contra pacta, non vero potestatem *valide* agendi contra eadem. Exempla passim obvia sunt. Sponsalia sunt contractus bilateralis, promissione contentus: si sponsus aliam in uxorem ducit, illicite quidem agit, at validissime: potestas ergo valide agendi contra contractum non fuerat per contractum sublata vel imminuta: venditio pariter est contractus bilateralis, qui ante traditionem rei perficitur: si venditor eam alteri tradat, valide tradit, etsi de damno erga priorem teneatur. In summa cum contractus bilateralis non rei traditione, quemadmodum e. g. matrimonium, sed promissione aliquid faciendi aut patiendi continetur, ius quidem amittitur, pacto inito, agendi contra pactum; sed istud ius, quod amittitur, non est nisi potestas agendi licite h. e. potestas licite ponendi actionem

validam, non vero est ipsa potestas agendi valide, quae imo manet suumque effectum sortitur, quamvis quis illicite ea utatur. Porro talis potestas non est solum potestas quaedam physica: nam potestas contrahendi validum matrimonium cum Berta, post sponsalia cum Lucia, est moralis, qua vere ius traditur et acceptatur.

Atqui Concordata sunt contractus, qui promissione continentur; sunt enim pacta; sponsiones.

Si ita est, quid prohibet, dicere Concordata esse contractus bilaterales? Vis auctoritatem Primatus integram semper manere, ita ut Romanus Pontifex valide semper possit agere contra pacta? Respondemus, naturam huius contractus id non impedire, ut demonstravimus. At amittit Romanus Pontifex potestatem licite agendi contra pacta, cum nimirum ratio non occurrit recedendi a pactis; verum et in sententia Card. Tarquini id verum est, illicite acturum Pontificem, si absque rationabili causa (quae ex adiunctis, ex materia et conditionibus contractus eiusque fine dimetienda erit) agat contra pacta.

Profecto, si res ita explicetur, affirmandum pariter erit, Principem quoque valide agere posse contra inita concordata. Id est tamen cum distinctione accipiendum. Si nempe agitur de re, quae per se subsit potestati Principis et quam Princeps Ecclesiae promittat. concedendum est: si vero agitur de re, quae propria est Ecclesiae, in quam Princeps nullam potestatem per se habet, tunc negandum est. Porro quisque novit hanc esse conditionem Concordatorum, quae nunc fiunt. Principes nova obligatione pacti, quae ab Ecclesia acceptatur, se obligant sollemniter ad id, ad quod (si Christiani sint) iam aliis titulis tenentur: de propriis autem iuribus nihil remittere solent.

Ex data rei declaratione consequitur, quod ad asserendam Pontifici potestatem, vel sine idonea causa, agendi contra pacta, opus haud est recurrere ad plenitudinem potestatis, nam pacta huiusmodi non obstant potestati valide agendi contra ea, etiam in privatis hominibus.

Declaratio vero quorundam Recentiorum, qua utuntur, ne videantur minuere divinam potestatem Primatus, vel in illud redit, quod diximus vel absurda est. Aiunt enim per Concordata *usum* tantummodo *potestatis* Primatus circumscribi et limitari, non vero ipsam *potestatem* (ex gr. Barthel *dissert. General. de Concord.* c. 3. sect. 2.). Si enim tantum intelligunt *usum licitum* limitibus coerceri, cum nulla adsit idonea causa, illud dicunt, quod nos. Si vero ita rem accipiant, ut usus potestatis, exsistente Concordato, nedum illicitus sed invalidus sit nihilque efficiat si contra pacta agat; tum pugnantia dicunt, cum nihilominus una affirmant, potestatem, sub Concordato, integram manere. In hac enim hypothesi Pontifex nihil efficit, quamtumvis velit; ergo nihil

efficit, quia heic et nunc non potest: igitur heic et nunc eius potestas non est eadem ac prius atque idcirco aliquam mutationem passa est, h. e. desiit ex parte.

Si qua ergo difficultas est adversus hanc thesim: Concordata esse Contractus bilaterales, ea est, cuius et frequenter vetustiores mentionem faciunt: nimirum materiam Concordatorum, cum sint res spirituales vel spiritualibus annexae, obstare mutuae obligationi hinc inde contractae; ne propter emolumentum temporale, quod confert Princeps, se obliget Romanus Pontifex ad danda spiritualia, quod est crimen simoniae.

Diximus, hanc reliquam esse difficultatem; nam, si argumenta superius allata recolantur, tertium illud est, quod hactenus expendimus: secundum vero non admodum efficax videtur. Etenim deficit in iis Concordatis, in quibus Princeps se obliget ad ea praestanda vel permittenda Ecclesiae, quae sunt sui iuris, cuiusmodi essent dignitates quaedam, puta sedes in Senatu, iudicialis auctoritas in causis civilibus concessae Episcopis. Deinde, etsi Princeps se obliget ad id, ad quod iam tenetur; si altera pars contrahens contenta est hac nova obligatione sponte suscepta et in pactum deducta, iam locus est contractui bilaterali. Cum vero dicitur, materiam contractus bilateralis eam esse solum, quae pari modo ab utroque contrahente haberi potest, nimis circumscribi videtur essentia contractus bilateralis, quae id solum postulat ut obligatio sit mutua, non dissolubilis absque alterius consensu; cui essentiae extranea est conditio rei in pactum deductae et extraneus est modus, quo res a contrahentibus obtineatur.

Itaque quod spectat ad difficultatem ex labe simoniae petitam, monemus primo, quod, quamvis daremus, eam difficultatem valere; non tamen falsa foret nostra thesis, quae ab hac quaestione praescindit. Hoc praemisso, advertimus generatim, simoniam, quae in talibus contractibus intercedere supponatur, esse non posse nisi iuris ecclesiastici: haec autem cessat, Romano Pontifice dispensante (cf. *Opus theol. Mor.* Ballerini V. 2. de Decalogo *de Simonia* nn. 268. seqq. et V. 4. *de Statu Clericali* dub. 1. art. 5.), cuius lege est constituta.

Praeterea necesse haud est, ut Romanus Pontifex aliquid spirituale vel spirituali annexum concedat Principi, cum ei quaedam permittit, quae iuris sunt per se ecclesiastici. Non enim ex. gr. cum suspenditur per concordatum immunitas personalis clericorum ita, ut traduci possint in causis civilibus ad laica tribunalia, Romanus Pontifex communicat Principi iurisdictionem eam in Clericos, quae propria est Ecclesiae; sed permittit, ut Princeps sua civili et temporali potestate in eosdem utatur, tanquam cives. Item cum promittit Romanus Pontifex se certis

suis iuribus non usurum, nondum habes collationem rei spiritualis alteri factam; nam *non usus* non est quid spirituale neque est quaedam donatio: quod datur vel permittitur, est id, quod exinde consequitur, liberum exercitium in Principe suae temporalis potestatis (a).

THESIS XXIII.

Exigit quoque ius Primatus ut nulla auctoritas humana impedire licite possit communicationem Romani Pontificis cum quovis fideli: ut nullum sit ius illud, quod Principes sibi arrogarunt atque exercere se dicunt per Regium placet *seu* exsequatur: *atque absurda sit appellatio quae dicitur* ab abusu.

I. Haec non solum contra auctoritatem Primatus, sed generatim contra auctoritatem Ecclesiae pugnant, de qua in Proleg. §. 18. locuti sumus. Attamen quia horum iniquitas et iniustitia maxime patet cum adversus Primatum adhibentur et potissimum ad eius imminuendam auctoritatem primum saltem et alterum sunt excogitata, ideo de his hoc in loco disserimus. Facile autem quae de auctoritate Pontificis dicuntur pro universa Ecclesia, accommodare licebit Episcopis singulis pro suis Ecclesiis.

II. Itaque primo docemus nullam humanam auctoritatem posse licite impedire communicationem capitis Ecclesiae cum membris suis. Quod physice possit, testatur experientia: at quaestio non est de vi physica, sed morali, hoc est de iure.

Ratio autem evidens est: nam Romanus Pontifex ratione Primatus est pastor immediatus omnium fidelium (Th. 14.), ius divinum officiumque divinitus impositum habens eos pascendi, quique vicissim eum audire

---

(a) Haec tamen non omnibus probantur. Sane aiunt: non videtur sustineri posse, quod, etiamsi Concordata habeant vim pacti bilateralis, non minuitur exinde potestas Primatus, ex eo quod obligatio contractus synallagmatici impedit vel aufert quidem potestatem licite agendi contra pacta, non vero potestatem valide contra eadem agendi. Hoc enim verum non videtur, nisi quis sumeret vocem pacti bilateralis in sensu latissimo; et tunc esset quaestio de vocibus, non autem de re. Quod si vere accipiatur pactum bilaterale in obvio sensu nominis, tum dicendum, pactum istud tollere omnino potestatem valide quoque agendi. Nec valet exemplum, quod adducitur de sponsalibus, quae sunt pactum bilaterale, et tamen auferunt quidem potestatem licite contrahendi matrimonium, non vero valide. Facultas enim, quae amittitur per pactum bilaterale est facultas agendi valide in eo ipso ordine, quam pactum respicit, non in alio. Et sic sponsalia, quae sunt pactum bilaterale, etiamsi non auferant potestatem valide contrahendi matrimonium, quod est in alio ordine pacti, auferunt tamen potestatem valide contrahendi nova sponsalia quae sunt in eodem ordine.

et sequi tenentur iusque habent eius directione et regimine fruendi atque ius illud Romani Pontificis tum ratione originis, tum ratione finis praevalet cuicumque iuri potestatis civilis; est enim immediate a Deo auctore ordinis supernaturalis et institutum pro directione hominum in finem ultimum eumque supernaturalem. Nullum est ergo in principe ius minuendi iura Primatus, vel impediendi exercitium officii eius; minueretur autem ius et etiam tolli posset, si ius esset in principe impediendi communicationem capitis cum membris; desineret enim ius Romani Pontificis communicandi cum ipsis: hoc porro iure desinente, desineret Romanus Pontifex esse eorum pastor immediatus desineretque proinde Primatus, qui in potestate universali et immediata pascendi consistit.

Ineptus porro esset et impius, qui Romani Pontificis potestatem in singulis regnis *exteram* appellaret: audiatur Clemens XI. in Bulla *Accepimus:* « Ambigere non possumus, quin horrore perfundendus sit quisquis illud (edictum quoddam praetensi tribunalis Monarchiae) legerit, dum inter cetera perspiciet ac animo reputabit eo temeritatis perventum esse, ut *potestatis exterae* titulus Potestati illi adscribatur, quam nos per b. Petrum eiusque successores a Domino accepimus in terris maximam et quae in indigno herede non deficit: perinde ac si Siciliae Regnum extra terrarum orbem situm esset; cum neminem poene lateant verba illa, quibus inclitus Claravallensis Abbas Eugenium III. allocutus fuit: *Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam* » (*de Consid.* l. 3. c. 1.).

III. Constat pariter nullum esse ius illud, quod Principes sibi arrogarunt quodque exerceri dicitur per litteras quibus nomen fit *placet* seu *exsequatur*. Placitum istud definitur a Van-Espen (*Opus de Promulgatione Legum ecclesiasticarum et Iur. Canon.* P. 2. t. 24. c. 6.) *permissio quam auctoritas civilis impertit bullis brevibusque pontificiis ceterisque actibus auctoritatis ecclesiasticae, ut vim obtineant in proprio statu.* Porro huius placiti ius dicitur inhaerens ex rei natura auctoritati politicae et est quoddam ius se cavendi contra Ecclesiae usurpationes, vi cuius iuris auctoritas civilis declarat, nullum habere valorem bullas et brevia pontificia ac quemlibet alium actum auctoritatis ecclesiasticae, qui permissione sua non muniantur. Huiusmodi ius tributum est primum principibus Christianis, sed postulante logica infidelibus quoque concessum est. Haec dicitur *potestas* principis *indirecta, negativa in sacra. Indirecta,* quia ratione se suumque regnum tuendi contra Ecclesiae molimina competit principi: *negativa*, quia non in eo est ut condat leges, sed ut neget seu detrectet vim legibus Ecclesiae (cf. prop. 41. Syllabi). An talis reapse sit videbimus deinceps.

Hoc ius una est ex libertatibus Gallicanis. Docet De Marca (*Concordia* l. 2. c. 17.), « non solum Ecclesiae Gallicanae consensum exspectandum esse, ut novi canones etiam a Conciliis oecumenicis in re disciplinari editi vigeant, sed regi quoque eam sollicitudinem maxime incumbere novasque leges exsecutioni mandari non posse, si principum consensu expresso vel tacito destituantur, etsi fortasse quam plurimis Ecclesiae Gallicanae proceribus acceptae fuerint ». Idem ius inter libertates gallicanas recensetur a Petro Pithou in opere *Traitez de Droits et libertez de l'église Gallicanae* tom. 1. p. 11ª. quod opus tamen ab Episcopis Galliarum fuit reprobatum. Hinc, ut id obiter moneamus, intelliges cur huiusmodi homines tueantur eam sententiam, quae docet leges ecclesiasticas quoque non valere nisi per provincias promulgentur et tacito saltem populi consensu acceptentur (cf. de Marca ibid. cc. 15. 16.): sic enim tranquillitati conscientiarum consulunt quae legem non observant non promulgatam, quacumque ex causa impedita sit promulgatio. Quomodo factum sit ut id iuris sibi reges asseruerint, disces ex dissertatione cl. Card. Tarquini hac super re edita. Primordia porro ipsius ad seculum XV. eodem auctore sunt referenda.

Iam vero advertendum est, quod immerito haec potestas dicitur negativa; tum quia potestas negativa sapit absurditatem tum quia negatio consensus seu placiti regii est actus positivus, atque effectus positivus eum actum consequitur, si quidem est actus iuris legitimi ut ab adversariis dicitur; sequitur scilicet ligatio potestatis ecclesiasticae, cuius actus prohibetur manifestari et nullus redditur atque sequitur solutio subditorum ab obligatione parendi legi latae a Pontifice. Imo neque indirecta ea potestas vocari potest ab adversariis, est enim qualis ab ipsis proponitur directa. Esset enim indirecta, si per accidens quando lex aliqua aut actus aliquis auctoritatis Romani Pontificis foret in damnum societatis, Princeps ius haberet impediendi exsecutionem eius: sed amplius est ius placiti regii; etenim fertur per se in omnes leges et actus auctoritatis Romanae Sedis, ut nullus valeat nisi accedente consensu principis: quare universum exercitium potestatis ecclesiasticae pendet a potestate regis; atqui hoc est proprium eius, qui directe sibi subiicit potestatem alterius: ergo.

Sententia Ecclesiae in hac quaestione manifestissima est. Plurimi Romani Pontifices constitutionibus suis huiusmodi doctrinam de iure placiti regii proscripserunt ut absurdam, temerariam, impiam, totius ecclesiastici ordinis et auctoritatis subversivam. Conferantur Bulla in *Coena Domini* §. 13., Constitutio Innocenti VIII. *Officii nostri*, Constit. Clementis. XI. *Nova semper*, litterae apostolicae Clemen-

tis XIII. *Quam graviter*, Pii IX. Breve *Probe nostis* et Encyclica *Quanta cura* litteraeque Apostolicae *ad Apostolicae* ac tandem Conc. Vatic. Sess. 4. c. 3. §. 4. Quare qui catholicus esse velit, nequit huiusmodi ius civili auctoritati asserere.

Et sane si istud ius innatum est et essentiale civili potestati, competere debuit etiam Neroni ceterisque priorum seculorum principibus tyrannis; atqui evidens est absurditas huiusmodi neroniani iuris: ergo. Istud ius ignotum fuit Regibus quatuordecim seculorum spatio illudque implicite reiecerunt Patres negantes Imperatoribus quodlibet ius in res ecclesiasticas (cf. testimonia superius citata): ergo.

Et re quidem vera hoc iure asserto auctoritati civili, « illamet suprema ligandi atque solvendi potestas b. Apostolorum Principi eiusque successoribus a Christo Domino tradita secularis potestatis arbitrio per summam iniuriam atque intolerabilem temeritatem subiicitur » (Clemens XI. l. c.); ea enim potestas alteri subiicitur, cum ab hac exercitium illius eiusque efficacia dependet ita, ut sine consensu huius ea actu nihil faciat. Id vero absurdum esse liquet ex hactenus disputatis. Rursus hoc pacto ordinatio hominum in ultimum finem ordinationi subiicitur eorumdem in finem quemdam temporalem; nam huc tantum spectat potestas civilis, quae proinde quidquid iure suo facit, propter hunc finem facit. Quocirca si potestas civilis iure suo insito permittit vel prohibet publicationem actuum procedentium ab auctoritate Ecclesiastica ita ut valeant, si permittit, irrita sint, si prohibet: actus potestatis ecclesiasticae detruduntur in ordinem earum rerum quae ad felicitatem temporalem conducunt et sic ordinatio in finem supernaturalem subordinatur ordinationi in finem temporalem. Quare tandem ita irrita redditur institutio Primatus; nam oves Christi pascendae traduntur non solis pastoribus supremoque Pastori a Deo statutis, sed saltem pariter etiam laicis falsumque prorsus foret ligari et solvi in caelis, quae Romanus Pontifex ligat et solvit in terris: ergo.

Vitium itaque huius rei in eo est quod promulgatio et valor legis et cuiusvis actus potestatis Pontificiae dependens fiat a consensu principis. Id haereticum prorsus est atque auctoritati Primatus intrinsece repugnans. Quare sive ratione huius iuris id pro quavis lege fiat, sive pro aliqua tantum, sive semper, sive subinde, malum est intrinsece et iniuria manifesta.

Hoc monstrum erroris logice ex ea doctrina procedit quod inter homines una sit tantum suprema auctoritas eaque sit reipublicae seu Status auctoritas ex principiis naturae dimanans, cui potestas quoque religiosa, si qua sit, subesse debeat; ex doctrina nempe quae, ordine supernaturali excluso et fine quovis extramundano, solam naturam

agnoscit finemque temporalem. Naturalismus scilicet et rationalismus supponendus est, ut is error defendi possit. Has doctrinas evidentissime falsas, saepe proscriptas damnavit rursus Pius IX. in Syllabo, ubi 39ª propositio advertenda est, quae est immediata ratio placiti regii: « Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ».

Inepta porro et impia est ratio, quae adducitur huius iuris, ut nempe Rex sibi suaeque societati caveat ab aggressione et usurpatione ecclesiasticae potestatis. Nam 1° si ita est, cur non idem ius conceditur Romano Pontifici et Episcopis contra auctoritatem civilem? Huic quidem interrogationi nunquam faciet satis qui catholicus videri velit. 2° Etsi possibile sit ut aliquando Romanus Pontifex abutatur auctoritate sua, ex eo tantum id sequitur quod, notitia accepta eius actus qui sit notorie iniustus, possit licite curare Princeps ne exsecutioni mandetur, cuius tamen principis cura non admodum necessaria erit; si enim notoria est iniustitia, nemo pius obediet. Advertendum est autem quod hoc ius non est ius iurisdictionis, sed simplicis defensionis: quod non est ius detrahendi vel addendi valorem legi Pontificis, sed supposito invalidam esse legem, quia iniusta, ius est se defendendi contra iniustam aggressionem.

Dixi *si actus sit notorie iniustus;* si enim 3° dubitari de hac re possit; iudicium definitivum huius rei ad principem non spectat. Ratio est quia res curat tantum finem temporalem; leges autem Ecclesiae feruntur propter finem aeternum supernaturalem, cui finis temporalis subordinari debet etiam cum aliqua sui iactura, si opus est: iam vero fieri potest quod lex aliqua a Pontifice lata necessaria aut utilis maxime sit pro bono spirituali, quae tamen impediat bonum aliquod temporale societatis civilis. Quae cum ita sint, liquet iudicium de iniustitia vel iustitia ecclesiasticae legis attingentis quoque bonum temporale non posse ferri ab eo, qui curat tantum temporale bonum; sed ultimo ferendum esse ab eo qui supremi finis curam habet. 4° Hoc modo se gerere erga Ecclesiam est detestabilis contemptus ipsius et Christi. Ipsius quidem, quae non tanquam mater amans colitur, sed ut noverca insidiosa timetur: Christi autem, qui institutor cum sit Ecclesiae eamque Spiritu suo regat, traducitur veluti auctor institutionis, quae humanis iuribus et felicitati sociali bellum gerat et sic seminator fuerit discordiarum in mundo.

IV. Quod de placito regio diximus, id et de *appellatione ab abusu* dicendum est, quae est alia libertas gallicana, si credimus Illustrissimo De Marca l. 4. cc. 19. 20. 21. Duplex distinguitur appellatio a doctoribus Gallis. Altera, quae simplex dicitur, tunc intervenit, cum reus

ab inferiore iudice ad superiorem provocat, non quia iudicando ordinem omiserit, quem ius sive naturale sive positivum praescribunt aut quia incompetens fuerit iudex; sed quia, cum censeat reus inferioris iudicis sententiam non esse secundum rei veritatem seu iustitiam, illam emendandam exhibet superiori iudicio per appellationem. Appellatio altera dicta ab abusu (olim dicebatur *ab abuso notorio*) tunc habet locum, cum excipere licet contra iudicem ecclesiasticum quod in iudicando legitimum ordinem non servaverit, vel non sit iudex competens. In his casibus qui tuentur appellationes ab abusu dicunt, integrum esse reo ab Episcopo aliisve ecclesiasticis iudicibus interponere appellationem ad Principem, quippe qui, cum sit tutor iurium et exsecutor canonum ac protector et defensor omnium, potest suspendere exsecutionem sententiae ecclesiasticae, donec iudicium, si opus sit, reformetur.

Verum assertores libertatum Gallicanarum docent, non solum ob non servatum iuris ordinem licitas esse appellationes ab abusu, sed etiam « si constanti usu recepti canones, vel inveteratae consuetudines, adiunctae in fundandis beneficiis conditiones, privilegia Ecclesiis legitime indulta, vel cetera, in quibus libertates Gallicanae constitui solent, violentur... si regiae constitutiones violentur quae aut canones confirmant aut de beneficiis decernunt aut litium instituendarum tam in causis civilibus quam criminalibus ordinem praescribunt (De Marca l. 4. c. 20. nn. 1. 6.).

Cur ita vocata sit haec appellatio explicat ipse De Marca l. c. c. 19. « Formula appellationum ab abusu specialiter accommodata est a pragmaticis antiquis quaerelae illi, quae a clericis adversum vim iudicum ecclesiasticorum ad magistratus regios defertur, sive de rescriptis Romanae curiae conquerantur, sive de iudiciis Episcoporum ». Iniecta est porro, ait, *abusus* mentio, « ne quis existimaret (de verbis scilicet non de re agebatur) magistratuum consilium illud fuisse, ut ecclesiasticam iurisdictionem seculari submitterent: quare non de re ipsa se iudicium suscepturos, sed de potestatis abusu extraordinaria cognitione habita, protectionis iure oppressis opitulaturos hac formula profitebantur ». Cum ergo et a rescriptis Romani Pontificis appellatio huiusmodi interponatur, advertit Charlas (*de Libertatibus Eccl. Gallic.* l. 12. c. 2.), quod reverentia quaedam quoad modum Pontifici adhibetur, ut nimirum non a sententia, decreto, vel rescripto eius, sed ab eorum publicatione vel exsecutione appellari debeat, cum actus Episcoporum directe impetantur et irriti fiant.

Iam vero absurdissimus abusus harum *appellationum ab abusu* evidens est. Sane 1° hoc iure statuto *appellationum ab abusu*, asseritur

iudici seculari et Principi iurisdictio, qua iudicare potest, iudicem ecclesiasticum abusum esse sua potestate et qua exsecutionem eius sententiae impedire valide potest, quod redit ad irritationem actus. Iam vero haec iurisdictio est iurisdictio in ipsos iudices Ecclesiasticos qua tales et in ipsas res seu causas ecclesiasticas: atqui haec iurisdictio potestati laicae competere nequit; ergo. Minor certa est ex probatis in Proleg. §. 18.; potestas enim Ecclesiastica est independens a laica. Maior facile probatur. Nam *a)* sententia, quae fertur circa abusum potestatis ecclesiasticae, respicit actum personae agentis ut est ecclesiastica persona et instructa potestate ecclesiastica; etenim haec sola potest abuti potestate Ecclesiastica: est ergo sententia quae fertur in iudicem Ecclesiasticum ut talis est; ideoque iste prout talis foro laico subiicitur. *b)* Ut sententiam hanc de abusu potestatis ecclesiasticae ferat, oportet ut iudex laicus simul cognoscat et iudicet de amplitudine et limitibus potestatis ecclesiasticae, ut causam iuridice cognoscat circa quam lata est sententia a iudice ecclesiastico, sine huius enim cognitione nequit cognosci abusus in actu qui totus quantus est ad causam iudicatam refertur; huiusmodi porro est iurisdictio in causas seu res ecclesiasticas: ergo.

2° In quavis societate perfecta remedium quidem est contra abusum potestatis inferiorum iudicum, sed hoc situm est in potestate superiorum iudicum eiusdem societatis atque id exigitur a natura societatis perfectae, quod scilicet ipsa per se possit ea omnia quae sibi sunt necessaria, inter quae est remedium illud contra abusus potestatis iudicum. Quod si hoc nequit, vel si licet ad aliam societatem recurrere ut id obtineatur, iam ea non est societas perfecta. Atqui Ecclesia est societas perfecta (Proleg. §. 18.): ergo. Sane prorsus illogicum est, potestatem quidem facere reis in foro ecclesiastico appellandi ab abusu ad iudices laicos, et eandem potestatem negare reis in foro civili appellandi ab abusu ad iudices ecclesiasticos, si credatur, Ecclesiam esse societatem perfectam h. e. sibi sufficientem et independentem. Quare defensio appellationum ab abusu non est nisi inhonesta adulatio potestatis laicae et turpis professio servitutis.

3° Nulla sunt argumenta quibus haec servitus vindicatur. Aiunt: Rex est custos et exsecutor canonum. *Distinguo:* custos est et exsecutor cum iurisdictione quam in ipsam ecclesiam exerceat, nego; custos et exsecutor quatenus ad nutum Ecclesiae et secundum eius voluntatem procurare debet, ut canones serventur a suis subditis, *conc.*

Aiunt rursus: Rex est defensor suorum subditorum contra violentias ipsis illatas. Respondeo 1° qui ius habet defendendi aliquem contra vim, illud tantum potest quod posset ipse qui defenditur. 2° Ius defensionis cum aliqua iurisdictione pro suis subditis competit Principi circa ea in

quibus sua auctoritas versatur; non circa ea in quibus ipse est inferior. Itaque Rex est defensor suorum subditorum contra violentias, *distinguo:* in ordine civili, *conc.* in ecclesiastico *subd.* cum iurisdictione *neg.* sine iurisdictione *conc.* Quapropter sicut reus nequit sibi ipse ius dicere, ita neque Princeps potest pro reo in foro Ecclesiastico ius dicere in suo tribunali. Porro historia docet a potestate laica non ab Ecclesiastica frequenter esse violentias illatas subditis et contra illam opus esse remedio a potestate superiori atque in Ecclesiastica potestate frequenter invenisse tutelam ac defensionem qui vim patiebantur a laica potestate.

Perperam vero provocatur ad factum s. Athanasii, qui dicitur a sententia Synodi Tyriae appellasse ad Constantinum, veluti appellatione ab abusu. Athanasius enim satis noverat (cf. testimonia eius in Proleg. l. c. allata) nullam esse in deponendis Episcopis vel restituendis potestatem laicorum. Cum autem ipse nullum ius agnosceret in Synodo Tyria nec eius sententiam exspectasset, illa tamen Synodus freta auxilio et vi Constantini omnia praeter et contra ius auderet, confugit ad Constantinum non ut iudicem sed ut repulsorem iniuriae, quae tandem ab ipso Imperatore, etsi praeter eius intentionem, procedebat. Voluit quidem Athanasius detrectans iudicium Episcoporum Tyrii reservari integram suam causam Imperatori idque libello oblato Dionysio Comiti misso ad Synodum a Costantino professus est; verum quis non videt tunc Athanasium illud unice cavisse, ne Ariani potestate quam sibi arrogabant contra ius et in Ecclesiae perniciem abuterentur, paratum quidem ad se defendendum penes ipsum Imperatorem, non vero tanquam iudicem legitimum suae causae, sed tanquam eum, qui vim sibi illatam efficaciter repellere posset? Non enim ignorabat Athanasius iudicem suae causae esse Romanum Pontificem sibique ius esse appellandi ad ipsum; sed non semper expedit iure suo uti eaque aetate, qua plurimum Imperatori ob eius merita in Ecclesiam deferebatur, verendumque erat, ne Imperator offensus graviora damna licet iniuste inferret Ecclesiae: censuit Athanasius abstinendum ab appellatione ad Romanum Episcopum eaque tantum ratione utendum esse, quae in iis adiunctis esset commodior. Iam vero ex actione viri qui ex pluribus circumstantiis impeditur ne secundum strictas regulas iuris agat, quis merito colligat quid sit iuris, quid non?

Ad rescripta vero, decreta, sententias Romani Pontificis quod spectat, appellatio ab abusu eo pertinet ut vel non publicentur et exsecutioni mandentur quae Pontifex decernit, vel per sententiam regii magistratus nulla et irrita ea publicatio ac exsecutio possit declarari. Qua in re idem est vitium ac in placito regio. Huiusmodi appellationes Episcopatus Gallicanus semper improbavit.

In bulla Coenae excommunicatione 13ª a Romanis Pontificibus expresse damnatae sunt. Fallit proinde vel fallitur De Marca l. c. cum ait « cum appellationum istarum usus frequentetur in Gallia, a Romana Curia nihil profectum est, quo ingratam sibi esse fori trituram illam significaret ». In Syllabo Pii IX. prop. 41. reprobata est: « Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra, eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exsequatur*, sed etiam ius *appellationis* quam nuncupant *ab abusu* ». Eae iam reiectae et damnatae reperiuntur can. 12. Antiocheno et can. 6. Conc. Constant. I. quos superius retulimus: quare, ut id obiter dicamus, assequi non possumus quomodo eas appellationes ii tuerentur, qui libertates Ecclesiae Gallicanae in custodia veterum canonum sitas esse docuerunt. Cf. de his optime disputantem Charlas. l. c. et in H. E. Natalis Alexandri sec. 4. animadversiones Dominici Mansi ad Dissert. 21.

V. Expedienda est singularis obiectio, quae ex Gregorii M. modestia desumitur, ut in rebus quoque ecclesiasticis Pontificem Romanum auctoritati politicae subesse demonstretur. Res ita se habet. Legem tulerat an. 592. Mauritius Imperator, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceat nec eidem et pariter illi, qui semel in terrena militia signatus fuerit, in monasterium converti liceat: idemque Imperator iusserat, ut Gregorius eam legem per diversas terrarum partes transmitti faceret. Constant haec ex epist. Gregorii 65. l. 3. Iam vero Gregorius primam partem legis laudavit, sed maxime improbavit alteram demonstravitque malam esse, utpote cuius excusationem nullam esset Imperator inventurus in iudicio Christi. Nihilominus post plura argumenta congesta ad eam partem legis refellendam, concludit epistolam scribens: « Ego quidem, iussioni subiectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meae paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo qua debui exsolvi qui et Imperatori obedientiam praebui et pro Deo quod sensi minime tacui ». Atqui, aiunt, haec erat res ecclesiastica, ingressus scilicet in monasterium; paruit tamen Pontifex Imperatori, quamvis illi lex non probaretur: quod debitum subiectionis maxime ostendit.

Scilicet sanctissimus Pontifex censebat etiam in re mala obediendum esse Principibus; quod quantum sit alienum a sanctitate et sapientia huius tanti viri, nemo non videt. Ex hoc ergo docemur, inquirendum esse, quo pacto Gregorius legem Mauritii ad alios transmiserit. Exstat epistola eiusdem 5ª lib. 8. ad plurimos Metropolitanos et Episcopos, quae vel ea est, quacum legem transmisit Gregorius, ut vult Baronius, vel si anno Christi 598. scripta est, ut recentiores editores censent, ea

est certe ex qua cognoscere licet, quo pacto legem imperialem transmiserit Pontifex. Ait enim: « legem quam piissimus (titulus est honoris non praedicatum reale) Imperator dedit... vestrae studui fraternitati transmittere etc. ». Porro hanc legem Gregorius ita temperat et emollit, ut qui ex militaribus numeris in monasteriis converti festinant, non suscipiantur temere, sed iuxta normam regularem in suo habitu per triennium probentur et sic suscipiantur. Qui vero rationibus publicis sunt obnoxii, non suscipiantur in monasteriis, nisi prius a rationibus publicis fuerint absoluti. Subdit vero: « Qua de re, mihi credite, etiam serenissimus et christianissimus Imperator omni modo placatur et libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit ». Id porro Gregorius non probat ex aliquo responso Mauritii, sed potius ex aequitate eius illud Gregorius colligere videtur. Sic proinde legem transmittens non se gessit ut subditus, sed ut superior illudque egit quod tunc angustiae permittebant, quibus premebatur Ecclesia. Ita profecto factum hoc interpretatus est Hincmarus Remensis inquiens (epist. 15ª Mig. V. 126. p. 94.) quod decretum Mauritii « s. Gregorius auctoritate Apostolica et generali episcoporum consensu, ecclesiastico vigore et reipublicae christianae cohibente religione destruxit, veluti in eius epistola ad ipsum Mauritium imp. et ad plurimos archiepiscopos directis ostenditur ».

THESIS XXIV.

Iure divino Romanus Pontifex plena gaudet immunitate personali a laica iurisdictione. Cuius immunitatis ius quidem est essentiale Primatui a Christo instituto, exercitium vero non absolute necessarium est ut Ecclesia sit, sed ut ea bene sit vitamque eam socialem perfecte vivat ad quam ius habet. Perfecta porro actuatio huius immunitatis est Principatus civilis, qui providente Deo institutus est ut Romanus Pontifex ad Ecclesiam regendam eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quae ad supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur.

I. Immunitas definitur: *privilegium, quo res quaedam vel persona a communi aliqua obligatione seu onere eximitur.* Privilegii nomen sumitur lato sensu, prout comprehendere potest ius aliquod naturale vel divinum alicui specialiter conveniens prae aliis (Suarez *Defens. fidei*, l. 4. c. 2.). Immunitas ecclesiastica duplex vel triplex ex parte obiectorum distinguitur: nimirum alia est immunitas locorum seu templorum aut ecclesiarum, alia est immunitas personarum seu clericorum, tertia

est immunitas bonorum quae ratione locorum seu personarum ab oneribus seu tributis eximuntur. Immunitas dupliciter violari potest; 1º agendo tantum contra ipsam: 2º agendo sub praetextu iuris, quo quis contendat se iure agere, seu iurisdictionem habere ad faciendum id quod immunitati adversatur, quemadmodum frequenter solet civilis auctoritas. Qui hoc altero modo immunitatem ecclesiasticam violat, dicitur proprie agere contra *libertatem Ecclesiae;* nam ille proprie agit contra libertatem alicuius qui vult illum in servitutem redigere et onus servitutis illi imponere: huiusmodi vero non est qui tantum non obedit, sed qui ius in alium sibi arrogat (idem ibid.).

Immunitas personalis duplici privilegio continetur: *canonis* et *fori.* Privilegium fori dicitur illud, quo clericis exemptio a iurisdictione laica concessa est, cui consequenter annexa est exemptio a tributis. De immunitate personali fori directe et data opera quaestio nobis est in hac thesi et quidem primo et per se de immunitate Romani Pontificis, secundario et per accidens de immunitate ceterorum clericorum.

Cum immunitas sit ius quoddam, ius autem multiplex sit; praemittenda est distinctio iurium, de quibus disputari potest, an secundum ea competat Ecclesiae immunitas. Ius, de quo quaeri heic potest, vel est divinum vel canonicum vel civile. Ius divinum autem duplex concipi potest, naturale nempe et positivum: *naturale,* non quod a sola natura procedit, sed quod ab aliqua divina institutione dimanat, in eaque implicite continetur, ut ei proinde sit connaturale, ea scilicet supposita institutione, ab ipsis rerum essentiis exigatur: *positivum* quod expresse a Deo revelante suamque voluntatem significante constitutum est.

Quod de iure divino est, idem potest esse et de iure canonico et quidem multiplici modo: 1° quatenus Ecclesia auctoritate sua illud idem statuat quod divina auctoritas iam decrevit, confirmans illud specialesque addens poenas: 2° quatenus Ecclesia specifice determinet, quod Deus iussit generatim: 3° quatenus Ecclesia determinet exercitium iuris quod Deus quidem concessit, cuius tamen exercitium prudentiae Ecclesiae reliquit.

Si ius divinum proprie sumitur, distinguitur a iure canonico quod ab auctoritate Ecclesiastica instituitur, Deo solum conferente potestatem, non tamen a se condente legem seu ius.

Ius divinum positivum duplex distingui potest: *proprie dictum,* et *improprie dictum*: illud est quod continetur expresso Dei praecepto vel in sacris litteris exstante, vel per traditionem nobis manifesto: hoc quod ab exemplis vel testimoniis veteris aut novi Testamenti per quamdam similitudinem deduci potest (cf. Bellarm. *de Clericis.* l. 1. c. 28.).

Item ius divinum naturale duplex distingui potest iuxta ea quae

diximus in Tract. *de Matrimonio* (Th. 14. n. 1.) *primitivum* nempe et *secundarium:* illud est quod praecipit id quod est essentiale ipsi rei vel fini intento a natura: istud quod praecipit vel suadet id quod eidem fini congruum est.

In iis, quae ad ius divinum in ordine supernaturali et ius canonicum spectant, auctoritas civilis partem habere potest, quatenus probans idem ius, sicut debet, tum impedimenta removet quibus liberum exercitium eorum iurium iniuste impediretur, tum subditos suos obligat ne iisdem iuribus adversentur.

Cum de aliquo iure sermo est, distinguendum est ipsum ius seu potestas moralis, et exercitium eiusdem. Potest enim prius esse sine altero, et potest esse necessarium et essentiale prius, quin sit semper necessarium et essentiale alterum. Facultas enim ad aliquid essentialis esse potest, quin sit actus necessarius, cuiusmodi sunt tot facultates humanae: porro ius est aliqua facultas seu potestas, licet moralis. Ipsa enim rei natura potestatem aliquam exigere potest, cuius tamen exercitium vel libero arbitrio subsit, vel certis prudentiae legibus temperari debeat.

Item exercitium iuris necessarium alicui esse potest tum ut simpliciter sit, tum ut bene sit.

Quaestio non est modo utrum in causis ecclesiasticis sint Clerici et potissimum Pontifex, immunes a laica potestate: hanc iam quaestionem solvimus (Proleg. §. 18.); sed quaestio est tantum quoad res et causas civiles. Neque quaestio est de subiectione potestati civili quovis modo spectatae, sed de subiectione *potestati coactivae*, seu iurisdictioni propriae dictae.

II. Immunitas plena personalis h. e. ius exemptionis a quavis iurisdictione civilium potestatum competit Romano Pontifici; competit autem iure divino saltem naturali: quod ita probamus 1° a posteriori. Sane vi iuris canonici omnis clericus gaudet personali immunitate. Id patet ex eo quod corpore iuris canonici haec immunitas contineatur ac significetur eam auctoritate Ecclesiae atque divina esse constitutam. Cf. l. 2. tit. 2. *de Foro Competenti,* ac capp. *Noverit* et *Gravem, de Sententia excommunicationis* ac Bullam Leonis X. in sess. 9. Conc. Later. *de Reformatione* alibique saepe. Conc. autem Trident. sess. 25. *de Reform.* c. 20. docet « personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et *canonicis Sanctionibus esse* constitutam ». Iam vero sic licet arguere: immunitas personalis iure canonico sancita, comprehendit, quoque et praecipue Romanum Pontificem, qui caput est omnium: hoc autem ius canonicum Romanus ipse Pontifex statuit et in eo statuendo non erravit; atqui statuere non potuit nisi iam iure divino esset per

se immunis: ergo. Maior evidens est quoad 1^m^ partem: item quoad 2^m^ partem certa est; quia omnis lex universalis Ecclesiae a Rom. Pontifice vim habet: quoad 3^m^ vero partem liquet ex infallibilitate Romani Pontificis, quam modo supponimus; agitur enim de statuenda regula moris sive rationis agendi omnium christianorum in quodam ordine rerum nempe respectu clericorum, quae ratio agendi honesta sit, nec iura alterius violet, quod inhonestum foret. Minor probatur ita. Cum Romanus Pontifex pro se ipso quoque positiva sua lege statuit immunitatem nequit antecedenter esse iure subiectus; qui enim ita se habet non potest iure se subducere sola sua voluntate a subiectione debita: ergo iam Pontifex erat immunis, non quidem iure humano, igitur divino saltem naturali orto ex ipsa dignitate Primatus eiusque lex canonica eo spectat ut hoc ius authentice declaret et nova auctoritate constituat.

Itaque etsi Pontifex aliquando hac immunitate non sit usus, quia vero potest iure se subducere ab hac subiectione, si velit; subiectio eius nunquam est concipienda ut necessaria, sed ut voluntaria et idcirco non vera subiectio potestati iurisdictionis. Quando vero Pontifex se subtrahit a iurisdictione superioris civilis, non agit ut civis, sed ut Pontifex auctoritate Primatus, cui auctoritati subordinatur per se auctoritas civilis, indirecte quidem; sed id nihil refert, quia haec subiectio, licet indirecta, sufficit profecto ut Principi praecipi possit ab auctoritate Primatus, ne iurisdictionem suam in Pontificem exerceat: per accidens vero est quod persona, quae a iurisdictione civili subtrahitur sit illa eadem quae auctoritate potitur in Principem civilem; distinctio enim quae requiritur, est distinctio auctoritatum, quarum una alteri subordinetur.

Probatur 2° a priori ex ipsa natura Primatus immunitas Pontificis de iure divino naturali. Recolendum est autem quod hic vel ille homo alteri homini non est subiectus ratione tantum habita naturae humanae; hac enim omnes sunt pares, sed ratione habita eorum quae accidunt naturae, propter quae fit ut hic sit Princeps, ille sit subditus. Et sicut inter ea, quae accidunt, reperiri potest id quod est ratio cur hic sit subditus et subditus huic, ita quoque reperiri potest id quod sit ratio cur hic non sit subditus huic et etiam subditus nulli. Ita subditus gubernatoris vel inferioris iudicis, si decreto Principis ab eorum iurisdictione eximatur, vel ea dignitate ornetur quae repugnet subiectioni eorum, desinit esse illorum subditus: ita electus in Principem societatis perfectae desinit esse subditus cuiusque in ordine saltem naturali. Conditio ergo vel qualitas personae potest esse talis, quae prohibeat iurisdictionem alterius in ipsam personam et potest quoque esse talis ut prohibeat omnem iurisdictionem. Ut igitur demonstremus personam

Romani Pontificis immunem esse iure divino naturali a iurisdictione civili Principum, satis est probare eundem esse divinitus auctum ea qualitate vel dignitate quae excludit istam iurisdictionem: quod ita probatur.

Potestas coactiva, quae propria est iurisdictionis, requirit talem vim in alium ut ab hoc illa nequeat impediri aut ligari: atqui Romanus Pontifex potest impedire aut ligare quamlibet potestatem coactivam, quae erga eius personam exerceatur; igitur persona aucta Primatu, eo quod talis, est immunis a iurisdictione cuiusque alterius hominis. Maior patet: probatur minor. Propter positivam licet indirectam subiectionem potestatis civilis potestati Primatus, ius habet Romanus Pontifex tum prohibendi Principibus secularibus ea quae noxia forent Ecclesiae, tum praecipiendi ea quae necessaria vel maxime utilia sint Ecclesiae; potest enim solvere et ligare quidquid ad bonum Ecclesiae regimen Christianaeque reipublicae rectam ordinationem conducat: atqui utile saltem et maxime utile Ecclesiae est ut non exerceatur legalis vis coactiva in Romanum Pontificem. Etenim negari nequit, esse saltem 1º maxime indecens ut Vicarius Christi totiusque orbis catholici Pater in carcerem auctoritate iuris trudatur ceterisque poenis multetur: 2º id maxime officere existimationi, qua Christi Vicarius penes omnes gaudere debet et idcirco 3º id vehementer nocere recto ac tranquillo regimini Ecclesiae: quapropter licet naturae ius, supposita institutione Primatus, id absolute non vetet primitivo praecepto, at certe secundario praecepto id ut graviter inconveniens esse persuadet. Ergo ius habet Pontifex vi auctoritatis superioris, quae est auctoritas Primatus, impediendi quamcumque vim legalem coactivam erga se ipsum solvendique quamcumque legem contra se ipsum ab alio latam. Ergo potestas suprema Principum erga ipsum Romanum Pontificem nequit esse coactiva h. e. proprie dicta iurisdictio. Cf. Suarez *Defensio fidei* l. 4. c. 4.

Et re quidem vera 3º constat, Ecclesiam agnoscere quod a iure divino profecta sit immunitas. Sane teste Concilio Tridentino, ut iam audivimus, personarum ecclesiasticarum immunitas constituta est *divina ordinatione* et *canonicis sanctionibus:* inter personas autem Ecclesiasticas praecipue est Papa. Sensus porro verborum « divina ordinatione » declarari potest verbis Leonis X. in *Bulla reformationis* lata in sess. 9. qui approbante Concilio ait: « cum a iure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas sit attributa ». Iam vero sensus horum verborum vel est simpliciter negativus: laicos non habere hanc potestatem ex iure divino aut humano, vel est positivus: laicis interdictam esse potestatem hanc: si primum, vel ea divisio com-

prehendit quodcumque ius ideoque etiam naturale, vel non: si non comprehendit, inepta est propositio; nihil enim probat: ergo si sensus verborum est negativus, comprehenditur ius quoque naturale. Itaque vel ea verba sensu positivo sunt accipienda, vel negativo sed excludente quodvis ius: atqui si positive sumas, dicendum est, laicos potestatem nullam habere in personas ecclesiasticas; potestas enim, quae divino iure interdicitur, nulla est. Quomodo vero interdicitur laicis potestas? aut quia positiva lege Dei exempti clerici sunt, aut quia ipsa natura personae sacrae hanc immunitatem postulat; hoc autem est verum ius naturale divinum: si igitur desit positiva lex, dicendum est iure divino naturali fuisse constitutam immunitatem, eo ipso quod Deus Sacerdotalem instituit dignitatem. Ecclesia ergo, testibus Patribus Tridentinis et Lateranensibus, agnoscit aliquod ius divinum sanciens immunitatem Ecclesiasticam: verbaque Tridentini *ordinatio divina* comparata cum verbis Leonis legem significant statuentem ius.

III. Quam ergo partem in immunitate Pontificis habet ius humanum? Ius ipsum immunitatis divinum est, neque ut tale dependet a voluntate vel ipsius Pontificis. Est tamen in Pontifice auctoritas ipsum confirmandi. Exercitium vero, quia absolute necessarium non est et potest non esse et aliquando non fuit et plus minusve plenum esse potest, indiget causa aliqua determinante praeter ipsum ius divinum: quae causa determinans erit obiective utilitas Ecclesiae, efficienter auctoritas ea quae omnia in Ecclesia regit, h. e. auctoritas Romani Pontificis, qui lege divina (Pasce oves meas) tenetur consulere utilitati Ecclesiae. In eius ergo potestate est tum praecipere ceteris, ne immunitatis exercitium impediatur, tum determinare modum quo exercendum est istud ius.

Negamus vero, a civili potestate huiusmodi ius originem ducere. Nam ius divinum proprium et intrinsecum Primatus nequit habere originem nisi ab institutore Primatus; atqui ius independentiae ab auctoritate Principis, quod habetur, velit ipse nolit, nequit in fieri et in esse pendere ab eadem auctoritate. Quodcumque enim ius, quod auctoritas confert, quatenus ab ea est, potest non esse si ipsa velit et omnis auctoritas, sicut nequit se ipsam simul affirmare et negare, ita non potest conferre ius independentiae a se ipsa, quod habeatur independenter a suo consensu. Altioris ergo ordinis est hoc ius Pontificis et a causa superiore adaequate dependet, nempe a Deo.

Cur ergo Principes sanxerunt legibus suis immunitatem Ecclesiasticam easque leges amplexa est Ecclesia: imo assertum est immunes esse ecclesiasticas personas ex iure divino et humano? Respondeo leges has spectare immunitatem Ecclesiasticam universim; et quia quod valet in immunitate Ecclesiastica universim spectata, valet et in im-

munitate Pontificis, ut universalior sit doctrina, de ea generatim loquemur. Itaque considerare oportet, quod Ecclesia habet ius immunitatis potestatemque habet praecipiendi, ut eius liberum exercitium a nemine impediatur; tamen si Principes qui vi materiali praevalent, impedire velint illud, non poterit physice ipsum haberi. Ut ergo actu immunitatis ius exerceatur, opus est ut Principes faciant id quod iure debent, nempe desistant ab illicita violentia, qua illud impedirent. Eorum est ergo ponere eam conditionem, quae necessaria est, ut actuali immunitate Ecclesia fruatur. Quod quidem exsequuntur, cum leges ferunt, quibus tuentur immunitatem Ecclesiasticam: quibus legibus non confertur immunitatis ius (quaecumque sit forma, qua efferuntur) sed, prout est munus civilis potestatis, praesidium libertati Ecclesiae praestatur. Eae vero leges habent veram rationem legis, si comparentur ad subditos laicos, quibus obligatio a Principe quoque imponitur, ne Ecclesiae iura laedant. Liquet ergo ratio cur concursus quoque civilis auctoritatis ab Ecclesia requiratur.

Cum vero canones aiunt immunitatem Ecclesiae esse *ex iure divino et humano*; si de iure constituente sermo est, ius humanum est ius ecclesiasticum sive canonicum. Sane id nos docet Tridentinum quod loquens de iure constituente, solum ordinationes divinas et canonicas sanctiones memoravit: docet pariter Leo X., qui negat iure ullo humano aut divino competere laicis potestatem in personas ecclesiasticas; docet ratio, quam attulimus, probantes a potestate civili non posse originem ducere immunitatis ecclesiasticae ius. Si vero sermo fit non de iure tantum constituente, sed et de iure praecipiente laicis ne violent Ecclesiae ius et de iure removente prohibens exercitium legitimum iuris ecclesiastici, dici potest ecclesiasticas personas gaudere immunitate iure quoque humano h. e. civili.

Nec dicas expedire ad quietam vitam reipublicae exerceri indifferenter iustitiam in malefactores et perturbatores communitatis, ideoque esse in republica temporali potestatem ad hanc iustitiam indifferenter exsequendam erga omnes et idcirco etiam erga clericos. Negatur enim consequentia, nam non omne quod expedit, est in potestate eius cui expedit. Nec dicas ius in republica esse se defendendi contra quosvis iniquos aggressores et defendendi suos subditos: defendere vero se et suos auctoritate publica. Distinguitur enim antecedens, scilicet defensio privata, qua vis vi repellitur, competit cuique et reipublicae quoque, sed ea non est actus iurisdictionis: defensio per vindictam, nimirum per timorem poenae praeveniendo ne fiat malum et poenam inferendo si fiat, est actus iurisdictionis et soli superiori in suos subditos competit. Porro magistratus laici non sunt superiores clericorum.

Hactenus locuti sumus explicite de Principibus fidelibus: verum ius a Deo collatum Pontifici respicit per se etiam infideles; tenentur enim et ipsi ex Dei voluntate subesse Romano Pontifici, sicut obligati sunt ad suscipiendam fidem. Quare non nisi propter ignorantiam excusantur ipsi ab eo obsequio praestando quod Christiani debent: et non nisi propter physicam impossibilitatem tuendi in eorum regno immunitatem Ecclesiasticorum, abstinet Ecclesia ab ea sibi vindicanda.

Observa argumenta pro asserendo iure immunitatis procedere a speciali dignitate ecclesiasticorum, quatenus iurisdictionem habent et ministerium sacrorum, non ex eo solum quod aliquo sacro charactere sunt insigniti: unde non est consequens omnes baptizatos esse immunes. Cf. de his omnibus Suarez l. c. et *de Immunitate Ecclesiastica* a Venetis violata l. 2. c. 1.

Quaeres an sit aliquod etiam *ius divinum positivum?* Respondeo quod ius divinum positivum proprie dictum non habemus, quod spectat vero ad ius hoc improprie dictum cf. Becanum in *Duello de Primatu regio* c. 2°.

IV. Iam vero ius immunitatis necessarium est et essentiale Primatui Romani Pontificis. Ut potestas essentialis dicatur alicui, opus non est ut eius exercitium sit subiecto necessarium et essentiale, sed satis est quod cum essentia rei ipsa sit necessario connexa; ita potestas quamlibet scientiam acquirendi est essentialis intellectui, potest tamen esse intellectus sine eius potestatis exercitio. Unde quamvis ratio potestatis sit finis; quia tamen quaestio esse potest de fine, postulari nequit ut norma iudicandi an aliqua potestas sit *subiecto essentialis,* desumatur ex necessitate actus propter finem: cognita enim essentia subiecti, desumi potest ea norma ex nexu, quem potestas habet cum essentia eius. Ex *fine* vero desumetur ratio iudicandi, an actus necessarius et essentialis sit nec ne. Porro ius est potestas quaedam. Atqui ex probatis constat, potestatem hanc cum essentia Primatus esse intime nexam nec posse esse Primatum, quin ipsa sit: ergo ius hoc necesse est ut insit Primatui eique est essentiale. Itaque sicut essentialis est Primatui potestas recipiendi ex toto orbe Christiano appellationes a quovis primo iudicio Episcoporum: sicut essentiale eidem est ius exercendi cuiuscumque actus iurisdictionis episcopalis in universa Ecclesia, quamvis exercitium horum iurium non sit necessarium; ita essentiale dicendum est Primatui ius immunitatis a laica iurisdictione. Si ergo ius ipsum immunitatis spectetur et quaestio fiat an primario vel secundario iure seu praecepto divino naturali per ipsam institutionem Primatus constitutum sit: respondendum est, ius illud seu eam moralem potestatem (ius enim potestas est quaedam) primario iure seu praecepto consti-

tutum esse: voluit enim Deus ut ius illud esset de essentia Primatus, et ab eo proinde inseparabile.

V. Nunc de exercitio huius iuris. Potestas quaevis est propter actum, actus autem propter finem, qui vel est perfectio agentis vel aliorum extra agens. Primatus vero collatus est Petro et successoribus eius propter bonum Ecclesiae: omnis ergo potestas et omne ius Primatus est in bonum Ecclesiae; ius etiam igitur immunitatis pro regimine Ecclesiae collatum est Pontifici. Iam vero exercitium huius iuris non est absolute necessarium Ecclesiae, nempe ut ea sit: liquet ex facto; primis enim Ecclesiae seculis non gaudebat exercitio huius iuris Romanus Pontifex et tamen Ecclesia stabat. Est tamen aliqua necessitas exercitii eiusdem. Nimirum Ecclesia non tantum ius habet ut sit, sed etiam ut bene sit, ut nempe perfecto modo convenienti suae naturae exsistat et regatur: omne enim ens ius habet ad suam acquirendam perfectionem, praesertim illud quod non propter alia est, sed propter quod sunt alia; cuiusmodi est Ecclesia propter quam cetera exsistunt. Iam vero ut Ecclesia bene sit, evidens est necesse esse, ut omnia eius iura, inter quae sunt potissimum iura sui capitis, in actum deducantur: non enim frustra ea iura contulit Deus. Oportet ergo ut et ius immunitatis ad actum deducatur.

Sane si utilitas Ecclesiae, quae finis est huius iuris consideretur, advertendum est quod Ecclesia est societas visibilis et independens, ius habens ad vitam socialem perfectam. Ut autem eius vita socialis bene se habeat seu perfecta sit, necesse est ut supremum eius Caput semper gaudeat actu plena et perenni libertate docendi et ferendi leges atque poenis reos cohibendi, erga omnes fideles ipsosque Principes: necesse est ut pax et tranquillitas regiminis Ecclesiastici sit ex se stabilis ideoque nullo modo dependeat a voluntate mutabili hominis, cui Ecclesiae cura non est commissa: necesse est ut exercitium potestatis Capitis Ecclesiae ita certo constare possit omnibus fidelibus, ut excludantur exceptiones probabiles, quas promovere possent contumaces aientes sponte sua Pontificem non agere: necesse est, ut Pastor immediatus omnium fidelium alienus sit a contentionibus, quae fideles populos in societate civili inter se committere possent, ne et ipse debitam fidelium fiduciam et reverentiam amittat eiusque decreta, quae forte non placent, suspicione laborent quod in gratiam Principis sui edita sint: necesse est ut eo sensibili splendore cultus et honoris honestetur Primatus, qui idoneus sit penes homines, qui in sensibilibus intelligibilia percipiunt, ad conciliandam ei existimationem convenientem summae suae auctoritati et ad amovendum periculum ne auctoritas sua apud homines vilescat.

Atqui haec omnia vel includunt vel exigunt immunitatem Pontificis a laica iurisdictione in quavis etiam hypothesi, si simul sumantur, socialis hominum conditionis. Nam vilesceret certe penes hominum multitudinem auctoritas Pontificis, si is, non secus ac alii cives, ad laica tribunalia traduceretur, si a laica potestate poenis multaretur. Haec enim est ratio communis cogitandi, ut non existimetur habere dignitatem et auctoritatem excellentiorem aliis is qui ab iisdem iudicatur et punitur: unde communi hominum consensu excellentiores in societate quodam privilegio fori gaudent. Ut ergo debitus honor Pontifici deferatur, subiectus is esse non debet auctoritati Principum, quibus ipse praestat auctoritate. Item tranquillitas regiminis ecclesiastici non foret stabilis per se, h. e. ex intrinseca virtute auctoritatis; penderet enim tranquillitas ab extrinseca voluntate quoque Principis, qui Pontificem cogere et eius actiones impedire posset et quamvis id non faceret, tamen, cum vellet, facere posset et cum eius voluntas mutabilis sit, semper velle poterit: unde per accidens tantum tranquillitas regiminis obtineretur. Item spectata inordinatione humanarum voluntatum, fieri non posset ut Pontifex subditus gauderet plena et perenni libertate docendi, ferendi leges et puniendi: morali enim necessitate, propter corruptionem naturae, eveniret ut Principes auctoritati suae nimium studentes vellent prohibere Pontificem ab iis quae sibi non placent. Unde neque ea probabilis exceptio contra non spontaneum exercitium Pontificiae auctoritatis excluderetur, saltem si Principi sponte subesset Pontifex, amico foedere cum eo coniunctus. Et quia natio quaevis adversatur civiliter iis omnibus, qui ad inimicam pertinent nationem; Ecclesiae Caput evaderet frequenter obiectum aversionis eorum Christianorum, qui cum suo Principe bellum gererent eiusque decreta, quae forte non placerent, suspicione laborarent quod in gratiam Principis sui edita sint et ideo contemptui obnoxia forent. Quae praeiudicia caveri nequeunt, nisi Pontifex subditus sit etiam captivus et hostiliter tractetur, ut nemo suspicari possit, ipsum suis inimicis favere: quae iniusta conditio est certe absurda. Ergo utilitas Ecclesiae sive ut bene sit, Ecclesia exposcit immunitatem Capitis sui (Cf. Allocut. Pii IX. *Quibus quantisque* 20. April. 1849.).

Hinc statim ac Ecclesiae pax a Constantino reddita est, Romanus Pontifex immunitatem actualem nactus est nec ea violata est aliquando nisi cum detrimento Ecclesiae: quamvis vero Pontifex revereretur adhuc Imperatorem, nunquam tamen apparet, ipsum vi coactivae legum imperialium habitum fuisse iuridice obnoxium.

Et sane, quod heic innuisse sufficiat, Romanus Pontifex auctor fuit Imperii occidentalis, cuius ius contulit Carolo Magno (cf. Bellarm. *de*

Translat. Imperii Romani l. 1.) idemque auctor fuit illius iuris quo communiter ea aetate civilis societas regebatur, ut catholico populo catholicus et Ecclesiae obediens imperaret: haec porro arguunt Pontificem expeditum tunc fuisse a quavis subiectione coactiva laicae potestatis.

Ex dictis liquet exercitium huius iuris seu potestatis moralis esse de iure seu praecepto divino naturali secundario; quia non est absolute necessarium Ecclesiae, ut nempe Ecclesia quoad suam essentiam sit, sed secundum quid, ut nimirum ea bene et perfecte sit.

VI. Si spectetur id quod requiritur ad essentiam immunitatis in actu quoque secundo, patet eam esse posse sine Principatu, si Princeps, in cuius territorio sit Romanus Pontifex, eius independentiam admittat ideoque nihil sibi vindicet in ipsum certumque evadat sive ex perspecta pietate Principis, sive ex pactis initis cum nationibus christianis, sive alio modo quod Princeps nullum unquam ius sibi sit vindicaturus in Romanum Pontificem. Sic enim Romanus Pontifex immunitate frueretur, non obnoxius iure neque actu potestati coactivae alterius: non esset scilicet subditus nec tamen foret Rex quod amplius est. Verum si consideretur 1º Principes, vel quicumque sint suprema aucti potestate civili, pronos admodum esse ad amplificandum dominium suum: 2º quicumque sit iugiter in territorio alicuius regis, connumerari cum ceteris eius subditis et inter eos aliqua ratione censeri; cum ratio cur hi subditi sint huius, sit quia in eius territorio sunt: 3º exemptionem Romani Pontificis habituram in hac hypothesi rationem privilegii quoad exercitium concessi a voluntate Principis: 4º Principes eos esse, quibus a Romano Pontifice praecipienda sint non infrequenter ea quae iisdem non placent: idcirco 5º proximum periculum tunc semper exstiturum, ne, si Romanus Pontifex suo officio deesse nolit, Princeps potestate sua physica abutatur impediatque exercitium Primatus, vel ne suspicentur ceteri Romanum Pontificem gratificari eidem Principi excipiantque contra leges ab eo latas, si aliis nationibus minus placeat quod vel vi coactus vel gratia allectus Principis Pontifex aliquando decreverit: si haec, inquam, considerentur, manifestum erit immunitatem Pontificis nec tutam stabilemque ex sese nec fini suo satis conducere posse, si Pontifex careat Principatu.

Iam vero, ut demonstremus quod in Thesi subiicimus, advertimus duplicem quaestionem fieri posse: 1ª an legitimus sit hic principatus: 2ª an sit necessarius, aut utilis. Priorem quaestionem non agimus, relinquentes eam iurisperitis; ideoque supponimus acquisitionem et possessionem Principatus civilis Romani Pontificis legitimam fuisse et esse, ratione habita legum humanarum. Deinde advertimus, illud dici institutum providente Deo, vel singulari consilio divinae providentiae,

quod mediantibus quidem naturalibus causis divina Providentia non solum permittit sed intendit sapientique ratione assequitur.

Hoc posito sic arguimus: singulari consilio divinae Providentiae referenda est in acceptis ea institutio, quae efficaci modo ac suavissimo obtinetur et quae cum bona in se sit, ad finem intentum a divina Providentia, vel maxime vel unice ratione habita historicorum adiunctorum, conducit: atqui talis est institutio Principatus civilis Romani Pontificis; ergo. Maior patet tum quia proprium est divinae Providentiae efficaciter simul et suaviter, utpote omnium causarum dominae, finem suum assequi, tum quia quod bonum est et ad finem intentum conducit, non permissum sed volitum a divina Providentia dicendum est. Minor autem probatur et primo quidem eo quod efficacia et suavitas praeclarissime splendescunt in institutione Principatus civilis, qui sine vi et fraude, ipsis causis naturalibus iuvantibus rerumque ordine veluti efflagitante, sensim sine sensu adolevit suamque firmitatem omnibus consentientibus nactus est.

Quod autem secundo per ipsum *maxime* h. e. perfectiori modo obtineatur finis, qui est independentia Pontificis eiusque plena libertas et ita perfecta, quoad hoc caput, administratio Reipublicae Christianae, id est per se evidens. Quare etsi non unice conduceret ad finem intentum a divina Providentia Principatus civilis, illud satis esset, ut diceretur iste Principatus romanus singulari consilio divinae Providentiae esse institutus. Verum cum affirmatur Principatum civilem esse institutum providente Deo, sive singulari consilio Dei, illud quoque spectatur, quod nempe ipse sit medium necessarium ad finem quem Providentia intendit: non quidem per se seu absolute, sed ratione habita certorum adiunctorum ita ut ipse in iis adiunctis unice valeat.

Scilicet finis est ut Ecclesia vitam suam socialem non solum agat, sed *perfecte* agat, fruatur proinde Romanus Pontifex plena libertate, pax Ecclesiastici regiminis sit ex se stabilis, cum omnibus fidelibus ita libere communicet Pontifex, ut certo constare possit omnibus decreta eius sponte ab ipso procedere, eique omnes plenam fiduciam et observantiam praestent. Atqui si res historice spectetur et habeatur proinde ratio morum, quibus regi solent humanae societates, affirmari generatim potest, quod difficile prorsus seu moraliter impossibile sit, ut haec bona obtineantur, sepositis miraculis, si Romanus Pontifex non sit Princeps. Id sequitur ex considerationibus superius adhibitis, quibus constat 1º quod qui rex non est, est subditus si non iure saltem facto, obnoxius scilicet vi superioris qui abuti semper potest facilisque est ad abutendum sua physica vi, quae repelli a Pontifice nequeat: constat proinde 2º nec integram multoque minus omni Ecclesiae certam fore

libertatem Pontificis in exercitio sui Primatus: « Omnibus enim compertum est, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura Romano Pontifici, si illum alicuius Principis vel gubernii subiectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem conformaret atque idcirco actis illis hoc praetextu saepe refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus et Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi monita, hortationes, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cuiusvis Principis aut gubernii subditum esse agnoscerent, praesertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum? » ait Pius IX. Alloc. cit. Ergo perfectio vitae socialis Ecclesiae postulat principatum civilem Romani Pontificis.

Dices clericos, etsi sint in territorio regis, tamen per immunitatem non esse eius iurisdictioni coactivae subiectos. Id utique verum est, si ius consideretur et Principes Ecclesiae praecipienti obedire velint: at verum est quoque 1º clericos adhuc esse subditos quadantenus Regis; spectant enim ad corpus suae societatis, licet sint membra privilegiata, vique directiva legum teneri, quas si transgrediantur, possunt et debent puniri a suo legitimo superiore: eosdemque, si actoris partem agant contra laicum, ad laicum tribunal adire debere: verum est 2º in clericos ita constitutos, indigentes auxilio Principum et impares ad se defendendum contra eorum violentiam facile Principes auctoritatem illegitimam sibi vindicare: 3º violationem immunitatis ceterorum non ea universae Ecclesiae damna gignere, quae oriri nata sunt ex violatione immunitatis Capitis Ecclesiae, quae est immunitas totius Ecclesiae simul, non quorumdam tantum suorum membrorum. Ergo quod de immunitate clericorum dictum est, non impedit quominus verum sit, difficile esse ut immunitas Romani Pontificis sit et perduret, si ipse Principatu careat atque hunc necessarium esse ut ea sit in actu.

Itaque quoniam haec est conditio ordinaria humanae societatis, ut moraliter impossibile sit, plena sua independentia et libertate Romanum Pontificem actu gaudere, nisi Princeps sit; sequitur, ut quemadmodum ea necessaria est, et hic quoque sit necessarius ac unice ad eam conducat.

Dices: nonne plura secula a Constantini aetate caruit Principatu Romana Sedes, seu cur ergo Deus statim ab initio illum non instituit?

Respondeo 1º divina Providentia, ut dicebamus, res suaviter disponit

et suum consilium exsequitur ordinarie per ipsas causas naturales: cum ergo Romanum imperium uni pareret; ut aliqua eius particula Romano Pontifici tribueretur, oportebat per humanas vicissitudines imperium Romanum dissociari et partem eius legitime subduci a potestate Principis; tunc enim nullus legitimus praetextus exsistere potuisset violati iuris et tranquillissime possessione sua usus esset Romanus Pontifex. Id autem sensim sine sensu tandem seculo VIII. perfectum est. 2º Interea tamen divina Providentia ita res moderata est, ut Romanus Pontifex liber in urbe Roma esset et antequam omni specie regiae auctoritatis potiretur, iam a seculo V. politica potestate utebatur: cf. Brunengo *Origine della sovranità temporale del Papa.* De Maistre *du Pape* l. 2. c. 6. 3º Haec tamen conditio erat per se incerta ac labilis et obnoxia mutationibus atque transitoria erat h. e. ordinata a Deo ad firmiorem statum et perfectiorem obtinendum per principatum. Quare ineptum esset postulare, ut rursus ad eam conditionem rediretur. « Singulari scilicet prorsus divinae Providentiae consilio factum est, ut Romano imperio in plura regna variasque ditiones diviso, Romanus Pontifex... civilem Principatum haberet » (Allocut. cit.). Cf. Card. Orsi *Origine del potere temporale de' Papi.*

Dices: nunc caret Pontifex principatu et tamen eius decreta omnes catholici absque suspicione suscipiunt et is liber est in regenda Ecclesia.

Respondeo: primum contingit; quia Pontifex non solum est subditus, sed sub eorum potestate, qui ab omnibus catholicis censentur eius inimici: hanc autem conditionem lex ipsa naturae non patitur permanere. Alterum primo precarium est, tum dubitare de ipso facto licet. An integrum est Pontifici concilium Vaticanum prosequi? an libera erit electio successoris?

VII. Quaeri solet cuiusmodi sit certitudo illius veritatis, quae asserta est hac aetate, de necessitate Principatus civilis Romani Pontificis. Quandoquidem ipse nexus est cum iure immunitatis, cuius est perfecta actuatio et pro plena libertate Pontificis necessarius est, de omnibus singillatim dicendum est. Dicimus ergo 1º ius (non loquimur de facto) immunitatis personalis esse veritatem divinitus revelatam. Unde sequitur eam esse fide divina credendam. Assertio autem nostra ex discursu theologico procedit: unde nolumus dicere, haereticos esse qui secus sentiant nullaque alia censura sententiam oppositam notamus. Sane revelatum illud dicendum est quod analysi instituta veritatis revelatae, ope principii contradictionis, in ea contentum reperitur; atqui in veritate Primatus veritas quoque continetur immunitatis et independentiae illum exercentis ab ulla alia potestate; contradictorium est

enim posse Rom. Pontificem ligare et sic irritare actus potestatis alterius exercitos in ipsum et eidem potestati subesse; ergo. Cf. II. 2. superius.

Idem dicendum de alia veritate, quod nempe Pontifex ius habeat ad media necessaria ut libertate sua plena uti possit: revelatum est enim Romanum Pontificem ius habere ad exercitium plenissimum suae auctoritatis; perinde est enim conferre auctoritatem et conferre hoc ius: atqui collato iure ad finem hoc ipso confertur ius ad media necessaria, ut qui affirmat ius esse ad finem eumque esse vult, hoc ipso affirmet ius esse ad media necessaria: ergo hoc quoque affirmatum est a Deo seu revelatum.

Quaenam autem sint huiusmodi media, quae plerumque ex diversis adiunctis et conditionibus dependent, in quibus Ecclesia versari potest, ea non opus fuit omnia singillatim revelari, sed relinqui potuerunt determinationi Ecclesiae. Idque factum videtur quoad Principatum civilem. Ecclesia scilicet, quae scit se habere ius ad media necessaria pro pleno exercitio suae potestatis illudque habere semper et pro quavis conditione humanae societatis, definire potest: his in adiunctis, ita se habentibus hominum moribus, necessarius est Pontifici Principatus civilis. Quanta ergo est certitudo huius veritatis? Supponendum est Ecclesiam (Proleg. 21. V.) posse sententiam infallibilem ferre non solum circa veritates revelatas, sed et circa alias veritates sive theoreticas sive practicas aut historicas, quae cum dogmate sive theoretico sive practico connexionem habent. Porro huiusmodi est veritas illa. Nam dogma est, Romanum Pontificem ius habere ad liberum exercitium plenae suae potestatis praeceptumque est divinum sive dogma practicum, debere fideles omnes potestatem hanc revereri liberumque eius exercitium nunquam impedire: atqui ut id firmiter praestetur, constare debet cum certitudine quaenam sint media necessaria ad illud exercitium; si enim negetur necessitas alicuius medii, quod tamen reapse sit necessarium, periclitari potest in fidelibus fides ipsius dogmatis, iuris nempe ad liberum exercitium suae potestatis: nam si quis putet illud non esse necessarium et posse sine ulla iniuria auferri Pontifici, nequit ille simul tenere Pontificem habere ius ad eam libertatem, quam sine eo medio Pontifex reapse exercere nequit.

Iam vero auctoritati docentis respondet in discipulo fides et auctoritati infallibili respondet fides certa et infallibilis. Quae idcirco non est tantum fides humana, nam innititur auctoritati magisterii divinitus instituti et infallibilis: non est autem simpliciter fides divina, quia obiectum eius formale non est auctoritas Dei revelantis. Est ergo fides infallibilis innixa auctoritati magisterii divinitus instituti. Est

autem fides debita: auctoritas enim magisterii Ecclesiae est auctoritas iurisdictionis, qua fides praecipitur; unde nec sufficit obsequiosum silentium, ut decrevit et declaravit Clemens XI. Constit. *Vineam Domini.*

Porro certum est, Romanum Pontificem plus semel, et cum eo universum Episcopatum sollemniter docuisse necessitatem Principatus civilis. Cf. praeter citatas, litteras Apostolicas Pii IX. *Cum Catholica* 20. Mart. 1860. Syllabum eiusdem propp. 75. 76.

COROLLARIA.

I. Ex disputatis in hoc artic. patet quam merito Ecclesia libertatem suam h. e. independentiam a civili auctoritate in rebus ecclesiasticis semper defenderit omnique cura propugnaverit. Perinde est enim potestatem seculi se immiscere Ecclesiae regimini sibique Ecclesiae iura subordinare ac Ecclesiam funditus perturbare eiusque procurare interitum. Si enim Ecclesia subest auctoritati civili, iam non est societas quae regitur auctoritate Apostolica, iam non est regnum Christi quod in supernaturale bonum ordinatum est animarumque sanctitatem et salutem procurat: ideoque desinit esse Ecclesia Christi. Hinc summa contentione certatum est olim, ne electiones Episcoporum penes arbitrium essent potestatis secularis. Quo enim secularis potestas in hoc conflictu spectabat nisi ut sibi regimen Ecclesiae subiiceret, cui ex libitu suo rectores dare volebat? Non est profecto independens sed serva ea societas quae rectores suos ab alia accipere debet: nec alii quam Ecclesiae summoque Pontifici in primis Christus ius contulit constituendi pastores pro ovibus suis. Quod ius cum Ecclesia tueretur, quod officii sui est exsequebatur nec honoris aut excellentiae cupidine, sed obedientia erga Deum et amore erga humanum genus movebatur, cuius maxime imo unice interest ut in viam salutis dirigatur, dirigatur autem ab iis qui solum valent hoc fungi munere, cuiusmodi illi tantum sunt qui auctoritate accepta ab iis qui Apostolis succedunt in eandem seriem successionis legitime adsciscuntur; his enim solis suam auctoritatem Christus commendavit, ut diximus in Proleg. §. 26.

II. Ex his etiam constat quam impie et ridicule sibi olim Reges Siciliae ius assererent legationis Apostolicae, contradicente Romana Sede. Praeterquamquod enim ius, quod sibi illi Reges vindicabant, nunquam ipsis collatum est, ut invicte demonstravit in suis Annalibus Card. Baronius ad an. 1097.; neque poterat conferri vetante id iure divino; ridiculum prorsus erat, aliquem velle esse legatum Principis,

contradicente ipso Principe, atque huiusmodi legatum agere auctoritate delegata contra voluntatem et leges Pontificis delegantis velleque eius nomine iurisdictionem exercere qui negabat se eam dedisse, dare aut dare posse actusque omnes personati legati irritabat. Vel enim illi boni Reges credebant Primatum Rom. Pontificis, vel non credebant: si non credebant, unde eis tanta iurisdictio quam titulo legationis se obtinuisse a solo Rom. Pontifice profitebantur? non nisi enim vi plenitudinis potestatis potuisset ea conferri, si talis collatio fuisset possibilis. Si vero credebant, quoniam iura Primatus divinitus instituti nulla ratione imminui possunt aut alienari, officiumque et ius habet quilibet Rom. Pontifex abrogandi omnes leges omniaque privilegia a se vel suis successoribus concessa quae ipse censeat nociva aut minus utilia Ecclesiae et quia Ecclesiae divinae constitutioni repugnat ut auctoritate laica regatur; manifestum est quod non nisi per summam impietatem aut crassissimam ignorantiam fieri potuit, ut contradicente et obnitente Romano Pontifice quidam vellent in negotiis ecclesiasticis eius esse legati eiusque delegata auctoritate contra ipsum uti. Cf. ss. Pii IX. litteras Apostolicas: *Suprema* datas ann. 1864. 5. Kalendas Februarias.

CAPUT II.

DE INFALLIBILI MAGISTERIO ROMANI PONTIFICIS

PRAENOTIONES

I. Iam probavimus Ecclesiam universam infallibilem esse ac statuimus infallibilitatem universae Ecclesiae per magisterium infallibile obtineri (§§. XXI. seqq.). Qua in re recolenda est distinctio quam dedimus (ibid.): nimirum si habeatur ratio causae finalis, prior est infallibilitas totius Ecclesiae quam infallibilitas cuiusque magisterii; ipsa est enim finis propter quem exsistit magisterium infallibile, ideoque ipsa est primum intenta a Deo. Quae quidem Ecclesiae universae infallibilitas est secundum essentiam vera infallibilitas; in eo enim sita est, quod professio fidei communis universae Ecclesiae sit immunis ab errore sitque necessario talis propter assistentiam Spiritus S.: atqui hi sunt characteres infallibilitatis; huc enim redit eius definitio (§. XX.). Quocirca quaecumque sit causa proxima huius infallibilitatis, ipse fidelium universus coetus in sua professione fidei est *formaliter* infallibilis. Si vero ratio habeatur causalitatis efficientis, prior est infallibilitas magisterii quam totius coetus, illud enim est principium efficax infallibilitatis Ecclesiae. Quo factum est, ut infallibilitas magi-

strorum seu Ecclesiae docentis diceretur *activa*, ceterorum discipulorum seu Ecclesiae discentis *passiva*. Nunc autem de infallibilitate activa tantum disputamus et quoniam vidimus generatim eam magisterio competere, modo quaestio distinctior instituitur de subiecto eiusdem magisterii infallibilis.

Constat quidem, voluisse Christum ut quos Pastores in Ecclesia sua posuit, iidem testes essent atque doctores authentici, qui verbum Dei revelatum ab hominibus credendum praedicarent, custodirent ac perpetuo propagarent: qua de re dictum est satis, cum de Magisterio ageretur. Pariter vero constat, voluisse Christum ut praeter singulares cathedras magisterii in singulis Ecclesiis, unum esset magisterium universale pro tota Ecclesia; magisterium scilicet quod ad universam Ecclesiam auctoritate sua se porrigeret, cui universa Ecclesia parere teneretur. Exsistentia huius magisterii quoad suam efficaciam universalis patet ex ipso fine institutionis et oeconomia a Christo adhibita pro hoc fine obtinendo; finis enim est unitas totius Ecclesiae in vera fide, oeconomia autem a Christo adhibita in eo est quod per auctoritatem ipsa obtineatur. Porro huiusmodi magisterium universale est certo infallibile; est enim ratio infallibilitatis Ecclesiae totius.

Imo nonnisi eius infallibilitas nobis certo constat, quod advertendum est. Sane ideo nobis constat magisterium esse infallibile; quia infallibilis esse debet Ecclesia pro qua est institutum: iam vero constat pariter non hanc aut illam Ecclesiam particularem aut plures Ecclesias particulares esse infallibiles, sed solum Ecclesiam universalem ex promissione Christi esse infallibilem: ergo de solo magisterio a quo fides totius Ecclesiae pendet constat quod infallibile sit; hoc autem est id quod vocamus magisterium universale. Disputari quidem poterit de subiecto huius magisterii, an sit solum concilium oecumenicum, an sit solus Papa, an utrumque: sed in hac disputatione illud semper supponendum est, infallibilitatem illi soli magisterio certe competere quo universa Ecclesia obligatur, seu cui universa Ecclesia credere tenetur. Diximus *certo competere;* nam duplex per se quaestio fieri posset; prima *absoluta*, utrum aliquis ex assistentia Dei sit immunis ab errore: altera praeterea *relativa*, utrum nobis constet certe eius immunitas ab errore. Per se enim fieri potest ut quis sit quidem immunis ab errore, attamen nec ipsi nec aliis constet eius immunitas per assistentiam Dei ab errore. Verum quia infallibilitas huiusmodi ex assistentia Dei eam necessario producente, at nobis ignota, est inutilis nobis, infallibilitas vero magisterii in bonum tantum Ecclesiae est promissa; hinc ea supponenda non est. Idcirco una est simpliciter quaestio: quinam nempe ille sit, cui ex divina revelatione certo nobis constat

promissum esse donum infallibilitatis. Ille autem unus profecto poterit sibi asserere huiusmodi promissionem.

II. Hanc infallibilitatem diximus esse *ex assistentia Spiritus S.* Haec autem formaliter in ea efficacia Spiritus S. sita est, qua non aliquid positive per modum revelationis vel inspirationis ponatur in mente docentis, sed qua ita regatur mens docentis, ut id solum certissime tanquam verum apprehendat et proponat quod reapse verum est vereque tenendum ab omnibus. Quae directio mentis haberi potest tum negative impediendo ne subrepant falsa iudicia neve formulae falsae adhibeantur, tum positive excitando (ad eum modum quo salutares actus excitantur) eas claras apprehensiones et iudicia certa quibus verum apprehendatur. Haec quidem spectant ad modum, quo assistentia se exercet cum refertur directe ad eum qui docere debet: assistentia autem Spiritus S. relate ad eos in quorum bonum magisterium est institutum, haberi potest prorsus extrinsece, ut si doctorem supremum, volentem aliquid proponere quod falsum sit, morte praeoccupet, ne falsum Ecclesia doceatur.

Quaeritur an assistentia qua doctori Spiritus S. assistit, sit aliquid positivum an negativum. Ex parte Spiritus positivum aliquid esse debet, actio nempe ipsius (quae est voluntas eius efficax); secus falsum esset ipsum assistere si nihil agit: ex parte vero effectus, qui positivum aliquid esse negant, eatenus id vere contendunt quatenus excluditur revelatio et inspiratio, quorum neutra necessaria est ut doctrina proposita sit infallibilis: his vero exclusis non censemus opus esse quamlibet aliam positivam operationem excludere. Quod quidem non bene ex eo probaretur quod infallibilitas sola sit aliquid negativum h. e. immunitas ab errore: nam 1° nequit ea dici aliquid pure negativum, sed saltem privativum, est enim negatio in subiecto 2° et haec immunitas in concreto spectata est vera perfectio magisterii ideoque aliquid positivum sicut veritas: 3° etsi finis assistentiae sit negatio aliqua in subiecto, ut id tamen obtineatur, potest aliquid positive effici, illustratio ex. gr. mentis: ergo.

Quoniam infallibilitas est in bonum Ecclesiae, bonum autem Ecclesiae procuratur extrinseco et publico magisterio non sola interiore fide; hinc assistentia Spiritus eo potissimum spectat, ut in proponendis decretis fidei error caveatur verumque tradatur. Quia tamen Deus suaviter agit se naturae subiecti accommodans et ordinarie homines illud ut verum proponunt credendum quod ipsi concipiunt, hinc directio Spiritus eo pertinet, ut doctor id quod verum est apprehendat certissime ut verum illudque aliis proponat: quorum primum iuxta ordinarium providentiae cursum saltem intelligendum est.

III. Itaque certum est iis quoque, quibuscum disputaturi sumus, quod Romanus Pontifex cum universo Episcoporum coetu sive Concilium oecumenicum a Romano Pontifice approbatum sit infallibile. Quaestio est primum utrum Romanum Pontifex, non quidem prout est privata persona, sed quatenus formaliter est Pastor Ecclesiae Christique Vicarius Pastorisque munere fungitur docendo Ecclesiam, sit ex sese solo infallibilis.'

Sententia Gallicana suis principiis inhaerens quae explicavimus in Th. 16. negans fuit. Cum enim iuxta Gallicanos suprema Ecclesiae auctoritas sit in universitate Pastorum, cui Pastor quoque princeps subest, hinc etiam suprema auctoritas docendi est in universitate Pastorum: atque idcirco ibidem quoque reperitur infallibilitas, quae dos est supremi magisterii cui universa Ecclesia subest (a). Quia vero in Ecclesia debet esse una suprema auctoritas, non duplex et proinde una quoque tantum suprema auctoritas docendi quae est auctoritas iurisdictionis, hinc nullus alius praeter universitatem Pastorum est ex se infallibilis. Et sane si Papa, licet Concilio oecumenico praesidens, subest tamen auctoritati universalis Ecclesiae collectae et ab ea iudicari potest, poterit quoque ab universitate Pastorum quaelibet eius sententia retractari et reformari; atqui sententia reformabilis non est ex se infallibilis : ergo. Triplici igitur elemento constat sententia Gallicana: primo quod subiectum supremae auctoritatis in Ecclesia unum est: altero quod suprema auctoritas iurisdictionis et magisterii ideoque infallibilitas sit tanquam in subiecto immediato in universitate Pastorum ideoque in concilio oecumenico rite convocato et legitime agenti : tertio, quod logice sequitur ex his, quod Romanus Pontifex sicut subest universitati Pastorum ita ex se solo non sit infallibilis; ne duplex sit in Ecclesia auctoritas suprema.

Claritatis gratia advertendum est, quod praeter hypothesim gallicanam alia quoque fieri posset. Nimirum quod subiectum supremae auctoritatis docendi constituatur essentialiter his duobus elementis Romano Pontifice et coetu Pastorum, hoc quidem pacto ut consensus utriusque requiratur ad sententiam infallibilem edendam. Quae hypothesis differt a Gallicana; nam etsi haec requirat unionem Pastorum

---

(a) Sententiam hanc praeformavit Konrad von Gelnhausen, doctor Parisiensis in *Epistola Concordiae* scripta anno 1380. mense maio, ex commissione Caroli V. Regis Galliarum, ubi docet, populum christianum, cuius vices gerit Consilium, suprema potiri auctoritate et esse infallibilem, Papam subesse huic auctoritati. Eum secutus est Henricus von Langenstein, qui anno 1381. scripsit opusculum *Consilium pacis*.

cum Romano Pontifice huiusque convocationem et praesidentiam in Concilio, exceptis casibus extraordinariis, tamen contendit quod auctoritas suprema, quae in concilio reperitur, est tanquam in subiecto immediato in universitate, cuius universitatis vel pluralitatis suffragiis leges latae et definitiones fidei editae vim habent, etsi Pontifex dissentiat, qui idcirco tenetur consentire.

Doctrinam catholicam quoad quaestionem de infallibilitate Romani Pontificis proposuit Vaticana Synodus Sess. 4. c. 4. « Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse ». Quibus in verbis habes 1° formalem rationem sub qua Romanus Pontifex dicitur infallibilis, nempe cum fungitur munere Pastoris et Doctoris omnium christianorum, h. e. pro suprema sua auctoritate apostolica doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit. His porro declaratur celebris illa formula inter theologos, *loqui ex cathedra*. Cathedra enim non materialiter sed formaliter sumpta est ipsa auctoritas docendi: loquitur ergo ex cathedra, utique sua, Romanus Pontifex, cum ex auctoritate Primatus Ecclesiam docet. Ut prorsus inepta sit interpretatio illius formulae, quam dabant Gallicani, quod scilicet Romanum Pontificem loqui ex cathedra sit loqui ex consensu Episcoporum (Tournely *de Ecclesia* q. 5. a. 3°.) scilicet ex cathedris aliorum, ac si Romanus Pontifex cathedram non haberet vel cathedra Primatus esset collectio omnium cathedrarum episcopalium. Habes 2° causam infallibilitatis nempe assistentiam Spiritus S. promissam a Christo: habes 3°. extensionem infallibilitatis Pontificis, h. e. ipsam eo se porrigere, quo Ecclesiae infallibilitas porrigitur: habes 4° intrinsecam vim Pontificiae definitionis; definitiones scilicet Pontificis ex sese sunt infallibiles et irreformabiles non ex subsequente vel praevertente vel concomitante consensu Ecclesiae.

Porro causa infallibilitatis distinguenda est a mediis non quidem ipsius infallibilitatis, sed praeparationis ad exercitium magisterii huius; de quibus mediis sermo est in eodem Cp. 4° (Romani Pontifices prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt etc.). Huiusmodi

enim media humana sunt, causa est divina: ea media ad statum praeparationis spectant, causa actum ipsum definitionis *immediate* attingit, quatenus per se eo spectat, quocumque tandem modo Spiritus S. operetur, ut ipse actus definitionis sit veritati conformis. Atque causa haec *semper* hunc actum attingit: de fide est enim definitionem Romani Pontificis ex cathedra esse per assistentiam Spiritus S. infallibilem, quod in quavis definitione verum esse debet. Porro media requiruntur, ut Pontifex secundum hominum mores recto modo procedat; non enim ipsi revelatio sed assistentia promissa est: infallibilitas vero non ab iis sed a causa h. e. ab assistente Spiritu S. repetenda est. Qua in re pari modo se habent Romanus Pontifex solus definiens et concilium oecumenicum; nam et hoc congruit iis mediis se praeparare ad definitionem. Assistentia autem Spiritus S. adesse censenda est, quotiescumque Romanus Pontifex ex cathedra loquitur. Unde cum certo constat, prolatam esse definitionem ex cathedra, perperam quaestio institueretur, an Pontifex mediis sit usus et quibus; etsi enim non usus esset (quod quidem supponi non debet), cum Pontifex tamen ad actum definitionis venit, Deus certe ita assistit ut errorem prohibeat. Sicut ergo quoad definitiones conciliares, nemo, ut eas credat, quaerit, quibus mediis usi sint Patres ad veritatem revelatam cognoscendam, sed satis ei est, Patres ita esse locutos; scit enim promissam assistentiam Concilio ne erret: ita se gerere oportet quoad definitiones Pontificias; est enim eadem ratio.

Haec est igitur prior quaestio: an Romanus Pontifex ex cathedra loquens sit ex sese infallibilis. Altera quaestio, est huiusmodi: si Romanus Pontifex ex sese est infallibilis obtinetque proinde supremam auctoritatem magisterii cui omnis Ecclesia parere debet, qualis infallibilitas activa competit aliis Pastoribus eorumque coetui docenti antequam ipse Pontifex sententiam suam proferat. Quam quaestionem post priorem curabimus expedire.

IV. In actu definitionis duplicis veluti muneris exercitium distingui debet. Munus enim exercetur *testis*, quatenus repraesentatur divina traditio et munus exercetur *iudicis*, quatenus obortis quaestionibus controversia finitur sententia definitionis. Porro cum qui definit, iudicat, etiam testatur; per se autem fieri potest ut testis munere fungatur, quin iudicis partes agat, si nulla est controversia finienda: historice vero constat definitiones sollemnes sive a Romana Sede sive ab oecumenicis conciliis non solere edi nisi praevertente aliqua controversia, quae finienda sit. Imo pro hoc scopo potissimum postulatur infallibilitas alicuius magisterii viventis perpetuo; ut nempe peremptorie finiantur quaestiones et certo sciatur quit credendum sit: unde penes

theologos catholicos disputatio cum Protestantibus in hac re inscribi solet *de iudice controversiarum*. Quia vero magisterium Ecclesiae cum iudicat, testatur et in simplici testificatione infallibile esse debet ex Christi institutione, ideo seposita hac distinctione satis est quaerere an Romanus Pontifex cum ex cathedra docet, quo utrumque munus continetur, sit ex se infallibilis.

V. Nunc congredimur cum Gallicanis. Falsitas quidem horum sententiae negantis infallibilitatem Romani Pontificis evidens est vel ex solis superius demonstratis, ipsorum Gallicanorum principio recepto. Censent enim Gallicani sola oecumenica Concilia esse infallibilia, quia infallibilitas dos est supremae auctoritatis in Ecclesia et haec in universitate Pastorum seu in conciliis oecumenicis reperitur: iam vero demonstravimus supremam potestatem, imo plenetudinem potestatis iurisdictionis, cuius pars est auctoritas docendi, esse propriam unius Romani Pontificis, cui universa Ecclesia non solum quoad singulas suas partes singillatim sed tota simul sumpta ad modum unius aedificii subest: ergo Romano Pontifici adserenda est quoque infallibilitas, quae dos est supremae plenissimaeque potestatis. Verum quia res est magni momenti, oportet eam uberius pertractare. Sit itaque

THESIS XXV.

Romanus Pontifex ex cathedra loquens, id est cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, est ex sese infallibilis, ideoque eius definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles sunt. (Ex Conc. Vat. sess. 4. c. 4.).

I. Declarationis Gallicanae articulus 4us aiebat: « In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere: nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit ». Cuiusmodi essent istae praecipuae partes et cur decreta in quaestionibus fidei reformabilia pertinerent ad omnes et singulas Ecclesias, nunquam aut definire aut declarare potuerunt Gallicani. Alexander VIII. quatuor articulos huius declarationis Constitutione *Inter multiplices* declaravit ipso iure nullos, irritos, invalidos, inanes ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore idemque potestatis plenitudine improbat, cassat, annullat etc. Idem propositionem hanc paulo post proscripsit: « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate ». Sixtus IV. iam

Petri de Osma propos. 1[m] damnaverat: « Romana Ecclesia errare potest ». Pius vero VI. in Bulla *Auctorem fidei* Pistoriensium audaciam, qui articulos Gallicanos in decreto de Fide insidiose incluserant, reprobavit rursus et damnavit. Veritas tandem catholica sollemni iudicio definita est in Concilio Vaticano. Haec nunc defendenda theologice est.

Itaque advertatur quod, secundum verba ipsa definitionis, Romanus Pontifex spectatur *formaliter* prout est Caput totius corporis Ecclesiae, Pastor totius gregis, Vicarius Christi: ideoque prout exercet proprium officium docendi, definiendi, declarandi veram fidem salutaresque leges morum atque ea quae cum ipsis connexa sunt et ad ea requiruntur et ita consulit unitati fidei et communionis Ecclesiae morumque fidelium sanctitati. Infallibilitatem Romani Pontificis loquentis ex cathedra primum perspicua auctoritate Scripturarum, tum perenni et universali Ecclesiae praedicatione atque praxi demonstrare oportebit.

II. *A)* Matth. XVI. 18. Petrus eiusque Successores Romani Pontifices dicuntur *Petra Ecclesiae:* petra nempe, cui tanquam fundamento innixa ab eoque solidata totius Ecclesiae aedificatio consurgit et in unum aedificium coalescit. Iam vero Ecclesiae aedificium primo construitur fide, qua in unam societatem credentium adunantur eius membra: « Ecclesia enim, teste Ambrosio Offic. l. 3. c. 3., est congregatio, quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis adsurgit ». Atqui si Petrus est Petra Ecclesiae, principium scilicet efficiens unitatis et stabilitatis ipsius (Cf. Th. 1.), necesse est ut sit *Petra fidei,* principium nempe unitatis et stabilitatis fidei Ecclesiae; est enim Petra Ecclesiae prout haec formaliter Ecclesia est, societas nempe profitentium veram fidem. Petra vero fidei Petrus esse nequit nisi per fidem: fides igitur Petri fundamentum est fidei Ecclesiae, seu principium efficiens eius unitatis et stabilitatis: « Fides ergo (ait Ambrosius *de Incarn.* l. 5.) est Ecclesiae fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide (Petri) dictum est, quia portae non praevalebunt ». Huc facit ea frequens interpretatio Patrum, qui *Petram* exponunt *fidem,* quam dedimus et explicavimus in Th. 1. Unde a Patribus Petrus praedicatur Petra fidei (Asterius Amasenorum Episcopus hom. 8. in ss. Petrum et Paulum, s. Leo epist. ad Maximum Antiochenum, Epiphanius adv. haeres. l. 2. h. 59.) eodemque titulo insignitur Petrus a greca Ecclesia in menologio die 29. Iun.: « Super Petram theologiae suae firmavit Dominus Iesus Ecclesiam immobilem, in qua, Apostole Petre, te glorificamus! Tu animabus fidelibus positus es Petra fundamentalis, magni pretii, Petre petra fidei! » Inter titulos quibus ab Ecclesia Russiaca honestatur s. Petrus (in Opere *Omaggio Cattolico,* pag. 435. seqq.) occurrunt *petra fidei,*

fundamentum fidei, basis immobilis dogmatum, sedes fidei, principium orthodoxiae.

Si ergo quaeratur quaenam sit habitudo huius Petrae fidei ad fidem Ecclesiae, evidens est ex ipsis terminis soliditatem, immobilitatem, constantiam fidei Ecclesiae ab hac Petra, h. e. a fide Petri pendere et, ut aiunt Patres, nos in apostolicae confessionis petra solidatos esse atque per Petrum, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, Ecclesiarum stabilem inflexamque firmitatem consistere atque orthodoxae fidei rectitudinem fundatam esse supra firmam petram Principis Apostolorum atque a Romano Pontifice accipiendam fidei certitudinem: Ecclesiae caelo inferendam sublimitatem in Petri fidei firmitate consurgere; in confessione Petri stabiliri fundamentum (cf. Asterium l. c., sacr. liturgiam in vig. Apostol. Petri et Pauli; epist. Agatonis lectam in Conc. 6., Theodorum Studitam epist. ad Leonem Sacellarium, Leonem Magnum serm. *de assumpt. sua* 4., Theophanem Cerameum hom. 55. in evang.).

Porro si soliditas, immobilitas, firmitas fidei Ecclesiae ab hac Petra dependet, ergo hic est habitus inter Petrum et Ecclesiam, ut 1° fides Ecclesiae firma non sit sine fide Petri: ut 2° fides Petri sit ex sese firma: ut 3° non sit maior firmitas in fide Ecclesiae, quam in fide Petri. Iam vero fides labilis, deficiens non est fides firma: firmitas fidei Ecclesiae in eius infallibilitate est posita; si porro Romanus Pontifex errare potest, fides eius labilis esset et deficiens: nequiret idcirco firmare fidem Ecclesiae nec gauderet ea firmitate qua fides Ecclesiae gaudet. Ergo Romanus Pontifex Petra fidei est ex se infallibilis. Infallibilis autem prout est Petra, h. e. prout refertur ad Ecclesiam sibi innixam, infallibilis scilicet est prout munus exercet supremi Pastoris; magisterium ergo, quod pro suprema sua auctoritate exercet Romanus Pontifex, est ex se immune ab errore.

Et sane, ut vidimus Th. 1., ideo non sunt praevaliturae portae inferi contra Ecclesiam, quia Ecclesia supra hanc firmam Petram est fundata: unde a firmitate Petrae repetenda est ratio, cur firma sit Ecclesia contra portas inferi. Portae vero inferi vel earum aggressiones aut arma sunt potissimum haereses et schismata; haereses ergo non praevalebunt contra fidem Ecclesiae, quia fides Ecclesiae firmitatem habet a Petra. Itaque 1° nunquam praevalebunt portae infer' contra fidem Petrae: secus enim et praevalere possent contra Ecclesiam: 2° firmitas fidei Ecclesiae contra haereses pendet a firmitate fidei Petrae, quae ex se firma est nec minus firma esse potest quam ipsa Ecclesia. Ergo Romanus Pontifex, qui est huiusmodi Petra fidei, est infallibilis et ex se infallibilis. Hinc Ambrosius l. c. concludit: « Cum Ecclesia

multis tanquam bona navis fluctibus saepe tundatur; adversus omnes haereses debet valere Ecclesiae fundamentum ».

Praeterea Romanus Pontifex claves habet regni caelorum: potestate autem clavium et supremum magisterium continetur. Huiusmodi enim regnum est regnum credentium, est regnum veritatis, quod doctrina caelesti pasci et regi debet. Suprema ergo potestas, qua regitur hoc regnum, est potestas quoque suprema docendi, praescribendi nempe regulam fidei obligandique fideles ad fidem. Hinc claves datae Petro dicuntur quoque a Patribus *claves fidei* (Theodorus Studita: epist. 53. ad Naucratium: Maximus Martyr ad Marinum Diaconum) et potestatem docendi Patres ad potestatem referunt clavium et ligandi atque solvendi. Cum enim Leo dixisset Serm.: « Ecclesiae meae inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgit. Hanc confessionem portae inferi non tenebunt », subdit: « Propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni caelorum et quaecumque ligaveris etc. » Et Hilarius Pictaviensis *de Trinit.* l. 6. c. 38.: « Sit sane fides alia (ac fides Petri) si claves aliae regni caelorum sunt: sit fides alia, si erit alius apostolatus, ligata et soluta per se in terra ligans et in caelo atque solvens ». Et Epiphanius in Ancor. n. 9.: « Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui caeli clavem accepit et in terris solvit et ligat ». Atqui potestas clavium Petro suisque successoribus facta, est potestas universalis, suprema, independens, fons et origo potestatis in aliis, potestas irrefragabilis, cuius sententia peremptoria est (Cf. Th. 1.); ergo et potestas docendi talis est, supremum nempe et universale magisterium, independens, irrefragabile, cuius sententia peremptoria sit: atqui huiusmodi magisterium infallibile ex se esse necessarium est, infallibile quidem, quia irrefragabile est et peremptorium, infallibile vero ex sese quia supremum et independens, a quo omnes dirigendi dirigendum a nullo.

Hanc interpretationem verborum *Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam* catholicam esse et a nullo catholico respui posse, docemur a formula fidei praescripta ab Hormisda Episcopis Orientalibus et ab Hadriano II. Patribus Synodi VIII. et ab iisdem omnibus priore et altera vice subscripta: « Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immaculata est semper conservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes... et sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et praedi-

cantes eius omnia constituta, speramus ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et verax Christianae religionis soliditas ». Itaque ex testimonio Matthaei sicut probatur primatus iurisdictionis Romani Pontificis, ita eiusdem supremum magisterium illudque infallibile demonstratur.

B) Luc. XXII. 31. seqq. Iam Thesi II. probavimus tum verba Christi: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, spectare ad unum Simonem Petrum: tum de vera fide sermonem ibi esse. Probandum est autem nunc, his verbis iniungi Petro munus et officium perpetuum, derivandum scilicet in suos successores.

Sane constat 1° nihil esse in contextu Lucae quod exigat indeficientiam fidei Petri et confirmationem fratrum limitandam esse ad tempus aliquod determinatum puta ad tempus praesens vel immediate subsequens passionem Christi; verba enim Christi indefinite patent loquiturque Christus de oppugnatione Satanae, qui nunquam cessaturus est oppugnare Ecclesiam: constat 2° ea esse quae postulant ut indeficientia fidei et officium impositum confirmandi perpetuum intelligatur. Nam *a)* oppugnatio Satanae contra fratres Petri, cui opponitur fides stabilis Petri, futura est perpetua. *b)* Qui iubetur esse confirmator fratrum contra oppugnationes Satanae ille est, qui iam designatus est Petra Ecclesiae contra portas inferi; confirmare vero officium est proprium Petrae quae stabilitate sua firmum facit aedificium et est eiusdem στήριγμα: cum ergo Petra Ecclesiae eiusque officium sit perpetuum, etiam officium confirmandi fratres perpetuum sit oportet. Ideo et indeficientia fidei Petri, quae propter hoc officium exorata est, perpetua erit. *c)* Officium confirmandi in fide fratres est officium certe Apostolicum, sicut et officium docendi, cuius est absolutio, est officium Pastoris; atqui huiusmodi officia Christus voluit esse perpetua in Ecclesia derivanda in successores eorum, quibus primo ipse commisit: ergo officium confirmandi fratres transit in omnes successores Petri. Ergo in eos quoque transit indeficientia fidei quam Christus ideo obtinuit, ut illud munus exsequi posset Petrus. *d)* Traditio Ecclesiae exegetica hanc postulat interpretationem. Pollicitationem enim indeficientis fidei, et officium confirmandi fratres referunt ad Petrum, prout est fundamentum Ecclesiae, et ad eius successores Ambrosius *de Fide* l. 4. c. 5., Leo M. Serm. 4., Gelasius epist. 5. ad Honorium Episc. Dalmatiae, Pelagius II. epist. 5. ad Episcopos Istriae, Gregorius M. epistt. l. 7. epist. 40., Theodorus Studita epistt. l. 2. epist. 12. Menologium graecorum die 30. Iuniii, Sophronius Patriarcha hierosolym. et Stephanus

Episcopus dorensis in libello lecto in Concilio Lateranensi sub Martino I. Vitalianus Papa epist. I. ad Paulum archiepiscopum cretensem, Agato in epistola dogmatica lecta et approbata in synodo oecumenica 6. Act. 4ª. Leo IX. in epist. ad Michaelem Cerularium, Urbanus II. in epistola ad Rainaldum Episcopum Remorum, Innocentius III. epist. 306. l. I. ad Patriarcham Constantinop. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II. Clemens VI. epist. ad Episcopos graecorum (Oderic. Raynaldi an. 1343. n. 16.), Gerhohus in exposit. in Psal. 64. n. 59. (Gallandi XIV.), S. Thomas 2ª 2ªe q. 1. a. 10. Bessarion epistola encyclica ad suos, Gregorius Trapezuntius, *de Una sancta catholica Ecclesia* n. 7. Ioannes Plusiadenus in *Dissert. pro Florentina Synodo*, s. Ioannes a Capistrano, *de Papae et Concilii sive Ecclesiae auctoritate* p. 3ª 2ªe partis principalis in quaestione *de maioritate Papae et Concilii*, tum quoque Episcopi Gallicanae Ecclesiae in litteris communi nomine datis ad Innocentium X. 15. Iul. 1653. et tandem Concilium Vaticanum sess. 4. c. 4.

Porro, ut iam Thesi II. advertimus, qui confirmandi sunt, non sunt tantum fratres singillatim, sed et fratres omnes una sumpti. Nam tantum pro fide unius Petri distincti ab omnibus aliis Christum *speciatim* oravit et in indeficientia illius fidei praesidium constituit pro omnibus aliis: non autem oravit immediate pro fide totius collegii et in huius fide praesidium constituit: ergo fide unius Petri confirmandi sunt omnes qui non sint ipsa persona Petri; atqui et omnes fratres Petri simul collecti sunt distincti a persona Petri. Sane fratres Petri non sunt nisi ii, qui unum corpus cum Petro capite constituunt: membra vero unum corpus constituentia sunt formaliter unita; maxime ergo propria est intelligentia horum verborum *fratres tuos*, ut fratres uniti in unum corpus coetumve coacti intelligantur. Scite arguit s. Ioannes a Capistrano l. c. in argum. 14ª contra eos qui contendebant Petrum accepisse a Christo potestatem super singularia membra, non autem super universalem Ecclesiam: « Cupio dissolvi et esse cum Christo, ut ab eius ore sanctissimo percipere queam, si super membra unita est caput vel divisa. Si dicas super unita; ergo super universum corpus politicum, de quo dicit Apostolus Ephes. IV. unum corpus et unus spiritus. Si dicas super divisa; ergo super te schismatice, qui te ab unitate corporis rescidisti ». Hinc decretorum fidei ne dum a singulis Episcopis aut particularibus synodis, sed et ab oecumenicis Synodis prolatorum postulata Romani Pontificis confirmatio, « cuius auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt » (Nicolaus I. epist. 12.), ut « nulla unquam Synodus rata legatur, quae apostolica auctoritate non fuerit fulta » Pelagius II. ep. 8. ad

Ioannem Constant. etc., « cuius auctoritem semper omnis catholica Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt... quoniam Dominus et Salvator omnium, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit » Agatho ep. cit.

Itaque si invicem conferantur Romanus Pontifex et ceteri eius fratres seu Episcopi sive singuli sive omnes simul, fides illius est fides confirmans, horum est fides confirmanda. Nempe fides totius Ecclesiae firma esse debet: sed fides fratrum non habet ex se firmitatem, habet autem a fide Capitis, qui est Romanus Pontifex: fides vero huius firmitatem impertit fidei ceterorum, non mutuatur ab ullo ex ipsis, sed tantum a Christo. Nequit autem fides Romani Pontificis eam firmitatem conferre quam ipsa non habeat in se ipsa. Tota ergo firmitas fidei quae in Ecclesia reperitur, iam est antecedenter veluti in sua origine in fide Romana. Atqui firmitas fidei Ecclesiae est infallibilitas: ergo fides Romani Pontificis est in se ipsa antecedenter infallibilis.

Confirmat autem fratres Romanus Pontifex non fide sua privata, prout talis manet, sed fide sua publica seu magisterio authentico quo fidem suam ab Ecclesia tenendam proponit: ergo magisterium Romani Pontificis ex se infallibile est.

Obiici solet, fieri non posse ut verba haec Christi ad successores Petri pertineant. Nam propter Christi promissionem Petrus assecutus est ne unquam vel cum private loqueretur erraret in fide: atqui talis indeficientia fidei, ipsis catholicis doctoribus haud dissentientibus, non competit successoribus Petri; ergo. Respondemus distinctionem adhibendam esse, quam adversarii nimis frequenter negligunt inter praerogativas ordinarias et extraordinarias Apostolorum. Quod Petrus semper cum de fide loqueretur aut scriberet infallibilis foret, id quidem concedimus; hoc enim erat privilegium ipsi commune cum ceteris Apostolis, sed privilegium extraordinarium. Negamus autem hoc privilegium per se colligi ex his verbis Christi, de quibus disputamus. Nam indeficientia fidei exorata a Christo pro Petro eo spectat, ut valeat confirmare fratres: ea ergo tantum indeficientia fidei necessario est intelligenda quae pro munere confirmatoris fratrum exercendo requiritur: haec autem non est fides private loquentis, sed fides fungentis munere doctoris fratrum, seu utentis auctoritate magisterii propria eius, qui caput est fratrum. Cf. quae dicemus in fine Th. 31.

C) Dedimus in Thesi 3. interpretationem verborum Christi penes Ioannem XXI. *Pasce agnos meos, pasce oves meas:* iis infallibilitatem quoque magisterii contineri est nunc breviter demonstrandum. Sane Petrus et quilibet eius successor constitutus est iis verbis Christi Pastor

supremus, universalis, immediatus omnium fidelium, quotquot ad Ecclesiam spectant, quotquot nempe sunt agni aut oves Christi; omnium ergo tum simplicium fidelium, tum episcoporum. Pastor autem omnium est non solum singillatim, sed et simul sumptorum, ut etiam simul sumpti quocumque modo sint pascendi ab ipso, non pascant ipsum. Nam omnes qui in Ecclesia sunt, praeter Petrum, comparantur ad ipsum sicut oves et agni ad Pastorem: atqui oves et agni etiam simul sumpti non nisi in ordine pascendorum et regendorum continentur nec pastorem aut rectorem suum pascere aut regere possunt: ergo fideles quotquot ad Ecclesiam spectant repraesentati per agnos et oves, etiam simul sumpti, sunt pascendi et regendi a Petro, non pascunt aut regunt eum. Praeterea Pastor sive rector omnium ille est qui est Petra aedificii quod est Ecclesia et claves habet regni; qui nimirum auctoritate sua immediate refertur ad Ecclesiam prout est unum corpus ex pluribus collectum et adunatum; ergo Pastor est omnium simul sumptorum quocumque modo.

Itaque ius et officium est Romani Pontificis pascendi omnes: obligatio est omnium sequendi illum eique parendi. Pascenda est autem seu regenda universa Ecclesia verbo quoque doctrinae, quae authentice proponatur, cui assensum fidei fideles praestare teneantur. Munus ergo Pastoris Ecclesiae est quoque authentice docere. Porro magisterium huius Pastoris universa Ecclesia sequi tenetur; omnes enim vel simul sumpti subsunt et obedire tenentur Pastori supremo universali immediato. Scilicet magisterium Romani Pontificis est magisterium supremum universale. Atqui huiusmodi magisterium est infallibile. Cur enim Ecclesia infallibilis creditur, nisi quia ex lege Dei tenentur omnes credere fide divina quod ipsa proponit? fidei autem divinae nequit subesse falsum. At universa Ecclesia debet sequi magisterium Romani Pontificis, quia debet obedire Pastori suo: ergo.

Habet autem Romanus Pontifex ius et officium pascendi immediate a Christo et independenter prorsus ab Ecclesia, quae pascenda ab ipso est, non pascit eum: actus proinde suae potestatis valorem habent independenter a consensu Ecclesiae; igitur et magisterium suum vim obligandi habet universam Ecclesiam et irrefragabile est citra consensum Ecclesiae: ergo.

II. Idem doctrinae caput probandum est perpetua universalis Ecclesiae testificatione, sive theoretice sive practice manifestata. Fieri nequit ut omnia, quae in hanc rem afferri possent, offeramus, sed evidentiora et illustriora seligemus. Ipse Tournely (*De Rom. Pontif.* q. 5. a. 3.) ingenue fatetur, « non dissimulandum, difficile esse in tanta testimoniorum mole, quae Bellarminus et alii congerunt, non recognoscere Apostolicae Sedis seu Romanae Ecclesiae certam et infallibilem aucto-

ritatem: at longe difficilius esse ea conciliare cum declaratione cleri Gallicani, a qua recedere nobis non permittitur (propter *libertates* scilicet gallicanas) ». Omissa continua recitatione testimoniorum, Ecclesiae apertissimum sensum et doctrinam per ea quae sequuntur in luce collocabimus.

A) Certum est, hoc ius viguisse semper in Romano Pontifice, ut « quoties fidei ratio ventilatur, ad Petrum Episcopi, id est sui nominis et honoris auctorem, referre deberent », ita ait Innocentius I. ad Patres Milevitanos, affirmans hanc esse « antiquam regulam », quam toto semper ab orbe mecum (ait) nostis esse servatam, ut idcirco noverint omnes, « quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent ». Cf. et eiusdem responsum ad PP. Cartaginienses. Id plures alii tum explicite testantur, ut Cyrillus Alex. scribens ad Caelestinum de causa Nestorii inquiens: « Quoniam vetus consuetudo Ecclesiarum suadet ut eiusmodi res sanctitati tuae communicentur », tum implicite cum docent causas maiores, inter quas certe est causa fidei, ad Sedem Apostolicam deferendas esse, ut « ipsius secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur », ut loquitur Leo M. epist. ad metropolitanos Illyrici. « Interroga (ait Fernandus diaconus Chartag. epist. ad Severum n. 1.) vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicae Sedis antistitem, cuius sana doctrina constat iudicio veritatis et fulcitur munimine veritatis ».

Hanc praerogativam Romani Pontificis et Principes cognoverunt; sic enim Iustinianus epist. ad Ioannem II. (exstat in Cod. sub titulo de s. Trinitate): « Omnia quae ad Ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestrae Apostolicae Sedis et statutum Sanctarum Ecclesiarum Dei custodire... Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statutum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat Sanctitati, quae caput est omnium Ecclesiarum ». Refert deinde de quibusdam haereticis quibus catholicam opponit doctrinam, concluditque: « Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris... manifestum nobis faciatis quod omnes qui praedicta recte sentiunt, suscipit Sanctitas vestra et eorum qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam ».

Id et in libris Carolinis (l. 1. c. 6.) testatum legimus: « Ecclesiam Romanam ceteris Ecclesiis a Domino praelatam a fidelibus consulendam esse... ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant: eamque non habentem maculam nec rugam et portentuosa haeresum capita calcare et fidelium mentes in fide corroborare ». Id et haeretici

testati sunt, ex quibus Pelagius in libello fidei Romanae Sedi oblato (in dissertatione 5. Garnerii ad 1[m] partem operum M. Mercatoris: « Haec est fides, pater beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, in qua si minus perite aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri fidem et Sedem tenes. Sin autem haec nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum vel malevolum vel etiam non catholicum, non me haereticum comprobabit ».

Istud nimirum est quod aiebat s. Bernardus ad Innocentium II. epist. 190. « Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium ». Et sane id approbante Synodo Lugdunensi 2[a] Graeci professi sunt, quod « sicut (Romanus Pontifex) prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri ». Quocirca Card. Bessarion ad Graecos ait in epistola generali (vide opuscula theologica quorundam graecorum edita a Petro Arcudio): « Percurrite volumina, si accurate perpenderitis, Ecclesiam Romanam reperietis supra omnes statim ab initio habere principatum et adeo universae Ecclesiae praeesse, ut sine ea nihil omnino ecclesiasticarum quaestionum ac dogmatum aliquando conclusum creditumque sit ».

Iam vero *definire causas iudicio* vel, ut ait Leo, *finire sententia*, est eas peremptoria et irreformabili sententia absolvere. Itaque 1° ius perpetuum et praxis iuri conformis viguit, ut causae fidei ad Sedem Apostolicam deferrentur: 2° finis cur deferrentur is erat, ut nempe suo iudicio finirentur: 3° ratio cur ad Romanum Pontificem pro hoc consequendo fine causae eae deferrentur, ea erat quia haec est praerogativa Apostolicae Sedis ut *ibi fides non possit sentire defectum*, quia *Petrus nominis et honoris Episcoporum est auctor*, quia Romanus Pontifex *Petri et fidem et sedem tenet;* quae ratio est prorsus catholica, et ideo ab haeretico, qui latere volebat, usurpata. Atqui praedicatio huiusmodi iuris eiusque perpetua praxis est aperta et constans professio infallibilitatis Romani Pontificis, quam ex sese ipse possideat. Etenim id ut intelligamus exigit finis, propter quem causae fidei ad Romani Pontificis iudicium deferebantur; causae enim fidei finiri non possunt nisi infallibili sententia; id postulat quoque adducta ratio, propter quam

ad ipsum speciatim deferebantur; infallibilis enim sit oportet is cuius fides non potest sentire defectum. Hinc *sedes fidei* vocatur Apostolica Sedes a Bachiario in sua *Fide*, auctore V. seculi (Gallandi 9. p. 183.). Quod et alia formula significatur, quae adeo frequens est Patribus, qui fidem et doctrinam Romani Pontificis fidem et doctrinam nuncupant Petri, Petrumque aiunt loqui per Romanum Pontificem.

Quid enim significatur cum dicitur: Fides Petri? Profecto cum dicitur Apostolorum fides, eo ipso significatur fides immunis ab errore; non enim universa Ecclesia aliam fidem profitetur quam Apostolicam. Idem porro significatur cum dicitur fides Petri; non enim pariter aliam fidem Ecclesia profitetur praeter eam, quam Petrus et cum eo consentientes (cf. Th. 3.) Apostoli docuerunt. Fides ergo Petri est fides, cui error subesse non potest. Quid est autem Romanum Pontificem tenere fidem et Sedem Petri? Nempe fides Petri perseverare semper debuit in Ecclesia: cum autem dicitur Romanus Pontifex tenere fidem et Sedem Petri, significatur 1° quod eam fidem certe habet Romanus Pontifex, sicut cum dicitur Ecclesia tenere fidem Apostolorum, significatur quod eadem est fides Ecclesiae et Apostolorum; habet autem 2° hereditario iure successionis, habet enim quia est Romanus Pontifex, h. e. quia tenet Sedem Petri; habet proinde 3° eo iure quo habebatur ab ipso Petro: hoc enim proprium est successorum ut eodem iure quo decessor haereditatem possideant: habet idcirco 4° perpetuo et inamovibiliter. Fides ergo Petri, seu praedicatio et magisterium Petri atque doctrina ab ipso Petro tradita, eadem perseverat iugiter in cathedra Petri: sicut ergo praedicatio Petri infallibilis fuit et doctrina ab eo tradita non nisi veritas erat; ita et praedicatio et doctrina Romani Pontificis vera est et infallibilis. Perinde est scilicet ac recurrere ad iudicium Petri, quod erat certe infallibile.

B) Certum est, creditum esse antiquitus, quod sententia lata a Romano Pontifice in causa fidei etiam citra oecumenicum Concilium, causa finita esset. Sane cum Antiochiae controversia fidei exstitisset quoad divinitatem Spiritus S., « quae controversia contendendi studio, ut credibile est, in dies magis magisque cresceret, Episcopus Romanus (Damasus) de ea re certior factus scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut una cum Sacerdotibus et Episcopis Occidentis Trinitatem et consubstantialem esse et gloriae aequalem existimarent. Quo facto, *utpote controversia iudicio Romanae Ecclesiae terminata*, singuli quievere eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur »: inquit Sozomenus l. 6. c. 22. Arbitrari non licet, Sozomenum in eadem periodo sibi contradicere velle: asserit absolute controversiam fuisse iudicio Romanae Ecclesiae terminatam idque creditum in Oriente, haec enim est ratio

cur singuli quieverint: cur ergo dixit quod quaestio finem accepisse videbatur? Scilicet quia haeretici definitionibus Ecclesiae non solent acquiescere, quemadmodum non acquieverunt Ariani definitioni Nicaenae, sed quaestiones adhuc agitare; hinc certum non erat quod adversarii nihil amplius molituri nullasque turbas seu quaestiones excitaturi essent contra doctrinam catholicam a Damaso promulgatam: sperabatur autem ratione supremae auctoritatis Romani Pontificis atque id est quod ait Sozomenus: *quaestio finem accepisse videbatur.*

Augustinus pariter Serm. CXXXI. (qui secundus fuisse perhibetur post allatas decretales litteras Innocentii I. in Africam) ait: « Redarguite contradicentes et resistentes ad nos perducite. Iam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: *causa finita est:* utinam aliquando finiatur error ». Et contra duas epist. Pelagianorum l. 2. c. 3. ait « litteris beatae memoriae Papae Innocentii de hac re dubitationem totam esse sublatam ». Hinc Prosper (adv. Collat. c. 21.): « firmum fundamentum stare » ait contra eam haeresim; quia peremptorie damnata est: exponens vero huiusmodi firmum fundamentum, sive referens eos a quibus profligata est, mentionem facit duorum Pontificum, qui absque ope Concilii oecumenici eam interemerunt ipsiusque Pelagii qui in se sententiam dixit, addens auctoritate alius Pontificis iterum in Synodo ephesina prostratos fuisse Pelagianos: « Tunc istorum machinae fractae sunt... quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris capita *apostolico mucrone percussit:* quando Pelagium ad proferendum in se suosque sententiam Palaestinorum Episcoporum Synodus coarctavit: quando Conciliorum Africanorum decretis *beatae recordationis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit* et ad impiorum detruncationem *gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum...* quando (venerabilis memoriae Pontifex Caelestinus) Cyrillo Alexandrinae Urbis antistiti gloriosissimo fidei catholicae defensori, ad exsecandam Nestorianam impietatem *Apostolico auxiliatus est gladio,* quo etiam Pelagiani, dum cognatis confoederantur erroribus, *iterum prosternerentur* ». Audis antistites omnes non gladio suo sed gladio Petri armatos profligasse haeresim, h. e. magisterio Romanae Cathedrae, derivato in ceteros Episcopos sibi consentientes, haeresim esse prostratam?

Ex verbis Prosperi de decreto Zosimi intelligere licet verba Marii Mercatoris (*in Commonit. super nomine Caelestii* etc.) dicentis per epistolam Zosimi, quae tractoria vocatur, Caelestium Pelagiumque damnatos fuisse, « quae et Constantinopolim et per totum orbem missa *subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata* ». Non enim hic fuit consensus vim intrinsecam addens decreto Zosimi; nam e contrario

Zosimus armavit gladio Petri dexteras omnium antistitum, ita ut gladio Petri, qui est gladius Romani Pontificis, haeresis perempta fuerit et in accedente iudicio authentico Episcoporum, vis peremptoria gladii seu auctoritatis Petri exerta sit.

Hinc inter interrogationes circa doctrinam necessario credendam propositas a Clemente VI. Ecclesiae Armenorum ut in unitate esse possent cum Ecclesia Romana, haec est tertia decima (Oderic. Raynaldi, ann. 1351. n. 3.): « Si credidisti et adhuc credis (alloquitur *Catholicum*) solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum ».

Iam vero si sententiam proferente Romano Pontifice, statim *controversia terminata, causa finita, tota dubitatio sublata* dicebatur, licet nulla Synodi oecumenici sententia intercesserit; ergo Romanus Pontifex ex cathedra loquens infallibilis ex se habebatur: non nisi enim infallibili sententia potest causa fidei finiri omnisque de ea dubitatio tolli. Argumenta, quibus vim quidam infringere conantur auctoritatis allatae Augustini, solvemus in seqq. cum difficultates historicas expediemus.

C) Certum est, ut quis ab omnibus ut orthodoxus haberetur, fuisse satis quod eius fides a Romano Pontifice probaretur. Huius communis et universalis persuasionis testis est nobis illustrissimus Doctor et Martyr Maximus in epistola ad Petrum de Pyrro Constantinopolitano inquiens: « Itaque si vult haereticus non esse neque audire, non isti aut illi satisfaciat... festinet prae omnibus Sedi Romanae satisfacere. *Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt.* Nam frustra solum loquitur, qui mihi similes suadendos putat et non satisfacit et implorat Sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum Papam idest Apostolicam Sedem: quae ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed et ab omnibus Synodis secundum sacros canones et universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi ». Quibus verbis et ratio redditur illius communis et universalis persuasionis, quia nempe Romanus Pontifex imperium habet auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi in omnibus et per omnia in universa Ecclesia.

Atqui 1° fieri nequit ut quis habeatur orthodoxus communiter ubique ab omnibus eo quod satisfecerit Apostolicae Sedi, nisi communiter ubique et ab omnibus credatur, Apostolicam Sedem infallibilem esse; quod enim communiter, ubique et ab omnibus h. e. ab universa Ecclesia ut orthodoxum habetur, illud est certe et infallibiliter orthodoxum: cum

ergo dicitur eam doctrinam ut orthodoxam haberi ab universa Ecclesia quae probetur Summo Pontifici, intelligendum est de doctrina infallibiliter orthodoxa. Porro si ratio cur aliqua doctrina ab universa Ecclesia ut orthodoxa habeatur, haec est quia nempe ea probatur Romano Pontifici, necesse est ut auctoritas Romani Pontificis docendi probandique doctrinam censeatur ab universa Ecclesia infallibilis; nequit enim ratio minor esse rationato suo. Ergo in ea communi et universali persuasione Ecclesiae, cuius testis est s. Maximus, continetur communis et universalis fides Ecclesiae de infallibili magisterio Romani Pontificis. Et quidem de magisterio infallibili per se; non enim necesse est aliis quoque Ecclesiis satisfacere, sed sufficit satisfacere Ecclesiae Romanae et hoc ipso quis orthodoxus ab omnibus habetur: ergo citra consensum ceterorum Episcoporum Romanus Pontifex infallibilis habetur. Quod et persuadet ratio allata a s. Maximo: suprema nempe potestas ligandi et solvendi facta Romano Pontifici, in qua continetur supremum et universale magisterium quod universa Ecclesia sequi debet: huiusmodi autem magisterium est necessario infallibile per se.

Maximi sententiam iam praeoccupaverat Gregorius Nazianzenus. Epistola enim 1ª ad Cledonium loquens de Apolinarii sequacibus ait n. 2.: « Ad quam indignitatem illud accedit quod ab occidentali Synodo sese, ut audio, susceptos esse aiunt, a quo prius fuerant condemnati, ut cuivis est exploratum (Ex quo liquet eandem fuisse specie synodum; constat autem illos a Damaso in Romana synodo fuisse damnatos: sermo est ergo de synodo romana). Ac quidem si vel nunc vel antea suscepti sunt qui Apolinarii placita sectantur, hoc ostendant et nos acquiescemus. Perspicuum est enim eos ut rectae doctrinae assentientes susceptos fuisse; nec enim aliter se res habere potest, si hoc consecuti sunt ».

D) Certum est credidisse Ecclesiam universam posse a quavis sententia appellari ad iudicium Apostolicae Sedis: ab ea autem appellare aut de eius disceptare iudicio non licere. Testis huius persuasionis est Gelasius I. epist. 13. ad Episc. Dardaniae: « *Cuncta per mundum novit Ecclesia,* quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes b. Petri apostoli ius habeat resolvendi; utpote quae de omni Ecclesia fas habeat iudicandi *neque cuique de eius liceat iudicare iudicio:* siquidem *ad illa de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus* ». Item in Commonitorio ad Faustum: « Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod Primae Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui *appellationes totius Ecclesiae ad huius Sedis examen voluere deferri.* Ab ipsa vero *nusquam prorsus appellari debere* sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia

iudicare, *ipsam vero ad nullius commeare iudicium nec de eius unquam praeceperunt iudicio iudicari sententiamque illius constituerunt non posse dissolvi*, cuius potius decreta sequenda mandarunt ».

Quod quidem postremum iam Zosimus scribens ad Concilium Carthaginiense (Conc. tom. 2. pag. 1572.) testificatus fuerat inquiens: « Patrum traditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuit, *ut de eius iudicio disceptare nullus auderet* idque per canones semper regulasque servavit... Tantam huic Apostolo (Petro) canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret et soluta vinciret: pari potestatis data conditione in eos, qui Sedis hereditatem, ipso annuente meruissent... Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, *ut nullus de nostra possit retractare sententia;* nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultra litteris referremus »... Ita Ferrandus Diaconus epist. 6. ad Pelagium et Anastasium diaconos romanos, defendens epistolam Ibae probatam, ut ait, in synodo Chalcedonensi, sic arguit n. 6.: « Si tunc aliquis accusator epistolae, cuius catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia provocaret, appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret; sed quo iret; aut ubi maiores reperiret iudices in Ecclesia, ante se habens in legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente quidquid illa definivit synodus, accepit robur invictum? » Appellationi scilicet locus excluditur; quia Apostolica Sedes iudicium tulit. Unde n. seq. de auctoritate conciliorum loquens ait: « universalia concilia, praecipue illa, quibus Ecclesiae Romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent ».

Pariter Nicolaus I. in Concil. Romano an. 863. c. V. statuit: « Si quis *dogmata*, mandata, interdicta, sanctiones *vel decreta pro catholica fide*, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum... a Sedis Apostolicae praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit ». Hinc Martinus V. in Concilio Constantiensi, teste Gersone, qui data opera eam sententiam ausus est confutare, edixit: *In materiis fidei non licere a Romano Pontifice appellare.* Quare provocatio a Romano Pontifice ad futurum Concilium damnata est a Pio II. Bulla *Execrabilis*, tanquam *erronea et detestabilis* diciturque ibidem *abusus execrabilis et pristinis temporibus inauditus.*

Iam vero 1° cum negatur appellari posse a sententia Romani Pontificis, aut eius iudicia retractari, id intelligendum est quoque de sententiis et iudiciis in causis fidei, *a)* quia locutiones sunt universales; *b)* quia par est ratio; auctoritas enim iudicandi in causis fidei est auctoritas clavium, ligandi et solvendi: *c)* quia intelligendae sunt eae omnes causae comprehensae, in quibus Romanus Pontifex iudicare potest;

atqui nemo negabit posse eum iudicare in causis fidei, cum praesertim ad eius iudicium omnes referendae sint (A): *d)* quia eae disserte significantur a Ferrando, Nicolao, Martino, Pio. 2° Non solum excluditur appellatio ad alium quemcumque Episcopum vel Ecclesiam particularem, sed et ad Synodum universalem: ratio est evidens; nam α) huius rei exceptio nullibi significatur: β) si appellare liceret ad Concilium, verum esset simpliciter, licere appellare a sententia Romani Pontificis; ideoque falsa esset simpliciter propositio negans, quae ut vera sit debet esse universaliter vera: cum igitur dicitur non licere appellare a sententia Romani Pontificis, quaecumque appellatio ad quodcumque tribunal in terris excluditur: γ) quia talis appellatio expresse reiicitur a Pio II.

Porro sententiae, quae in causa appellationis a quavis mundi parte, a quorumlibet iudicio inferiorum, feruntur a Romano Pontifice, non sunt sententiae quae ferri debeant ab ipso cum ceteris Episcopis, sed quae feruntur ab eo prout ab aliis distinguitur, pro sua singulari auctoritate supremi Pastoris et Iudicis; quae proinde sententiae valorem habent a sola auctoritate Primatus propria Romani Pontificis, independenter a consensu ceterorum. De huiusmodi enim sententiis, quae a solo Pontifice (licet in sua Synodo) feruntur, loquitur evidenter Zosimus, ut ex eius verbis liquet, loquitur Gelasius qui epist. 13. citata, subdit verbis recitatis: « sed nec illa praeterimus quod Apostolica Sedes *frequenter*, ut dictum est, *more maiorum*, *etiam sine ulla synodo praecedente*, et absolvendi quos synodus inique damnaverat et damnandi, *nulla exsistente synodo*, quos oportuit, habuerit facultatem ». De iisdem sententiis loquitur Pius II., damnans appellationem ad synodum universalem.

Atque hunc sensum rei natura postulat; in appellationibus enim, in quibus ab inferioribus ad superius tribunal provocatur, tribunal superius iudicat independenter a iudicio inferiorum, pro ea auctoritate quae propria ipsius est et qua a ceteris distinguitur et ceteris eminet. Et sane haec potestas Romani Pontificis asseritur propter ea verba Christi, quae soli Petro immediate et directe dicta sunt. Ceterum cum dicitur appellari posse a quorumlibet Pontificum sententia ad Romanam Sedem, si comprehenditur appellatio quoque a iudicio Synodi universalis, manifesta est independentia sententiae Pontificis recipientis appellationem a sententia Synodi. Si autem ea appellatio non intelligitur sed sola appellatio a particularibus Episcopis vel Synodis; cum certum sit et sententiam supremi iudicis independentem esse a sententia particularium inferiorum, a quibus appellatur, atque a sententia Romani Pontificis non amplius appellari posse; evidens est sententiam

solam Romani Pontificis absque consensu aliorum esse inappellabilem. Atqui si in causis fidei sententia Romani Pontificis est inappellabilis, est ergo irrefragabilis, ergo infallibilis et quidem irrefragabilis et infallibilis ex sese, quandoquidem ex se ipsa habet citra consensum ceterorum quod sit inappellabilis.

E) Certum est, creditum esse antiquitus Romanam Ecclesiam vi principatus sui centrum esse vel principium unitatis fidei totius Ecclesiae, Romanaeque cathedrae doctrinam esse instar paradigmatis veritatis apostolicae ab omnibus credendae atque ideo necesse esse, ut fideles omnes unitatem fidei custodiant cum Romana Sede, eam fidem profitentes quam ipsa praedicat. Testis nobilissimus huius rei est s. Irenaeus *Contr. haer.* l. 3. c. 3.: « Quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam sententiam praeterquam oportet colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio* ».

Iam vero in hoc testimonio asseruntur haec ab Irenaeo 1° *factum* communionis omnium Ecclesiarum cum Ecclesia Romana, communionis speciatim in fide: « In qua semper ab his qui sunt undique fideles conservata est, ea, quae est ab Apostolis traditio » : 2° *ius* sive necessitas communionis: « necesse est omnem convenire Ecclesiam » (cum interpres latinus dictionem graecam presse sequatur, fuerit textus graecus Irenaei συμβαίνειν πρὸς ταυτὴν ἐκκλησίαν, quod est, teste Salmasio (in libro *de Primatu Papae,* c. 5.) *convenire cum hac Ecclesia*, in rebus nempe fidei, doctrinaeque) necessitas, inquam, communionis in fide, de hac enim speciatim loquitur: 3° asseritur *ratio huius iuris, seu necessitatis, et quidem ratio necessitatis absoluta* est ratio finalis, pro conservanda nempe unitate fidei, sive ut fideles omnes Apostolicam doctrinam profiteantur; liquet ex toto contextu et postremis verbis: ratio necessitatis *comparativa* scilicet cur ad hanc Ecclesiam potius quam ad aliam pro eo fine obtinendo conveniendum sit, quae posita est *in potiore principalitate* Ecclesiae Romanae « propter potiorem principalitatem » (cf. dicta in Th. 12. ad hunc textum); 4° asseritur effectus huius iuris exerciti et ab universa Ecclesia servati: nempe per

Romanam Ecclesiam conservari Apostolicam traditionem ab omnibus; haec est enim vis verborum *in qua:* scilicet fideles qui sunt undique conservant Apostolicam traditionem, sed conservant in Ecclesia Romana, quatenus conveniunt ad Ecclesiam Romanam, h. e. non in ipsis sed in Ecclesia Romana est ratio huius conservationis et sic oportet omnes ad eam convenire. Hinc 5° non eadem ratione Irenaeus provocat ad Ecclesiam Romanam ac ad alias Ecclesias Apostolicas: non enim de his seorsim ab illa affirmat quod *necesse sit convenire ad eas* atque huic *uni adserit potiorem principalitatem*, quae est titulus iuridicus illius necessitatis. Porro 6° hac asserta necessitate communionis in fide omnium Ecclesiarum cum Ecclesia Romana, *subordinatio* affirmatur earum Ecclesiarum ad ipsam; dicitur enim necessaria communio *propter potiorem principalitatem;* est ergo Ecclesia Romana principalis et prima inter principes sive Apostolicas Ecclesias: habet scilicet Ecclesia Romana *principatum,* ceterae Ecclesiae secundo loco sunt eique subiiciuntur.

Et sane quaenam necessitas foret, ut omnes Ecclesiae ad hanc unam convenirent, nisi haec esset centrum et principium efficiens unitatis? huiusmodi vero principio subordinantur ea quae per ipsum ad unitatem revocantur. Affirmatur autem 7° *subordinatio in magisterio fidei;* necesse est enim omnibus convenire ad Ecclesiam Romanam propter eius principatum, ut traditio sive doctrina apostolica ab omnibus conservetur: principatus ergo Ecclesiae Romanae est principatus quoque in fide sive in magisterio fidei cuius nempe norma proponitur ab Ecclesia Romana et quam omnes sequi debent, si velint Apostolicam tenere doctrinam. Igitur teste Irenaeo Romana Ecclesia vi principatus sui principium est efficiens unitatis fidei totius Ecclesiae Romanaeque cathedrae doctrina est instar paradigmatis veritatis Apostolicae ab omnibus credendae fidelesque omnes necesse est ut eam fidem profiteantur, quam Romana cathedra docet. Atqui his continetur professio magisterii ex se infallibilis Romani Pontificis.

Et primo professio *magisterii infallibilis;* nam si necesse est Ecclesias omnes, ut Apostolicam conservent traditionem, eam fidem tenere quam Romana Cathedra docet, dicendum est doctrinam huius Sedis esse doctrinam necessariam in Ecclesia: atqui doctrina necessaria in Ecclesia nequit esse nisi infallibiliter vera; ergo. Tum deinde professio *magisterii ex se infallibilis;* etenim hic ordo exsistit inter Ecclesiam Romanam et omnes undique fideles, ut in Ecclesia Romana conservetur traditio Apostolica et per eam conservetur ab omnibus qui ad eam conveniunt: ergo Ecclesia Romana per se ipsam custodit depositum

Apostolicae traditionis, ceterae per Ecclesiam Romanam; igitur doctrina Ecclesiae Romanae infallibilis est antecedenter ad consensum ceterarum ecclesiarum. Praeterea necesse est convenire in fide cum Ecclesia Romana propter potiorem eius principalitatem: habet scilicet haec Ecclesia principium magisterii, adeoque infallibilitas doctrinae reperitur quidem in omnibus simul convenientibus, sed in ceteris infallibilitas discentium, in Romana cathedra infallibilitas doctoris: atqui sicut scientia docentis anterior est et independens a scientia derivata discipuli, ita infallibilitas docentis Romanae Sedis antecedens est et independens ab infallibilitate ceterarum Ecclesiarum; ergo.

Irenaeo consonat prorsus Optatus, cum l. 2. docet *unam esse et singularem cathedram in Ecclesia, quae est cathedra Petri, in qua unitas ab omnibus servanda sit.* Si enim una est cathedra; ergo una est suprema auctoritas docendi, erga quam omnes in censu discipulorum sunt: ergo omnes eam doctrinam profiteri debent, quam ea cathedra docet et idcirco doctrina huius cathedrae necessaria est in Ecclesia: ergo haec est infallibilis et quidem infallibilitate Cathedrae docentis, ideoque ex sese infallibilis, ut paulo ante argumentati sumus.

Huc autem facit splendidissimum s. Maximi testimonium ex epist. scripta Romae (Oper. Tom. II. pag. 72. seq.): « Omnes orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum vera rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis, in sanctissimam romanam Ecclesiam eiusque confessionem ac fidem recta linea respiciunt, ex ipsa effulgurans exspectantes iubar... Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, omnes ubique Christianorum Ecclesiae unicam firmam basim ac fundamentum nactae sunt et habent Ecclesiam quae ibi est, velut in quam, iuxta ipsam Salvatoris promissionem, portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in Christum ac confessionis claves habeat, hisque qui pietate accedant eam, quae vere sua natura solaque pietas est, aperiat, claudat vero atque obstruat omne os haereticorum, iustitiam loquens in excelso ». Si fides Romana est *sol* lucis a qua omnis illuminatur Ecclesia, ea ex se splendescit eaque est norma necessaria et infallibilis veritatis: si claves habet fidei aperitque omnibus veram pietatem, ipsa fons est et origo omnis certitudinis in Ecclesia. Necesse est igitur omnes convenire ad Ecclesiam Romanam ac ad eius magisterium, sicut necesse est omnia corpora circa solem moveri, ab eoque mutuari lucem, ne in tenebris maneant; sicut necesse est omnibus ingredientibus domum aperiri sibi ab habente claves.

F) Certum est, concilia oecumenica, quae vim in Ecclesia obtinent, confirmata semper fuisse ab Apostolica Sede, confirmatione sive consequente, quatenus ratum habuit Romanus Pontifex quod Patres decre-

verant, sive antecedente, quatenus Romanus Pontifex doctrinam tradendam praeformaverit. Et quoad consequentem confirmationem, certum est eam habitam fuisse necessariam pro valore decretorum eamque fuisse quae vim et robur adderet decretis, quae per se seorsim ab illa vim non haberent obligandi Ecclesiam; fuisse proinde confirmationem libere et sponte positam, non ex aliqua ecclesiastica lege cogente, cum ea Patrum decreta nullum adhuc cogerent. Quod oportet plenius declarare et demonstrare.

Sane postulata semper est oecumenicorum Conciliorum confirmatio per Romanum Pontificem retentumque semper est, decreta eorum non valere nisi accederet consensus Romani Pontificis. Qua in re duplex distinguenda confirmatio, *exterior* nempe et *interior;* ea civilis est et ad tutelam spectat debitam decretorum, haec est authentica ab iis profecta qui auctoritatem docendi habent. Haec porro duplex est, altera simpliciter *authentica*, altera authentica simul et *peremptoria*, qua nempe exsistente valorem irrefragabilem habent decreta Conciliorum, qua deficiente valor ille deest. Porro huiusmodi est confirmatio postulata a Romano Pontifice pro decretis conciliorum, qualis a nullo alio episcopo synodisve provincialibus exhibenda fuit, quamvis postulatum sit ut Episcopi authenticam suam confirmationem decretis conciliorum adhiberent. Quare ludit Bossuet (*Defensionis* l. 8. cc. 2. 3.), cum historice demonstrare contendit, ab aliis non secus ac a Romano Pontifice confirmationem petitam fuisse et datam: non enim de hac re quaestio est; esse enim potest confirmatio authentica, quae debita sit eo quod valorem iam habeant decreta Conciliorum, quibus consensus ab Episcopis quoque pro munere suo exhibendus est, vel quae, si desit, valorem non adimat decretis ceterorum Episcoporum: sed quaestio est de confirmatione necessaria, ut decreta valeant conciliorum, quam dicimus peremptoriam. Nec quaestio est an Pontificis sola sententia sine concilii approbatione sufficiat: sed an ea sit necessaria, ut decreta Conciliorum in materia Fidei (de hac enim agimus) sint irrefragabilia.

Iam vero historice constat 1° octo priora Concilia oecumenica vel illud definivisse in materia Fidei quod iam Romanus Pontifex praeformaverat et iusserat definiri, vel assensum eius et confirmationem postea requisivisse, vel utrumque simul fecisse. Primum certe locum habuit in Concilio Ephesino, Chalcedonensi et sexta ac septima Synodo. Alterum in Concilio Nicaeno I.; licet enim eius acta desint, habemus tamen testes Patres Concilii Romani sub Felice III. an. 484. iuxta Baronium, aientes: « quam vocem (Tu es Petrus etc.) sequentes trecenti decem et octo sancti Patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae detulerunt »: tum habuit locum in

Concilio Sardicensi, ut ex Synodica eiusdem colligere licet; tum in Concilio I. Constantinopolitano, cuius illud solum decretum valorem habuit quod Romana Ecclesia probavit, nempe decretum fidei; alios canones caducos ab initio fuisse, eo quod nunquam cogniti fuerint apostolicae Sedi, testatur Leo epist. 106.; Romanum vero Pontificem approbasse eius decretum Fidei probat hoc ipsum argumentum Leonis, et testatur Photius in lib. de synodis inquiens: « quibus haud multo post ei Damasus Romae Episcopus eadem confirmans suoque assensu comprobans accessit »; tum habuit locum in Concilio quinto, quod consensum et approbationem Vigilii adeo instanter postulavit, tum in octava Synodo. Utrumque vero locum habuit certe in Concilio Chalcedonensi et sexto: illi enim formam praescripsit Leo epistola sua celebri ad Flavianum: huic Gregorius II. epistola ad Imperatorem Leonem Isaurum atque Adrianus I. litteris suis lectis in Concilio. Imo et in Concilio I. Constantinop. locum habuisse dicenda est praeformatio doctrinae a Pontifice facta: id colligitur ex epistola orientalium, ex Synodo Constantinopolitana, quae posterior fuit ea quae dicta est oecumenica (Gallandi Bibl. 88. t. 6. p. 333. epist. 8. inter Damasianas), profitentium fidem quam Damasus praescripserat (ibid. epist. 2.) orientalibus, et ideo provocantium ad subscriptionem tomi Damasi factam in Oriente.

Constat 2º huiusmodi assensum vel confirmationem habitam fuisse ut necessariam pro valore decretorum. Sane Damasus rationem reddens cur Ariminensis synodus auctoritate careat, haec (epist. 6.) ait: « neque praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt; cum constet neque Romanum Episcopum, *cuius ante omnes fuit exspectanda sententia*, neque Vincentium, qui tot annis Episcopatum inviolabiliter custodivit... huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse ». Gelasius in Tomo *de Anathematis vinculo* aperte affirmat: « Totum ut dictum est in Sedis Apostolicae positum est potestate: ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica hoc robur obtinuit: quod refutavit habere non potuit firmitatem ».

Marcianus Imper. indolem et vim confirmationis Romanae luculenter ostendit epist. 110. inter epistolas s. Leonis: « Miramur supra modum, quod post Chalcedonensem Synodum et literas venerabilium Episcoporum ad tuam Sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa s. Synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua clementia eiusmodi epistolae remissae sint, quas videlicet in sanctissimis ecclesiis perlectas in omnium oportebat notitiam pervenire. Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiamnum pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam iniecit, utrum tua Beatitudo, quae in Synodo decreta sunt confirmaverit. Et ob hanc rem pietas tua literas mittere dignabitur, *per*

quas omnibus Ecclesiis et populis manifestum fiat, in s. Synodo peracta a tua Beatitudine rata haberi ». Agebatur de decreto fidei, quod nempe Eutychianos impetebat, desiderabatur autem confirmatio Romana, non qua declararetur Synodum legitime actam fuisse; sed qua significaret Romanus Pontifex se *rata habere* quae ibi contra Eutychem peracta sunt: qua quidem ratihabitione seu confirmatione deficiente, adhuc ambigua erat sententia Concilii haereticis, qui eo se tuebantur, quod deesset nimirum confirmatio Pontificis, licet immerito; cum Leo iam definitionem edidisset, quam Patres Chalcedonenses secuti sunt. Porro haec est evidenter sententia Marciani, generatim necessarium esse, ut omnibus Ecclesiis et populis manifestum sit, Romanum Pontificem habere rata decreta Concilii et ideo ad refellendos haereticos, qui negabant haberi hanc confirmationem, exposcit speciatim a Leone ut litteras mittat ad omnes ecclesias quibus id significet. Persuasum ergo omnibus tum haereticis tum catholicis erat, decreta fidei a conciliis edita non valere nisi ea rata habuerit Romana Sedes.

Hinc Ferrandus Diaconus epist. cit. n. 9. de Conciliis universalibus loquens ait: « sufficere iudicatur ad plenam confirmationem si perducta in notitiam totius ecclesiae nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus, sed apostolicae fidei convenire firmentur, Apostolicae Sedis roborata consensu ». Et s. Stephanus Iunior (cf. eius vitam penes Migne Sec. 9.) respondebat haereticis iconoclastis, qui Synodum a se habitam extollebant: « quanam ratione vestram Synodum oecumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Episcopus (quamquam canone praescribitur res ecclesiasticas absque Papa Romae constitui non debere), neque Alexandrinus, ut verum dicam, neque Antiochenus, neque Ierosolymitanus? » In Synodo autem oecumenica octava lectae sunt Epistolae Nicolai I. tum ad Michaelem Imperat. tum ad Photium, act. 4ª. in quibus Pontifex testatur « multoties conventus factos fuisse Sanctorum Patrum, a quibus et deliberatum et observatum exstitit, qualiter absque Romanae sedis Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur » ac « Romanae Ecclesiae auctoritate atque sanctione omnes Synodos et sancta concilia roborari, et stabilitatem sumere », quibus lectis acclamatum est Nicolao in fine actionis. Porro eae sententiae ad causae, quae tunc agebatur, naturam intrinsece spectabant. Eiusdem Concilii Patres in 1ª actione subscripserunt formulae fidei ab Adriano Pontifice propositae, in qua testantur « *se nolle separari a Romanae Ecclesiae Fide atque doctrina et sequentes Patrum ac praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae praesulum in omnibus constituta*, anathematizare se omnes haereses ». Necessitatem ergo consensus Romani Pontificis pro valore decretorum Fidei professa est Syn-

odus VIII. Cf. et testimonium Nicephori Episc. Constantin. allatum Th. 12. sub n. 3. Itaque citra consensum aut confirmationem Romani Pontificis, decreta edita ab universo Concilio irrefragabilia non erant: non erant scilicet ea quibus assensus fidei deberetur. Ex his porro consequitur quod dicebamus, obligatoriam scilicet non fuisse sed liberam confirmationem Romani Pontificis.

Quod spectat ad confirmationem antecedentem, cum nempe Romani Pontifices regulam fidei pro controversia dirimenda praestituebant, constat eosdem Romanos Pontifices regulam fidei a se traditam proposuisse Patribus tanquam certam et immutabilem, ab omnibus proinde tenendam, potestate negata Patribus aliter iudicandi idque ne dum Patribus non contradicentibus, sed consentientibus.

Sane in Concilio Ephesino causa fidei agebatur sententiaque in causa depositionis Nestorii a sententia in causa fidei pendebat. Iam Cyrillus Alexandrinus sciscitatus Caelestinum Romae Episcopum fuerat, quid de ea re censeret: « Quoniam vetus Ecclesiarum consuetudo suadet, ut huiusmodi res Sactitati tuae communicentur, scribo plane necessitate adactus illud significans (exponit Nestorii haeresim)... Non prius autem illius communionem palam aperteque deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quod heic sentias praescribere quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fovet et praedicat». Caelestinus autem re cognita rescribens ad Cyrillum ita decrevit: « quamobrem nostrae Sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, hanc non absque exquisita severitate sententiam exsequeris: nempe ut nisi dierum intervallo ab huius nostrae admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet eamque de Christi D. N. generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam et Romana et tuae sanctitatis Ecclesia et universa denique religio Christiana praedicant; illico sanctitas tua illi Ecclesiae prospiciat, is vero modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat ». Sententiam hanc tulit Caelestinus absque Synodo oecumenica in sua Synodo Romana; iam enim Caelestinum damnasse haeresim Nestorii ante Ephesinam Synodum testantur Patres Ephesini in relatione ad Imperatores de depositione Nestorii post actionem 1^m^ aientes: « Caelestinum etiam magnae Romae Episcopum praeconiis extollimus, qui ante nostram sententiam haeretica Nestorii dogmata condemnarat nosque in ferenda contra ipsum sententia anteverterat, prospiciens securitati ecclesiarum et piae salutarique fidei ».

Quocirca sententiam Caelestini in Nestorium vim ex se habere pro-

pter auctoritatem Romani Pontificis, etiam post indictam oecumenicam Synodum eaque adhuc se obligari arbitrati sunt Patres orientales, qui tandem damnantes Nestorium (Act. 1.) fatentur se ad hanc lugubrem contra eum sententiam venire *coactos per sacros canones et epistolam Sanctissimi Patris sui Caelestini*. Unde Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus (Act. 2.) ait: « Apostolica et Sancta Sedes Caelestini sanctissimi Episcopi per litteras, quas ad religiosissimos Episcopos, Cyrillum, inquam, etc. misit, *etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit, quam nos quoque secuti formam illam exsecutioni mandavimus, canonicum apostolicumque iudicium in illum proferentes* ». Ipse autem Caelestinus in commonitorio tradito suis legatis ad Concilium, qui simul cum Cyrillo praeessent (epist. 17. Caelestini penes Constant.) ita eis praecipit: « Auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus... *ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire certamen* ».

Ad Synodum Chalcedonensem scribit s. Leo epist. 93. al. 72. « In his fratribus Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris me Synodo vestra fraternitas existimet praesidere, non abiuncta a vobis praesentia mea, qui nunc in vicariis meis adsum et *iamdudum in fidei catholicae praedicatione non desum*, ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, *non possitis dubitare quid cupiamus* (quid opus erat, ut illi nossent quid ipse crederet et cuperet definiri, si eius fides norma non erat sequenda necessario a Patribus?) Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: *nec liceat defendi quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de Sacramento Incarnationis D. N. I. C. pia et sincera confessio* ». Edicit scilicet Leo Episcopis in Synodo adunatis, non licere aliter credere quam quod ipse plenissime et lucidissime declaraverat.

Hinc Act. 1ª cum quaestio fieret an expositio fidei edita a sanctae memoriae Flaviano esset orthodoxa et catholica, Paschasinus dixit: « Sancte et integre et catholice fidem exposuit Flavianus: *siquidem eius fidei expositio cum beatissimi atque apostolici viri Papae Romani epistola concordat* ». Nimirum cura legatorum praesidentium, qui iam doctrinam fidei a Pontifice acceperant, eo spectabat non ut aliquid discerent ab Episcopis, sed ut doctrina romana ab omnibus acciperetur. Et Act. 2ª cum magnificentissimi iudices et amplissimus Senatus, qui pro custodienda pace Synodo aderant, rogassent Patres, ut fidei exposi-

tionem facerent, reverendissimi Episcopi responderunt, se nolle alteram facere expositionem et Cecropius episcopus veluti eorum sensum explicans dixit: « Emerserunt quae ad Eutychen pertinebant et super his *forma data est* a sanctissimo archiepiscopo Romanae Urbis *et sequimur eum et epistolae omnes subscripsimus* », ceterique clamaverunt: « ista omnes dicimus, sufficiant quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri », addentes et illud paulo post omnes: « nos ita credimus, nostrum nullus dubitat, nos iam subscripsimus epistolae » scilicet Leonis.

Cum tamen gloriosissimi iudices et Senatus peterent, ut Synodus ipsa expositionem fidei facere vellet, acquieverunt Episcopi, illud tamen aperte significantes quaenam esset futura norma expositionis faciendae quae edita est in actione 5ª. Haec vero norma erat Nicaenum Concilium, Ephesinum Concilium, fides Cyrilli et Caelestini et epistola sanctissimi Leonis. Scilicet expositio fidei a Leone proposita connumeratur cum iis de quibus amplius dubitare non licet, quaeque regula sunt necessario sequenda a Patribus in Concilio docentibus. Quare Patres in epistola ad Pulcheriam post actionem 2ª, in qua damnatus est Dioscorus, gesta enarrantes, aiunt omnia bene cessisse « Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore ». Exstitere quidem Actione 2ª Episcopi Illyriciani et Palestini qui adhuc dubitarent; dubitatio vero versabatur circa sensum quorumdam textuum epistolae Leonis, qui illis obscuri erant: unde electi sunt episcopi ex iis qui iam subscripserant, qui *dubitantes docerent*, non tanquam de re adhuc dubia disputarent. Nunquam sane in disputationem adducta est doctrina Leonis. Ergo epistola Leonis a Patribus Concilii adhuc professionem fidei suo nomine edituris habita fuit ut irreformabilis, non secus ac symbolum Nicaenum et Petri doctrina. Id vero non impedit quominus et ipsi iudices exstiterint quod actione 4ª et 5ª praestiterunt; qua de re inferius dicendum erit.

Ad Synodum oecumenicam VI. scribens Agatho Papa, declarata fide Ecclesiae Romanae eaque tanquam certissima et immutabili regula proposita, monent eam esse confessionem b. Petri, « qui spirituales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium pascendas suscepit: cuius annitente praesidio haec apostolica eius ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: *cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis semper omnis catholica Christi ecclesia et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt: omnesque venerabiles Patres apostolicam eius doctrinam amplexi... et sancti Doctores venerati atque secuti sunt* ». Haec porro Agathonis

epistola lecta est in Synodo Act. 4. eamque expansis manibus amplexa est et fideliter suscepit s. Synodus (in decreto fidei Act. 18.). Porro quod in iis litteris tradit Agatho de doctrina et auctoritate Romanae Sedis, non est aliquid veluti indifferens, ad rem quae agebatur non necessario spectans, sed e contrario erat cum rei summa intime et essentialiter connexum: est enim ratio, qua probatur certissimam esse eam doctrinam et tenendam de duplici voluntate, quam Agatho docebat. Et idcirco Imperator Constantinus Pogonatus, qui Synodo interfuit, in litteris ad Synodum Romanam testatur quod « *tanquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sunus;* nemo enim discrepavit, nisi unus ». Ipsique Patres in litteris ad Agathonem inquiunt; « Itaque tibi ut primae Sedis Antistiti universalis Ecclesiae quid gerendum sit relinquimus stanti supra firmam fidei petram, lectis libenter verae confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis... Constantino nobis ad decernendum hortatore... haereticos anathemate interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata ». Unde et Leo II. flagitatam a Patribus confirmationem tribuens, hanc reddit rationem; quia « apostolicam in omnibus regulam et probabilium Patrum doctrinam (Synodus) secuta est et *quia definitionem rectae fidei, ut dictum est, plenissime praedicavit, quam et apostolica Sedes b. Petri Apostoli* (cuius licet impares ministerio fungimur) *veneranter suscepit; idcirco* et nos et per nostrum officium haec veneranda Sedes apostolica concorditer ac unanimiter his, quae definita sunt ab ea, consentit et b. Petri auctoritate confirmat sicut supra solidam Petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem ». Verum est igitur quod Agatho in conspectu universalis Synodi, eademque probante, promulgavit: *auctoritatem Romanae Sedis omnem Christi Ecclesiam et universales synodos semper et in cunctis secutas esse.* Atqui in doctrina auctoritatem non sequimur illius quocum tantummodo consentimus, sed illius quem tanquam magistrum et ducem habemus, cuius nempe doctrina regula est nobis cogitandi et iudicandi. Quod si eam auctoritatem *semper et in omnibus* sequimur, eandem habemus ut normam necessariam, a qua deflectere non licet nisi errare velimus.

Ita declarata confirmatione Conciliorum sive antecedente, sive consequente, facta a Romana Sede, hunc in modum argumentari iuvat. Ergo 1° secundum Ecclesiae universalis sensum auctoritas suprema et plena definiendi in causis fidei non est *in universitate coetus Pastorum adunatorum cum suo etiam capite, quod ipsis praesit,* ad normam scilicet regiminis aristocratici. Ratio est evidens: hoc enim est auctoritatem supremam et plenam esse in universitate coetus, ut nempe decreta

ab eo edita valeant eo quod universitas vel maior pars illius consentit etsi desit suffragium alicuius vel ipsius praesidentis possitque universitas decernere ut suffragii oppositi alicuius vel ipsius praesidentis ratio non habeatur. Quod si e contrario votum unius vel eius defectus irritare potest decretum ceterae universitatis neque in eo coetu ius est decernendi ut illius voti ratio non habeatur, tunc negandum est, supremam et plenam auctoritatem esse in universitate. Ita ab omnibus concipitur suprema et plena auctoritas exsistens in universalitate coetus idque rerum naturae postulant; si enim nemo ex singulis sed universalitas supremam obtinet potestatem, fieri iure nequit, ut votum unius valeat irritare decretum ceterorum. Iam vero ex dictis circa confirmationem consequentem liquet quod votum Romani Pontificis vel eius defectus potest irritare decretum ceterae universitatis, neque haec decernere potest ut eius ratio non habeatur: ergo.

Ergo 2° neque suprema ac plena docendi auctoritas est in utroque simul h. e. coetu Pastorum et Romano Pontifice, *in unione* nimirum *duorum, Romani nempe Pontificis et Corporis Pastorum, ita ut ex his integretur necessario subiectum supremae auctoritatis*, ad modum scilicet regiminis, ut aiunt, constitutionalis. Cum enim huiusmodi exsistit subiectum auctoritatis, neutrius quidem partis lex aut decretum valet sine consensu alterius; sed nec una pars alteri praestat, nec auctoritatem regis coetus sequi tenetur. Quare si unus universo coetui ita praeest, ut edicere possit quid decernendum sit eiusque auctoritatem sequi debeat coetus, ipse in coetu iudex omnium sedeat; nequit dici subiectum supremae plenaeque auctoritatis integrari ex illo Uno et universitate coetus. Porro talem esse habitudinem Romani Pontificis ad coetum collectum Pastorum, ut ipse in eo iudex omnium sedeat, ut eius sententia norma sit necessaria ceteris eiusque auctoritatem sequi Synodus debeat, constat ex dictis quoad confirmationem antecedentem.

Atqui necesse est ut suprema plenaque auctoritas docendi exsistat in Ecclesia, ideoque sit eiusdem aliquod subiectum; si autem hoc non est vel universalitas Pastorum, vel Pastor supremus simul cum universitate ceterorum Pastorum, restat ut huiusmodi subiectum sit tantum unus ille Pastor, qui ius habet confirmandi decreta Conciliorum et cuius auctoritatem Concilia semper et in cunctis sequuntur. Atqui huiusmodi supremae ac plenae auctoritati docendi omnes parere debent: est autem infallibile magisterium in Ecclesia quod fidem exigit ab omnibus; ergo. Porro de hoc argumento rursus plenior sermo habebitur in th. seq.

Dices: nonne semper in Ecclesia retentum est auctoritatem universalium Conciliorum esse supremam ac plenissimam? Respondeo, aliud

est eam auctoritatem *esse in Concilio*, aliud est *esse in universitate Concilii:* quod in Concilio oecumenico confirmato a Papa sit suprema ac plenissima auctoritas nemo dubitat: sed quoniam concilium aliquod per se potest esse coetus aequalium potestate, tum inaequalium; quaeritur quodnam sit in Concilio Episcoporum subiectum illius auctoritatis, an universitas, an aliqua singularis persona, cui ceterae veluti capiti membra subordinentur. Porro quod huiusmodi subiectum sit universitas, id a Gallicanis quidem retentum fuit, non autem ab universa Ecclesia. Verum de hoc argumento rursus, ut iam diximus in th. seq.

At nonne in Conciliis requiritur consensus maioris partis, ut decretum ferri possit? Respondeo, consensum maioris partis requiri ut *definitio sit conciliaris;* id enim exigitur ex rei natura, nam nequit dici definitio conciliaris ea, in quam concilium non consentit. Non vero requiritur consensus ille, ut *definitio valeat et irrefragabilis sit*, si Romanus Pontifex ex se infallibilis est: unde non nisi ab iis, qui infallibilitatem Pontificis negabant, consensus Concilii sive Episcoporum pro valore definitionum postulabatur.

Ex probatis autem constat, Romanum Pontificem esse infallibilem ex sese: talis enim est; cuius auctoritas necessario sequenda est a conciliis. Aliam demonstrationem huius infallibilitatis petitam ex habitudine Romani Pontificis ad Concilium et vicissim, dabimus post litt. I.

G) Constat, occasione schismatis Acaciani, quo Ecclesia orientalis turbata est, Romanum Pontificem Hormisdam libellum vel formulam fidei praescripsisse subscribendam ab iis, qui vellent ad Ecclesiae unitatem redire, negata communione Ecclesiae catholicae illis, qui subscribere detractarent: paruisse vero Orientales Episcopos et ita iis ad unitatem revocatis, pacem fuisse instauratam (Cf. Natalem Alex. H. E. sec. V. a. 16.). Porro libellus ille professionem continebat infallibilis magisterii Romani Pontificis (confer. quae dicimus sub litt. L, ubi quoad substantiam idem libellus occurrit). Hic libellus a Iustiniano quoque subscriptus fuit et oblatus Agapito R. P. (Pitra *Ius eccl.* tom. 2. pag. 219.). Atqui ex his constat dogma de Romani Pontificis infallibilitate probatum fuisse publica professione Episcopis orientalibus eiusdemque professionem habitam fuisse necessariam pro obtinenda unitate catholica. Iam vero vel dicendum est, quod huiusmodi veritas ea aetate ab universa Ecclesia certa fide iam tenebatur, vel quod satis fuit orientalibus Episcopis quod ea professio ab Apostolica Sede proponeretur, ut eam acceptarent. Utrum vero dicatur, perinde est.

H) Constat explicitam professionem infallibilitatis Romani Pontificis universalem et antiquam fuisse in Ecclesia. Haec satis sit con-

ferre. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium de schismaticis ait: « navigare audent ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem... nec cogitare, eos esse Romanos (quorum fides Apostolo laudante praedicata est), ad quos perfidia habere non possit accessum ». Hieronymus Apolog. lib. 3. c. 12. contra Rufinum: « Scito Romanam Fidem Apostolica voce laudatam huiusmodi praestigias non recipere ». Et epist. 15. ad Damasum... « Cum successore Piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae idest cathedrae Petri communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum: qui tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, antichristi est...: Quapropter obtestor beatitudinem tuam, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. » Et seq. epist. ad eumdem: « In tres partes scissa Ecclesia (Antiochena) ad se rapere me festinat... Ego interim clamito: si quis cathedrae Petri iungitur, meus est ».

Paulinus diaconus in libello oblato Papae Zosimo ait: « Beatitudinis tuae iustitiam obsecro Domine Zosime Papa venerabilis. Nunquam fides vera turbatur et maxime in Ecclesia Apostolica, in qua pravae fidei doctores ut deprehenduntur facile, ita veraciter puniuntur ». Theodoretus epist. 116. (ed. Mig.) ad Renatum presbyterum romanum. « Habet illa Sedes (Romana) Ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus atque hoc ante omnia, quod ab haeretica tabe immunis mansit nec ullus contraria sentiens in illa sedit sed apostolicam gratiam integram conservavit ». Hanc vero immunitatem non fuisse tantum rem in facto positam, sed propriam ideoque perpetuam praerogativam Sedis, docet epist. 52. ad Leonem M. « Multis siquidem praerogativis ornatur Sedes vestra... praecipue autem illam fides ornat ». Pariter Gregorius Nazianzenus in Poemate de vita sua haec habet iis similia v. 562. seqq. « Duos quidem natura non dedit soles, duas at Romas totius terrarum orbis lumina, antiquam potestatem et novam: tantum inter se differentes, quantum illa quidem orienti praelucet, haec autem occidenti. At pulcritudo pulcritudinem paribus ponderibus aequat. Quod spectat ad illorum fidem, vetus (Roma) quidem iamdudum atque etiam nunc recte currit, occidentem totum devinciens salutari verbo (τὴν ἑσπέραν πᾶσαν δεσῦσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ), quemadmodum congruum est praesidenti universorum et integram colenti concordiam (in trinitate scilicet) Dei (καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον τῶν ὅλων, ὅλην σεβουσαν τὴν Θεοῦ συμφωνίαν) ». Nimirum rectae fidei conservatio nexa est cum προεδρία τῶν ὅλων, quae propria est sedis Romanae et idcirco perpetua est quemadmodum perpetua est dignitas

τῆς τῶν ὅλων προεδρίας quam iam s. Ignatius Martyr agnovit et professus est. « Nova autem (Roma), subdit Gregorius, stabat rectis pedibus, nunc vero nequaquam (illam dico meam, iam non meam), sed in profundo iacebat perditionis » etc.

S. Theodorus Studites Epist. l. 2. ep. 63. « Testor nunc coram Deo et omnibus, seipsos (haeretici) avulserunt a corpore Christi et supremo verticali throno, in quo Christus claves posuit fidei, adversus quem non prevaluere hactenus nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum: sicut pollicitus est qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus nomine suo dignus Paschalis (is est Paschalis I.); quoniam Petri opus adimplevit ».

Concilia idem professi sunt. Verba Agathonis in Concilio VI. lecta et probata dedimus in membro praecedente, quibus addi debent quae paulo post subiungit: « Haec est enim verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis veraciter tenuit ac defendit haec spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur nec haereticis pravitatibus depravata succubuit; sed, ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fide tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem quam suorum discipulorum principi in sacris evangeliis locutus est: Ego rogavi pro te etc. »

Tum Leo IX. epist. ad Michaelem Cerular. c. 7. sic interrogat schismaticos: « Nonne a Sede principis Apostolorum, romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta aut expugnata sunt omnium haereticorum commenta et fratrum corda in fide Petri, quae *hactenus non defuit nec usque in finem deficit,* sunt confirmata? » Cf. et eiusdem epist. ad Petrum Antiochenum. Haec est scilicet praerogativa, quam professus est Gelasius in decreto de scripturis canonicis inquiens: « Post has propheticas, evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universae per orbem catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen romana, catholica et apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis, ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus etc... *Est ergo prima Petri Apostoli Sedes romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam neque aliquid huiusmodi* ». Cuius rei necessitatem a fine declarat epist. 8. ad Anastasium Imperatorem inquiens. « Hoc est quod Sedes apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli (Petri) gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla

prorsus contagione maculetur. *Nam si* (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) *tale aliquod proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus?* »

Ad omnes enim spectat exhortatio Petri Chrysologi ad Eutychem: « In omnibus hortamur te, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, *quoniam b. Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem* ». Ex his autem patet ne dum infallibilem Romanum Pontificem esse sed infallibilem ex se se; talis est enim qui ratio est infallibilitatis ceterorum, cuiusmodi ab his testibus vel pluribus ex illis praedicatur.

Idem et Graeci post florentinam Synodum agnoverunt, pro quibus testis sit Georgius Trapezuntius in epistola ad Cretenses de una sancta catholica apostolica Ecclesia (penes Leonem Allatium *Graecia Orthodoxa* t. 1.) inquiens n. 12. « Credendum siquidem est, fieri non posse ut Romana Ecclesia, quae prima est et per quam universalis Ecclesia habet ut una sit, in haeresim labatur. Etenim si ipsa cum haereticis aberraverit, in quamnam unam et sanctam nos Christiani credemus?... Audiamus Christum Servatorem: *Tu es Petrus*, inquit, *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Portas heic inferi haereses vocat etc. ».

I) Constat, Ecclesiam universam in sollemni professione fidei professam esse Romani Pontificis ex se se infallibilitatem. Nam 1° Patres Concilii oecumenici VIII., maiorum vestigiis inhaerentes (eandem enim professionem ediderant Orientales Episcopi subscribentes fidei formulae praescriptae ab Hormisda) hanc sollemnem ediderunt professionem: « Prima salus est rectae fidei regulam custodire. Deinde a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum; sicut enim scriptum est: sine fide impossibile est placere Deo, sic rursus legitur: fides sine operibus mortua est. Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis Soliditas. Et patrum et praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae praesulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses... quoniam, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam Sedem et observantes eius omnia constituta, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae reli-

gionis soliditas ». Haec formula, quae lecta est in actione 1ª, est certe professio fidei; exponitur enim et suscipitur *rectae fidei regula*, agitur de fide et doctrina, a qua nemo separari potest omnesque haeretici anathematizantur. Porro in eadem sessione interrogantibus legatis Romanis: Placet omnibus vobis libellus iste (qui eam professionem continebat), tota sancta Synodus exclamavit: « iuste et convenienter lectus nobis libellus expositus est a Sancta Romanorum Ecclesia et propterea omnibus placet » (a). Actione vero 2ª omnes subscripserunt: « Detulimus, inquiunt legati, libellum a s. Romana Ecclesia, a Sanctissimo Papa Adriano, *mandatum ab eo accipientes exigere a vobis fieri ipsum libellum et sic vos suscipere: vultis ergo facere quod iussum est a Sanctissimo Papa Adriano?* Episcopi dixerunt, volumus et placet nobis et subscribimus ».

Iam vero manifestum est, in ea fidei professione contineri professionem magisterii ex se infallibilis Romani Pontificis. Asseritur enim 1º *quod in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina* et 2º id dicitur probatio esse ab effectibus veritatis verborum Christi: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, quo aperte docemur, factum illud conservatae immaculatae religionis et sanctae celebratae doctrinae in Apostolica Sede esse nexum necessario cum Primatu Petri, ideoque perpetuum: 3º disserte asseritur *in Sede Apostolica esse integram et veram Christianae religionis soliditatem;* cum Sede enim Apostolica immediate nectitur relativum *in qua* atque *soliditas* cohaeret cum conceptu *Petrae*, quae est Apostolica Sedes, ut ab initio libelli declaratum est. Atqui his verbis non factum, sed praerogativa seu proprietas Sedis Apostolicae significatur: *integra* autem et *vera soliditas* Christianae religionis non est nisi infallibilis fides seu infallibile magisterium fidei. Huiusmodi autem magisterium infallibile ex se se exhibetur. Est enim infallibilis Romanus Pontifex eo quod est *Petra* Ecclesiae: quatenus ergo talis est, ei competit infallibilitas, non est autem *Petra* et stabilis Petra per Ecclesiam; sed e contrario haec stabilis est per Petram: ergo.

Praeterea eo quod Apostolica Sedes infallibilis est, testantur Patres se velle eam sequi et ideo sequentes eam anathematizare omnes haere-

---

(a) Si quae humana sunt atque affectibus mundanis debentur, quibus et Patres exsistentes in Synodo sollicitari possunt, secernas ab iis, quae ab iisdem synodaliter sub assistentia Spiritus S. fiunt quaeque sola auctoritatem habent; evidens erit nullam vim minui huic universali subscriptioni, eo quod deinceps secundum humanas rationes minus ea probata fuerit Patribus graecis, qui nihilominus tandem, Spiritu S. moderante, consensum praestiterunt absolute.

ticos; doctrina proinde Romanae Sedis regula est, quam sequuntur Patres ne errent: at huiusmodi regula non a sequacibus sed a se habet rectitudinem. Igitur universa Ecclesia in Synodum collecta professa est magisterium per se infallibile Romani Pontificis.

Porro heic lubet ex ratione agendi Romanae Sedis et Episcoporum in Concilio aliud colligere argumentum, quod promisimus sub lit. F. Scilicet in ipso aditu Concilii, ante quam aliquid decernatur, Romanus Pontifex *iubet*, ut omnes Episcopi emittant professionem Fidei in suum magisterium infallibile omnesque Episcopi catholici morem gerunt Pontifici libelloque proposito subscribunt et libellum postulavit Pontifex a schismaticis, ut in Synodum admitterentur. Atqui id nullo modo cohaeret cum sententia gallicana: neque gallicani, nisi suam exuissent opinionem, voluissent subscribere. Iussio enim illa Pontificis et spontanea obedientia totius Synodi evidenter manifestum faciunt creditum fuisse ab universa Ecclesia 1° Papam esse nedum honore sed iurisdictione superiorem Concilio: 2° Magisterium Romani Pontificis esse ex se se infallibile. Nam obiectum, circa quod versatur libellus subscribendus, est doctrina aliqua fedei: porro iubet Romanus Pontifex, ut Episcopi subscribant et res erat nondum Synodo aliquo definita (si dicas rem iam definitam fuisse per subscriptionem Orientalium tempore Hormisdae, qui eos eidem libello iussit subscribere, revocabitur eadem argumentatio ad illam aetatem); Episcopi autem non mirantur, Pontificem iubere nec conqueruntur de hac iussione, sed simpliciter recognoscunt se obligatos esse ad parendum et obedientes subscribunt. Quare alterutrum de duobus: vel ea erat doctrina manifestissima et certissima in universa Ecclesia, vel Episcopis in Concilio adunatis satis erat id iubere Pontificem ut certi essent eam doctriuam non posse esse nisi veram. Alterutrum autem dicas, perinde est: ergo.

Alia sollemnis professio eiusdem doctrinae ea est quae edita fuit a Graecis in Concilio oecumenico Lugdunensi II. Approbata est enim a Concilio, in quo sollemniter facta est et propter quam recepti sunt Graeci ad unionem: respondet autem iis quae iam Clemens VI. pro unione a graecis postulaverat (Oderic. Raynaldi Ann. 1343. nn. 12. 15.). « Graeci itaque approbante oecumenica Synodo professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit: et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri ». Porro sive ultima pars per se spectetur, sive conside-

retur in connexione cum praecedente liquet, asseri Pontifici iudicium infallibile in quaestionibus fidei. Non enim nisi infallibile iudicium esse potest quo *debent* definiri quaestiones fidei: si enim fallibile est, nulla necessitas est, ut per illud finiantur, cum neque finiri possint. Neque dicas iudicium de quo hic est sermo, esse iudicium latum cum Synodo oecumenica, nam de huiusmodi Synodo heic nulla est mentio et dicitur iudicium *suum,* cum ipse Rom. Pontifex a ceteris distinguitur (sicut prae ceteris tenetur etc.); ideoque iudicium ipsius distincti a ceteris significatur. Si vero haec comparas cum praecedentibus, liquet auctoritatem definiendi quaestiones fidei esse auctoritatem habentis primatum super universam Ecclesiam (non tantum in universa Ecclesia, ut volunt gallicani), habentis plenitudinem potestatis pascendi h. e. regendi et docendi, id enim quoque ad potestatem spectat: at potestas plena docendi quae fallibilis sit contradictionem implicat; caret enim complemento potissimo, quod est charisma infallibilitatis.

Tertia sollemnis professio est definitio florentina, qua Romanus Pontifex dicitur *omnium Christianorum Doctor exsistere.* Atqui Doctor omnium Christianorum est ille, cui omnes Christiani, ideoque universa Ecclesia etiam simul sumpta fidem adhibere debet. Dico *universa Ecclesia* etiam simul sumpta; quia fides Ecclesiae debet esse una: nequeunt proinde obligari christiani singillatim sumpti ad id credendum, ad quod ipsa universa Ecclesia simul sumpta non obligetur. Atqui nequit obligari Ecclesia ad credendum id cui potest subesse falsum; ergo magisterium Romani Pontificis est necessario infallibile. Et quidem infallibile ex se se, neque enim ab assensu discipulorum vim suam mutuari potest magisterium doctoris.

Dices: si ita est, ergo iam ante Concilium Vaticanum res erat definita; quod quidem admitti nequit, cum haeretici non haberentur qui aliter sentirent.

Respondeo, quamvis certissime ea doctrina iis professionibus contineatur eamque voluerint profiteri qui eas ediderunt, tamen opus est aliqua analysi sive ratiocinio ut ex illis verbis ea intelligatur; illud vero ut definitum ab Ecclesia habetur quod directo et immediato sensu verborum repraesentatur. Quod autem ope ratiocinii colligitur, id per se ad notitias theologicas spectat, non ad notitias communes fidelium, pro quibus omnibus eduntur decreta fidei. Ceterum theologi omnes Romani iam certo tenebant opinionem gallicanam repugnare definitioni florentinae aliisque professionibus fidei.

L) Etiam tum cum in disputationibus exortis quaedam opinio penes quarundam ecclesiarum scholas invaluit: Rom. Pontificem haud

ex se infallibilem esse, Romani tamen Pontifices perrexerunt auctoritatem sui magisterii infallibilis exercere in iis quoque ecclesiis, in quibus scholae oppositam sententiam tuebantur atque ita ut, quidquid sit quod theoretice tenebatur aut studio partium in scholis defendebatur, practice eaedem ecclesiae non secus ac aliae auctoritatem supremi magisterii Romanae Sedis aperte reverentur. Ita e. g. egit Innocentius XII. in proscriptione Propositionum super amore erga Deum purissimo: sic Innocentius X. in damnatione propositionum Iansenii, et Clemens XI. in damnatione propositionum Quesnelli atque ita, ut diximus, erga hos Pontifices Ecclesia Gallicana se gessit. Nam Pontifices, absque ulla haesitatione aut dubio suae infallibilitatis in suis Constitutionibus normam fidei statuunt ab omnibus necessario sequendam sub poena excommunicationis omnibusque Episcopis praecipiunt, non ut eas constitutiones examinent, sed ut eas promulgent et observari faciant: ad id vero se obligari propter auctoritatem Apostolicae Sedis senserunt semper vel Gallicani. Cf. litteras Episcoporum Galliae ad Innocentium X. datas 15. Iulii 1603.

Audiatur instar omnium id quod gestum est in causa quesnelliana. Clemens XI. in Brevi *Gratulationes* dato ad Archiepiscopos, Episcopos et Ecclesiasticos viros in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregatos, reprehendit aliquot Gallicanae Ecclesiae Praesules, eo quod licentiam sibi usurpaverant revocandi ad examen et iudicium ferendi de Pontificia constitutione *Vineam domini*. Ait ergo ss. Pontifex inter cetera: eos non posse ignorare id « quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quod nimirum Sedes b. Petri apostoli de omni Ecclesia fas habeat iudicandi *neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio*. Profecto si vel ipsam Apostolicae constitutionis nostrae formam et quidem non a Nobis recens adinventam, sed a Praedecessoribus nostris longe seculorum serie usurpatam observare placuisset, qua omnibus Archiepiscopis et Episcopis constitutionis eiusdem exsecutionem et observantiam integram auctoritate apostolica praecipimus, committimus et mandamus, edoceri ex ea satis poteratis *Nos in hac causa non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non exspectare sententiam, sed obedientiam iniungere*... Currebatis bene Venerabiles fratres et praeclara Maiorum Vestrorum sequuti vestigia ad Apostolicam Sedem tanquam ad Fidei arcem, totius disciplinae metropolim et unitatis catholicae centrum, quo omnium Ecclesiarum lineas collimare necesse est, ne alio distortae ruinam inveniant et ad b. Petri Fidem *nunquam deficientem, qua haereticorum errores peremptorio decreto prosternuntur*, fidenter non minus quam humiliter confugiebatis. Quare ergo tam cito transferimini pene in aliud Evangelium?... Maneat V. F. suus Episcopali

Ordini honor ac dignitas, sed quos posuerunt Patres nostri terminos non excedat: *Romanam Ecclesiam omnium Matrem et Magistram nulli inferiores Antistites iudicare aut docere praesumant aut post eius iudicare iudicium;* sed quae Rom. Pontif. (veteres vobis gallicanos canones recitamus) secundum sacrum suum ministerium Auctoritate apostolica decreverit, *ab omnibus suscipiantur* ». Haec profecto, licet ad aliquos Episcopos directa, valent pro omnibus asseriturque irrefragabilis sententia Pontificis ante consensum aut iudicium ordinis Episcoporum, qui quidem profitentur, ut ait idem Pontifex, quod decreta fidei a summis Pontificibus lata summam in Ecclesia universa habeant auctoritatem, non iisdem Episcopi conferant firmitatem: « quasi vero, subdit Pontifex, eadem Apostolica iudicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata, quae paucos ante annos divina aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti omnis gallicana Ecclesia datis ad Praedecessores nostros litteris palam professa est, modo fere infirma debeant ac veluti nutantia reputari, nisi superveniente vestro paucorum scilicet episcoporum iudicio fulciantur ». Quid vero ad tantae dignitatis plenam reprehensionem responderunt Episcopi? Cardinalis de Noailles nomine omnium respondit inter cetera: « Cum clerus dixit: constitutiones ss. Pontificum a corpore episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare (vides quid improbaverit et reprehenderit R. P.) *mens eius non fuit, necessariam esse huiusmodi acceptationis sollemnitatem ad hoc ut illae tanquam regulae credendi et loquendi a catholicis omnibus haberi debeant* » (a). En Ecclesiae quoque Gallicanae practica sententia. Porro in his apparet ex utraque parte persuasio et fides practica in infallibile Romanae Sedis magisterium; neque enim clarius loqui potuissent qui id firmiter tenuissent.

M) Constat sententiam negantem Romani Pontificis infallibilitatem esse novam in Ecclesia eiusque initium satis recens indicari posse. Sane negari nequit quod testatur Ruardus Tapperus in Oratione Theologica 3. n. 7. « An autem hic praepositus (Romanus Pontifex) falli possit in sua sententia, quando cognoscit circa fidem et mores fidelium, sicut reges et episcopi in suis iudiciis, ab annis centum et quinquaginta coeptum est controverti et disputari in utramque partem... A tempore enim Concilii Constantiensis et Basileensis Doctores quidam apud solum concilium oecumenicum docent esse infallibilis sententiae privilegium. Veteres vero scriptores Petro totius Christi familiae praeposito et Romano Pontifici supremo in terris post Petrum Christi vicario, ut qui solus claves domus acceperit, quodlibet ligandi ac solvendi

(a) Exstat in fine prooemii ad Trutinam Propp. Vivae.

eiusque cathedrae proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiae concorditer ex Scripturis tradunt ». Cf. et testimonium Ioannis Maioris th. 13. sub n. 4. Rem ita se habere, ut Tapperus testatur, evidens est ex hactenus demonstratis. Libet autem et consensum Scholae afferre, cuius satis sit testem vocare s. Thomam, quem omnes generatim sequuntur. Hic 2ª 2ae q. 1. a. 10. docet quod « ad illius auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur. Unde et Dominus Luc. XXII. Petro dicit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi etc. Et huius ratio est quia una fides debet esse Ecclesiae... quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinaretur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur ».

Quocirca, etsi s. Antoninus *Summa Theolog.* p. 3. tit. 22. c. 3. ed. 1740. affirmaverit Papam infallibilem esse cum Concilio, haud recte tamen eius auctoritas obiiceretur nobis. Nam talis affirmatio non est per se exclusiva illiusque limitationis apponendae ratio petenda esset ex controversiis tunc exsistentibus, quibus factum fuerit ut s. Doctor quod omnibus certum erat vellet affirmare. Ceterum non hic est sensus verborum s. Antonini. Statuit enim auctoritatem declarandi dubia in rebus fidei, quam sequatur obligatio credendi, esse *solum apud Summum Pontificem.* Et ratio est ea quam affert s. Thomas: « oportet enim in Ecclesia ponere unum caput, ad quod pertineat declarare etc... cuius ratio est quia oportet ponere Ecclesiam sic dispositam, quod tota communitas universalis Ecclesiae maneat in unitate fidei: sed hoc non posset esse, nisi tota Ecclesia haberet recursum ad unum caput. Constat autem, quod in Ecclesia non possit esse tale caput nisi *solus Papa* ». Excluditur ergo ab hac dignitate capitis universitas Episcoporum. Tum obiicit sibi quod Papa est singularis persona potens peccare et errare, apud autem potestatem errantem non debet esse auctoritas, contra quam non licet opinari. Respondet vero quod « licet Papa ut singularis persona et proprio motu agens possit errare, *tamen Papa utens concilio et requirens adiutorium universalis Ecclesiae, Deo ordinante qui dixit Petro:* pro te rogavi ut non deficiat fides tua, *non potest errare* ». Quibus verbis non exprimitur conditio necessaria ut definitio Pontificis sit infallibilis, sed exprimitur conditio exercitii auctoritatis definiendi, ut non tanquam singularis persona, sed veluti universalis doctor loqui censeatur. Nec censemus voluisse s. Antoninum conditionem ab eo memoratam accipi exclusive, si concilii nomine et adiutorii

universalis Ecclesiae intelligatur synodus oecumenica, cum id neque antecedentibus satis cohaereat nec ab antithesi ab eo insituta cum Pontifice ut singulari persona requiratur neque historice verum sit. Si vero nomine concilii intelligatur indefinite concilium vel universale vel particulare, aut simpliciter consilium (quod forte scripsit, aut voluit dicere s. Doctor) et nomine adiutorii universalis Ecclesiae intelligatur manifestatio divinae traditionis quae in universa Ecclesia servatur, aut Ecclesiae oratio, aut quid simile, haec nullo modo officiunt doctrinae de infallibilitate R. P. ex sese; nam certum est, oportere media humana in stadio praeparationis adhibere, ut definitio fidei edatur.

Corollarium. Ex demonstratione huius thesis liquet, quod iudicium ferendum sit de opinione eorum qui volunt quidem esse catholici, nolunt tamen aut non valent quaedam praeiudicia gallicana exuere, qui proinde concedunt Rom. Pontificem esse infallibilem, sed, ut ipsi aiunt, *per Ecclesiam quae infallibilis per se est.* Si dicerent *propter Ecclesiam*, verum utique dicerent: nam quaevis auctoritas socialis eiusque praerogativae sunt propter societatem; quocirca Ecclesia est per se infallibilis quatenus est finis propter quem infallibilitatis donum datum est. Si vero volunt dicere Rom. Pontificem esse infallibilem efficienter per Ecclesiam, hi ignorant prorsus qua de re loquantur totamque oeconomiam divinae institutionis pervertunt. Sicut enim generatim auctoritas Pastorum et speciatim auctoritas Petri non est in ipsis per Ecclesiam, sed e contrario est in Ecclesia per ipsos, quibus a Deo data est: ita auctoritas docendi infallibiliter non est in Rom. Pontifice, sicut nec fuit in Petro, per Ecclesiam, sed est in ipso immediate a Deo et per ipsum in Ecclesia: quod ex seq. Thesi magis patebit.

THESIS XXVI.

Ut certam conclusionem theologicam defendimus, quod, seposito magisterio Romani Pontificis, magisterium reliqui coetus etiam universi Pastorum nequit sibi vindicare praerogativam divinitus promissae infallibilitatis in docendo: unum proinde est in Ecclesia subiectum immediatum auctoritatis infallibilis.

I. Oportet punctum quaestionis declarare. Et primum certa quaedam praemittimus. Sane 1° Certum est, quod unio corporis Ecclesiae cum suo capite visibili perennis erit, quemadmodum perennis erit Ecclesia et idcirco perennis quoque erit unio Episcoporum cum Romano Pontifice, quatenus necesse est, ut unio Ecclesiae cum suo capite eiusque perennitas et catholicitas sint in tuto. Quocirca si ex Christi institutione unio Episcoporum cum Romano Pontifice obtinetur per illorum erga

ipsum subordinationem et obedientiam, certum est quod huiusmodi subordinatio et obedientia habebitur semper quatenus opus est ut ea unio exsistat.

2° Certum est auctoritatem docendi institutam esse ut actu doceat atque assistentiam infallibilitatis promissam esse exercitio eius, ita ut si unum est subiectum infallibilitatis, alii autem sunt doctores authentici quidem non tamen per se infallibiles, non satis sit ad hoc ut horum sententia sit infallibiliter certa, quod hi coniuncti sint communione cum illo, sed opus sit ut cum illo suam auctoritatem exercente coniungantur, sive hic exerceat eam explicite, sive saltem implicite.

Iam vero ad punctum quaestionis quod spectat, haec advertimus. 1° Quaestio non est utrum consensus universalis Episcoporum in aliquid credendum illudque proponentium absolute fidelibus, sit infallibilis ideoque sit motivum sufficiens adhibendi assensum fidei, etsi distincte non audiatur vox Supremi Pastoris h. e. Romani Pontificis: sed quaestio est, unde sit immediate et proxime infallibilitas huius consensus. Primum profecto non negamus, imo defendimus. Cum enim fieri non possit, ut universus Pastorum coetus secedat a suo capite: cum universi Episcopi aliquid credendum docent et quidem non conditionate, si nempe ita videbitur Romano Pontifici, sed absolute, obligantes fideles ad assensum et cum ipsi Pastorum coetui sit promissa infallibilitas, tenendum est magisterium huius coetus esse infallibiliter verum, quaecumque tandem sit causa proxima huius infallibilitatis. Quod si consensus Supremi Magistri pro infallibilitate huius magisterii postulatur, cum ille, quem diximus, consensus universalis absolutus detur et fieri nequeat, ut universus Pastorum coetus a suo capite secedat, tenendum est in eo universali consensu contineri quoque consensum Romani Pontificis, cui tanquam Pastori principi suoque confirmatori consensum suum Episcopi subordinarunt; unde etsi magisterium Romani Pontificis distincte non sit auditum, certe tamen colligitur a posteriori.

Porro si ita explicari potest auctoritas infallibilis huius consensus, perperam ex eo, quod infallibiliter verum esse constat id quod tali consensu Episcoporum firmatur, colligitur Episcoporum consensum esse per se infallibilem, seposito quoque magisterio Romani Pontificis. Restat scilicet adhuc integra alia quaestio realis: unde immediate et proxime sit infallibilitas huius consensus. Scimus quidem illud esse ex assistentia Spiritus S.; verum quia assistentiam suam Spiritus S. exhibere potest certis quibusdam praesidiis, quemadmodum universae suae Ecclesiae assistit, sed mediante magisterio: ideo quaeritur an sit aliquod medium seu praesidium, quo assistentiam suam erga Episcopos Spiritus S. exerceat.

Et sane, ut iam monuimus, nemo dubitat consensum omnium etsi tantum simplicium fidelium in aliquid tanquam revelatum esse infallibilem certumque veritatis argumentum: et nemo exinde dixerit coetum fidelium, sepositis Pastoribus, auctoritate magisterii potiri a Christo instituti; sed e contrario ope huius magisterii Pastorum evadit infallibilis consensus fidelium qui illi obediunt. In hoc proinde quod universus fidelium consensus tenet, veritas revelata certissime continetur; at non idcirco universus coetus simplicium fidelium est magister in Ecclesia. Quapropter aliud est doctrinam profiteri infallibilem, atque eiusdem esse magistrum. Quemadmodum vero fieri potest ut coetus simplicium fidelium universus teneat infallibiliter veram doctrinam, quin eiusdem sit magister, sed a magisterio Pastorum eam accipiat; ita fieri potest ut coetus Pastorum universus sit quidem magister veritatis, at infallibilis sit in docendo prout a magisterio supremi Pastoris regitur et confirmatur. Et sicut ex consensu fidei omnium fidelium colligere certo licet quid sit revelatum, quin inde deducas fideles simplices esse magistros veritatis in Ecclesia: ita fieri potest ut quamvis consensus omnium Episcoporum feratur infallibiliter in aliquid verum, tamen eius consensus infallibilitas ab unius magisterio in omnes derivaretur, illius scilicet quem Petram fidei et Confirmatorem fratrum Christus data opera constituit.

Ut quaestionem clarius solvamus, spectemus magisterium circa res nondum in Ecclesia definitas. Si enim iam res est definita in Ecclesia, vel si ea est quam explicite Apostoli tradiderunt et semper explicita professione fidei servata est in Ecclesia, est quidem in hac re infallibile magisterium universum Episcoporum, sed unde? an per se, an quia adhaeret iugiter magisterio apostolico quod certe in Cathedra Romana Apostolica iugi successione perseverat? Ut ergo clare quaestio nostra solvatur, spectandum est magisterium Episcoporum circa ea quae nondum in Ecclesia sunt definita, pro quibus magis proprie iudex controversiarum postulatur: quod autem in his valet, et in ceteris valere tenendum est; nam idem reapse est testis et iudex in rebus fidei.

Quoniam vero comparaturi sumus invicem Romanum Pontificem et reliquos Pastores, opus est prius aliquid dicere de hac comparatione. Itaque 2° advertatur quod cum comparantur invicem Romanus Pontifex et reliqui Pastores, duplex coniunctio atque seiunctio concipi potest. Prior coniunctio est coniunctio in debita communione atque subordinatione Pastorum cum Romano Pontifice: altera est coniunctio specialis in actu quodam seu exercitio potestatis. Item seiunctio prior opposita priori coniunctioni esset seiunctio totalis, quatenus alii Pastores in communione Romani Pontificis non forent: altera esset seiunctio tantum

in actu quodam, quatenus alii Pastores in communione Romani Pontificis exsistentes aliquid decernerent, aut docerent, nondum accedente consensu aut approbatione Romani Pontificis.

Ad priorem seiunctionem quod spectat, propter divinam promissionem quod portae inferi non sint praevaliturae contra Ecclesiam fundatam supra Petram, nunquam quidem eventurum est ut universus Pastorum coetus a Petro secedat; etsi possit cogitatione seiungi is a Petro et per hypothesim seiunctio ipsius supponi, ut eius coetus natura penitius investigetur. Illud vero contingere actu potest quod universus Pastorum coetus sive dispersus sive collectus, unitus communione cum Romano Pontifice, edat aliquod decretum fidei cui adhuc desit approbatio Romani Pontificis. Quod quidem accideret cum decretum ederetur circa id, de quo Romanus Pontifex sive seorsim, sive simul cum aliis doctoribus sententiam suam nondum promulgaverit Pastorumque coetus ipsum in definiendo praevertat.

Differt prior hypothesis ab altera. In priore enim concipitur totalis seiunctio, excluditur nempe omnis communio Episcoporum cum suo capite eique subordinatio eorundem: in altera vero communio et subordinatio generatim habetur; deest tamen specialis communio et subordinatio in actuali magisterio quoad illud determinatum obiectum quod definiunt, cum nondum sententia Pontificis sit prolata. Magisterii nomine, ut patet, intelligimus ipsum exercitium potestatis docendi, actum, quo doctrina proponitur. Nihil est mali in eo quod Pastores praevertant definitionem supremi Pastoris; dicimus tamen quod definitio ab iis solis vel omnibus simul lata, excluso consensu vel approbatione Romani Pontificis, non est definitio irrefragabilis, sive non est ea definitio, quae, propter assistentiam Spiritus S. promissam Ecclesiae, habenda sit ut infallibilis. Quia vero consensus Romani Pontificis duplici modo potest haberi tum expresse docendo, tum tacite, cum nempe permittit ab omnibus aliquid ut credendum proponi in iis adiunctis in quibus si quid falsum esset, certe refragaretur; hinc nunc cum consensum dicimus, ipsum sumimus utroque modo.

Advertendum vero est, nos non affirmare quidem quod ea definitio Episcoporum sit falsa, vel quod nullo in pretio sit habenda, vel quod ex quodam principio rationis probantis in certis adiunctis universalitatem consensus esse alienam ab errore, non possit esse scientifice seu theologice certum quod ab Episcopis proponitur. Verum hoc aliud est ab infallibilitate quae ex assistentia Spiritus S. dos est necessaria et nobis firmissime certa magisterii Ecclesiae. Sed negamus ipsam solam Episcoporum definitionem esse vi assistentiae divinae Ecclesiae promissae necessario infallibilem; cui proinde respondeat in fidelibus obli-

gatio credendi. Haec sententia est directe opposita doctrinae gallicanae superius recitatae.

Quaestio est igitur de infallibilitate universi coetus Pastorum a Romano Pontifice seiuncti in actu docendi secundum alteram hypothesim. Et quaestio est de magisterio circa rem nondum definitam et a Romana Sede probatam. Supponitur coniunctio omnium Episcoporum cum suo capite, supponitur proinde unitas coetus, in qua sit potestas in actu primo docendi infallibiliter universam Ecclesiam: sed simul supponitur quod in actu secundo exercitium huius potestatis fiat tantum per reliquos Episcopos, nondum docente Romano Pontifice: quaeritur utrum illud exercitium potestatis docendi, quod magisterium dicimus, sit ex divina promissione habendum infallibile, ideoque irrefragabilis auctoritatis. Quoniam hac in re definitionem fidei non habemus, quod proponimus in Thesi non proponimus ut veritatem fide credendam, sed tamquam conclusionem theologicam quam censemus ope rationis ex principiis theologicis colligendam esse; qua in re si forte erramus, arbitramur hunc nostrum laborem id saltem emolumenti allaturum, ut ad rei penitiorem indagationem doctos viros adducat. In expediendis autem difficultatibus argumenta sententiae oppositae proferentur, ut nihil desit integritati huius tractationis.

II. Sic ergo demonstrationem nostram aggredimur. Si omnis coetus Episcoporum adhaerentium Romano Pontifici, universalitate saltem morali, consentiat in aliquid, nondum Romano Pontifice sententiam suam ferente; duplex hypothesis fieri potest. Vel enim Episcopi sententiam suam ferunt non subordinantes eam sententiae Romani Pontificis, vel subordinant ita, ut ipse peremptorie rem definiat. Si subordinant, tum solum iudicant ita esse credendum, si Romano Pontifici videbitur; qua in hypothesi sententia eorum est certe reformabilis, nec est magisterium quod vel totam Ecclesiam vel aliquos fideles obliget. Si vero supponitur quod non subordinent, primo dicimus quod haec hypothesis nunquam continget, et posita Christi institutione est absurda. Esset enim hic actus schismaticus repugnans Primatui. Cum enim omnes Pastores sint oves a Christo traditae pascendae Vicario suo et hic unus sit supremus et universalis Pastor totius Ecclesiae, foret actus rebellionis contra Primatum, si vellent Pastores inferiores citra consensum Primatus peremptorie quaestionem fidei definire et obligare Ecclesiam universam aliquo actu suo. Verum secundo ut solvamus quaestionem quam prae manibus habemus, permittamus hanc hypothesim. Negamus autem in hac hypothesi eorum sententiam esse infallibilem. Ideo vero negamus; quia magisterium universi coetus Pastorum citra consensum Romani Pontificis non gaudet privilegio infallibilitatis, quod sic demonstramus.

1° Promissio infallibilitatis facta est tantum magisterio quod diximus (praenotion.) universale, illi nempe cui tota Ecclesia necessario parere debet: atqui magisterium ceterorum Episcoporum, nondum docente Romano Pontifice, licet sit actus eorum, qui suo capiti coniuncti sunt, non est tamen magisterium universale: ergo. Maior est extra dubitationem iuxta dicta in Praenotionibus: probatur minor. Magisterium universale est magisterium exigens fidem ab universa Ecclesia, est proinde actus iurisdictionis (§. 20.) in universam Ecclesiam: porro hic actus iurisdictionis debet esse a potestate suprema in universam Ecclesiam: huiusmodi autem suprema potestas non residet in universitate sive fidelium sive Episcoporum, sed in uno, ut ex demonstratis (Th. 12. ac sequentibus ac 24. F.) abunde liquet: atqui cum potestas suprema non est in universitate sed in uno, decretum ab ea universitate profectum pro tota societate citra consensum unius in illud ipsum quod decernitur non habet vim legis pro tota societate, quae ab eo uno solum tota dependet: ergo. Scilicet si potestas suprema esset in universitate Episcoporum, tunc decretum editum a maiori parte Concilii oecumenici vel universalis Episcoporum cui praesidet Romanus Pontifex, etsi ipse non consentiret, imo dissentiret, validum foret eique non secus ac alii, Romanus Pontifex subscribere deberet. At e contrario potestas suprema iurisdictionis est in uno, h. e. in Romano Pontifice; uni enim totus grex commissus est pascendus, uni tota Ecclesia tanquam petrae innititur, uni claves Regni datae plenaque potestas ligandi et solvendi, unum est principium efficiens unitatis totius atque ab hoc uno omnes nedum singillatim sed et collective dependent, ut iam demonstratum est.

Iam vero cum tale est societatis regimen, leges latae ab universitate, etiam in Concilio cui praesit supremus Princeps, vim non habent obligandi societatem, nisi accedente consensu Principis nec sine suo consensu possunt sui subditi ab aliis ligari. Ergo decreta fidei edita a coetu Episcoporum etiam in Concilio quod convocaverit Romanus Pontifex, cui ipse praesit, nondum accedente consensu eiusdem, non habent vim legis pro tota societate; non est igitur magisterium illud quod diximus universale, nequeunt proinde ea decreta sibi vindicare promissionem infallibilitatis. Et sane infallibilitas magisterii dos est plenitudinis auctoritatis in docendo; atqui plenitudo auctoritatis non est penes ceteros Episcopos etiam simul sumptos, sed penes unum Romanum Pontificem, penes quem solum est plenitudo potestatis qua Ecclesia regitur, plenitudo potestatis illius quae verbis Christi ad Petrum et ad Apostolos significatur: atqui Ecclesia regitur quoque auctoritate magisterii, et haec auctoritas significata est quoque verbis Christi: ergo.

Si vero hypothesim quis facere velit quod Romanus Pontifex facul-

tatem faciat ceteris Patribus, puta in Concilio, edendi decretum fidei, ratum ipse habiturus, absque ullo examine, quod illi decreverint: 1° haec non est hypothesis gallicana, haberetur enim consensus Pontificis auctoritativus robur addens decretis, quae sine eo non valerent: hoc autem respuunt gallicani. 2° In hac hypothesi nondum haberetur iudicium ultimum magisterii Ecclesiae: etsi enim Episcopi ceteri omnes aliquid credendum decernant, evidens est quod adhuc postulari potest dissertum iudicium Romani Pontificis, ut certo sciatur an idem ipse doceat credendumque proponat quod ceteri, ideoque potest adhuc dubitari an consensu suo Romanus Pontifex probet quod alii docent: nondum est igitur ultimum iudicium, cui omnes parere debent, prolatum; nondum igitur habetur magisterium universale. 3° Haec hypothesis est absurda; licet enim possit alteri delegari participatio potestatis, potestatis tamen plenitudo nequit a Vicario Christi in alium sive alios transmitti: porro ea requiritur ut infallibilitas habeatur, quae cum illa nexa est; quia ipsa sola legem ferre potest irreformabilem pro universa Ecclesia.

Itaque consensus Romani Pontificis requiritur ut lex credendi obliget omnem Ecclesiam; consensus, inquam, sive explicitus sive tacitus requiritur ut ultimum iudicium habeatur quo omnes obligentur: ergo sine magisterio Romani Pontificis, ceterorum magisterium non illud est cui universa Ecclesia parere debeat, seu non est universale: ergo nequit vindicare sibi promissionem infallibilitatis.

Dices: infallibilitas haberi potest citra iurisdictionem; formaliter enim istae duae praerogativae differunt. Et sane si quis miraculis doctrinam suam confirmat, infallibilis quidem est; at iurisdictione caret, qua valeat praecipere assensum. Respondeo primo quod hoc alterum perperam profertur in medium. Falsum est enim, quod hic praedicator sit infallibilis, sed infallibilis est doctrina quam praedicat, cuius rei argumentum certum est testimonium Dei miraculum patrantis. Nos autem loquimur de infallibilitate, quae dos sit magisterii sitque ratio cur teneamus id quod magister docet; ideoque eius nostra cognitio antecedat cognitionem de veritate doctrinae traditae. Quamvis vero infallibilitas magisterii possit esse seiuncta a iurisdictione obligante ad assensum; attamen modo quaestio non est quid possit esse, sed quid sit; quid nempe Christus instituerit. Iam vero certum est quod aliqua auctoritas infallibilis docendi in Ecclesia est simul auctoritas iurisdictionis (§. 20.): quaestio erit ergo an sit haec sola, an alia quoque sit quae sit sola auctoritas infallibilis docendi carens iurisdictione obligante ad assensum. Atqui ei, qui illam asserat, incumbit onus id demonstrandi: verum sive ex Christi verbis sive ex Ecclesiae sensu aut praxi haud video quomodo id effici valeat.

Nec satis in tuto ponitur unitas Ecclesiae quae est unitas subordinationis omnium membrorum uni capiti. Nam si certa est infallibilitas (si enim ut certa non defenditur, veluti nulla est habenda, quemadmodum in praenotionibus monuimus), obligaris ad credendum id quod magisterium illud docet tum lege naturae tum lege quoque positiva Dei, qui certe vult credi magisterio infallibili a se instituto ut homines doceantur fidem. Et quia magisterium hoc versatur circa fidem in qua unitas esse debet, obligaris lege Dei ad credendum id quod illud magisterium infallibile docet, ut sis Ecclesiae membrum seu catholicus. Duplex est ergo principium unitatis Ecclesiae, quorum alterum ab altero seorsim agere potest: magisterium nempe Rom. Pontificis, et magisterium ceterorum simul Episcoporum. An haec est institutio Christi? Nonne e contrario constat quod deficiente consensu Rom. Pontificis nulla est obligatio credendi sive ex lege naturae sive ex ulla lege positiva Dei? donec enim Rom. Pontifex definitiones conciliares in rebus non antea definitis confirmaverit, nunquam creditum est, obligationem haberi pro fidelibus ad credendum, ut catholici et membra Ecclesiae permaneant.

Quocirca utrumque Christus in eodem subiecto coniunxisse dicendus est, supremam nempe potestatem iurisdictionis et infallibilitatem; ne simul circa idem et obligeris ex uno motivo et liber sis ab obligatione ut oppositum tibi liceat, ex alio.

Praeterea 2° magisterium ceterorum est magisterium eorum qui, prout sunt quoque in unitate aedificii, innituntur Petrae ab eaque firmitatem mutuantur, qui prout unum collegium quoque constituunt, sunt oves Petri pascendae ab ipso, sunt fratres confirmandi in fide a Petro, patet hoc ex argumento proprio (Thh. 1. 2. 3. et 24.): porro ex his liquet magistros huiusmodi non coordinari Petro, sicut coordinantur inter se, sed ei subordinari; subordinari autem ut pascendos et discipulos confirmatione indigentes; magisterium vero eorum, qui ex Christi institutione confirmatione indigent, nequit ex eadem institutione esse ex sese firmum et peremptorium: magisterium autem non firmum et peremptorium haud est illud, cui tota Ecclesia parere debet nec est infallibile: ergo.

Idem quoque 3° constat continua Ecclesiae praxi, qua, ut dicebamus, postulata est semper confirmatio Conciliorum oecumenicorum a Romano Pontifice, ut haberentur eorum decreta tanquam norma infallibilis fidei. Id quidem iam probavimus in praeced. Th. Ex quo id consequitur: ergo iudicium sive sententia Pontificis postulatur, ante iudicium Pontificis quaestiones fidei finitae non sunt: iudicium scilicet ceterorum solum non est irrefragabile; eorum igitur magisterium seor-

sim sumptum nondum obligat Ecclesiam ad fidem: seu non est magisterium universale; non ergo vindicare sibi potest promissionem divinitus factam infallibilitatis.

Iam vero haec est ratio cur dicamus hanc doctrinam, quam defendimus, esse antiquam. Nam quid sibi vult sententiam omnium Episcoporum in Concilio oecumenico indigere confirmatione Papae ut valeat? an putabimus confirmationem Papae eo redire ut sit quaedam authentica testificatio quod concilium legitime peractum fuerit? Haec fuit quidem opinio Gallicanorum, quam Bossuet l. c. defendit; sed quis dixerit veteres fuisse gallicanos? An censebimus, eo confirmationem postulatam redire, ut per eam obligatio quidem imponatur fidelibus credendi id quod magisterium iam tamen infallibile docuerat? At primo haec distinctio quod in Ecclesia aliud sit magisterium infallibile et habens vim obligandi, aliud sit magisterium infallibile quidem, sed carens per se vi obligandi, nescio quomodo proferri possit ab iis qui nostram sententiam accusare velint novitatis; quos enim testes dabunt huius distinctionis? Praeterea haec distinctio nequit cum certa veterum doctrina componi. Nam certum fuit, licere etiam in materia fidei a sententia totius Synodi appellare ad sententiam Romani Pontificis, sicut certum fuit quaestiones fidei eiusdem sententia finiendas esse. An putabimus, appellari posse a sententia infallibili idque veteres censuisse? Nemo non videt incommoda huius opinionis, quemadmodum et paulo ante iam monuimus. Quid ergo restat? Si veteres consulamus docebunt nos unanimiter, confirmationem Papae eum actum esse qui vim, robur, firmitatem conferat decretis conciliorum, ita ut sine ista confirmatione decreta huiusmodi sive in materia fidei aut morum sive in materia disciplinae careant intrinsece vi robore seu efficacia ad gignendam certitudinem fidei obligationemque pariendam. Huiusque sententiae demonstratio petebatur ex praerogativis Petri, quod nempe sit Petra Ecclesiae Petraque fidei pro omnibus etiam Episcopis etiam simul sumptis simulque agentibus, quod sit fratrum Confirmator, sit omnium agnorum et ovium Pastor. Atqui haec aliis verbis est ipsa sententia quam defendimus. Decretum enim fidei quod ex Christi institutione impar est adhuc ad gignendam certitudinem requisitam ut aliquid ceu revelatum fide divina credatur, non est per se ex eadem institutione infallibile.

Haec autem est sententia s. Thomae. Sane in qq. *De potentia* q. 10. a. 4° ad 13^{m} docet quod R. P. potest interpretari symbola fidei prius edita iisque addere aliqua ad fidei declarationem idque potest auctoritate sua. Ratio est, quia eius sola auctoritate potest congregari synodus oecumenica et ab eo sententia synodi confirmatur et ad ipsum a

synodo appellatur: quae omnia patent ex gestis Chalcedonensis synodi. Cum ergo in synodo editio symboli facta sit, idem potest sua auctoritate R. P. Haec s. Thomas. Iam vero si spectes id quod affirmatur et demonstrationem eius, habes 1° auctoritatem, quae propria est Romani Pontificis non communis aliis (auctoritate sua), eam nempe quae confirmat sententias latas ab Episcopis in synodis et ad quam a synodis appellari potest, hanc inquam auctoritatem esse infallibilem; talis enim est quae fidei symbola edit aut interpretatur aut eis aliquid ad fidei declarationem addit pro universa Ecclesia: habes 2° concilia oecumenica indigere confirmatione Romani Pontificis, quae robur et vim conferat decretis; talis est enim confirmatio illius ad quem a sententia synodi appellari potest: habes 3° sententiam synodi citra confirmationem vel antecedentem vel consequentem h. e. citra magisterium Romani Pontificis, non esse sententiam magisterii supremi nec sibi vindicare posse praerogativam infallibilitatis: huiusmodi enim non est ea sententia a qua appellare licet et quae proinde emendari potest. Porro Thomam loqui etiam de appellatione a sententia synodi in rebus fidei patet, tum quia universaliter loquitur, tum quia directe disserit de auctoritate in rebus fidei. Porro quid ex his consequitur nisi quod nos defendimus?

Idem s. Doctor docet in Summa 2ª 2ae q. 1. a. 10. in quo quaerit, an pertineat ad Summum Pontificem fidei symbolum ordinare atque affirmative respondet. Affirmat scilicet quod pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis determinare ea quae sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Ratio prima desumitur ex verbis Domini ad Petrum Luc. XXII. 25. Altera ratio est quia in Ecclesia debet esse una fides: id vero servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Tertia ratio, quae primo quidem loco ponitur in arg. *Sed contra*, haec est: quia editio symboli facta est in synodo generali: haec vero auctoritate solius Romani Pontificis congregari potest; ergo ad auctoritatem eius pertinet editio symboli.

Iam vero secunda ratio consideretur allata a s. Thoma. Unitas, ait, fidei postulat ut quaestiones fidei definiantur ea auctoritate quae praeest toti Ecclesiae, haec porro sententia exclusive est accipienda, nempe ut solum per eam definiantur quaestiones: hunc enim sensum exclusivum flagitat ipse scopus intentus nimirum unitas fidei in tota Ecclesia, quae unum non duplex principium requirit; iuxta s. Thomam enim principium unitatis est unum: ergo quaestiones fidei solum definiri possunt per eam auctoritatem quae praeest toti Ecclesiae; atqui haec non est nisi auctoritas Primatus: igitur ceteri Episcopi vel simul sumpti ne-

queunt quaestiones fidei finire. Atqui non est infallibilis ea auctoritas quae nequit finire fidei quaestiones: ergo. In argumento *Sed contra* cum ait s. Thomas auctoritate solius Romani Pontificis congregari posse synodum generalem, ea auctoritas intelligenda est quae, ut audivimus ex testimonio antea citato, confirmat synodos et ad quam a synodorum sententia appellari potest. Hoc posito manifestum est, ideo affirmari a s. Thoma quod ad auctoritatem Romani Pontificis spectet editio symboli eo quod synodi in quibus est editum symbolum auctoritate sola ipsius congregari potuerunt; quia auctoritas sola Episcoporum sufficiens ad id non est utpote adhuc confirmatione indigens et reformabilis: ergo.

Hanc autem doctrinam nonne iam tradiderat Irenaeus loco celebri plus vice simplici recitato? Quid enim sibi vult cum ait: in Ecclesia Romana servatam esse ab omnibus fidelibus, qui undique sunt, apostolicam traditionem, nisi per Romanam Ecclesiam, eius scilicet magisterium, servari ab omnibus, qui ad eam conveniunt, h. e. ipsi subordinantur, veram fidem? Cum vero ait necesse esse, omnes undique fideles ad hanc Ecclesiam convenire, in qua ab omnibus servata est apostolica traditio, quid aliud docet, quam quod Romana Ecclesia seu Sedes per se, aliae Ecclesiae per ipsam retinent veram fidem, nempe infallibiles sunt in fide? Porro in ceteris Ecclesiis sive in universis fidelibus Episcopi quoque significantur, sicut significatur Episcopus Romanus cum dicitur Ecclesia Romana: ergo.

Et sane si vera est doctrina quam Th. 14. cum s. Thoma et primoribus scholasticis defendimus, iurisdictionem scilicet ordinariam Episcoporum derivari veluti a fonte a Rom. Pontifice; quoniam infallibilitas dos est auctoritatis docendi, qui fieri potest ut ipsis vel simul sumptis insit per se infallibilitas, cum iisdem non insit nisi auctoritas docendi participata et dependens a Rom. Pontifice, deficiens a plenitudine propria Primatus?

Corollarium. Ergo recipi nequit conclusio Toleti (2. p. q. 1. a 10. Controversia 7. Concl. 5. p. 63.) quae sic se habet: « Concilium generale, in quo omnes Patres consentiunt cum legatis huiusmodi (h. e. - qui non dicunt iuxta informationem Pontificis, quia eam non acceperunt - ex conclus. praeced.) etiam sine immediata Pontificis confirmatione, non potest errare », nimirum eius magisterium irrefragabile habendum est et infallibile. Falsitas huius sententiae, quam Parisiensibus Doctoribus tribuit et post eos defendit Toletus, at solum veluti probabiliorem (qui fieri ergo potest ut modo dicatur fuisse sententia communis?) ex dictis manifesta est. Etsi enim Romanus Pontifex per suos legatos vel per se ipsum praesit, si tamen ipse sententiam suam non tulerit,

adhuc, ut vidimus, non habetur magisterium universale, cui Ecclesia fidem adhibere tenetur. Legati autem non habentes instructionem non repraesentant *quoad magisterium* eum a quo mittuntur.

Neque Toleti argumenta illam suadent. Argumenta sunt 1° quia tale concilium totam repraesentat Ecclesiam: tota autem Ecclesia errare nequit: 2° quia tale Concilium est in Spiritu S. congregatum; quum vero a Spiritu S. dirigatur, errare nequit: 3° Iulius, d. 17. can. *Regula*, improbans Synodum quandam ait: « Neque enim est ex orthodoxis Episcopis congregatum, nec ullus Romanae ecclesiae interfuit legatus »; unde colligitur: si ergo Episcopi orthodoxi fuissent, et legatus interfuisset, auctoritatem haberet, et errare non posset. 4° Sixtus IV. in Bulla approbationis Concilii Complutensis dicit: « quamvis ea quae de nostro mandato rite fiunt, plenam habeant roboris firmitatem, interdum tamen robur adiicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint praesidio communita ». 5° Quia Papa non potest aliud dicere quam totum Concilium Patrum iudicat; non enim Papa habet Spiritus S. assistentiam, nisi facta diligentia et scrutinio Scripturarum; si ergo esset minus doctus, profecto non posset aliter iudicare. Imo ipse Turrecremeta l. 3. c. 64. dicit quod si Papa aliter diceret quam totum Concilium, magis standum esset Concilio, quia maioris est auctoritatis in discussione, licet non quantum ad iudicandum. 6° Papa potest esse haereticus, saltem secundum opinionem Caietani et Turrecremata et communem. Demus ergo quod habeat aliquam opinionem de qua sit dubium, an error seu haeresis sit. Regula discernendi erit Concilium ipsius voluntate convocatum. Si ergo hoc errare potest, profecto non exstat regula discernendi hoc dubium. 7° Quia Patres in Concilio statim ac unanimes sunt, solent dogmata fidei publicare et fulminare anathema: ergo habent iam infallibilitatem.

Itaque ad 1^m^ respondemus, Concilium illud quidem, prout in eo spectantur omnia Ecclesiae praecipua membra cum suo capite, repraesentare totam Ecclesiam eiusque magisterium, sed in actu primo, cui competit potestas definiendi infallibiliter: in actu autem secundo magisterium haberi, cum Patres loquuntur et docent ac infallibile actu esse illud magisterium quod possit dici magisterium huius corporis repraesentantis totam Ecclesiam: ut autem actu magisterium huius corporis docentis habeatur, necesse esse ut caput ipsum loquatur quod est pars essentialis huius corporis, sine quo Ecclesiam repraesentari repugnat: ergo non docente Romano Pontifice nondum habetur actu magisterium illud cui competit infallibilitas.

Ad 2^m^ pariter respondemus, directionem Spiritus S. multiplicem distingui posse, *communem* nempe, qua et ceterae fidelium actiones diri-

guntur; *specialem* ratione materiae, quae in speciali suo officio doctores authenticos regit, quaeque apparet etiam in tot Synodis provincialibus in Domino congregatis, quae non necessario aut semper excludit errorem, sed ordinat semper eos magistros ad debitam subiectionem magisterio supremo: *specialissimum*, quae supremum Ecclesiae magisterium regit necessario ex divina institutione ita ut nunquam ei error sit possibilis. Haec vero, propter quam solam certi efficimur et ad credendum obligamur vera esse quae proponuntur, non est certe promissa nisi magisterio, quod a Romano Pontifice quoque procedat, h. e. magisterio universali; unde Romani Pontificis sententia deficiente, nondum constat, an ea assistentia exstiterit.

Ad 3m dicimus 1° decretum illud desumptum esse ab epistola quadam apocrypha Iulii ad Orientales: 2° agi de synodo, in qua per se non doctrina fidei sed depositio Athanasii acta fuerat, ad quam auctoritas Rom. Pontificis requirebatur: 3° ea quae afferuntur a Iulio satis quidem fuisse ad probandum Concilium illud fuisse illegitimum; mentionem autem specialem legatorum facere, quia Conciliis in aliena provincia Romanus Pontifex non per se, sed per suos legatos praesidebat, quibus et solebat instructionem dare: sed consequentiam Toleti non valere; plus enim requiritur ad bonum, quam sufficiat ad malum: bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

Ad 4m dicimus quod Sixtus IV. in Bulla *Licet eo*, qua confirmat sententiam latam in Conventu Theologorum contra Petrum de Osma (vide Card. D'Aguirre Collectio Concilii. Hispaniae tom. 3. ad ann. 1479.), testatur se venerabili Fratri Alphonso Archiepiscopo Toletano per alias suas litteras commisisse ut assumptis secum aliquibus in Theologia magistris, quae in propositionibus Petri De Osma circa peccatorum confessionem et ecclesiastica sacramenta (quorum superius idem Sixtus mentionem facit) falsa, haeretica exsisterent, auctoritate Apostolicae Sedis declararet et decideret. Testatur deinceps, praefatum Archiepiscopum ad exsecutionem dictarum litterarum, earum forma rite servata, processisse. Porro ex huiusmodi narratione colligere licet et iam delatas fuisse eas propositiones ad Apostolicam Sedem atque hanc iam suam sententiam circa eas aperuisse; quae praeterea praecipua ex parte iam in Concilio Constantiensi fuerant damnatae et in decreto Eugenii IV. pro Armenis. His positis liquet sensus verborum Sixti IV., quae affert Toletus. Secus dicendum foret, conventum aliquem non Episcoporum sed theologorum, cuiusmodi ille fuit, ex eo tantum quod de mandato Papae ad aliquid cognoscendum colligitur, gaudere infallibilitate in iudicio ferendo, quod nemo hactenus somniavit.

Ad 5^m Haec advertimus: *a)* licet debeat Romanus Pontifex diligentem rei inquisitionem facere, non est tamen necesse ut per Episcopos eam faciat: sed per se ipsum, aut theologos aut consiliarios suos facere potest: (Nunc convocatis oecumenicis Conciliis, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, *nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis.* Conc. Vat. sess. 4. c. 4.): *b)* certitudinem sententiae Pontificis non ab hominis ingenio aut diligentia humani studii pendere, sed ab assistentia Spiritus S. qui assistit immediate Pontifici ne erret, dum actu potestatem docendi exercet. *Immediate*, inquam, assistit ei Spiritus S. et ita assistit, ut ipse Pontifex per se intelligat verum esse quod definit. Huc enim spectat assistentia propria illius qui est Petra et Confirmator Fratrum, ut ipse certissima fide apprehendat quod aliis credendum proponere debet: quemadmodum apprehendit Petrus cum dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi: « Ea tenenda definiverunt (Romani Pontifices), quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea *Deo adiutore cognoverant* ». C. 5. l. c. *c)* Hinc nihil referre quod sit minus doctus. Et sane si argumentum Toleti valeret, probaret quoque congregationes theologorum in conciliis, si unanimiter aliquid consulant, esse infallibiles; quia eodem modo dici potest, quod Episcopi et ipsi universi non habent assistentiam Dei nisi facta diligenti inquisitione; ideoque si sunt minus docti quam theologi, non possunt aliter iudicare. Itaque quoad illud, quod primo loco dicitur, teneri Papam sequi sententiam Concilii, respondemus 1° ipsum non teneri quoad exercitium actus; potest enim non praebere assensum; quo negato nondum habetur definitio conciliaris; ex eo autem quod id possit, colligitur sane magisterium totius concilii nondum esse supremum nondumque dogma ab eo statutum esse de fide: 2° quoad specificationem actus vero, *distinguimus;* tenetur Pontifex eam sententiam sequi veluti sententiam eorum qui auctoritatem in ipsum habeant, vel auctoritatem per se infallibilem, *negamus:* veluti directivam iudicii sui, *subdistinguimus;* si ipse Romanus Pontifex per se cognoscat ex assistentia Dei et iudicet esse veram, *concedimus*, secus, *negamus.* Tenetur autem quicumque alius Episcopus, confirmata sententia Concilii a Romano Pontifice, illi adhaerere, etsi forte non intelligat veritatem rei. Turrecremata autem l. c. dicit « quod quando controversia in materia fidei orta esset inter Papam et Patres Concilii, licet universitas Patrum sequenda esset utpote iudicio discretionis praeeminentior et superior, nihilominus nihil videretur conciliariter concludendum quousque concorditer Papa et Patres in unam simul convenirent sententiam ». Scilicet cum Romanus Pontifex nondum definit ut Ecclesiae

Doctor, eius privata sententia, comparata cum sententia ceterorum opposita, potest theologice minus haberi.

Ad 6^{m} dicimus quod regula discernendi an opinio Papae sit vera est ipsum magisterium sollemne Papae; certum est enim in omni sententia quod cum confirmat Concilium errare nequit: quod si Papa auctoritate sua docendi non utatur, non poterit quidem certitudine fidei sciri an ea opinio sit vera vel falsa, quamvis theologice de ea sicut de aliis sententia ferri posset: sed in eo nihil est incommodi; perinde erit ac si concilium de aliqua opinione sententiam definitivam ferre noluerit.

Ad 7^{m} respondet Bellarminus (*de Conciliis* l. 2. c. 11.) in hypothesi quod nova definitio fiat et Pontifex sententiam suam nondum aperuerit, concilia quidem dicere anathema, sed intelligere illud vim habiturum si fuerit a Pontifice confirmatum: sicut quando iudex, a quo appellari potest, fert sententiam mortis in aliquem, intelligitur, illum debere mori nisi princeps sententiam retractet. Quod de anathemate dicitur, et de promulgatione decretorum intelligendum est. Habet scilicet semper in his casibus locum ea subordinatio de qua ab initio locuti sumus.

Ergo citra magisterium Romani Pontificis nullum est in Ecclesia magisterium peremptorium quod sibi vindicari possit promissionem divinitus factam infallibilitatis et fidem a fidelibus exigere.

Dices: ergo ne contingere poterit, quod tota Ecclesia excepto Romano Pontifice erret? Respondeo quod, si omnes Episcopi vellent seorsim a Romano Pontifice docere, errare possent: non enim iis seorsim a Romano Pontifice promissa est infallibilitas. Verum quemadmodum Deus non vult Ecclesiam omnem errare, ita nunquam permittet, ut universus Pastorum coetus in docendo secedat a magisterio Romani Pontificis eiusque magisterio se non subordinet; nam Primatus fidei Petri est praesidium unitatis et stabilitatis fidei a Christo pro Ecclesia sua institutum. Ceterum, vel supponitur Episcopos docere oppositum eius quod iam in Ecclesia consentiente Apostolica Sede definitum est et Deus id quoad universum Pastorum gregem non permittet, sicut dictum est: vel supponitur, eos sententiam ferre in aliqua re nondum definita et in hac hypothesi 1^{0} Deus non permittet, ut totus coetus Episcoporum animo schismatico velit aliquid definire etiam citra consensum Papae, sed id efficiet, ut conditionate tantum determinet, si nempe Papa consenserit: qua in re 2^{0} etsi errarent, nullum Ecclesiae periculum immineret, cum ipsa ad credendum non obligaretur et sententia Episcoporum esset reformabilis a Papa.

Difficultas petita ex infallibilitate Traditionis, cuius testes sunt Episcopi, expedietur in Th. seq.

III. Subiectum immediatum infallibilitatis illud dicimus cui per se non per aliud seu non mediante alio, assistit Spiritus S. ne erret. Quia vero medium non est sola conditio, sed aliquid efficiens, hinc cum dicimus subiectum infallibile non mediante alio, excludimus non puram conditionem aliquam, sed exercitium activitatis alterius, quo Spiritus S. assistit docenti. Quare duplex huiusmodi subiectum auctoritatis infallibilis haberetur, si et Papa solus esset ex se infallibilis, et coetus quoque Pastorum, etsi unitus Papae esse debeat, sine Papa tamen docente aut confirmante, esset quoque infallibilis. E contrario si Papa solus ex se est infallibilis et coetus Pastorum non nisi cum Papa et per Papam docentem aut confirmantem est infallibilis, unum est subiectum immediatum infallibilitatis. Ratio horum est quia in hac hypothesi non duo sunt quae habeant infallibilitatem per se et non per aliud, quod requiritur ad rationem subiecti immediati, sed est unum, ratione cuius et alii eam participant.

Atqui ex Th. 24., constat, quod Romanus quidem Pontifex ex se solo est infallibilis; ex iam dictis autem in hac Thesi constat magisterium universi coetus Pastorum, seposito magisterio Romani Pontificis, non esse infallibile: ergo non duplex est subiectum immediatum infallibilitatis, sed unum. Unus est scilicet Romanus Pontifex qui per se habet infallibilitatis praerogativam. Quare cum ceteris quoque Episcopis docentibus simul cum Romano Pontifice infallibilitas competat, est enim eorum sententia infallibilis: huiusmodi infallibilitas nequit esse nisi participata et mediata, derivata nempe in eos a Petro, cum quo sociantur et cuius doctrinam sequuntur.

Dices: nonne semper creditum est, universum Pastorum coetum seu ipsorum consensum esse infallibilem? Respondeo: ita creditum est, ut simul quoque creditum sit (quod quidam videntur in hac quaestione oblivisci) concilia oecumenica non confirmata a Romano Pontifice errare posse: h. e. eorum decreta reformabilia esse neque proinde esse ea, quibus obedientia fidei ab omnibus debetur. Porro quod de Episcopis in Synodum adunatis dicitur, id de iisdem quoque dispersis dici debet: neque enim in Synodum coacti minus valent quam in suis singuli manentes sedibus. Haec autem duo si componantur, nimirum consensum Pastorum infallibilem esse et concilia oecumenica non confirmata a Pontifice non habere firmitatem, liquebit id unum creditum semper esse, quod scilicet consensus Pastorum conspirantium cum Romano Pontifice et eo quod cum ipso conspirant, infallibilis sit. Hoc vero non multiplicat subiecta immediata infallibilitatis.

Dices rursus, definitum esse tantum quod Romanus Pontifex infallibilis sit cum definit; quando igitur ipse definitionem non edit et exsistit

tamen consensus Episcoporum in aliquid credendum, in quod quidem ipse Romanus Pontifex consentit, quin tamen definiat (nam docere potest etiam citra definitionem), nondum haberetur certitudo infallibilis veritatis, quod maxime inconveniens videtur; nam non pauca sunt quae vi illius consensus creduntur in Ecclesia.

Respondeo. Adverto 1° nos conclusionem nostram non demonstrare ex verbis definitionis vaticanae, sed ex verbis Christi et institutione Primatus, eamque nos defendere non ut veritatem de fide credendam sed ut conclusionem theologicam. Adverto 2° quod iuxta ipsam definitionem vaticanam infallibilitas Pontificis est eadem (saltem specie) ac infallibilitas Ecclesiae; infallibilitas vero Ecclesiae non solum habetur cum ipsa sollemniter aliquid definit, sed competit etiam ordinario et universali magisterio Ecclesiae, ut in sess. 3ª eiusdem Concilii statutum est. His positis dicimus, consensum illum Pontificis ea in hypothesi esse reapse actum confirmatoris fratrum qui tribuit vim et robur magisterio ordinario, quemadmodum definitio eius vim et robur tribuit decretis conciliaribus.

Nonne, inquies, Apostolis omnibus eorumque successoribus promissus est *Spiritus veritatis* (Ioan. XVI, 13.) dictumque est a Christo (Matth. XXIV. 20.) *ecce ego vobiscum* (docentibus) *sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi?* Respondeo promissionem hanc factam esse *unitati*, h. e. apostolis eorumque successoribus unitis; hi autem non uniuntur seu revocantur ad unitatem nisi per Petrum; facta est ergo promissio consensui conspirantium cum Petro. Quaestio autem restat quomodo Petrus consulere debeat eorum unitati et quaenam efficacia ipsi competat erga hunc consensum. Id porro discimus ex aliis Christi verbis, iis nempe quibus Petrus, eiusque quilibet successor et Petra fidei Ecclesiae et Confirmator fratrum et Pastor ovium constituitur.

Et sane non video, quomodo tuto liceat ex his testimoniis Scripturae inferre hanc Episcoporum infallibilitatem. Nonne pariter sicut omnibus Apostolis simul sumptis promissa est infallibilitas, promissa quoque est et collata iurisdictio? Ergone decretum disciplinare editum ab omnibus Episcopis citra consensum Pontificis vim haberet obligandi Ecclesiam? non puto, salva auctoritate Primatus. Igitur quaenam est necessitas, ut cum de magisterio agitur verba Christi dicta ad omnes Apostolos ita accipiantur ut valeant pro successoribus Apostolorum etiam independenter ab exercitio auctoritatis successoris Petri?

Nonne, instabis, Spiritus S. ex aequo assistit omnibus cohaerentibus in unitate, eaque assistentia, qua consensus ipsorum redditur immunis ab errore? Porro si haec immunitas referenda est immediate in Spi-

ritum S. eis assistentem, consensus ipse Pastorum etiam citra magisterium Petri erit infallibilis.

Respondeo. Distinximus superius assistentiam duplicem specialem et specialissimam. Ea est qua Spiritus S. ita regit magisterium inferiorum doctorum, ut subordinetur magisterio supremo illudque ii velint docere quod eidem conforme sit et sic consensus eorum exsistat cum Romano Pontifice docente. Altera est, cuius terminus necessarius est infallibilitas immediata docentis, cui Spiritus S. assistit. Iam vero si assistentia haec specialissima competeret non solum Romano Pontifici *sed ex aequo* ceteris Pastoribus eius communione fruentibus, ita ut per illam immediate eorum consensus immunis servaretur ab errore, dicendum esset consensum Pastorum etiam sine magisterio Romano esse infallibilem supremamque normam credendi. Verum non ita res est concipienda. Assistentia quidem Spiritus S. se porrigit immediate ad omnes, sed assistentia specialissima attingit immediate Romanum Pontificem, assistentia specialis immediate ceteros, eosdemque mediate assistentia specialissima. Illi enim soli competit immediate assistentia ea, cuius necessarius terminus est infallibilitas docentis, quo non docente nullum est magisterium infallibile, quo vel solo docente exsistit magisterium infallibile. Ergo soli Romano Pontifici huiusmodi assistentia immediate competit.

Huc porro redit sententia catholica: concilia oecumenica, non confirmata a Romano Pontifice, errare posse; confirmata vero non posse. Si enim ita res se habet, necesse est dicere, magisterium totius concilii, deficiente magisterio Romani Pontificis, non frui saltem immediate assistentia ea specialissima, eadem vero frui immediate solum magisterium Romani Pontificis, quo accedente, sententia ab eo probata infallibilis habetur. Quare assistentia, qua immediate regitur Pastorum ceterorum coetus, ea est, quae eorum convenit conditioni, quatenus nimirum sunt inferiores doctores, illa scilicet assistentia, quam diximus specialem. Mediate vero propter consensum cum doctrina infallibilis magistri, sicut sententia Romani Pontificis evadit sententia una totius coetus, ita et infallibilitas propria illius sententiae universo consensui participatur: « Magnum et mirabile (ait Leo Serm. IV.) huic viro (Petro) consortium Potentiae suae tribuit divina dignatio et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, *nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit*... In Petro ergo omnium fortitudo munitur et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, *ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur* ».

Itaque ut dicta in summam contrahamus, doctrina haec redit 1° ad ea quae ex analysi testimonii Scripturae collegimus. Id enim postulat

a) ratio Petrae, coetus enim universus Pastorum spectat ad aedificium: hoc porro non est ex sese firmum, sed firmum fit per Petram: Petra autem Ecclesiae firmam facit Ecclesiam sibi innixam ἐνεργητικῶς; Petra est enim ratione auctoritatis, quae activa est et ad agendum ordinata: firmitas ergo Ecclesiae ab auctoritate Petri se exercente dependet. Cum igitur Petrus sit Petra fidei et firmitas fidei sit infallibilitas, haec immediate reperitur in Petra docente, quae firma ex sese est eaque sola: mediate in aedificio ideoque in coetu ceterorum Pastorum, qui ad aedificium spectant. Id postulat *b) dignitas Confirmatoris*. Si enim fides non solum singulorum sed et coetus totius fratrum confirmatione indiget, non est ex se firma ideoque infallibilis; firma vero et infallibilis ex sese est fides confirmatoris. Id *c)* postulat *dignitas Pastoris universalis*, erga quem ceteri etiam Episcopi simul quoque sumpti sunt oves pascendae. Qui enim doctrina pascendus est, ipse per se errare potest et eatenus infallibilitas ei promittitur, quatenus Pastorem suum sequitur. Ergo subiectum infallibilitatis non est duplex, sed unum, a quo ceteris quoque ea communicatur.

Aliis verbis: si id neges, oportet ut neges quoque vim argumentationis qua ex his testimoniis demonstratur Primatus Papae, vel alium conceptum tibi effingas Primatus eiusdem. Cuiusmodi est enim iste Confirmator fratrum, si fratres sint firmi citra exercitium muneris confirmatoris? et quodnam est hoc exercitium nisi magisterium? nonne τὸ confirmare sonat activitatem et actum? Idem dicas de pastore. Pastor est ille qui pascit, cuius ductum oves sequuntur et si doctrina quoque pascere debet, pastor est cuius actuale magisterium oves audire atque sequi debent. Nonne et Episcopi simul sumpti sunt oves Petri? ac qua ratione sequi tenetur ductum Pastoris ille, qui quin Pastorem audiat est infallibilis? Idem valet in Petra. Petrus est Petra Ecclesiae et Petra fidei Ecclesiae, at non Petra iners, sed efficax, Petra est enim propter auctoritatem, auctoritatem scilicet clavium, quae actuosa est et propter actum data est. Cum ergo Primatus potestas data sit propter actum, et in ipso actu sive exercitio eiusdem salva debeat esse dignitas Primatus; oportet ut qui oves sunt, cum docent aut pascunt, a magisterio illius dependeant qui est eorum Pastor, Confirmator, Petra.

Id 2° tenendum est si vere nolumus esse gallicani. Doctrina enim gallicana, ut iam ab initio huius quaestionis monuimus, non in eo est tantum quod negat Papae infallibilitatem, imo id est consequens alterius sententiae capitalis, quod nimirum suprema auctoritas Ecclesiae sit per se penes universitatem coetus Pastorum, coetus non quidem seiuncti a Romano Pontifice sed ei adhaerentis; ex qua consequitur quod in synodis oecumenicis, quas utique R. P. convocare et quibus praesidere debet,

auctoritas suprema sit penes universitatem et idcirco sint ferendae sententiae ex pluralitate suffragiorum: quibus sententiis subesse debet ipse Pontifex, licet suffragio suo eas antea non firmaverit: quia vero infallibilis magisterii praerogativa non est nisi penes supremam auctoritatem, et haec non est duplex in Ecclesia, sed una; hinc tandem consequitur quod tantum universitas Pastorum una legitime cohaerentium, non solus primus Pastor sit infallibilis. Iam vero ex his tribus principiis, primo: suprema auctoritas est penes universitatem coetus Pastorum; altero: soli supremae auctoritati competit magisterii infallibilis praerogativa; tertio: una est suprema auctoritas in Ecclesia; duo posteriora certa sunt: ut igitur illa consequentia negetur, oportet negare primum, atque ita negare ut utrumque ex posterioribus sit in tuto. Id porro fieri nequit, nisi asseras penes Pontificem esse per se infallibilis magisterii praerogativam, penes ceteros per illum: secus enim vel duas ponis in Ecclesia supremas auctoritates, vel infallibilis magisterii praerogativam alteri asseris quam supremae auctoritati.

Obiicere tamen licet ex infallibilitate propria singulorum Apostolorum hoc pacto contra hoc argumentum. Potuit simul cum magisterio proprio Petri consistere infallibilitas aliorum, h. e. vigente Primatu Petri potuit multiplex esse subiectum infallibilitatis; ergo oeconomia a Christo instituta circa Primatum Petri non prohibet quominus cum Romano Pontifice infallibili sint alii quoque ex se infallibiles; sive ex praerogativa Petrae, Pastoris universalis, Confirmatoris nequit concludi solum Romanum Pontificem esse ex se infallibilem.

Pro responsione adverte 1° quod natura et vis Primatus Petri colligenda est ex verbis Christi acceptis in suo proprio sensu ac adaequato. Adverte 2° quod si infallibilitas singulorum Apostolorum, sicut et eorum iurisdictio, fuit extraordinaria, desitura, cum ipsis, rite intelligitur institutio Primatus plena et perfecta, qualis a Christi verbis exhibetur; huic enim institutioni, quae per se est universalis, h. e. pro omnibus et perpetua, non officit quod per extraordinarium privilegium aliquo brevi tempore aliqui exsistant qui non indigeant iis omnibus praesidiis, pro quibus conferendis institutus est Primatus. Nam forma regiminis propria societatis est ea quae est ordinaria; haec autem continetur ea potestate sociali quae ordinaria est non extraordinaria: si ergo sola auctoritas apostolica Petri ordinaria fuit, etiam aetate apostolica exsistit eadem forma regiminis Ecclesiae, quae post illam aetatem, idemque Primatus Petri. At si 3° eae praerogativae Apostolorum singulorum fuissent ordinariae et sic futurae fuissent perpetuae, tum profecto alia censenda est futura fuisse forma regiminis Ecclesiae ac nunc est et semper exstitit; in ea enim hypothesi reapse auctoritas suprema fuisset divisa

in plures, nec unum esset caput Ecclesiae, sed plura forent capita. Idcirco in tali hypothesi Primatus a Christo institutus evasisset secundum suam plenitudinem in Petro suisque successoribus inutilis imo impossibilis. Neque enim tunc fuisset aut potuisset esse opus pro *omnibus* ovibus illa confirmatione aut firmitate fidei profecta a Petro quam verba Christi in suo proprio sensu et adaequato accepta prae se ferunt. Quocirca 4° colligimus etiam ex institutione Primatus, quod ea privilegia Apostolica non nisi temporaria esse debebant.

Itaque ad argumentum *distinguimus* antecedens: viguit Primatus Petri simul cum illis praerogativis Apostolicis extraordinariis, *conc.*, viguisset et vigeret si fuissent ordinariae et perpetuae, *subd.:* ex aliqua parte, *trans.*, secundum suam plenitudinem, quam Christi verba exigunt, *neg.*

Idem tandem, si penitius inspiciantur, postulant argumenta ex universa traditione petita. Cur enim causae fidei deferendae sunt ad Sedem Apostolicam suoque debent iudicio definiri? Si in unitate coetus Pastorum communicantium cum Romano Pontifice, etiam citra eius magisterium, haberi posset consensus infallibilis, perperam ea necessitas assereretur; quod enim necessarium est hoc unum est, ut scilicet sententia infallibilis intercedat ad finiendas lites. Ergo omnis infallibilitas totius coetus derivari dicenda est ei a Pontifice, quatenus sententia eius ex se infallibilis evadit communis universo coetui. Item cur Romani Pontifices praescripserunt Synodis oecumenicis regulam fidei iusseruntque secundum eam iudicari professique sunt Patres universi velle se sequi et debere Apostolicae Sedis doctrinam ne a veritate deviarent? Id enim perinde est ac dicere infallibilitatem non esse per se in universitate coetus, sed esse per se in Capite et ab eo derivari in membra cohaerentia sibi.

In promptu est quaedam singularis difficultas. Ex Bulla Martini V.: « *Inter cunctas* constat, *credendum esse quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor b. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei* ». Est ergo veritas credenda tanquam factum dogmaticum, quod hic et hic canonice electus sit successor Petri in Primatu. Id porro credendum est statim ac electio canonica innotescit: « Ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur qui a duabus partibus (Cardinalium) electus fuerit » c. 6. *De electione et electi potestate.* Iam vero quis id credendum infallibiliter proponit? Non quidem Pontifex electus; nam ei credendum non est, nisi constet ipsum esse successorem Petri: dicendum est ergo id ab Episcopis proponi; ideoque in hoc saltem doctores esse infallibiles ex se sine magisterio Romani Pontificis.

Antequam respondeo, adverto credendum quidem esse, quod hic canonice electus sit successor Petri obtinens Primatum in universa Ecclesia: non vero imponi obligationem credendi quod hic sit canonice electus. Nec refert quod forte electio non fuerit canonica; sufficit enim quod talis secundum prudentem existimationem videatur. Hoc posito factum istud, quod hic canonice electus h. e. secundum normam ab Apostolica Sede statutam (Th. 11. schol.) sit successor Petri, creditur tum vi illius fidei qua creditur perennitas Primatus, tum vi decreti Pontificis statuentis eum qui ita electus sit, habendum esse ut successorem Petri. Quod quidem decretum a Pontifice latum ad modum legis obligat etiam post mortem legislatoris. His vero positis constat factum istud h. e. hunc esse verum Pontificem, nexum esse cum dogmate ideoque credendum. Quocirca si quaeras magistrum proponentem hoc factum credendum, ipse est Romanus Pontifex, qui ius habet statuendi normam electionis successorum, quique iubet eum haberi ut successorem Petri qui sit canonice electus.

Episcopis vero nullam in hac re partem esse liquet vel ex ea ratione quam Alexander III. illi decreto addit in fine; rationem enim reddens cur aliquid speciale pro electione Pontificis statuatur, quod nempe tantum maior pars suffragiorum consideranda sit non etiam sanior, ideo hoc fieri ait quia *quod in aliis Ecclesiis in dubium venerit, superioris poterit iudicio definiri: in Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi.* Atqui si Episcoporum esset docere quod hic sit successor Petri, ad eos reapse spectaret in electionem inquirere eamque ratam habere et confirmare, ideoque superiores hac in re essent. At ipsi quoque, non secus ac alii, tenentur absque ulla exceptione eum habere ut Pontificem qui canonice electus est.

Ergo una est in Ecclesia infallibilis auctoritas, quae est auctoritas Romani Pontificis, quae ipsius propria est in eoque immediate, in ceteris participata et mediate exsistit.

Haec videtur esse doctrina Concilii Vaticani; ait enim *infallibilitatem, qua definitiones Romani Pontificis pollent, esse eam qua Christus Ecclesiam suam instructam esse voluit:* non duplex ergo infallibilitas, sed una; infallibilitas nempe Ecclesiae est ea, quae per se et immediate in Pontifice residet et per ipsum in alios derivatur.

Quod si dicas nos nimis coarctare infallibilitatem Ecclesiae, eam omnem revocantes ad infallibilitatem Romani Pontificis; advertimus haud satis accuratam esse hanc rationem loquendi. Nam si *finaliter* infallibilitas spectetur, e contrario docemus, eam sub hoc respectu prius Ecclesiae universae competere quam Pontifici eamque esse veram infal-

libilitatem (praenot.). Si autem ipsa active spectetur, ita eam ad infallibilitatem Romani Pontificis revocamus, ut asseramus universum coetum Pastorum infallibilem esse ex assistentia Spiritus S., quae causa est infallibilitatis, ita tamen ut medium, quo proxime Spiritus S. universo coetui assistit, sit magisterium Pontificis. Illud scilicet de magisterio infallibili asserimus quod universim de auctoritate iurisdictionis affirmatur ab iis qui Primatum Romani Pontificis, qualis a Christo institutus est, defendunt: qua in re logici esse nobis videmur.

Verum sponte heic se offert duplex specialis difficultas, non solum contra hanc Thesim, sed et contra praecedentem, adversus quam reapse haec sunt obiecta. Nam primo obstare dictis in hac et in praecedenti Thesi videtur canon Lirinensis, qui regulam certam credendi repetit a consensione in universitate: deinde videtur ex dictis imminui plusquam pars est Episcoporum dignitas nec satis intelligi qualis sit auctoritas eorundem in Concilio. Quae difficultates ut removeantur, duas insequentes statuimus Theses.

THESIS XXVII.

Distinguere oportet inter supremum doctorem vel iudicem controversiarum fidei et normam quam sequi debet ipse iudex in iudicando, quam quidem in sequendo ne erret, assistit Spiritus S. Haec duo vero confundunt qui ut probent auctoritatem supremam in rebus fidei definiendis esse penes universitatem, provocant ad canonem Lirinensis ipsorumque Pontificum testificationem, qui in suis decretis fidei docent sequendam esse universitatem et consensionem in antiquitate. Porro ipsa universitas Patrum et Doctorum praecedentium verae fidei nobis certum testimonium reddit, quatenus Patres omnes et Doctores cum magisterio Cathedrae Apostolicae consentiebant et ab ipsa probati sunt.

I. Sane revelatio ab initio tota facta est completumque est depositum revelationis. Nihil ergo novi quoad rem ipsam exspectandum est, sed sola explicatio obiectiva dogmatum et profectus scientificus subiectivus. Magistri ergo, qui succedentibus aetatibus exsistunt, debent semper illud docere quod olim traditum est. Opus est igitur in functione huius magisterii habere semper prae oculis Verbum Dei tum scriptum tum traditum. Id quidem a decessoribus successoribus communicatur, non per infusionem quandam, sed per magisterium quo docentur ii, qui postea in locum magistrorum succedent. Fieri vero potest ut et quidam magistri vel ex ignorantia errent vel ex malitia pervertant doctrinam

fierique potest ut in investiganda doctrina penes Scripturam et monumenta traditionis erretur; unde controversias in fide pronum est oriri. Necesse est ergo, ut exsistat supremus iudex et doctor, qui errare non possit in apprehendenda doctrina divinitus scripta vel tradita et constanter propagata atque in ea promulganda et proponenda fidelibus: cuius proinde iudicis doctorisque ministerio eadem semper doctrina ab initio tradita, iugiter conservetur et vigeat in Ecclesia. Oportet igitur ut errare is non possit in investigatione veritatis ab initio traditae, in eaque discernenda ab adulterinis doctrinis postea inductis. Huc autem spectat charisma infallibilitatis, quod non est in eo positum, ut per revelationem aut infusionem notitiae informetur mens docentis; sed in eo quod Spiritus S. ope sua Doctori ita assistat, ut ab errore hic exsistat immunis in investigatione veritatis prius traditae et in proponendo fidelibus credenda dogmata iam prius implicite saltem credita depositoque traditionis consignata. Unde sollemnis definitio Ecclesiae vel universale eiusdem magisterium circa res revelatas eo pertinet ut infallibiliter doceantur fideles, dogma aliquid *esse divinitus revelatum*, ideoque fide divina credendum. Cf. definitionem Immac. Concept. B. V. M. et infallibilitatis R. P. Idcirco veritatem credendam proponendamque fidelibus singuli supremi iudices ac doctores extrinsecus accipiunt a perpetua traditione, quae in Ecclesia viget; iuvantur autem assistentia Spiritus S. ne errent ipsi in apprehendenda et tradenda Ecclesiae ea doctrina.

His positis liquet 1° doctrinam contentam Scriptura ceterisque monumentis traditionis, haud esse per se solam sufficientem fidelibus ut certitudine infallibili assequantur veritates revelatas: 2° requiri iugiter viventem doctorem et iudicem supremum (qui est Romanus Pontifex, et cum ipso coetus Pastorum), qui infallibiliter fideles doceat quid sit revelatum fideique quaestiones finiat: 3° magisterii huius normam esse traditionem antiquam et universalem Ecclesiae; docere enim debet quod traditum est: 4° opus vero ei esse assistentia Spiritus S. ne, sicut aliis contingere potest et solet, erret in proponenda fidelibus doctrina revelata credenda. Quare patet distinguendum esse inter supremum doctorem iudicemque atque normam secundum quam docet et iudicat.

II. Iam vero haec duo confunduntur ab iis, quos modo oportet impugnare. Aiunt enim supremam auctoritatem docendi, auctore Vincentio Lirinensi, in universitate reperiri. Cur vero? quia, eodem docente (Comm. nn. 3. 4. 38. 41.), *tenendum est quod ubique quod semper, quod ab omnibus creditum est:* quod quidem, ait, ita demum fiet, *si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem.* Porro, subdunt, idem Vincentius mentionem non facit magisterii Romani Pontificis, a quo

petenda sit doctrina et infallibilis notitia veritatis, facit autem Conciliorum.

Iam vero si haec doctrina per se spectetur, sequendam scilicet esse universitatem, seu credendum esse quod ab omnibus ubique tenetur et si haec universitas nunc desit, sequendam esse consensionem antiquitatis, doctrina haec inquam per se spectata non suggerit nisi normam quamdam quae praesto esse debet in decidendis quaestionibus fidei, quatenus proponit quosdam obiectivos characteres verae traditionis quae certe sequenda est. Quam normam quidem omnes sequi debent, etiam concilia, auctore Lirinensi; sed quia fieri potest ut erret quis in investigatione huius normae, hinc ut peremptorie finiantur fidei quaestiones oportet esse doctorem aliquem aut iudicem infallibilem, qui nequeat scilicet errare in proponenda doctrina quae traditione continetur. Sive autem dicas doctorem hunc et iudicem infallibilem esse Synodum oecumenicam, sive Papam, sive utrumque, semper verum est quod praeter consensionem antiquitatis (quae obiective quidem exsistit sed non infallibiliter cognoscitur cum fidei decreta desunt) et praeter universalem consensum praesentis Ecclesiae in re nondum definita (quae universalitas non supponitur plena, non enim excludit quorumdam dissensiones, secus non esset locus quaestioni), requiratur sententia alicuius iudicis qui rem definiat. Quinam autem sit hic iudex, id non ex hoc canone Lirinensis, sed aliunde, h. e. ex Christi institutione per Scripturas et universalem consensum traditionis manifestata colligendum est: ex quibus constat, ut probavimus, talem iudicem esse Romanum Pontificem. Igitur perperam ad hunc canonem Lirinensis provocatur, ut impugnetur infallibilitas Romani Pontificis; confunditur enim norma sequenda in magisterio, cum ipsa auctoritate magisterii.

Si vero doctrina Vincentii secundum eius propositum spectetur, ea huc redit. *Cum novae exoriuntur haereses* (c. 38.), iis 1° opponatur praesens consensus universalis Ecclesiae: si universalitas praesens haud ita clara sit, quaeratur 2° antiquitas; quod si aliquis dissensus in ea quoque appareat, praeponatur 3° decretum, si sit, universalis Ecclesiae vel Concilii; si autem hoc desit, tum 4° collatis Maiorum sententiis, sequamur eos, qui diversis licet temporibus vel locis in unius tamen Ecclesiae catholicae communione permanentes, magistri probabiles exstiterunt et quod non unum aut duos tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter perseveranter tenuisse, scripsisse docuisse cognovimus, id pariter sequamur; scilicet sequamur consensionem in antiquitate cc. 4. 5. 6. 37. Non autem semper, ait, neque omnes haereses hoc modo impugnandae sunt, sed novitiae recentesque tantummodo, cum primum scilicet exortae sunt. Antiquiores vero quas-

cumque vel schismatum vel haeresum profanitates nullo modo nos oportet nisi aut sola, si opus est, Scripturarum auctoritate convincere aut certe iam antiquitus universalibus Sacerdotum catholicorum conciliis convictas damnatasque vitare (c. 38.). Illa vero methodo contra exorientes errores usos fuisse docet Vincentius tum universim doctores, tum Romanos Pontifices (c. 9.), tum Concilia (c. 32.) in suis edendis decretis.

Itaque dicimus 1° scopum Vincentii fuisse suppeditare methodum scientificae (a) inquisitionis pro invenienda veritate contra novas haereses; ideo enim distinguit inter novas et veteres, quia quoad has iam habemus definitiones Ecclesiae, quoad illas debemus ipsi nobis consulere. Quare quaerendum primo, quid universa teneat Ecclesia; quod si constare nequit consensus universalis propter aversantium discordiam, quaeratur antiquitas et quidem si in ea occurrat sententia vel decretum universae Ecclesiae aut Concilii, quod insurgenti errori adversetur, id satis est: si autem illud desideretur; si tota antiquitas consentit, illud teneatur quod ea docet: quod si aliqua discrepantia et inter praecedentes doctores reperitur, sequamur « multorum atque maiorum consentientes sibi sententias magistrorum » (c. 77.).

2° Haec methodus, iuxta Vincentium, adhibenda est et ab iis qui definitionem fidei sunt condituri; debent enim illud sua auctoritate firmare et credendum proponere, quod antiquitus traditum est et quod

---

(a) Videntur quidam theologi non satis distinguere inter duplicem methodum adhibendi auctoritatem Patrum in quaestionibus Theologicis. Aliquando enim spectantur Patres tanquam testes et doctores divinitus instituti, quorum consensus infallibile est argumentum veritatis revelatae vel est certissimum testimonium consensus totius ecclesiastici magisterii in veritatem revelatam et quoniam quavis aetate consensus totius magisterii in aliquid tanquam revelatum est infallibile motivum certitudinis eiusdem ideoque et antiquitatis doctrinae idque valet eadem ratione pro quavis aetate: hinc par est vis huius demonstrationis ex Patribus ad cuiuscumque seculi consensum provocetur. Hanc licet appellare methodum dogmaticam. Aliquando vero praecisione facta a charactere testium aut doctorum divinitus institutorum, atque ab infallibilitate magisterii Ecclesiae, si praesertim disputetur cum iis qui haec negant, spectantur simpliciter Patres ut testes historici qui referunt immediate vel mediate id quod antiquitus traditum est ab Apostolis Ecclesiae, ut concludatur quaenam sit doctrina Apostolica, quam haeretici quoque ut veram recipiunt. Cum haec methodus adhibetur: vel moralis certitudo orta ex eorum consensu urgetur vel ad quosdam solum provocatur et, ut in testibus historicis fieri solet, magis tunc habetur in pretio testimonium antiquioris quam recentioris, licet ille in magisterio Ecclesiastico divinitus instituto minore fruatur auctoritate. Sic e. g. testimonium Ignatii Martyris aut Tertulliani praeferimus testimonio Leonis M. aut Chrysostomi. Hanc methodum possumus appellare criticam vel scientificam. Hanc porro methodum, etsi non solam, prae oculis habuisse censemus Lirinensem.

universa Ecclesia modo tenet, si vere consensus quoque universalis adest. Ideoque 3° huiusmodi methodus spectat ad stadium inquisitionis attingitque normam, quam quilibet inquisitor veritatis sequi debet. Quia vero 4° in ea norma investiganda error subrepere potest, ideo ipsa existente adhuc requiritur supremus doctor et iudex, qui infallibiliter eam normam sequens doceat quid sit traditum seu revelatum; hinc per propositionem huius normae non excludit Vincentius ultimum iudicium infallibile Romani Pontificis.

Cum autem Concilii mentionem facit, non excludit 5° decreta Romani Pontificis; nam primo mentione facta speciei unius pro genere, et alia implicite significatur; cum praesertim definitio Romani Pontificis et definitio conciliaris non sint proprie duae species unius generis, sed differant modo, cum definitio ipsa Concilii sit definitio Romani Pontificis sollemniore modo proposita. Deinde vero auctoritatem solius Romani Pontificis sufficientem esse pro finiendis quaestionibus fidei satis Vincentius significat allato exemplo Stephani in causa baptismi, « qui cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat », cuius Stephani decreti exitum fuisse docet Vincentius illum qui est « usitatus et solitus: retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas » (c. 9.).

Ceterum 6° cum dicitur universam Ecclesiam vel consensionem errare non posse; duplex quaestio fieri potest *a)* utrum universa Ecclesia errare possit: *b)* quaenam est intrinseca ratio seu principium proximum huius inerrantiae. Priori quaestioni respondendum est negative, sed (quae est responsio ad alteram quaestionem) propter Petrum eiusque successores, quorum magisterium universa Ecclesia sequitur. Neque id negatur, sed supponitur a Vincentio.

III. Pariter Pontifices fidei decreta promulgantes doctrinam propositam auctoritate veterum atque consensu etiam praesenti Ecclesiae probabant, ut Caelestinus epistola citata ad Cyrillum, Leo in sua epistola dogmatica ad Flavianum, Agatho epistola ad concilium VI. Verum quid inde inferri potest? nonne eadem dogmata auctoritate quoque Scripturarum probabant? ergo ne penes Scripturas est suprema auctoritas docendi in Ecclesia, excluso magisterio authentico et infallibili? nonne ipsa Concilia oecumenica eadem methodo sunt usa? ergo ne in Conciliis negabunt adversarii esse supremam et infallibilem potestatem docendi? Scilicet Pontifices illud exsequebantur, quod monuit Lirinensis; sequebantur enim normam veteris traditionis, sed sequebantur infallibiliter propter assistentiam divinam et exinde infallibiliter constabat omnibus verum esse revelatum quod ab iis credendum proponebatur.

IV. Cuius pontificiae auctoritatis vis ut plenius intelligatur subiungendum est quod ultimo loco posuimus in thesi. Nempe cum ad veterum testimonia Pontifices recurrunt aliquid definituri, illa non considerant avulsa ab auctoritate Apostolicae Sedis, sive, quod perinde est, non praescindunt a praecedente magisterio Romanae Sedis, sed imo eius rationem habent eoque stabilitur perpetua sincera propagatio per successiva secula doctrinae ab initio traditae. Et sane cum opus sit ut medium exsistat quo doctrina ab initio tradita conservetur et perpetuo propagetur, huiusmodi medium est infallibile magisterium. Hoc autem proprium est Romanae Cathedrae, quae centrum est unitatis fidei et ad quam proinde necesse est omnem convenire Ecclesiam, si traditionem apostolicam conservare velit. Quare magisterium ceterorum conforme esse debet magisterio Romano iique tantum in Ecclesia probati doctores veracesque testes traditionis divinae habiti sunt, quorum testimonium et doctrinam Romana Sedes vel disserta testificatione, vel usu eorundem cognito et permisso probavit (cf. decretum Gelasii I.). Hinc interrogatus Pontifex Hormisdas a Possessore Episcopo, quid de libris Fausti Reiensis sentiendum, respondit (ep. 70.) ea opera non recipi a Romana Ecclesia. Ergo cum ad testes antiquos provocatur non abstrahitur a sententia Romanae Sedis Romanique Pontifices cum aliquid definiunt sequuntur tandem veluti normam doctrinam suae cathedrae, quae nunquam habuit maculam aut rugam, in qua nunquam defecit fides, sed in qua conservata semper est ea quae est ab Apostolis traditio.

Quid ergo voluit dicere Augustinus cont. Iulianum I. 1. c. 4. n. 13. inquiens: « quid enim potuit ille vir sanctus (Innocentius Rom. Pontifex) africanis respondere conciliis nisi quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia! » Advertimus heic Augustinum non loqui universaliter seu non exhibere normam secundum quam iudicia a Romana Sede proferenda sint, sed loqui in hypothesi speciali, in quaestione scilicet de peccato originali et necessitate gratiae, in qua quidem quaestione unanimis erat consensus Ecclesiarum Occidentis et Orientis. Porro cum Iulianus videretur respuere auctoritates ab Augustino allatas eo quod essent tantum occidentalium videreturque exigere totius Ecclesiae consensum, respondet Augustinus sufficere ei debere auctoritatem Ecclesiae occidentalis et Apostolicae Sedis, ideoque Innocentii qui in ea sederet. Cur vero? quia Innocentius non potuit (quaecumque tandem sit causa huius impossibilitatis, de qua causa Augustinus non loquitur, sed quam supponit) aliud respondere quam quod in ea re et antiquitus ipsa Apostolica Sedes et tunc cum ceteris ecclesiis tenebat Ecclesia Romana. Si enim aliquid ab uni-

versa Ecclesia creditur, certe Romana Sedes circa id consulta nihil aliud respondere potest quam quod universa Ecclesia credit. Hac responsione fit satis Iuliano flagitanti consensum Ecclesiae in ea quaestione.

Verum superest adhuc quaestio duplex: 1° unde sit haec impossibilitas erroris in Romano Pontifice: 2° quid fiet a Romana Sede cum deest consensus Ecclesiarum, et quanta est vis eius magisterii in hac hypothesi. Huic alteri quaestioni utpote subiecto suo extraneae non respondet Augustinus, eius tamen solutio pendet a solutione prioris. Neque priori quaestioni Augustinus facit satis directe, quia, ut diximus, potius supponit infallibilitatem Pontificis; verum aliquid innuit quo solvi quaestio potest. Nimirum cum ait non potuisse Innocentium respondere nisi quod ipsa Apostolica Sedes antiquitus tenuit; quibus verbis significatur doctrinam Apostolicae Sedis esse normam veritatis.

Dices. Episcoporum magisterium unanime repraesentat traditionem; haec nequit esse falsa: ergo magisterium universitatis est per se infallibile.

Haec est difficultas, cuius solutionem promisimus in Th. praeced. Respondeo. Antecedens simpliciter verum est, si Episcopi omnes doceant simul cum Rom. Pontifice consentiente vel expresse vel tacite, sive doceant quod iam Romana Sedes probavit: qua in hypothesi conceditur simpliciter consequens. Si vero aliquid nondum definitum doceant citra consensum Romani Pontificis, distinguendum est. Quae distinctio ut intelligatur, advertendum est aliud esse quod in iis, quae explicite credenda proponuntur ab universo Episcopatu contineatur plus minus implicite ea quoque veritas revelata, de qua est quaestio, aliud quod actu veluti reflexo cognoscatur in illis haec veritas et infallibiliter cognoscatur. Primo modo se habet traditio contenta magisterio Episcoporum ad eam veritatem de qua est quaestio, sicut se habet Scriptura ad plures veritates in ea certe contentas, de quibus tamen disputatum est et disputatur: continetur scilicet ibi veritas, sed nondum infallibiliter cognoscitur. Altero modo habetur cognitio certa et infallibilis huius veritatis.

Hoc posito ita distinguimus: magisterium Episcoporum repraesentat traditionem quoad eas veritates quas necessario credendas proponunt (Cf. th. praeced. p. 1.) *conc.*, quoad alias veritates illis implicite contentas, *subd.:* h. e. hae quoque veritates in iis quae docent continentur, *conc.*, hae ab iis certa investigatione eruuntur et proponuntur fidelibus citra magisterium Romani Pontificis, *subd.:* iudicio reformabili, *conc.*, irreformabili ideoque infallibili, *neg.* Et sane depositum quidem revelationis omnibus Episcopis commissum est custodiendum (1. Tim. 6. 20.),

sed praecipue Apostolicae Sedi, in qua semper ab omnibus servata est ea quae est ab Apostolis traditio (Irenaeus l. s. c.). Neque est supponendum, quod notitia clara et distincta totius depositi sit penes quamlibet Sedem episcopalem, quod historice constat esse falsum.

DE CONCILIIS I[a]

THESIS XXVIII.

Singuli Episcopi catholici h. e. communione fruentes Romanae Sedis, id habent proprium prae ceteris fidelibus, ut sint magistri authentici verique iudices etsi non supremi in causis fidei et cum singuli in suis sedibus docent, praesumendum est iuridice doctrinam eorum esse catholicam h. e. doctrinam cathedrae Petri. Eos vero in Synodum oecumenicam convocandi potestas coactiva est solum penes Romanum Pontificem, isque solus ius habet iisdem praesidendi auctoritate iurisdictionis. Coacti proinde in Synodum oecumenicam Episcopi obtinent a Romano Pontifice auctoritatem docendi cum ipso universam Ecclesiam ibique sunt ex sese veri iudices fidei, quorum tamen iudicialis auctoritas vim suam erga fideles exerit. Et cum definitio ex cathedra praevertit, habent ipsi convocati in Synodum ius et officium instituendi de ea examen non quidem dubitativum sed comprobativum. Comprobantes autem suo suffragio debito doctrinam a Pontifice propositam, eam sua quoque auctoritate iudicant simulque cum ipso Romano Pontifice definiunt et confirmant. Sententia tamen Episcoporum ideo peremptoria est et infallibilis, quia Romanus Pontifex simul cum ipsis rem definit.

Nota. Quoniam in hac thesi agimus de Episcopis in Synodum oecumenicam convocatis neque ad absolvendam quaestionem de infallibilitate potest haec thesis nunc praetermitti: ne materiam unam dividamus et eadem repetere cogamur, omnia huc congessimus quae de auctoritate Romani Pontificis erga concilia oecumenica adhuc restant dicenda vel uberius demonstranda, de potestate scilicet convocandi et praesidendi etc.

I. Cum Christus doctrinam divinitus revelatam voluerit certa serie testium et doctorum a se instituta perpetuo custodiri, praedicari et propagari: ille dicitur in Ecclesia magister seu doctor *authenticus*, qui ex officio divinitus instituto ius et obligationem pariter habet custodiendi, praedicandi ac propagandi doctrinam revelatam atque ex eadem

divina ordinatione ius habet exigendi fidem doctrinae a se traditae. Porro magister authenticus duplex distingui debet: *authenticus simul et infallibilis,* qui nempe absolute exigit fidem doctrinae a se traditae eo quod ipse est qui docet: atque *authenticus simpliciter, per se fallibilis*, qui exigit fidem doctrinae a se traditae quia ipse docet simul cum centro seu capite universi magisterii authentici cuius ipse est membrum. Αὐθεντία nempe seu auctoritas docendi amplius patet quam infallibilitas: potest scilicet competere alicui auctoritas docendi, quin tamen eidem competat infallibilitas. Ratio est quia ad αὐθεντίαν magisterii generatim sufficit quod quis ius habeat docendi et exigendi ut ipse audiatur eaque doctrina quam proponit credatur: non autem requiritur ut normam magisterii sui ab alio superiore non recipiat. Id autem proprium est magisterii supremi et infallibilis, quod aliis est norma doctrinae. Postulatur quidem infallibilitas in magisterio authentico, secus enim non posset facere satis fini propter quem est institutum, sed non est opus ut eadem inhaereat singulis membris eiusdem magisterii authentici.

Iudex vero ille est qui ex publica auctoritate sententiam fert super aliqua particulari controversia, cui sententiae parendum sit. De essentia iudicis non est quod ipse ius dicat seu statuat, h. e. ipse sibi constituat normam seu legem, secundum quam iudicandum sibi sit: constat id ex utroque iure canonico et civili neque de essentia iudicis est ut eius sententia sit peremptoria, ita ut fieri non possit ut ei non pareatur satisque est quod ei parendum sit, si a superiore vel supremo iudice ea non reprobetur vel confirmetur: qua confirmatione exsistente, ea sententia prioris iudicis vim suam totam exerit, eique, non soli sententiae superioris, parendum est: liquet id pariter ex utroque iure.

Iam vero manifestum est tum universos Episcopos simul cum Petro constituere magisterium illud authenticum, cui propter suum caput infallibilitas competit, tum singulos, qui partem tenent in solidum unius Episcopatus, esse in suis ecclesiis magistros fidei authenticos et iudices. Singuli enim suas cathedras habent singulisque portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque et gubernet auctoritate episcopali, quae est auctoritas iurisdictionis h. e. auctoritas *a)* leges ferendi pro suis ecclesiis, ideoque et docendi: *b)* iudicandi in omnibus iis in quibus oves suae regi debent, ideoque etiam in causis fidei pro quibus est institutum magisterium Ecclesiae: *c)* coercendi. Haec porro auctoritas docendi et potestas iudicialis propria est Episcoporum. Quamvis enim et alii fideles docere possint: hi tamen 1° non succedunt iis, quos Christus ad docendum misit, seu non spectant ad seriem eorum, quos Christus testes et doctores instituit in Ecclesia sua: neque

proinde 2° ex officio divinitus instituto ius habent praedicandi, custodiendi et propagandi fidem: neque 3° ius habent exigendi ut ipsi audiantur et ea doctrina credatur quam ipsi proponunt. Deest quippe iis iurisdictio, cuius pars est auctoritas docendi. A iudicio quidem Episcopi appellare licet: quia tamen sententia eius ex auctoritate prolata est: si agatur de re nondum definita aut satis clara in Ecclesia, id saltem illa exigit ut fidelis subditus eam revereatur non impugnando eam publice, quia auctoritas iudicis contemnenda non est et unitas servanda est in Ecclesia, cuius cura commissa est Episcopo, qui a suo superiore non ab inferiore iudicandus est. Cum dicimus *ceteros fideles*, intelligimus eos qui neque ex privilegio Romani Pontificis potestatem habent episcopalem ordinariam vel eius quamdam participationem in aliquam partem gregis: hi enim, eo privilegio posito, comparandi sunt quoad hoc Episcopis.

II. Ex dictis consequitur quod secundo loco statuimus in thesi, cum nempe Episcopi in suis ecclesiis docent quae spectant ad fidem assensumque requirunt, praesumendum esse iuridice, quod eorum doctrina sit vera seu catholica h. e. doctrina cathedrae Petri. Praesumptio est generatim anticipata rei, quae per se in dubitationem venire possit, opinio ex indiciis vel coniecturis desumpta. Praesumptio iuris, si de iure humano positivo sermo est, est ea quae in canone aut lege *invenitur expressa:* si vero de iure naturali et divino sermo sit, dici potest ea quae ex iure sive naturali sive divino necessario colligitur, sive ab eo exigitur. Ea admittit quidem probationem in contrarium, secus ac *praesumptio iuris et de iure;* sed donec probatio allata sit, ipsa favet illi pro quo stat. Unde rationabiliter (praesumptio enim probatio quaedam est) creditur id quod ius praesumit.

Porro in ipsa institutione divina doctorum divinaque promissione praesumptio ea, quam diximus, innititur. Voluit enim Christus esse Doctores, quos audire deberent fideles promisitque quod nunquam eorum concors consensus a magisterio Petri discederet singulosque iuvat auxilio suo ut, nisi sibi ipsi desint, velint in unitate manere Petrique cathedrae semper consentire. Iam vero si haec est lex Christi ut doctores sint et ab iis fideles doctrinam accipere debeant: 1° cum ipsa lex naturae doceat, ut is qui auctoritate et officio agit, in iis, quae ad suam auctoritatem officiumve spectant, praesumatur iure agere; Christus auctoritatem docendi et officium Episcopis conferens, eo ipso dicendus est voluisse, ut praesumeretur eos iure uti auctoritate sua h. e. recte docere. 2° Cum constet concordem consensum doctorum non discessurum a doctrina cathedrae Petri, certum est quoque quod pluralitas horum in confuso accepta non discedit: ab hac vero pluralitate

singuli quidem singillatim abesse possunt; sed quia nemo censendus est malus aut impar muneri suo, nisi probetur, de nullo Episcopo speciatim arbitrari licet quod ab eo consensu deficiat nisi probetur, h. e. praesumendus est concors esse cum consensu universali. Est igitur haec praesumptio iuridica, in ipso divino iure fundata.

Quare haec praesto sunt fideli inquirenti veritatem: 1° certum est, Romanam Sedem praestare omnibus quaerentibus fidei veritatem: 2° certum est, consensum Doctorum divinitus institutorum cohaerere semper cum cathedra Romana et quidem *formaliter* et *materialiter* in iis omnibus quae explicite ab illa iam sunt tradita et traduntur: formaliter saltem quoad debitam subiectionem voluntatis et intellectus in iis, quae adhuc ab illius iudicio non sunt definita. 3° Iure praesumendum est, singulos Episcopos communionem habentes cum cathedra Romana illud idem docere quod ipsa docet. Ergo si alterutrum ex prioribus consulere fidelis potest, notitiam veritatis assequetur; ex primo quidem quoad quodcumque doctrinae revelatae caput etiam nondum definitum, si Sedes Romana respondere velit: ex altero autem quoad omnes veritates, quas explicite cum Romana Cathedra docente profitetur consensus Pastorum. Quod si neutro medio uti valet fidelis, ut rudibus usuvenire potest, tunc magisterio Episcopi sui contentus sit; ei enim fidem adhibens credensque doctrinam esse revelatam eam quam Episcopus docet, rationalibiliter agit; est enim voluntas Dei ut oves pastorem suum audiant praesumantque eum bene docere, nisi contrarium probatum sit: quare etsi errorem doceatur fidelis, error eius erit materialis non formalis veraque virtus fidei in eo semper vigebit. Liquet autem huiusmodi consensum praestitum Episcopo, qui solus audiatur, multoque magis inferiori qui vices Episcopi expleat, esse vel formaliter vel certe virtualiter semper conditionatum, si nempe haec est doctrina Ecclesiae, haec est doctrina Romanae Sedis; volumus enim credere quod universa Ecclesia credit, sicut in symbolo fidei profitemur dicentes: credo sanctam Ecclesiam catholicam.

Contingere quidem potest, ut fidelis quis dubitet an Episcopus suus vera doceat: constat tamen historice, ipsa ratione suffragante, quod huiusmodi dubitationes in mentibus rudium rarissime excitari sponte solent; talis enim dubitatio opus est cuiusdam reflexionis, quam rudes adhibere non solent, qui potius intuitione directa licet confusa, quam reflexa cognitione distincta generatim utuntur. Nec praetermitti debet auxilium gratiae divinae, quae singulos regit secundum eorum conditionem et necessitatem. Quare assensus huiusmodi hominum in doctrinas traditas ab uno doctore et est *assensus fidei;* credunt enim Deo revelanti propter Ecclesiae auctoritatem, licet identidem error

materialis esse possit et est *assensus firmus*, nulla enim dubitatione pulsantur. Si tamen vera dubitatio oriatur; vel agitur de veritate iam definita, vel secus: si nondum est veritas definita, cum credere fidelis non teneatur, nullum detrimentum eius fides patietur eo quod ipse doceri a suo Episcopo non possit. Si autem agatur de re iam definita, et dubitetur an Episcopus oppositum doceat illi, quod explicite universa Ecclesia profitetur et quidem dubium sit positivum, utique iam praesumptio ex parte deficit, cum aliqua probatio in contrarium exstet fideique assensus suspendendus erit: sed huiusmodi dubitanti facile erit veritatem invenire, cum iam supponatur in eo quaedam cognitio consensus universalis oppositi, quocum sententiam sui Episcopi comparavit; secus enim dubium non fuisset positivum.

III. Nunc consideremus Episcopos in Synodum oecumenicam collectos: de quibus oecumenicis synodis ut omnia heic complectamur, quemadmodum monuimus, docemus primo, quis eas possit convocare.

Romanus scilicet Pontifex unus ius habet convocandi ex potestate Concilium oecumenicum. Concilium Episcoporum differt ab Episcopis in suis sedibus manentibus ratione specialis potestatis et actionis; quoad esse enim, sive in suis sedibus maneant sive colligantur in unam Synodum, sunt semper Episcopi unum corpus suo capiti cohaerens, unus Episcopatus, cuius singulis in solidum partem tenet. At in suis sedibus manentes simplices Episcopi singuli in suas ecclesias potestatem solum habent easque regunt, ideoque singuli ab aliis seorsim et independenter operantur. At in Synodum collecti 1° conferunt simul operationes, consilia et suffragia, ut ex omnium actibus unus fiat actus; 2° non solum in suam Ecclesiam potestatem exercent, sed in unam provinciam, si Synodus sit provincialis, vel in universam Ecclesiam, si Synodus sit oecumenica: patet autem quod haec collatio omnium actionum in unam, collatio consiliorum et suffragiorum per se obtineri etiam potest ab Episcopis manentibus in suis sedibus, quo posito haberetur certe aequivalenter Synodus quoad eius partem formalem; nihilominus plenius et efficacius talis collatio haberi potest ordinarie, cum simul coeuntes Episcopi sua consilia invicem sibi communicant suffragiumque ferunt. Discrimen est ergo quoad Episcopos collectos in Synodum et eosdem in suis sedibus manentes tum ratione actionis, quatenus in Synodo una est actio ex pluribus eaque una actione regitur vel aliqua portio Ecclesiae vel universa Ecclesia, tum ratione potestatis quae huius actionis regentis principium est. Nunc de Synodis oecumenicis loquimur. Quod autem de eorum convocatione dicemus, intelligendum est quoque de ea actione qua omnium Episcoporum in suis sedibus

manentium suffragia de aliqua re exquirerentur ut decretum communi nomine ederetur. Ratio enim formalis Synodi et in hoc reperitur.

Distinguendus est duplex actus convocationis. Alter qui est actus iurisdictionis in eos qui convocantur, qui actus proinde cogit eos ut veniant; unde dici potest convocatio coactiva, vel simpliciter convocatio ex potestate. Alter actus convocationis est actus ministerii exhibitus in obsequium potestatis iurisdictionis, aut est actus consilii vel exhortationis, ut Episcopi conveniant in Synodum. Actus consilii aut exhortationis ab Episcopis quoque poni potest rogantibus et exhortantibus ut Synodus fiat. Actus convocationis praestitus in obsequium potestatis iurisdictionis dici potest convocatio ministerialis, quatenus subordinatur et servit legitimae potestati.

Iam vero quamvis ad Imperatores convocatio ministerialis competat, quae est potius officium, quam ius: convocatio coactiva et ex potestate ad solum Romanum Pontificem spectat nec id negari potest nisi ab iis qui oeconomiam Ecclesiae prorsus pervertunt, inducentem regimen aristocraticum aut populare, vel Ecclesiam mancipantes auctoritati civili: quos satis in superioribus confutavimus. Sane 1° illius est iubere omnes Episcopos convenire qui in eos omnes iurisdictionem habet, atqui hic nec ullus alius Episcopus, nec fidelium coetus, nec ipse coetus Episcoporum seorsim a Pontifice, nec ullus Imperator est, sed solus Romanus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, quippe est pastor omnium ovium; ergo ipse solus obligare potest Episcopos omnes ad Synodum. 2° Episcopi in Synodum oecumenicam adunantur ut leges ferant pro universa Ecclesia. Nam, ut iam monuimus, non singuli ferunt legem aut decreta condunt pro suis ecclesiis, sed omnes simul ad unum actum concurrentes legem aut decretum sanciunt pro universa Ecclesia; unus est enim actus conciliaris qui immediate refertur ad universam Ecclesiam.

Atqui licet Episcopi sint iure divino subiectum idoneum huius potestatis exercendae una cum aliis et sub Romano Pontifice, quia iure divino sunt Principes, sive habentes iurisdictionem ordinariam in Ecclesia; tamen hanc potestatem ferendi leges pro universa Ecclesia Episcopi nec singuli seorsim, nec simul collecti habent a se vel a Deo immediate, sed solum habere possunt immediate a Romano Pontifice eos ex potestate sua convocante; ergo convocatio Romani Pontificis requiritur, quae conferat hanc potestatem Episcopis. Consequentia patet, quia deficiente potestate nulla est realiter Synodus. Probatur minor et quidem quoad secundam partem, in qua potest esse difficultas. Sane si regimen Ecclesiae esset aristocraticum, pronum esset inferre, quod ex ipsa Christi institutione, posito facto adunationis legitimae, Episcopis

adunatis immediate iurisdictio competit quae per se in universitate reperitur. At alia prorsus est Christi institutio.

Scilicet ex Christi institutione non duplex est suprema potestas in Ecclesia seu non est duplex subiectum praeditum suprema potestate, sed unum est Ecclesiae caput, sicut ipsa Ecclesia est una; porro suprema potestas ipsa est potestas Primatus atque unicum est eius subiectum, nempe Romanus Pontifex: potestas autem ferendi leges pro universa Ecclesia est actus proprius supremae potestatis; ergo ex se Episcopis ceteris sive singillatim sive collective sumptis illa competere nequit. Neque ipsis prout sunt unum corpus sive dispersi sive uniti in Synodum confertur immediate a Deo talis potestas; nam eatenus verum est supremam potestatem esse in coetu Pastorum quatenus ea propria est capitis huius coetus, cuius auctoritate fieri potest ut ceteri pastores simul cum ipso et per ipsum concurrant ad exercitium supremae potestatis. Institutio enim Primatus excludit supremam potestatem ab universitate Pastorum omnesque ceteros Pastores simul quoque sumptos subordinat iurisdictioni Romani Pontificis: idcirco Deus potestatem ferendi leges pro universa Ecclesia immediate non communicat nisi uni, vult imo ceteros alios per se non habere; neque enim habere eam possunt qui sunt supremae potestati subordinati. Sunt ergo iure divino Episcopi adunati in Concilium capaces huius potestatis, sed ita ut eam ex capite suo Romano Pontifice accipere debeant. Et sane cum Romanus Pontifex sit Pastor supremus et immediatus cui universa Ecclesia est commissa habeatque plenitudinem potestatis, ipse ius habet ut nemo citra suum consensum ferat leges qua sui subditi obligentur, ergo ut Episcopi in Synodo valeant decreta fidei vel morum aut disciplinae condere, oportet ut ad id fiat ipsis facultas a Romano Pontifice.

Quare reiicienda est sententia Bolgeni aucupatoris novarum opinionum, statuentis collatam esse immediate a Christo universalem iurisdictionem Episcopis non prout singuli sunt, sed prout corpus episcopale cum suo capite Romano Pontifice constituunt (Episcopato p. 1. c. 7.). Nam immediate Christus universalem iurisdictionem soli capiti concessit ac per caput communicat corpori, agenti simul cum capite, potestatem concurrendi ad exercitium universalis iurisdictionis.

Quod si Romanus Pontifex in Ecclesia non sit, nulla est possibilis vera Synodus oecumenica; quia deest caput et subiectum potestatis universalis, sed eligendus est Pontifex: si autem impedimenta exsistant pro Pontificis certi electione, vel quae electum aut electos dubios reddant et huic malo occurrere non liceat nisi per Synodum omnium Episcoporum; hi quidem ius habent in Synodum conveniendi, ne chri-

stiana respublica detrimentum capiat; sed eorum potestas eo tantum spectat ut consulatur electioni legitimi Pontificis, non ut leges condant pro universa Ecclesia: quia carent hi auctoritate, quam a solo Pontifice habere possunt; quamvis per modum praeparationis et inchoationis leges ferri ab iis quoque possint, vim obligandi habiturae, cum Pontifex exsistens eas confirmaverit.

Dices iure divino esse seu celebrari in Ecclesia concilia oecumenica: quod quidem modernus Scriptor sane doctus et romanus probare ex eo voluit quod divina assistentia iis sit promissa: ergo ab ipso Deo potestas conciliaris Episcopis confertur.

Respondeo 1° dato antecedente, nego consequentiam: nam etiam Episcopi in singulis ecclesiis sunt iure divino; nec tamen consequens est eos habere a Deo immediate iurisdictionem.

Respondeo 2° *Distinguo* antecedens: sunt Concilia in Ecclesia iure divino praecipiente rem necessariam necessitate orta ex ipsa constitutione Ecclesiae, *nego:* iure divino suadente et consulente rem utilem et in quibusdam adiunctis etiam praecipiente rem necessariam sed necessitate orta ex ipsis adiunctis ut fini prudenter provideatur, *concedo.* Ratio est, quia ex ipsa Christi institutione Primatus Petri sufficit isque semper in Ecclesia esse debet. Cf. Th. seq.

Ad rationem vero antecedenti adnexam negamus consequentiam: promissa est scilicet assistentia conciliis si rite convocentur, sed non eo ipso praeceptum est ea convocari.

Ius Romani Pontificis asseritur pariter historia veterum Conciliorum. Qua in re advertendum est, ut distinguatur substantia rei a forma accidentali vel modo eiusdem. Substantia in eo est quod ex voluntate Romani Pontificis convocentur Episcopi eiusque auctoritate Synodum constituant, ita ut ab eo fiat Episcopis potestas decernendi de rebus communibus Ecclesiae et sine eius auctoritate Synodus nulla sit. Forma accidentalis est quod certo signo, puta litteris Apostolicis, Bulla aut alia ratione voluntas Romani Pontificis significetur, eademque praevertat vel sequatur alterius voluntatem, vel ipse prior indicat convocationem vel eam ab alio factam ipse probet et consentiat.

Praeterea advertendum est, munus esse Imperatorum Christianorum sua potestate uti in defensionem Ecclesiae magnumque emolumentum accedere auctoritati Ecclesiasticae, cum Principes curas suas sponte conferunt, quod quidem debent, in auxilium Ecclesiae: unde pro sua modestia Ecclesiastica auctoritas, cum eos cernit recte agere, permittit identidem ut sine praevertente sua admonitione illud exsequantur quod ad bonum Ecclesiae conducit; huiusmodi enim exsecutio tum ex sui natura tum voluntate agentium intelligitur subordinata potestati Ec-

clesiasticae eaque permissio signum est consensus auctoritatis, vi cuius omnia fiunt. Rursus advertendum est, quod cum res pacifice agi potest cum potestate civili, ratio omnis suadet ut id fiat: porro ea aetate lex Imperii erat vetans hominum publicos conventus sine consensu Imperatoris; ne ergo aegre ferrent Imperatores legem suam contemni, consensus eorum requirendus erat. Tandem ea aetate vehicula publici itineris per regiones imperii non erant communia omnibus, sed in Imperatoris erant potestate eiusque facultas requirebatur pro eorum usu atque non leves expensae pro itinere tot Episcoporum a locis dissitissimis venientium et sumptus necessarii pro iisdem alendis dum Synodus ageretur, non nisi ab aerario Imperii suppleri poterant: physice ergo impossibile erat Episcopis sine consensu Imperatoris Synodum oecumenicam celebrare, licet iuridice id ex se possent.

His positis affirmamus 1° factum h. e. Romanos Pontifices priora concilia oecumenica convocasse: affirmamus 2° ius h. e. illos ea convocasse ex potestate convocatione coactiva illosque solos: Imperatores vero convocasse tantum convocatione ministeriali. Sane quoad 1^m^ Concilium primum Nicaenum convocatum esse a Silvestro testantur Patres Concilii VI. in sermone prosphonetico ad Imperatorem innuiturque a Damaso epist. 17^a^ (penes Gallandi tom. 6. pag. 321.). Synodum Ephesinam convocatam esse auctoritate Caelestini Pontificis docet tum idem sermo prosphoneticus, tum professio secunda fidei quae in libro Diurno Romanorum Pontificum legitur. Illa quoque Ephesina Synodus, quae postea in latrocinium evasit, auctoritate Apostolicae Sedis h. e. Leonis convocata est, ut ipse testatur epist. 33. ad Ephesinam Synodum. Auctoritatem eiusdem Leonis exoraverunt Valentinianus et Marcianus (ibid. ep. 33.), ut Synodus Chalcedonensis haberetur. Concilium VI. Agathonis consensu coactum esse colligere ex eo licet, quod Imperator Constantinus hortatus sit ipsum legatos mittere (epist. Imper. ad Leonem II.), Patres vero testentur se Agathoni ut Episcopo universalis Ecclesiae relinquere quid sit gerendum et haereticos se damnare secundum sententiam ab eodem prius latam (in litteris missis a Synodo ad Agathonem), licet forte modum hac in re excesserint. Concilium VII. Adrianus I. consensit ut fieret, quemadmodum liquet ex eius epistola ad Tarasium quae lecta est in Act. 2^a^. Concilium VIII. voluit Adrianus II. celebrari, sicut inquit idem in litteris ad Imperatorem Basilium lectis in Act. 1^a^. Concilium vero II. non fuit celebratione et convocatione oecumenicum, nec tale dissentiente Vigilio, fuit Concilium V.

Quoad 2^m^ convocatio Romanorum Pontificum erat ex potestate convocatio coactiva et ad ipsos solos ea spectare credebatur. Sane *a)* tenendum est omnium oecumenicorum Conciliorum eandem esse rationem

idque antiquitus quoque creditum fuisse: si ergo disserta testificatione historica constat, quoddam Concilium convocatum esse auctoritate Romani Pontificis ita ut ea necessaria crederetur, ut convenirent Episcopi in Synodum, iubens eosdem convenire iisque potestatem faciens decernendi, idem de omnibus dicendum erit. Atqui liquet historice ita convocatam fuisse Synodum Chalcedonensem. Etenim Pulcheria Augusta desiderans Concilium a Leone (epist. 77. ibid.) ait: « propterea tua Reverentia quocumque modo perspexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciae atque Illyrici, sicut etiam nostro Domino piissimo Imperatori meo coniugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus *valeant convenire* et illic facto concilio, et de catholica confessione et de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides et christiana pietas exigit, *te auctore* (τοῦ αὐθεντοῦντος potestatem faciente, ius conferente) *decernant* ». Postulabatur scilicet Leonis consensus vel imperium, ut Episcopi *valerent* convenire non quidem potestate physica, quam solus Imperator conferre poterat (cf. dicta paulo ante): ergo potestate iuris. In Synodum vero coacti Episcopi decernere debebant *auctore Leone*, h. e. auctoritate ab eo accepta eiusque magisterium secuti.

Et sane Gelasius ad Episcopos Dardaniae testatur quod « Apostolica Sedes pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, *sola decrevit* ». sola nempe per auctoritatem iurisdictionis, qua potestas fieret Episcopis constituendi Synodum et de rebus fidei pro universa Ecclesia decernendi; nam ex praecepto etiam Christianorum Principum Synodum convocatam esse asserit Leo epist. 114. qua confirmat acta Synodi in fidei causa. Tandem in eodem Concilio Act. 1. Dioscorus est reprehensus a legato Pontificis, universa Synodo probante, quia « Synodum Ephesinam (quae universalis esse debebat, sed in latrocinium conversa est) ausus est facere (auctoritatem nempe sibi in Synodo usurpavit hancque habuit) sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit aut factum est. » Auctoritas ergo Apostolicae Sedis necessaria censebatur, ut Synodus haberetur eaque auctoritas necessaria credebatur ut Synodus haberi posset, quae esset auctoritas conferens potestatem, ut Synodus fieret et synodice ageretur. Et sane auctoritas Apostolicae Sedis non est nisi auctoritas supremae potestatis; haec porro necessaria non est nisi ut praecipiat Synodum agi et potestatem conferat. Synodus ergo Chalcedonensis quae hanc sententiam probabat, sciebat se fieri hac necessaria auctoritate Apostolicae Sedis. Ergo.

Praeterea, quod pro omnibus conciliis universim valet, principium erat Ecclesiastici iuris: *non oportere praeter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari* (Th. 13.), quod et audivimus mox a Pascha-

sino legato Romanae Sedis; *numquam licuisse absque auctoritate Apostolicae Sedis Synodum celebrari;* atqui hoc iure vigente necesse fuit ut Romanus Pontifex convocaverit Synodos oecumenicas omnes convocatione coactiva.

Socrates quidem l. 2. c. 17. refert sententiam Iulii hoc pacto: *cum ecclesiastico canone interdictum sit, ne praeter sententiam* γνώμην *Romani Episcopi quidquam ab Ecclesia decernatur:* Sozomenus autem l. 3. c. 10. idem referens ait: *legem esse sacerdotalem* ιερατικὸν νόμον, *ut pro irritis habeantur quae praeter sententiam* παρά γνώμην Romani Episcopi fuerint gesta. Ergo secundum ecclesiasticum canonem caret vi Synodus aliquid decernendi sine voluntate aut auctoritate Romani Pontificis irritumque est quidquid ipse non probat. Ut ergo Synodi vim habeant, oportet eius auctoritate illas convocari, ipso potestatem faciente decernendi aliquid pro Ecclesia.

Tandem cum certa sit historica veritas convocationis factae a Romano Pontifice; cuiusmodi fuerit convocatio, colligi debet ex potestate convocantis et ratione cur eius convocatio requiri potuerit: atqui potestas Remanae Sedis est potestas iurisdictionis in Episcopos, quae eorum actus moderatur et regit neque, ratione habita Primatus, alia ratio excogitari potest cur postularetur convocatio Pontificis, nisi quia potestatem ipse facere debet Episcopis ut decernant: ergo convocatio Synodi facta a Rom. Pontifice erat coactiva.

Cum itaque contingit legi in litteris Romanorum Pontificum, se obedire praecepto Imperatorum et concilia convocare ut eis obediant, quemadmodum occurrit in litteris citatis Agathonis, eae sunt formulae modestae, quibus non formalis obedientia Pontificis, quae in his rebus repugnat (§. 18.), significatur, sed materialis h. e. consensus in illud idem quod Imperatores desiderabant et quantum in ipsis erat, praecipiebant. Idem dicendum de illis formulis obsequii quibus Patres absolutis synodis oecumenicis gratias agentes Imperatoribus se ab iis convocatos asserunt; ut videre est in sermonibus prosphoneticis ad Imperatores, vel etiam Patres Synodorum provincialium idem asserentes, ut videre licet in epist. X. Ambrosii ad Gratianum et Valentinianum nomine Synodi Aquileiensis. Loquuntur enim Patres de convocatione ministeriali non coactiva.

b) Constat autem, solos Romanos Pontifices huiusmodi iure legitime usos esse aut uti potuisse. Dicimus *legitime;* non enim agimus de aliqua violenta usurpatione, quae effectum quidem physicum habere potest, non vero moralem. Sane vel Pontifices Ramani vel Imperatores eo iure usi sunt vel Episcopi ceteri. At evidens est creditum fuisse carere Imperatores eo iure. Id enim patet ex disserta doctrina Patrum

illius aetatis asserentium, nullum ius esse Principibus in res Ecclesiasticas, munus Principum esse famulari Ecclesiae, potestatem regiam collatam esse a Deo ad praesidium Ecclesiae. Haec iam dedimus in §. citata.

Creditum est quoque eo iure carere alios Episcopos vel Patriarchas, ut ex reprobatione Dioscori suaeque Synodi ephesinae patet.

Ergo ius coactivae convocationis nunquam spectavit nisi ad Romanum Pontificem.

IV. Romanus Pontifex ius habet praesidendi Conciliis oecumenicis, non praesidentia tantum honoris, sed iurisdictionis. Ius enim praesidendi sequitur naturam sui Primatus: atqui Romanus Pontifex habet Primatum iurisdictionis in universos Episcopos etiam collectos. Id iam demonstravimus Th. 12., quod praeterea ex hactenus dictis magis confirmari potest. Et re quidem vera Episcopi coacti in Synodum non differunt a se ipsis manentibus singulis in suis Ecclesiis nisi ratione actionis; quatenus in suis Ecclesiis singuli seorsim agunt, in Synodo vero actiones singulorum conferuntur unaque prodit actio communis. Quoad *esse* vero idem est coetus Episcoporum dispersus et unitus; Ecclesia enim semper est una, unum corpus. Iam vero universus coetus Pastorum non nisi a Romano Pontifice potestatem habet decernendi actione communi leges pro universa Ecclesia (part. praeced.): iurisdictioni ergo Romani Pontificis subest totum Concilium. Idem ex praerogativa infallibilitatis rursus confirmari potest. Potestas enim docendi potestas est iurisdictionis: porro potestati docendi Romani Pontificis subest universus coetus Episcoporum, qui a Romano Pontifice infallibilitatem mutuatur eiusque sententias sequi debet. Et sane necesse est, ut decreta fidei edita a Concilio sint infallibiliter vera, decreta morum sint infallibiliter honesta; nequit enim Ecclesia regi legibus iniquis: atqui Episcopi etiam simul sumpti potestatem non habent ex se condendi huiusmodi decreta; ergo ratione potestatis non sunt pares coetus Episcoporum et Romanus Pontifex.

Romanus Pontifex semper praefuit Conciliis oecumenicis, quae celebratione oecumenica fuerunt, praesidentia iurisdictionis vel per se vel per suos legatos, ut in prioribus Conciliis in Oriente. Sane in Concilio Ephesino legati de ceteris iudicare debebant non subire certamen, si quaestio aliqua exorta fuisset (Th. 24. F.) Patresque Ephesini testantur se coactos a Caelestino proferre sententiam in Nestorium (ibid.). Praefuisse Cyrillum nomine Caelestini testantur quoque Acta Concilii: lege Actionem VI. et eiusdem relationem apud Marium Mercatorem in secunda sui Operis parte: tum Menologium Graecorum 9. Iunii. « Natalis s. Cyrilli viri eruditissimi, catholicae fidei propugnatoris egregii,

quem Summus Pontifex Caelestinus idoneum iudicavit, cui suas vices in Ephesino Concilio delegaret ». In Chalcedonensi legati Pontificis formam afferebant, quam Patres in iudicando servare deberent (ibid. seq.). In Synodo VIII. iubentur a legatis Patres Act. 1. subscribere formulae Fidei a Pontifice propositae (Th. cit.). Praesedit ergo Pontifex per suos vicarios seu legatos praesidentia iurisdictionis. Atque haec satis sunt, ut iudicium de aliis conciliis in Oriente feratur. Hoc ergo est ius et hic honor Petri, de quo loquitur Leo cum ait praesentiam suam a Synodo flagitatam fuisse (epist. 93. ad Synod. Chalced.) *b. Petri Apostoli iure atque honore servato:* ius scilicet erat quod pro omnibus Synodis valebat, ius autem erat praesidendi: « in his fratribus, ait, Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet *praesidere* ». Atqui ius Petri, ipso Leone teste, est ius Petrae Ecclesiae, ius Confirmatoris, ius Pastoris: ius scilicet supremae iurisdictionis; ergo praesidentia de qua loquitur Leo est praesidentia cum iurisdictione.

Et sane, quod pro omnibus Conciliis valet, in Ecclesia obtinebat *lex* Conciliorum id praecipiens, ut praesidentis locus tribueretur Romano Pontifici eiusve legatis. Id nos docet Synodus VII. Nam Synodus VII. Act. 6. probat Synodum Episcoporum a Copronico coactam pro haeresi Iconomachiae asserenda, non posse vocari Concilium oecumenicum, quia « non habuit adiutorem Romanorum Papam nec etiam per Vicarios eius, neque per encyclicam epistolam, *quemadmodum lex edicit Conciliorum* ». Atqui adiutorium praestitum Synodis a Rom. Pontifice sive per se sive per suos vicarios aut per encyclicam epistolam, si historiam consulamus, in eo erat ut Rom. Pontifex convocaret Synodum legatosque mitteret, qui Synodum moderarentur de omnibus iudicaturi atque etiam doctrinam praeformaret necessario tenendam, quam per legatos suos proponebat. Id porro complectitur ius quoque praesidendi potestate iurisdictionis. Lex ergo erat ut Rom. Pontifex auctoritate iurisdictionis praesideret Conciliis.

Dubitarunt quidam an Pontifex praesederit priori Concilio Nicaeno; quia in subscriptionibus primus subscribit Osius cum solo titulo *Episcopi,* tum sequuntur Vitus et Vincentius cum hoc titulo: *presbyteri Romani pro venerabili viro et Episcopo nostro sancto Silvestro subscripsimus.* Verum 1° praefuit ergo Osius: at quo titulo Episcopus Cordubensis praefuit universali synodo, in qua Patriarchae aderant et in qua iura primarum Sedium sollicite (can. 6.) custodita sunt? Ius praesidendi non ex merito personae sed ex dignitate Sedis dependet. 2° Testes exstant qui affirmant Osium praesedisse ex delegatione Silvestri:

Eusebius lib. 3. *Vitae Constantini*, secundum quod refert Gelasius Cyzicenus l. 2. hist. Conc. Nicaeni (Cf. Natalem Alex. H. E. Sec. 4. Diss. 12.), Adrianus I. in Epitome canonum in praefatione canonum Sardicensium, Leo IX. in epist. ad Michaelem. Cf. Natalem l. c.

Dices praesedisse quoque Imperatores. Discrimen inter Pontificis et Imperatoris praesidentiam, quod quidem ex rerum naturis satis manifestum esset, docent disserte Patres Chalcedonenses in relatione actorum in Synodo ad Leonem (inter epist. Leonis 98.) aientes Leoni: « Tu quidem *sicut membris caput* praeeras in his qui tuum tenebant locum benevolentiam praeferens: fideles vero Imperatores *pro decenti* ordine (πρὸς εὐκοσμίαν) praesidebant ».

Verum doctor Belga Gilbert (in Tract. theologico canonico an. 1687. Disp. 1ª q. 3. §. 3.) haec contra hactenus dicta statuit: 1° de iure spectare ad Rom. Pontificem convocare Synodos oecumenicas eisque praesidere: 2° de facto autem plura concilia habita fuisse, quae nec ipse convocavit et in quibus ipse non praesedit auctoritative et quae tamen habita fuere legitima ab Ecclesia. Quoad convocationem, id probat provocans ad Concilia in Oriente habita, quam ab Imperatoribus convocata fuerunt.

Quoad praesidentiam concedit quidem ius habuisse Pontificem praesidendi per se, sed negat praesedisse suos legatos in iis conciliis, excepto Chalcedonensi, cuius fuit ratio specialis. Nam ut ipse ait, haec tunc ratio servabatur, ut primae Sedis Antistes, si adesset, praesideret, eo vero absente, Episcopus secundae Sedis praesideret et ita porro. Ita in Nicaena 1ª Synodo praefuit Eustathius Episcopus Antiochenus, ut testatur Felix III. epist. 5. ad Zenonem Imper. ubi de Petro Fullone dicitur quod « Sanctam Sedem polluit Ignatii Martyris... Eustathiique confessoris ac praesidentis tercentum decem et octo Patrum, qui in Nicaea convenerunt ». Cur vero non praesederit Episcopus Alexandrinus, hanc rationem reddit, quia de eo simul cum Ario causa agebatur. Item Constantinopolitano 1° ait praesedisse Patriarcham Constantinopolitanum, quem iam supponit obtinuisse secundam sedem inter Patriarchas. Ephesino praesedit Cyrillus, idque ex eo patet quod primus subscripserit non adiecta significatione legationis, secus ac fecerint ii qui Roma advenerant: subscripsit scilicet ut praeses Concilii. Concilio V. praefuit Mennas et post eum Eutychius, Patriarchae. Constantinopolitani. Sextae et septimae pariter Patriarchae Constantinopolitani praefuerunt qui dexteram tenebant, iuxta eos assidentibus legatis Romanae Sedis. Octavae vero Synodo, cum non interessent nisi legati Patriarchalium Sedium, iure merito praesederunt legati Romani. In Concilio IV. Chalcedonensi ratio specialis fuit, cur legati Romani prae-

siderent: quia scilicet ceteri Patriarchae defecerant a recta fide. Quae ratio ne conficta videatur, testis adhibetur ipse Leo epist. 89. ad Marcianum inquiens: « Quia vero quidam de fratribus (episcopis nempe in latrocinio ephesino), quod sine dolore non dicimus, contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam, praedictum fratrem et coepiscopum meum (Paschasinum) vice mea Synodo convenit praesidere ». Porro negat idem auctor ex ordine subscriptionum validum argumentum duci, nam in iis habita ratio fuit praecellentiae Ecclesiarum patriarchalium secundum se ipsas.

Iam vero quod spectat ad convocationem iam satis in superioribus responsum est. Ad praesidentiam quod attinet, haec primum notare licet in hac singulari theoria, 1° Contradictio est in eo, quod ex subscriptionibus negetur aliquid probari et probetur Cyrillum praesedisse Ephesinae Synodo, quia primus subscripsit. 2° Ignoratio est historiae Ecclesiasticae. Nam *a)* falso supponitur, Episcopum Costantinop. obtinuisse secundum locum inter Patriarchas, cum sub Damaso Concilium 1^m^ Constantinop. haberetur. *b)* Falsum quoque est Concilium hoc et V. fuisse celebratione oecumenicum. *c)* Falsum est ad 1^m^ Concilium Alexandrum Episcopum Alexandrinum veluti reum aut actorem convenisse, ac si, quod falso supponitur, ante Nicaenam Synodum dubia esset aut esse potuerit fides de Filii divinitate. Professio enim fidei Trinitatis semper fuit explicita in Ecclesia, quam tot quoque martyres testati sunt; non ergo Patres in Nicaea convenerunt in Synodum, ut duos litigantes actorem et reum, Alexandrum nempe et Arium audirent, sed ut haeresim iam manifestam profligarent, fidem tuerentur omnesque fideles a perversione immunes conservarent. *d)* Falsum est dexterum locum digniorem fuisse, « quod (ut verbis utamur Natalis Alexandri H. E. sec. 4. diss. 12.) exemplo Concilii Chalcedonensis probatur: cuius in prima Actione ita dispositus legitur Episcoporum consensus, ut a sinistra parte Sedis Apostolicae legati et post ipsos Patriarchae Constantinopolitanus et Antiochenus, a dextris vero Dioscorus Alexandrinus quamvis proxime damnandus et Iuvenalis hierosolymitanus sederent. Huiusmodi proculdubio consessus ex sollemni praecedentium conciliorum more desumptus fuit. Id autem duplici ratione potuit contingere: sive quod in Ecclesia Christi ad imitationem patriarchalis benedictionis Iacob, mutato rerum ordine, dextera in sinistram dignitatis causa mutaretur: sive quod Romanis pars sinistra melioris esset auspicii, teste Varrone et aliis profanarum literarum magistris, ac proinde dignior haberetur, sed illud in sacris tantummodo atque divinis quod, ut aiunt, sinistra nostra numinis dextra censeatur ». Hactenus Natalis. Porro in Conc. Chalced., ipso Gilbert fatente, prae-

sederunt Legati Leonis; ergo primus in dextero ordine locus non erat locus praesidentis; ex quo patet etiam alia huius scriptoris contradictio, si historiam noverat. Sic pariter in sexta Synodo sederunt primo loco ad laevam Legati Romanae Sedis primique in censu convenientium ad Synodum nominantur: in septima vero locus sedium non indicatur, sed primi semper Legati Pontificis appellantur. *d)* Falsum est, Cyrillum absque auctoritate Caelestini, praesedisse Synodo Ephesinae, ut liquet ex alibi dictis.

Ratio ergo addita a Leone non est exclusiva, qui inter iura Petri recensebat praesidentiam in Synodis; sed supposita institutione Primatus debitaeque subordinationis Episcoporum erga Romanam Sedem, ostendit nihil boni sperari posse ab Episcopis adunatis in Synodum, qui absque capite suo conveniant: ut ergo res bene vertant, oportere ut Romanus Pontifex Synodos moderetur.

At Felix III. (spuria haec epistola censetur) significat quidem Eustathium fuisse inter primos Antistites, non vero obtinuisse absolute primum locum. Nam identidem propter specialem eorum dignitatem et auctoritatem Patriarchae omnes praesentes dicuntur praesedisse Synodo. Ita Cedrenus in compendio historiarum loquens de Nicaena Synodo ait: « praeerant ei Silvestri Papae Romani locum tenentes Vitus et Vincentius presbyteri, Metrophanes (Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis ponit Alexandrinum) Byzantii, Alexander Alexandriae, Eustathius Antiochiae et Macarius Hierosolymorum Episcopi.

Verum quidem est, in subscriptionum ordine habitam fuisse rationem praecellentiae Ecclesiarum inter se: at simul ex iis colligere licet quis Synodo praefuerit. Tenendum est enim aliquem Synodo praefuisse, quod et Gilbert concedit; is vero praefuisse dicendus est qui primus subscribit: nam ordo subscriptionum ordinem repraesentat quem habent inter se Episcopi in Synodo; est enim ordo suffragiorum quae feruntur in Synodo. Excellere vero Rom. Pontificem aliis Patriarchis docebunt te etiam Patriarchae Orientis, Antioch. Hierosol. Alex. litteris suis datis ad Syn. VII. et lectis Act. 3ª quas lege (a).

Ceterum ea ratio praesidentiae, quam excogitavit Gilbert, Primatum Rom. Pontificis reducit ad quendam primatum honoris; in hac enim hypothesi tantum verum esse potest quod absente Primate ius habeat praesidendi qui alter est ab illo, licet huius legati adsint. At si Pri-

(a) Advertere licet has Synodos fuisse reapse, si spectes Episcopos convocatos, Synodos tantum orientales, desideratam vero fuisse ab ipsis orientalibus auctoritatem Romanae Sedis, quae convocaret, praesideret, confirmaret, quia de fide agebatur et ut Synodus oecumenica evaderet, omnes obligans fideles.

matus est iurisdictionis, cum eius auctoritas moderatrix necessaria sit ut actus sint legitimi et validi, opus est ut legati vice eius praesentes eiusque auctoritatem Synodo praeferentes eidem praesideant.

Hactenus dicta de potestate Romani Pontificis supra Concilia, tum convocationis tum praesidentiae, confirmantur auctoritate Leonis X. in Bulla *Pastor aeternus* lata sacro approbante Concilio Sess. 11. Concilii Lateranensis V. (a) Ait enim, Concilium Basileense, post abrogationem Eugenii IV., Concilium amplius appellari non meruisse, et solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam conciliorum indicendorum, quam transferendorum et dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis ss. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constare ».

Cum utroque iure convocandi et praesidendi nexum est ius proponendi, seu determinandi materiam circa quam deliberandum sit et sententia ferenda. Eius est enim determinare de qua re sit agendum ab Episcopis, qui eisdem potestatem facit per convocationis actum tractandi de rebus ad universam Ecclesiam pertinentibus: sicut enim poterat non vocare nullamque facere potestatem, ita potest, quas vult materias excludere, negata pro illis potestate et sicut unus Romanus Pontifex convocare potest, ita unus ius habet statuendi obiectum circa quod versetur actio communis Convocatorum. Item eius est in Concilio determinare materiam tractandam, cuius iurisdictioni ceteri subsunt, est enim ille actus auctoritatis. Ergo. Hinc Leo noluit unquam probare quod in Synodo Chalcedonensi actum fuerat praeter id quod *in materia fidei* decisum fuerat; quia in hunc solum finem concilium convocaverat atque miserat legatos, ut ipse testatur epist. 119, ad Maximum Antiochen. et epist. confirmatoria Synodi.

V. Quid ergo possunt in Concilio Episcopi? Iam vidimus n. III. potestatem ferendi leges et decreta fidei edendi pro universa Ecclesia derivari in eos a Romano Pontifice. Neque demonstratio, quam huius veritatis dedimus, pendet a sententia quod iurisdictio Episcoporum in suis ecclesiis sit immediate a Romano Pontifice. Etsi enim teneatur, hanc iurisdictionem esse immediate a Deo, tamen iurisdictio quam Episcopi exercent in Concilio dicenda est esse a Romano Pontifice. Nam actus ferendi leges pro universa Ecclesia est proprius illius auctoritatis quae suprema est, quae potest quidem participationem sui aliis com-

(a) Negabant olim Gallicani Conc. V. Later. fuisse oecumenicum: cum tamen vellent tale fuisse Basileense. Nunc de hac re quaestio est inutilis theologo.

municare, sed sine cuius consensu nulla obligatio imponi potest toti societati. Atqui ex Christi institutione auctoritas suprema in Ecclesia est auctoritas Primatus, quae uni competit eademque manet sive Episcopi convocati sint sive secus; manet enim semper Petra, Confirmator, Pastor omnium: ergo.

VI. Exsistentes autem Episcopi in Concilio sunt iudices fidei non meri consultores. Sane ius illud non amittunt congregati quod ex munere suo habent singuli in suis Ecclesiis, imo ex coniunctione cum supremo Iudice potius ius illud perficitur quatenus ampliatur eius extensio. Sunt tamen ipsi ex sese iudices inferiores, a quorum sententia appellari potest, quorum proinde sententia irrefragabilis non est ex sese et peremptoria. Verum id, ut iam monuimus, non tollit rationem veri iudicii, sed solum specialem gradum, hoc est iudicii supremi. Et re quidem vera sententia Concilii prout talis est, habita semper fuit ut sententia iudicialis: porro sententia Concilii sive sententia conciliaris non habetur, nisi universitas vel maior aut sanior pars Episcoporum quoque consentiat. Quamvis enim Pontifex ex se solo possit definire, nequit tamen edere definitionem conciliarem, nisi *sacro approbante Concilio:* id perpetuo in Ecclesia retentum est et ex ipsis rerum naturis oritur; conciliaris enim sententia supponit concilium seu coetum plurium. Si autem sententia conciliaris est sententia iudicialis et conciliarem sententiam formaliter constituit quoque consensus Episcoporum; est consensus iudicialis.

Attamen adverte quod cum iudex prout auctoritatem habet referatur ad eos qui subditi eius sunt, Episcopi, cum iudices dicuntur in quaestionibus fidei, spectantur in ordine ad fideles, quibus tanquam subditis et inferioribus ius dicunt sententiamque suam proponunt. Pastores enim sunt, ideoque et iudices, ut ait Pius VI. Episcopi si populos respicias, quod si Pontificem spectes, non sunt nisi oves pascendae (Th. XIII. IV.).

VII. Difficultas est cum Episcoporum sententiam praevertit sententia Romani Pontificis, quid illis agere liceat et primo cuius examinis ius ipsis competat.

Dicimus examen, cuius ius habent Episcopi, cum iam Romanus Pontifex definivit, non esse *dubitativum*, sed *comprobativum*. Declaratur primum appellatio ista duplex. Examen *dubitativum* dicitur quod incipit a dubio rei, supponit scilicet vel iure supponere potest rem, de qua quaerendum est, dubiam esse adhuc, ignorari nempe an sit vera vel falsa eoque spectat examen ut veritas rei, si est, innotescat. Examen *comprobativum* non incipit a dubio rei, sed imo rem ipsam ponit certam; at quamvis res certa sit, ideoque aliquod eius motivum quod certitudinem gignat, teneatur, puta auctoritas quae non fallitur; pos-

sunt tamen adhuc ignorari alia motiva, quorum cognitio efficiat notitiam rei clariorem et, si fieri potest, certiorem. Hoc examen non incipit a dubio rei, sed, quia quodlibet examen supponit aliquod dubium, incipit a dubio vel de exsistentia aliorum motivorum, vel de qualitate aut natura eorum. Priore examine utuntur qui dubitantes vere an anima humana sit immortalis, demonstrationem quaerunt qua primum haec veritas persuadeatur. Altero utuntur qui de ea re certi, puta ex fide, vel ex communi et universali hominum consensu, penitiora inquirunt motiva, quibus veritas magis eluceat et firmius retineatur.

Porro huius duplicis examinis distinctio adhibita quoque examini, cuius ius habent Episcopi in Synodis, non est arbitraria et conficta ad praecavendas difficultates, sed obiectiva est et verissima. Etenim 1° si res per se spectetur, evidens est, quod licet constet propter magisterium infallibilis auctoritatis rem esse veram, potest tamen adhuc ignorari quibus Scripturae vel Traditionis testimoniis res ipsa asseratur quibusque argumentis ex analogia fidei petitis eiusdem veritas intrinsece illustrari possit, quibus tandem modis eadem a cavillationibus haereticorum sit invictissime defendenda. Licet igitur instituere horum omnium examen, manente certitudine veritatis rei. 2° Si historia consulatur, evidens quoque erit examen comprobativum, excluso dubitativo, habuisse locum in Conciliis. Nam nequit certe dubitari de veritate rei, quae per oecumenicum Concilium sit definita: porro in Concilio Lugdunensi II. sollemniter definitum fuit Spiritum S. a Patre Filioque procedere, Romanam Ecclesiam tenere summum et plenum primatum in universam Ecclesiam: definitum id inquam est, nam probante universo Concilio ita professi sunt Graeci et propter hanc professionem unio facta est: verum utraque veritas rursus ne dum ab Orientalibus sed et ab Occidentalibus Romanoque Pontifice, qui eam certissime credebant, ad examen revocata est in Florentino Concilio. Huiusmodi ergo examen ex parte saltem Occidentalium non fuit dubitativum, sed solum comprobativum. Praeterea in concilio Lateranensi IV. definitum est dogma transsubstantiationis. Idem autem dogma rursus in Tridentina Synodo revocatum est ad examen sess. 13., ut contra Protestantes eadem doctrina assereretur.

Et re quidem vera 3° praesto est auctoritas Leonis, qui utrumque componit, nimirum Episcopos ius examinis habere circa rem ab ipsis definiendam et examen huiusmodi non esse dubitativum. Primum docet in epist. ad Theodoretum, exponens emolumenta consensus Episcoporum in sententiam Romani Pontificis: « Ipsa veritas et clarius renitescit et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum

splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas ». Alterum docet epist. 93. ad Patres Chalcedonenses inquiens: « In his fratribus Paschasino etc. me Synodo vestra fraternitas existimet praesidere, non abiuncta a vobis praesentia mea qui nunc in vicariis meis adsum et iam dudum in fidei catholicae praedicatione non desum, *ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus.* Unde fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi, cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per litteras, quas ad b. memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum quae sit de Sacramento Incarnationis D. N. I. C. pia et sincera confessio ». Debebant ergo Episcopi examen instituere rei definiendae sententiamque suam proferre; quin tamen illis de ea re tanquam dubia agere liceret. Quaecumque vero fuerit ratio, cur res amplius dubia non esset, illud certe constat, Patres in concilio Chalcedonensi, quibus fides Nicaena declarata fuerat a Leone in sua epistola dogmatica, quique secundum eam iudicare debebant, sententiamque ferre circa eam doctrinam, quam antiquae Nicaenae Synodi constitutum appellat Leo, et potuisse examen instituere et non potuisse dubitare de rei veritate. Itaque huiusmodi distinctio duplicis examinis obiectiva est et verissima.

Iam vero in hypothesi quod Romanus Pontifex ex cathedra sententiam suam tulerit, non aliud examen licere Episcopis manifestum est. Si enim definitio eius est ex sese infallibilis et irreformabilis, repugnat ut de ea amplius liceat dubitare; sed est irretractabili firmanda assensu, ut ait Leo epist. cit. ad Theodoretum *(quae nostro prius ministerio definiverat (Deus) universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu).* Quibus verbis non significat Leo tunc doctrinam Pontificis evadere irretractabilem, cum accesserit consensus Episcoporum; nam non doctrinae ab Episcopis traditae, sed eorum assensui tribuit hoc praedicatum Leo: porro assensus tunc est irretractabilis, cum doctrina, cui adhaeret mens, iam est ex se irrefragabilis et ideo irretractabili assensu firmanda est; quia est ea in se irretractabilis, h. e. non amplius tanquam dubia tractanda; et sane talis esse dicenda est quam definivit Deus.

Huius vero examinis ius Episcopos in Concilio habere constat. Sunt enim iudices atque in Synodum vocantur non solum ut credant, sed etiam ut iudicent sententiamque suam fidelibus universis authentice proponant: iudicium vero ferendum est cum cognitione causae; ius ergo habent cognoscendi motiva quibus veritas docenda stabilitur.

Praeterea sunt ipsi magistri authentici qui doctrinam a Pontifice propositam docere fideles suos eamque probare ac vindicare debent; id autem sine huiusmodi examine praestare nequeunt: cum ergo ipsis sit debitus finis, ad medium quoque ius habent. Ex quo etiam eorum officium liquet, debent enim authentici doctores ita comparati esse, ut sciant declarare veritates fidei easque probare et vindicare.

VIII. Examini succedit suffragium quo doctrina probatur. Suffragium Episcoporum, examine peracto reque, ut par est, cognita, dicimus debitum esse quoad specificationem actus in illud quod Pontifex definivit, si eius sententia praecessit et quoad exercitium, si idem Pontifex vult illud, de quo examen institutum est, definiri. Ratio est quia praecedente sententia Pontificis, res ab eo definita est certe vera; adhibito examine illustrior notitia motivorum eius obtenta est: quare nisi per accidens quis quavis ex causa hallucinetur, omnibus veritas manifestissima esse debet. Atqui iudex a superiore ad iudicandum vocatus, sedens ut iudex, postquam causam cognovit, tenetur tum, quoad specificationem actus, secundum rei veritatem cognitam iudicare, tum, quoad exercitium actus, tenetur sententiam ferre nec potest eam suspendere. Neque id obest libertati iudicii: neque enim libertas iudicii in eo est, quod iudex pro lubito suo sententiam ferat quae ei placet et cum placet; sed quod permittatur iudex secundum normam veritatis et iustitiae iudicare, nulla adhibita extrinseca causa, quae avertens eius animum ab amore veritatis et iustitiae, pervertat quoque sententiam suam. Unde tunc maxima est libertas iudicii, cum et causae corruptivae rectitudinis affectuum removentur et uberrima copia cognitionum pro inquisitione rei suppeditatur. Ipsa autem lex naturalis honestatis postulat a iudice, ut iudicet secundum veritatem atque ut sententiam ferat cum officium iudicandi sibi assumpsit causamque cognovit, si praesertim id partes postulent, aut superior iubeat. Itaque suffragium Episcoporum probans doctrinam Pontificis, examine instituto, debitum est.

IX. Suffragium autem ferentes Episcopi simul cum Pontifice, sive Pontifex antea proposuerit quid credendum sit, sive postea accedat consensu suo, illud Episcopi tum omnes tum singuli vere definiunt auctoritate sua. Definitio enim est actus auctoritatis docendi et iudicandi in causis fidei, docendi, inquam, fideles et sententiam iudicialem ferendi erga ipsos fideles: hanc antem auctoritatem habent Episcopi, quam proinde exercentes vere definiunt; licet haec definitio per se sola seorsim spectata sit incompleta seu imperfecta, sicut incompleta est eorum auctoritas docendi. Etenim definitio doctrinae quae testificatione asseritur, quaeque est authentica approbatio doctrinae concilians ei

fidem penes discipulos, tum completa esse potest, tum incompleta. Quemadmodum enim duplex distinguitur sententia iudicialis, altera vere iudicialis sed appellabilis, altera iudicialis et peremptoria: ita duplex est definitio distinguenda respondens duplici potestati iudiciali. Definitio completa seu peremptoria propria est per se Romani Pontificis. Quoad ceteros autem Episcopos, etsi omnes doceant, nondum exsistente tamen consensu vel suffragio Romani Pontificis, quoniam haec universorum sententia adhuc indiget confirmatione, quae vim et robur illi addat; hinc nondum eorum magisterium est definitio peremptoria, sive ea authentica approbatio doctrinae quae fidem exigat: quamvis certitudinem quamdam ea gignere possit, cui temerarium sit repugnare. Cum vero Episcopi simul docent cum Romano Pontifice et ab eo assumuntur in consortium suae supremae auctoritatis docendi universam Ecclesiam, tum suffragium eorum sub duplici respectu rursus considerari potest: absolute secundum valorem quem habet propter propriam auctoritatem singulorum etiam simul sumptorum, relative prout est elementum unius definitionis et confirmationis universalis, quae est definitio et confirmatio conciliaris. Si priore modo spectetur, eorum suffragium est definitio incompleta confirmans confirmatione authentica quidem sed nondum irreformabili doctrinam. Si altero spectetur modo, quoniam uniuntur simul cum Romano Pontifice, et ex omnibus simul unus exsistit actus definitionis conciliaris quae peremptoria est, Episcopi omnes simul cum Romano Pontifice vere definiunt peremptorie, quia vere sunt simul cum ipso causa illius unius actus qui est definitio Conciliaris. Diverso tamen modo: nam Pontifex *per se* peremptorie definit, Episcopi propter ipsum Pontificem. Itaque omnes Episcopi auctoritate sua definiunt vere, si definitio generice spectetur: prout vero specifice sumitur pro definitione peremptoria, ita quoque definiunt quatenus simul docentes cum Romano Pontifice edunt cum eo actum, qui est definitio irrefragabilis et peremptoria doctrinae. Itaque peremptorie definiunt non per se sed per Romanum Pontificem.

Ratio huius assertionis ea est quam statuimus in praeced. Thesi. Nam infallibilitas coetus Episcoporum est tandem participata; magisterium enim ceterorum Pastorum est magisterium confirmandum a magisterio Petri, qui Pastor est et Confirmator Pastorum omnium etiam simul sumptorum.

X. Ex hactenus disputatis colligere licet, quaenam sit dignitas et auctoritas Episcoporum in Concilio. Etenim patet 1° Episcopos in Concilio vere esse iudices et quidem cum Episcopi praevertunt suffragio suo sententiam Pontificis, nulla est specialis difficultas, sed satis sunt dicta superius n. 6. Verum et cum sequuntur Pontificem praeformantem

doctrinam, iudices agere manifestum est. Nam *a)* eorum actus consequens idem manens quoad substantiam potuisset praecedere, porro si fuisset tunc actus iudicialis, erit et modo. Praeterea *b)* Episcopi 1° instituto examine causam cognoscunt ex auctoritate quam habent custodiendi, vindicandi et docendi fidem: 2° ex eadem auctoritate, extensa quidem per Pontificem ad universam Ecclesiam, attamen ipsis quoad certam partem gregis propria et per quam iure divino sunt idonei ad hanc amplitudinem auctoritatis accipiendam, sententiam ferunt doctrinamque confirmant cum Romano Pontifice: et 3° ex eadem auctoritate sententia eorum procedens fertur in subditos fideles qui eos audire debent: unde 4° per consensum Episcoporum exsistit sententia conciliaris, quae est certe iudicialis.

Quare differt prorsus sententia Episcoporum a sententia aliorum, puta theologorum, quae praevertat, vel accedat definitioni Pontificis. Isti enim non ex auctoritate iudicant nec sententiam ferunt in subditos nec eos tenentur fideles audire; nec per ipsos authentice definitur, confirmatur, vindicatur doctrina fidei. Quare etsi illos sibi associaret Pontifex, non haberetur nisi auctoritas unius docentis; auctoritas nempe Pontificis: auctoritas inquam illa docendi, quam Christus ipse instituit, cum magisterium authenticum instituit. Nec dicas exinde sequi, quod infallibilitas Episcoporum non sit nisi infallibilitas discipulorum: ideoque eam non differre ab infallibilitate ceterorum fidelium; vel in quo ergo differt? Nam certum est ex probatis in superioribus, quod Episcopi vel simul sumpti se habent ad Romanum Pontificem ut oves pascendae, ut fratres confirmandi, ut columnae aedificii sustentandae a fundamento; ideoque ita sunt Pastores ut sint etiam oves, ita regunt ut etiam regantur, ita docent ut etiam doceantur. Duplex haec habitudo Episcoporum est ob oculos habenda, si rite oeconomiam Ecclesiae intelligere velimus. Cum igitur et ipsi sint regendi et docendi, nequit infallibilitas ipsis per se competere; cur enim docendus sit qui ex se est infallibilis? Si ergo totus quoque Pastorum coetus pascendus est a Romano Pontifice, ille ex se seorsim a magisterio Romani Pontificis nequit esse infallibilis. Episcopis tamen competit infallibilitas alia ac ea quae competit fidelium coetui. Huic namque competit infallibilitas *passiva*, illis vero infallibilitas *activa*. Etenim competit ipsis infallibilitas propria magisterii authentici, quae toti magisterio promissa est quaeque est ratio infallibilitatis ceterorum; ita tamen toti magisterio competit infallibilitas, ut immediate et absolute insit Romano Pontifici, mediate et sub conditione ceteris, si nempe cohaereant cum magisterio illius, si ab eo confirmentur, si ab eo pascantur.

Dices: si ita est, potuit ergo Romanus Pontifex ex se solo suam

definire infallibilitatem. Id vero concedimus, imo contendimus. Et primo quidem id concedi debere manifestum est. Etenim 1° si Ecclesia potest suam definire infallibilitatem, cur non poterit Pontifex? 2° Si potest Pontifex conciliariter definire, potest et ex se solo: infallibilitas enim definitionis conciliaris est ipsa infallibilitas Pontificis visque irrefragabilis definitionis conciliaris ontologice pendet a definitione Pontificis, quatenus haec ex se est infallibilis suamque infallibilitatem communicat consensui ceterorum. Nec alia definitio conciliaris concipi potest, quae non hoc modo innitatur auctoritati Romani Pontificis. Qui ergo obedivit definitioni conciliari (et quis catholicus non obedire debuit?) debuisset quoque acceptare definitionem solius Pontificis fideique obsequium ei praestare.

Verum difficultas quaedam exsistit, quia videretur tunc habere locum petitio quaedam principii. At reapse non est ita. Sane 1° eadem difficultas fieri posset, si Ecclesia explicite definiret suam infallibilitatem et tamen quis non videt Ecclesiam posse suam infallibilitatem explicite definire? cur enim hoc dogma, quod deposito revelationis certe continetur, excludetur a censu eorum circa quae magisterium Ecclesiae sententiam suam ferre potest; cum omnis veritas revelata obiectum sit magisterii Ecclesiae? Nec ulla est heic petitio principii. Satis est enim supponere principium aliquod universalius, nempe magisterium Ecclesiae esse magisterium divinitus institutum, cui omnes homines credere debent, ut salvi fiant: quod ex motivis credibilitatis certum est rationi. Hoc posito scimus credendum esse magisterio huic in iis omnibus quae tanquam sibi a Deo tradita docet iusque illi esse docendi quidquid a Deo revelante accepit; in quo infallibilitas quoque sua, quod nemo negat, continetur. In hoc processu rationis infallibilitas magisterii iam tenetur cum tenetur ipsum esse magisterium divinum, est enim illud ab hoc inseparabile; exsistente vero speciali actu eiusdem circa suam infallibilitatem, fides illa divina, quae propter motiva credibilitatis habebatur, confirmatur rursus efficiturque *divina catholica*, cuiusmodi est fides quae veritatibus a magisterio Ecclesiae propositis adhibetur.

2° Quoad Romanum vero Pontificem definientem suam infallibilitatem, satis esset supponere quod certissime creditur in Ecclesia, quod et Gallicani profitebantur, quamvis quidquid eo continetur, recipere nollent; scilicet Romanum Pontificem esse Petram Ecclesiae, esse Pastorem et Doctorem omnium, universam Ecclesiam obedire debere Romano Pontifici: hoc enim posito consequens est decreta etiam fidei ab eo lata obligare omnes credendumque esse ab universa Ecclesia quod ipse docet idque iure divino ideoque et credendam eius infallibi-

litatem, si eam definit. Quare infallibilitas Romani Pontificis et implicite crederetur cum creditur ipsum esse Ecclesiae Petrum, et explicite colligeretur theologice ex iis principiis ac tandem propter auctoritatem ipsius supremi Pastoris obligantem omnes, cum nossent fideles imo universa Ecclesia se obedire debere illi ab eoque pasci, crederetur quoque fide catholica eius infallibilitas, si decretum fidei de ea re Pontifex solus ederet.

Et ut ob oculos res ponatur, fac Romanum Pontificem ex se solo definivisse suam infallibilitatem et doctrinam hanc proposuisse tenendam ab universa Ecclesia sub poena negatae suae communionis iis qui nollent obedientiam fidei praestare: quid censes putaturam fuisse Ecclesiam sibi integrum esse? an detrectare fidem? verum quo abiisset unitas inter Petrum (quae est ipse sedens in cathedra Romana) et aedificium? quae fides illius dogmatis: Romanum Pontificem esse Pastorem et Doctorem omnium Christianorum? Scilicet sensisset universa Ecclesia ex ipsa sua insita dependentia, ex divina institutione, a Romano Pontifice, necessitatem sibi incumbere credendi: et idcirco sola definitio Pontificis fuisset satis pro definiendo hoc dogmate in Ecclesia.

Et re quidem vera proprium est auctoritatis cuiusque supremae suas praerogativas affirmare iudiciumque eius est irrefragabile. Id ergo et voluit Christus in Ecclesia sua: suprema autem auctoritas in Ecclesia est penes Romanum Pontificem. Voluit ergo Christus, ut ipse irrefragabiliter iudicium ferre posset de suis praerogativis ideoque et de infallibilitate, an ei competat nec ne. Porro id nobis satis est ut credamus testanti Pontifici suas praerogativas ipsamque infallibilitatem: credendum est enim illi, cui Deus vult credi.

Ceterum advertendum est, non accurate loqui eos qui dicunt Catholicos credentes doctrinam definitam in Concilio Vaticano, non inniti nisi testimonio solius Pontificis. Si quis velit ei inniti, id quidem satis est, ut modo declaravimus. Verum non est id necesse. Distinguendum est enim inter infallibilitatem Concilii obiective in se spectatam, et subiective quoad nos. Si obiective in se spectetur, verum est infallibilitatem Pontificis esse rationem infallibilitatis ceterorum eamque proinde antecedentem esse natura infallibilitati ceterorum. Si autem subiective quoad nos spectetur, notior erat infallibilitas Concilii seu Pontificis cum Episcopis docentibus, quam Pontificis solius; ideoque ab illa ad istius notitiam progressus fieri poterat. Iam vero et id contigit per definitionem vaticanam. Testificationi ergo totius Concilii non solius Pontificis credimus, cum infallibilitatem huius credimus vi definitionis vaticanae.

DE CONCILIIS 2ª

THESIS XXIX.

Nullum est proinde essentiale discrimen inter definitionem editam a solo Romano Pontifice et definitionem conciliarem, sed tantum accidentale. Quare Concilium oecumenicum numquam est simpliciter necessarium; utile tamen et secundum quid necessarium non raro esse potest.

1. Essentiale discrimen inter utramque definitionem sumendum est ex parte *valoris* actus; est enim utraque sententia iudicialis ecclesiastica obligationem inducens assensus in rebus fidei vel morum: porro cum idem sit obiectum et utraque sit potestas ecclesiastica, nequeunt essentialiter differre nisi ratione valoris actus et idcirco potestatis; a qua oritur valor actus. Porro ex dictis manifestum est, valorem utriusque definitionis esse essentialiter eundem et ab eadem potestate oriri: est enim uterque actus ex se infallibilis et irreformabilis, obligans universam Ecclesiam et actus est uterque supremae in Ecclesia potestatis, h. e. Primatus: ergo.

At discrimen aliquod accidentale interesse negari nequit, sive entitas actus spectetur, sive spectentur omnes effectus, quos unus actus prae alio natus est producere. Quoad primum enim definitio conciliaris est actus ad quem auctoritas quoque Episcoporum concurrit actusque est procedens a toto magisterio authentico atque est proinde in se splendidior manifestatio et sollemnior confirmatio veritatis. Agit enim non tantum Caput sed et totum corpus simul cum capite. Quare in huiusmodi actu non habet tantum locum auctoritas *Papalis* sed et *Conciliaris:* auctoritas nempe etiam ceterorum qui membra sunt magisterii authentici a Christo instituti.

Dices: hoc ipso probari quod maior vis intrinseca insit definitioni conciliari. Num cum Episcopi etiam docent, adest auctoritas quoque eorum, quae confirmat decreta fidei; quae auctoritas robur addit quoddam decretis, quod in solius Pontificis definitione non reperitur.

Respondeo: cum quis dicit auctoritatem Episcoporum robur addere decreto Pontificis, oportet ut concipiat auctoritatem eorum seorsim ab auctoritate huius, simul tamen omnes convenientes in idem. Porro auctoritas Episcoporum est quidem ex se auctoritas quaedam gravis sed non peremptoria, unde doctrinam confirmat confirmatione incompleta: quamvis vero ex se aliquod robur licet imperfectum conferat

doctrinae quam sancit, si tamen accedat decreto iam ex sese infallibili, nullum per se robur potest illi *formaliter* addere, tum quia illud ex se iam habet omnem firmitatem quam potest habere, tum quia quod est ex se infirmum, et per aliud firmandum nequit accessione sua firmare illud a quo firmandum est. Habetur ergo tantum additio quaedam materialis, quatenus plures sunt qui idem docent actusque est sollemnior. Ratione ergo entitatis actus discrimen est inter definitionem solius Pontificis et conciliarem, non formale sed materiale, quatenus ad hanc omnia subiecta concurrunt quae auctoritatem magisterii obtinent in Ecclesia et sic manifestior et sollemnior est praedicatio veritatis.

Quoad alterum vero, h. e. quoad effectum definitionis conciliaris, primum distinguendus est duplex scopus Concilii nempe definitio aliqua fidei et constitutio legum disciplinae. Primum autem nunc spectamus. Iam vero ut in hac re effectus Concilii oecumenici recenseamus, 1° ratione habita praevertentis examinationis institutae ab omnibus Episcopis rei definiendae, Synodus apta est ex sese mentem Pontificis illuminare in inquisitione veritatis. Porro etsi Pontifex sit infallibilis, tamen (ut advertit Bellarminus De Conciliis l. 1. c. 11.) « non debet Pontifex in controversiis fidei diiudicandis aut solo suo iudicio fidere, aut exspectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam quantam res tanta postulat, et ordinaria media, et tum demum exspectare assistentiam Spiritus S. et directionem divinam ». Quodnam, autem per se opportunum magis medium quam consultatio eorum, quos Deus testes et Doctores posuit in Ecclesia sua? Verum in hac re ne quis fallatur advertenda sunt duo: *a)* quod ad hunc effectum obtinendum non requiritur per se consilium omnium Episcoporum, sed (ut ibid. advertit Bellarminus) sufficit concilium particulare, idque factitatum est a Romanis Pontificibus in controversiis fidei, cum praesertim doctrinam fidei conciliis oecumenicis praeformaturi erant: *b)* aliud est Episcopos interrogatos a Pontifice sententiam suam super aliqua re expromere, aliud synodum oecumenicam eos constituere; ad hoc enim requiritur ut praeter communem consultationem Episcopi ferant cum Pontifice sententiam iudicialem ac definiant: at ut finis ille obtineatur, qui est Pontificis illuminatio in investigatione veritatis, sufficit ex his duobus primum. Huius rei exemplum habes in definitione dogmatica Immaculati Conceptus.

2° Alter effectus synodi ratione rursus habita examinationis institutae ab Episcopis simul notitias suas conferentibus est uberior intelligentia dogmatis in ipsis Episcopis, quo fit ut Episcopi magis parati sint ad dogma ipsum pro munere suo docendum et tuendum.

Deinde 3° per conciliarem oecumenicam definitionem suavius et citius consuli generatim potest paci et unitati Ecclesiae; nam facilius obtinetur ut Episcopi in suis Ecclesiis strenue veritatem a se ipsis definitam tueantur et adversarios profligent atque facilius obtinetur ut haereses, quae audaciam et vires sumunt ex multitudine adhaerentium, efficacius exterminentur, si iis statim consensus universalis sollemniore modo opponatur, Haec Marcianus significavit in epistola missa ad Episcopos quos vocabat ad Concilium (Conc. Chalced. p. l. ep. 37.): causas convocationis docens, « quatenus convenientibus animis et omni veritate discussa, cessantibus etiam studiis, quibus antehac usi quidam sacrosanctam orthodoxam religionem conturbasse noscuntur, vera fides nostra cuncto seculo manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia ».

Hic quidem effectus sedulo advertendus est, cuius rationem, nisi toti fallimur, non solum censemus esse sitam in infallibilitate divinitus concessa magisterio Ecclesiae, sed in ea quoque efficacia quae ex rei natura inest consensui universali testium, cum agitur de facto, cuiusmodi est factum revelationis. Deus enim augens magisterium a se institutum charismate infallibilitatis, non subtraxit Ecclesiae suae media quae ex rerum naturis societati competere possunt. Porro ipse consensus testium, quorum series successiva perpetua est et ex quibus posteriores a prioribus doctrinam accipiunt, iam est per se motivum certitudinis moralis et quidem maximae atque hoc motivum vim plurimam habet erga haereticos, qui spreta tandem auctoritate magisterii Ecclesiae, humanis rationibus reapse ducuntur. Cum igitur illis opponitur, universam Ecclesiam testari id esse revelatum quod ipsi negant, necesse est ut hoc pondere auctoritatis obruantur, etsi velint vim tantum naturalem huius consensus considerare, non etiam vim supernaturalem ortam ex charismate divino infallibilitatis. Et sic in pluribus quaestionibus solent agere etiam theologi cum haereticis qui Ecclesiae infallibilitatem negant, cuiusmodi sunt Protestantes. Provocantes enim theologi ad testificationem Patrum spectant Patres ut testes historicos eius doctrinae, quae olim in Ecclesia credita sit factique revelationis.

Hinc fit ut per definitionem conciliarem roboretur, *extrinsece* quidem, sententia Romani Pontificis. Nam duplici modo roborari potest sententia doctrinalis ex consensu alterius. Intrinsece, cum consensus alterius vim confert decreto per se nondum efficaci et est proinde ratio, qua existente, certitudo in mentibus fidelium gignitur, qua non exsistente, ex ipsa rei natura non gignitur; quae idcirco confirmatio est *intrinseca*, intrinsecum robur conferens decreto. Extrinsece cum consensus alterius decreto quidem nullam vim in se addit, neque proinde necessarius per

se est pro certitudine fidelium: attamen removens impedimenta quaedam quae per accidens occurrere possent, efficit ut sententiae Pontificis assensus ille universalis exsistat, qui licet exsistere deberet, forte tamen ex pravitate vel infirmitate humani cordis non exsisteret. Id porro auctoritate suffragii episcoporum obtinetur, quatenus universalem Ecclesiae consensum, ut diximus, manifestat. Haec est ea *confirmatio*, de qua loquitur Leo epist. ad Theodoretum inquiens, *universae fraternitatis assensu firmari quod ipse definiverat.* Hoc significabat Marius Mercator inquiens, sententiam Zosimi contra Pelagianos fuisse subscriptionibus Episcoporum totius orbis roboratam (cf. Th. XXV. II. *B.*). Adverte tamen quod si nomine confirmationis intelligas ipsam definitionem seu sententiam iudicialem, vere Episcopi in Concilio confirmant doctrinam confirmatione intrinseca sententiae Conciliari quae tamen per se est incompleta et ad fideles refertur non ad Pontificem, ut diximus praeced. Thesi.

III. Huiusmodi vero efficacia definitionis conciliaris prae definitione solius Pontificis rationem sui habet non in aliqua nota, qua secundum valorem actus intrinsecum ipsa differat a definitione solius Pontificis, at in nota essentiali quidem definitioni conciliari, sed respectu valoris accidentali, cuiusmodi est pluralitas docentium; propter quam effectus illi enumerati consequuntur, splendidior nempe notitia rei habetur et pax Ecclesiae haeresumque debellatio facilius obtinetur; hos enim duos postremos effectus qui a valore definitionis pendent, per accidens est quod potius definitio conciliaris quam definitio solius Pontificis producat: per se enim haec vim omnem habet ad eos producendos. Unde neque semper obtinet hos effectus definitio Conciliaris et identidem sola definitio Pontificis potius quam conciliaris idonea est ad pacem et unitatem actu conciliandam (cf. Bellarm. *de Concil.* l. 1. c. 10.).

Itaque si quaeratur, quid tandem conferat suffragium Episcoporum ad definitionem fidei: respondendum est quod praeter maius lumen plenioremque rei notitiam, *intrinsece* confert maiorem sollemnitatem, cum exsistat definitio edita a toto magisterio: *extrinsece*, ut diximus, firmitatem confert removens impedimenta debiti assensus, quae exstarent propter pravitatem animorum. Valorem vero quendam licet imperfectum adderet quidem suffragium Episcoporum, si ipsum solum esset: sed definita veritate per Romanum Pontificem, cum ea ab iis valorem amplius recipere nequeat, nullum actu valorem addit.

IV. Hinc solvi potest quaestio an concilia oecumenica sint necessaria. Et quidem si sermo sit de necessitate simpliciter ac de synodo definiente et iudicante, non solum consulente, negative respondendum est; nam satis est per se definitio Pontificis: robur vero illud extrinsecum quod

definitio totius coetus Episcoporum adderet definitioni Pontificis, 1° requiri potest propter contingentia adiuncta sita in hominum voluntate: 2° requiritur non ut debitus assensus sit, sed ut facilius obtineatur: 3° ea extrinseca confirmatio haberi per se potest etiam per solum subsequentem consensum, qui debetur, Episcoporum definitioni Pontificis.

Si sermo sit de synodo saltem consulente, pro suppeditanda notitia clara dogmatis definiendi, negandum est rursus necessarium simpliciter esse concilium oecumenicum; nam satis esse potest concilium particulare, ut frequenter factum est. An saltem concilium particulare Episcoporum pro accurata investigatione dogmatis est simpliciter necessarium? Est quidem simpliciter necessaria opportuna consultatio, nisi extraordinaria auxilia et miracula exspectentur: at eam necesse fieri per Episcopos non ausim affirmare. Nam rei natura solum exigit, ut consultatio fiat; ea vero a Romano Pontifice per suos Cardinales et Theologos potest etiam accuratissime fieri: lex vero Christi id praecipiens nulla afferri potest; licet id ex ipsa Christi institutione Episcopatus suaderi non negemus. Sane Romano Pontifici alias esse examinis praevertentis vias praeter Synodos Episcoporum significat Vaticanum Concilium Sess. 4. c. 4.

Nihilominus frequenter Ecclesia ipsaque Romana Sedes censuit, concilia oecumenica necessaria esse sive pro resarcienda disciplina, sive pro controversiis fidei finiendis avertendoque periculo erroris a fidelibus, eademque concilia ut commode celebraret, auxilium secularium potestatum imploravit. Id quidem non negamus. Verum haec necessitas oritur ex ea lege, qua quaelibet auctoritas socialis tenetur convenienti modo consulere bono societatis. Porro si haec lex postulat usum alicuius medii, quia illud exigitur ab ipsa institutione societatis et illud solum est per se efficax, necessitas huiusmodi medii adhibendi in bonum societatis erit dicenda necessitas simpliciter. Si vero ea lex postulat usum alicuius medii siti in sua potestate, quia attentis quibusdam contingentibus conditionibus, in quibus societas versatur, moraliter fieri posse non videtur, ut aliter ordinarie finis intentus obtineatur: necessitas talis medii adhibendi erit dicenda necessitas secundum quid; nam non per se ac si ipsum solum sit capax huius effectus, sed propter id quod per accidens occurrit postulatur a causis finalibus. Atqui haec et non alia fuit unquam necessitas synodorum oecumenicarum. Utilia ergo sunt quam maxime et secundum quid necessaria, non quidem semper, sed identidem, concilia oecumenica. Quod si aliquando sanxerunt Pontifices, ut statis temporibus Concilia oecumenica celebrarentur (cf. dicta in Th. 16. 3. de Martino V. et Eugenio IV.), id propter peculiares conditiones Ecclesiae tunc temporis et potissimum ut quadam paterna

συγκατάβασει immorigeros filios ad debitam obedientiam revocarent, concessisse vel decrevisse dicendi sunt.

Utilitas et necessitas secundum quid Conciliorum est ea quam significavit Leo ep. 37. de causa Eutychetis « cum tam evidens fidei causa sit ut rationabilius ab indicenda Synodo fuisset abstinendum ». Adsignificat nimirum in causis minus evidentibus, in quibus dubitatio vel dissensio non mediocris exsistit, opportunum esse synodos indicere, quibus vel Pontificis definituri inquisitio dirigatur, vel sollemniter consentientibus omnibus discordiae facilius sopiantur. Item Innocentius III. ob eamdem rationem fassus est in causa divortii Regis Philippi sibi non licere aliquid determinare absque generalis deliberatione concilii (epist. 106. l. 15. ad Philippum Regem francorum). Nam praeterquamquod agebatur quoque quaestio facti eaque gravissima et erat a Romana Sede amolienda offensio Regis ac promptius cessisset Rex auctoritati omnium; requirebat Innocentius deliberationem universalis concilii, ut debita cognitione se praepararet ad sententiam edendam in re quae ad ius divinum spectabat, cuiusmodi est matrimonii indissolubilitas.

Hactenus locuti sumus de necessitate Conciliorum oecumenicorum quoad quaestiones fidei solvendas. Si vero agatur de canonibus disciplinae constituendis, facile patet 1° quod cum canones huiusmodi attemperandi sint exigentiae et utilitati Ecclesiae, consultatione opus est, quam potissimum singuli Episcopi suppeditare valent qui oves suas cognoscunt: patet 2° consultationem hanc melius institui fructusque uberiores allaturam, si Episcopi una coeuntes studia sua simul conferant: 3° patet suavius et facilius obtentum iri ut canones editi serventur in Ecclesiis singulis, si eorundem Episcoporum, qui ipsorum observationem curare debent, fuerint auctoritate firmati. Hinc utilitas in hac re Synodorum oecumenicarum atque earumdem in certis adiunctis necessitas secundum quid manifesta est. At non est necessitas simpliciter. Quia auctoritas Primatus sufficit ex se sola ad condendos huiusmodi canones. Etsi autem consultatio requiratur: 1° haec per se potest institui a Romano Pontifice per alios quam per Episcopos, puta per legatos suos: 2° quamvis consilium Episcoporum adhibeatur, si tamen heic sistitur, nondum habetur id quod proprie dicitur Synodus oecumenica, licet Episcopi una conveniant; Synodum enim proprie dicuntur facere Episcopi cum iudicant et decernunt. Eorum autem decretum necessarium simpliciter non est ut lex feratur pro universa Ecclesia.

V. Obiicitur tamen Augustinus, qui loquens de controversia Cyprianum inter et Stephanum circa baptismum ab haereticis collatum significat, causam sententia Stephani non fuisse finitam, potuisse Cyprianum

dissentientem a Stephano in unitate manere et reapse mansisse opusque fuisse decisione plenarii Concilii ad terminandam litem. Ita frequenter in libris de Baptismo contra Donatianos. Ita in lib. 1. c. 18.: « Hoc de baptismo pie credamus quod universa Ecclesia a sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alii adhuc de ista quaestione, salva pace, sentirent, donec universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanae infirmitatis errorum excusaret caritas unitatis ». Lib. autem 2. c. 4.: « Nec nos tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati, cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium Concilium solidaretur ».

De Concilio illo plenario, universali ex toto orbe, totius Ecclesiae (ibid. l. 5. c. 17.; l. 1. c. 18.), ad quod Augustinus provocat, confer Dissertationem eruditissimi viri David subiectam suo operi iam citato. Verum solutio difficultatis non ab hoc pendet: sed a sententia Augustini, qui theoretice docere videtur sola sententia conciliari finiri quaestiones fidei saltem obscuras, quemadmodum censet Bossuet.

Respondeo I. instituto praeiudicio. In causa Pelagiana Augustinus censuit *causam finitam esse dubitationemque omnem esse sublatam*, vix ac rescripta venerant ab Apostolica Sede: censebat ergo Augustinus causas fidei finiri posse sola auctoritate Romanae Sedis. Respondet Bossuet, ideo in ea causa sic censuisse Augustinum, quia res non erat obscura, nullaque alicuius momenti exsistebat dissensio inter Episcopos et idcirco manifestus erat concors consensus Episcopatus cum sententia Romanae Sedis, qua constante concordia fiebat ut irrefragabilis esset sententia Innocentii. Verum haec responsio non satisfacit; divinat enim, non interpretatur verba Augustini. Nam *a)* iste consensus non fuit ab Innocentio postulatus, neque authentico modo prolatus fuit eo tempore, sed solum postea cum tractoriae Zosimi subscripserunt omnes Episcopi: *b)* Augustinus nullam mentionem facit huius consensus, sed soli rescripto Pontificis acceptam refert terminationem causae: porro si consensus Episcoporum totius orbis fuisset elementum necessarium pro valore definitionis, non illum potuisset omittere Augustinus. *c)* Si ex Christi institutione sola universitas Episcoporum est infallibilis iudex in causis fidei, eius consensus requirendus semper est ut causa vere dici possit finita; nam illum affirmantibus quibusdam Episcopis negare possunt haeretici, nec tenentur credere Romano Pontifici ipsum affirmanti: quia si is in fide errare potest, multo magis poterit in facto asserendo. Censuit ergo Augustinus sola auctoritate Pontificis causam esse finitam. At si una causa fidei finitur auctoritate Pontificis, omnes

finiri possunt. Discrimen enim earum, quod affertur, aliquas nempe esse claras, alias obscuras, non facit aliam et aliam esse auctoritatem docendi, sed solum ut in praevertente inquisitione maius vel minus studium collocetur.

Respondeo II. directe. Et primo quidem tenendum est, censuisse Augustinum quod Stephanus non tulerit peremptoriam sententiam, propter quam non liceret aliter opinantibus in Ecclesia esse; ait quidem Augustinus Stephanum *contra scripsisse, atque praecepisse* atque *abstinendos putasse qui de suscipiendis haereticis priscam consuetudinem convellere conarentur;* subdit nihilominus: *vicit tamen pax Christi in cordibus eorum* (Stephani et Cypriani), *ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur (de Baptis.* Cont. Donat. l. 4. ecc. 23. 25.). Scilicet neque Cyprianus Stephani, nec Stephanus Cyprianî communionem abiecit.

Deinde advertendum est, rationem cur Stephanus noluerit peremptorie finire quaestionem, non aliam excogitari posse nisi eam qua diximus fieri ut Concilia necessaria secundum quid censeantur. Videns enim Stephanus non paucos Episcopos in Occidente et in Oriente dissentire, eosdemque magno animi aestu suam tueri opinionem, sensit procul dubio in tanta animorum commotione fieri potuisse ut quaedam Ecclesiae, licet immerito, se ab unitate separarent, si statim res definiretur, prudentiamque postulare, ut definitio communi consensu ederetur; ideoque differretur in tempus magis tranquillum, cum sedatis animis facilius veritas omnibus pateret. Satis proinde ei fuit pro munere suo veritatem asserere praecipiendo custodiri praxim antiquam, cum tamen excommunicationem, quam comminatus fuerat ut errantes revocaret, reapse non intulerit, significavit se tolerare contrariam praxim, reique definitionem reiicere in tempus magis opportunum. Quod ea, quam diximus, ratio fuerit cur Stephanus noluerit rem peremptorie definire, ex eo probatur, quod vel haec fuit ratio, vel quia putabat se sine universali Concilio eam non posse definire quaestionem. Atqui evidens est quod non hac altera ratione fuit permotus Stephanus. Etenim qui citra Concilium universale, sola sua auctoritate fretus, comminatur in re controversa excommunicationem pluribus Episcopis, nisi obediant, ipse nisi ludere dicatur, persuasus est posse se auctoritate propria quaestionem finire: atqui ita se gessit Stephanus qui excommunicationem Episcopis rebaptizantibus baptizatos ab haereticis comminatus est, ut ex Augustino colligere licet et testatur Eusebius l. 7. c. 5. quoad Episcopos Ciliciae, Cappadociae et finitimarum provinciarum. Ergo.

Iam vero 3° rebus ita se habentibus, manifestum est quod quaestio

non nisi communi consensu poterat finiri et reapse finita fuit: et idcirco quod Augustinus et debuit provocare ad Concilii auctoritatem et potuit affirmare quod donec illud rem definisset, veritas nondum erat eliquata, nondum unitatem Ecclesiae scindebat rebaptizantium sententia et praxis. Id autem non ideo affirmare potuit quia simpliciter necessarium esset Concilium, sed quia necessarium secundum quid, et, ipsa Romana Sede annuente, ad sententiam conciliarem definitio ultima quaestionis fuit remissa. Hypothetice ergo loquitur Augustinus, in hypothesi nempe quod noluerit Romana Sedes ex se sola rem definire et cum ait, necessariam fuisse concordem auctoritatem totius Ecclesiae, nihil aliud facit quam afferre unam ex rationibus iis quae identidem suadent, et tunc suadebant utilitatem et necessitatem secundum quid conciliorum.

VI. Ex demonstratis patet quid de appellatione a Papa ad Concilium dicendum sit. Appellatio a Papa ad Concilium innititur huic principio, quod Romanus Pontifex sit inferior Concilio: atqui hoc principium falsum esse et verum esse contrarium ex demonstratis satis liquet; Romani enim Pontificis auctoritati universa Ecclesia vel in Synodum collecta subest: ergo. Huc faciunt testimonia allata Th. 24. sub lit. D., ex quibus, independenter ab infallibilitate inde deducta, colligitur immediate quod modo asserimus.

Porro infallibilitas Pontificis, quae citra quoque ea testimonia probatur, ratio est et ipsa, cur nequeat habere locum ista appellatio, si saltem de decretis ab eo latis circa fidem vel mores agatur. At si inappellabilis est potestas docendi, erit quoque inappellabilis potestas universim iurisdictionis Romani Pontificis seu potestas Primatus; est enim re potestas eadem nec ab ullo iudicari potest qui solus potest infallibiliter de veritate doctrinae et honestate morum cuiuscumque iudicare. Praeterea Vicarius a Principe prorsus independente immediate constitutus pro regimine societatis totius, nullum alium iudicem habere potest quam ipsum Principem: cum ergo Romanus Pontifex sit Vicarius Christi et ab eo immediate constitutus, solius Christi iudicio eius causae reservantur.

Dicimus doctrinam hanc, quod appellare liceat a Papa ad Concilium, esse *schismaticam;* committit enim Ecclesiam cum suo capite debitamque subiectionem eamque prorsus necessariam, ut quis membrum Ecclesiae sit, negat Capiti Ecclesiae. Dicimus eandem esse *haereticam;* nam constanti et universali Ecclesiae doctrinae opponitur, adversatur directe dogmati de Primatu Romani Pontificis eiusque potestatis plenitudine; eademque proscripta est a Pio II. (cf. l. c.) et in Bulla Coenae §. 2. edictumque est in Concilio Vaticano sess. 4. c. 3.: « a recto

veritatis tramite aberrare qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare ». Est tandem ea doctrina *absurda*. Nam cum ad Concilium oecumenicum appellas, vel comprehendis in eo Papam, qui ipsum convocaverit eique praesideat vel non: si non comprehendis, 1° non habes Concilium oecumenicum: sed 2° habes collectionem illegitimam Pastorum: quae 3° qualiscumque et quantacumque sit subiecta est tota auctoritati Pontificis. Si vero comprehendis: absurdum est Romanum Pontificem *iure subiici auctoritati coactivae* (id enim appellatio requirit) illius Synodi, quae 1° non nisi voluntate Romani Pontificis exsistere potest: in qua 2° suprema et plena auctoritas est penes eundem Pontificem: qui proinde 3° potest omnia decreta eiusdem vel solo suo negativo dissensu irritare.

Itaque suprema et plena potestas Romani Pontificis est inappellabilis.

Quaeres I., an liceat unquam resistere Romano Pontifici. Respondeo: Pontifici docenti ex cathedra non licet; quia non errat. In hypothesi quod Pontifex male se gerat iniusteque damna inferat et Ecclesiam vexet, licet resistere Pontifici: « Licet enim (ait Bellarminus *de Conciliis* l. 2. c. 19.) eum servata reverentia admonere et modeste corripere, repugnare etiam vi et armis, si Ecclesiam destruere velit. Ad resistendum enim et vim vi repellendam non requiritur ulla auctoritas ». Et Suarez (*Defens. Fidei* l. 4. c. 6. n. 16.) obiicientibus fieri posse, ut Papa utatur sua potestate in destructionem et si nullius ipse iudicio subsit, dicendam esse Ecclesiam imperfecte institutam et insufficienter ei provisum: respondet plura remedia praesto esse in ea hypothesi; nempe auxilium interius Spiritus S., orationem communem Ecclesiae, secretam admonitionem: quartum, subdit, « non quidem iniquum, sed magis humanum et periculosum, ideoque non sine extrema necessitate adhibendum, est iusta defensio; nam si Pontifex manifestam violentiam et iniustam vim inferat, ei resisti potest per modum defensionis intra terminos inculpatae tutelae: quia vim vi repellere naturale remedium est et nemini denegatur et non requirit potestatem superiorem vel iurisdictionem in eo qui se defendit; sed solum ius seu vires ad se tuendum ». Adde vero quintum remedium a Christo in eo constitutum quod Romanus Pontifex sit infallibilis in doctrina fidei et morum; hac enim praerogativa exsistente, nec potest esse universalis pernicies aut maximi momenti, quam Ecclesiae ipse inferat et haud difficile poterit ipse ad rectum iustitiae tramitem revocari, si licita resistentia adhibita adigatur ad ferendam sollemnem sententiam circa ea quae facit.

Quaeres II., cur ergo Romanus Pontifex identidem aliorum iudicio se submisit? Respondeo, non se subiecisse nec se potuisse subiicere

iudicio alterius coactivo seu non potuisse alteri conferre iurisdictionem coactivam in se ipsum; hanc enim ipse non habet, ideoque dare non potest et eadem in aliis repugnat; cum universam Ecclesiae oeconomiam labefactet: sed solum se subiecisse aliis ut *arbitris*, manente penes se suprema potestate et independentia (2ª 2ª q. 67. a. 1. ad 2.) ad eumque finem se subiecisse non ut sententia coactiva in ipsum ferretur, sed ut eius innocentia legali modo manifesta fieret.

Quaeres III. cur ergo in foro interno alterius iudicio se submittit Pontifex? Respondet Suarez. l. c. n. 11., dissimilem multipliciter esse rationem inter forum externum et internum. Nam 1° Pontifex non est ullo iure exemptus a iudicio Sacramentali; cum sit homo et peccator et obligetur praecepto poenitentiae sicut ceteri. 2° Iudicium fori interni est altius et divinius quocumque iudicio externo; in illo enim principalis iudex est solus Deus et Sacerdos solum est instrumentum Dei eiusque vicem immediate gerit: unde de omnibus ultimam sententiam profert, a qua neque ad ullum hominem neque ad Pontificem appellari potest. Cf. quae diximus in tract. *de Poenitentia* Th. XVI. n. 5.

SCHOLION I.

Ex demonstratis habes, quomodo discernas id quod est essentiale et accidentale, materiale et formale in Concilio oecumenico. Concilium enim oecumenicum spectari potest 1° quatenus oecumenicum est, ratione habita oecumenicitatis seu repraesentationis iuridicae totius Ecclesiae per omnes Pastores et Doctores eius: licet enim Romanus Pontifex ex se solo totam Ecclesiam iuridice repraesentet, unde est et dicitur Pastor *oecumenicus;* concilium tamen oecumenicum dicitur, in quo per omnes alios quoque legitimos Pastores et authenticos Doctores Ecclesia iuridice repraesentatur. Concilium enim unionem plurium dicit, unde illud vocatur Concilium oecumenicum quod coalescit ex iis omnibus qui Ecclesiam universam possint iuridice repraesentare. 2° Spectari potest concilium oecumenicum quatenus vim obligandi habet, nimirum ratione auctoritatis.

Priore modo spectatum, ut oecumenicum sit concilium *convocatione* quidem, debet esse ex toto orbe catholico evocatum, licet necesse non sit, quod nec moraliter fieri potest, ut omnes prorsus Episcopi conveniant: ut vero sit oecumenicum *celebratione*, debet eodem modo agi ab Episcopis totius orbis. Inter hos autem primum locum tenet Romanus Pontifex: ita ut si neque per se neque per suos legatos is praesit, concilium celebratione non sit oecumenicum. Deficiente enim capite nequit

haberi repraesentatio totius Ecclesiae, neque actio communis, quae possit dici actio totius Ecclesiae, quemadmodum requiritur in Concilio oecumenico.

Si vero altero modo spectetur Concilium, ipsum vim habet obligandi universam Ecclesiam, quatenus eius decreta confirmantur a Romano Pontifice. Hinc ut concilium oecumenicum sit sub priore ratione, essentialis est convocatio et celebratio eiusdem ex Episcopis totius Orbis: intelligitur autem celebrari concilium ab Episcopis totius orbis catholici, cum facta a Romano Pontifice convocatione universali, facta proinde omnibus potestate conveniendi, pauci etiam conveniant, si lex convocationis manet, ut contigit in Lateranensi V. Unde accidentalis est Concilio sub hac ratione spectato maior vel minor numerus Episcoporum celebrantium concilium. Ut autem Concilium oecumenicum sit sub altera ratione, essentiale est ei quod a Pontifice confirmetur: accidentale autem quod vel antecedente vel consequente confirmatione confirmetur.

Porro si has duas rationes compares, patet quod formale Concilii est auctoritas, materiale vero est collectio Episcoporum; Concilium enim eo spectat ut ferat leges. Et quia suprema auctoritas, quae vim confert decretis est auctoritas Romani Pontificis, hinc forma tandem totius Concilii est illius auctoritas.

Quia vero auctoritas Pontificis est independens a consensu Episcoporum, et proinde a numero suffragiorum ei adhaerentium Episcoporum et exsistente forma habetur id quod essentiale est Concilio prout vim obligandi habet, hinc accedente confirmatione Pontificis decretis concilii, quod convocatione et celebratione non fuit oecumenicum, illud dicitur oecumenicum ratione auctoritatis, quatenus oecumenicum est quod universam Ecclesiam obligat.

Dices, si ita est, ergo definitio solius Pontificis poterit dici definitio Concilii oecumenici. Respondeo: debet quidem dici definitio oecumenica, quia est decretum Pastoris oecumenici, ut autem dicatur definitio *concilii*, aliquod concilium sive aliqua collectio Episcoporum esse debet: et si haec collectio sit ex toto orbe, erit definitio Concilii *materialiter* et *formaliter* oecumenici: si sit collectio partialis, erit definitio Concilii *formaliter* tantum oecumenici.

Nota tamen quod quamvis omnes catholici quoad rem conveniant, tribuant nempe irrefragabilem auctoritatem conciliis omnibus particularibus, quibus sollemnis confirmatio Pontificis accessit; tamen in ratione loquendi discrimen est; nam non omnibus illis tribuitur appellatio *oecumenici*. Ratio generalis esse potest, quia in hac appellatione primum tribuenda ratio haberi potuit etiam elementi materialis:

sive spectari concilium potuit eo priore quoque modo, quo diximus, ut oecumenicum censeretur quod perfecte esset tale, nempe materialiter simul et formaliter; unde praeter quaedam Concilia partialia confirmata a Romano Pontifice, ut II. et V., quae propter sollemnitatem quandam externam poterant aliis aequiparari, cetera non censentur sub nomine conciliorum oecumenicorum, nisi cum addito, h. e. si formaliter spectentur ratione habita auctoritatis. Et notam ad Th. XXVIII, n. IV.

SCHOLION II.

Ex institutione a Christo facta regiminis Ecclesiae, et magisterii authentici, liquet quinam ius habeant sedendi in Conciliis oecumenicis seu ius suffragii decisivi. Ii namque sunt omnes Episcopi iurisdictionem habentes, licet nondum consecrati. Dicimus *iurisdictionem habentes,* hi enim sunt Pastores et Doctores, qui habent scilicet ius regendi et docendi: dicimus: *licet non consecrati;* iurisdictio enim h. e. ius regendi et docendi non per consecrationem proprie sed per missionem Summi Pontificis obtinetur. Porro quod Episcopi convocandi sint, patet; quia definire ea quae agenda et credenda sunt, munus est proprium Pastorum, cuiusmodi sunt Episcopi: ipsique sunt ii qui ex divina institutione Ecclesiae regimen constituunt et idcirco Ecclesiam universam iuridice repraesentant. Quare abstinere quidem potest Pontifex a concilio oecumenico evocando, si tamen illud evocare vult, debet Episcopos omnes convocare. Omnes inquam, ut oecumenicum sit et ceteroquin par est in unoquoque ius ad illud. Id constans Ecclesiae praxis confirmavit. Si tamen Pontifex aliquos etiam sine causa praetermitteret aut reiiceret, non videretur ex eo oecumenicitas Concilii quoad essentiam deficere, sed tantum quoad accidentale quoddam, seu quoad integritatem: adhuc enim moraliter tota Ecclesia repraesentaretur.

Ex privilegio Romani Pontificis et consuetudine eius auctoritate inducta vocantur quoque ad Concilium cum iure suffragii decisivi Cardinales, quippe qui consilio et industria sui iuvant Romanum Pontificem in regimine totius Ecclesiae, ac praeterea Abbates et Generales Ordinum, qui Episcopalis iurisdictionis participationem obtinent. Cf. Bellarminum *de Conciliis* l. 1. c. 15. et Hefele *Hist. Concc.* v. 1. p. 16. seqq.

THESIS XXX.

Praerogativa omnis Romanae Sedis est in ipsa persona Romani Pontificis tanquam in subiecto: ideoque eae verissime dicuntur personales, eaedem singulis ex aequo successoribus Petri competunt. Quare licet non uno ex capite fas sit distinguere inter sedem *et* sedentem, *attamen reiicienda est prorsus ut falsa et absurda distinctio huiusmodi eo spectans, ut praerogativae et iura sedis alia sint a praerogativis et iuribus sedentium atque gaudeat quidem Sedes Romana sive tota series successionis privilegio indefectibilitatis vel infallibilitatis in fide, non autem singillatim quilibet successor Petri.*

Nota distinctionem inter Sedem et sedentem adhiberi posse quoad omnem iurisdictionem omniaque iura Primatus; excogitatam tamen esse in quaestione de infallibilitate et idcirco de ea nos heic loqui: quae tamen occasione huius quaestionis dicimus, facile ceteris praerogativis Primatus aptari possunt.

I. Constat rationem multipliciter distinguere posse inter *Sedem* et *Sedentem*. Sane Sedes sive cathedra sive thronus sunt *materialiter* locus ille, in quo quisque sedet et speciatim in quo sedet qui auctoritatem habet; unde Sedes signum est auctoritatis: ideoque metaphorice sumitur Sedes pro re signata, ut ipsam auctoritatem significet. Cum autem hoc sensu accipitur, accipitur *formaliter*. Iam vero in persona Pontificis duo distingui possunt et debent, nempe tum ipsa persona, quae per se privata est, tum auctoritas pontificalis. Porro si haec duo ita ratione distincta seorsim consideres et dein invicem compares, habes quod auctoritas 1° est perpetua; semper enim ex lege institutionis Primatus perseverare debet: 2° una est proinde eademque semper: 3° ea ante singulos successores exsistit: 4° ea alicui determinatae Ecclesiae est annexa, nimirum Romanae, quatenus in hac esse debet et exinde in alias quoque Ecclesias exerceri. E contrario persona transit pluresque sunt huiusmodi personae singulique successores recentiores sunt ea auctoritate, quam ex se ipsis non habent, sed assequuntur; et ideo spectant ad Ecclesiam Romanam, quia ad illam assumuntur.

Cum ergo Sedes sit symbolum auctoritatis, eadem distinctio fieri potest inter Sedem et sedentem. Sedes enim materialiter spectata potest concipi ut perpetuo durans et formaliter spectata, prout nempe est auctoritas durare semper debet; Sedes ergo perpetua est: sedentes

vero h. e. personae transeunt. Hinc Sedes est una, personae plures: Sedes ante sedentes successores exsistit Romanaeque Ecclesiae semper inhaeret; personae singulae succedentes ad eam assumuntur. Sedes tandem perpetua et una complectitur totam seriem Pontificum: singuli sedentes non sunt nisi pars huius collectionis. Multiplex ergo potest excogitari distinctio inter Sedem et sedentem dicique potest cum Leone (epist. LXX.) *aliud esse Sedes, aliud praesidentes*, nimirum aliud esse auctoritatem, quae in aliqua Ecclesia vigere debet, aliud esse personas quae eam auctoritatem obtinent nec per merita aut demerita personalia augeri aut minui iura sedis seu amplitudinem eius auctoritatis.

Verum cuiusmodi est haec distinctio? Dicimus quod si nomine Sedis intelligatur tota series sedentium, distinctio inter Sedem et sedentes singulos est realis inadaequata: si vero nomine Sedis intelligatur auctoritas ipsa pontificalis, vel subiectum, sed in confuso, eiusdem, distinctio est tantum rationis unumque est reale subiectum quod est Sedes et sedens: sive auctoritas non nisi in ea persona, quae sedere dicitur, reperitur tanquam in subiecto. Vitiosa scilicet et falsa est omnis distinctio inter Sedem et sedentem, cum de auctoritate sermo est, quae ita secernit utrumque, ut aliud subiectum auctoritatis constituat praeter personam ipsam Romani Episcopi. Et licet singuli sedentes distinguantur realiter inadaequate a tota collectione: distinctio tamen haec afficit personas seu materiam, non formam seu auctoritatem; quoad hanc enim, cum ipsa eadem semper sit, par est unus omnibus. Utrumque modo probandum est contra eos, qui ea distinctione inter Sedem et sedentem inepte abusi sunt: quae quidem distinctio, quamvis occasione quaestionis de infallibilitate sit producta in medium, potest tamen, ut diximus adhiberi, pro quacumque praerogativa Romani Pontificis: qua et nos generalius disputabimus.

II. Itaque 1° subiectum omnis praerogativae Romanae Sedis esse ipsam personam Pontificis manifestum est. Sane subiectum potestatis Primatus debet esse persona; ea primum non fuit nisi Petrus unusque Petrus inter Apostolos: post Petrum vero non possunt esse nisi successores eius qui singuli esse debent, ut unus tantum sit semper in Ecclesia qui Petrum repraesentet. Et re quidem vera de fide est, Romanum Pontificem successorem esse b. Petri illique in b. Petro plenam potestatem pascendi regendique traditam esse. Non est ergo alia persona praeter eum qui est Romanus Pontifex, qui habeat potestatem universam Petri, sive Primatum: Romanus autem Episcopus una est persona non quidam personarum coetus; quemadmodum una persona

fuit Petrus, primus in serie Pontificum Romanorum. Extra personam igitur Romani Pontificis ineptum est quaerere subiectum potestatis Primatus. Ergo praerogativa omnis Primatus, ideoque et infallibilitas, est personalis h. e. ipsa persona Romani Pontificis ipsaque sola est subiectum ideoque adaequatum Primatus.

Errant ergo qui cum Launoio (Cf. Tournely *de Ecclesia* p. 2. pag. 71. ed. cit. Charlas *de Libert.* Eccl. gallic. l. 7. c. 3.) contra auctoritatem testimoniorum, quae ex traditione afferuntur pro asserenda infallibilitate Romani Pontificis, excipiunt, iis testimoniis affirmari infallibilem Romanam Sedem, non Romanum Pontificem. Nam cum Romana Sedes affirmatur subiectum infallibilitatis, supponitur pro Romano Pontifice: ipse enim unus subiectum est potestatis cuiusque et praerogativae Sedis Romanae. Et sane Patres cum de auctoritate, et infallibilitate loquuntur, pro uno eodemque subiecto habent Sedem Romanam et sedentem in ea. Ita Hieronymus ad Damasum « Ego *beatitudini tuae* (quo titulo persona designatur) *idest cathedrae Petri* communione consocior ». Maximus Martyr. (I. epist. ad Petrum illustrem) « imploret sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum *Papam idest Apostolicam Sedem* ». Unde Sergius Cypriensis Episcopus in literis ad Papam Theodorum ait: « Firmamentum divinitus fixum et immobile tuam *Apostolicam Sedem* constituit Christus. *Tu enim exsistis Petrus* et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt ». Hinc cum Augustino (Psalm. contra Partem Donati) frequens est Patribus affirmare Sedem Apostolicam esse *Petram* eam, quam non vincunt superbae inferorum portae: porro ea Petra ipsa est persona Petri (Th. 1.) et cuiuscumque sui successoris. Unde et Cyprianus perinde habet Petri cathedram Romanumque Episcopum; ait enim epist. 55. schismaticos ausos esse *litteras ferre ad Cathedram Petri*, utique ad sedentem in ea. Quare communis est sententia quam S. Petrus Damiani expressit alloquens Electum Ildebrandum (in apologetica ob dimissum episcopatum c. 1.) « vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia ».

III. Cur ergo dicitur *manere Sedes* defuncto sedente? Respondeo manere quidem Sedem sed *vacantem*, quae formula hoc ipsum significat, deesse nempe subiectum auctoritatis Sedis. Quid ergo manet? Manet auctoritas Apostolica 1° in effectu, seu manet efficacia auctoritatis praecedentium Pontificum, quatenus eorum legibus etiam tum regitur Ecclesia et singulae Ecclesiae gubernantur ea episcopali potestate, quae derivata est a Pontificibus praecedentibus; manet 2° auctoritas Apostolica non quidem actu, sed potestate et exigentia divinae institutionis; manet nimirum lex et necessitas successionis Petri in

Primatu et quidem affixae Ecclesiae Romanae: ideoque eidem necessariae auctoritati subordinatur adhuc universa Ecclesia. (Cf. dicta in Th. 19. 2. 2°).

Errant quoque qui cum eodem Launoio contra eandem auctoritatem Patrum excipiunt testimonia Patrum loqui frequenter non de Romano Pontifice, sed de *Romana Ecclesia;* ac si cum de auctoritate sermo est, aliud sit quod per Pontificem, aliud quod per eius Ecclesiam repraesentatur. Verum omnibus notum est, omnem auctoritatem Ecclesiae in Episcopo esse et ab Episcopo in inferiores derivari: Episcopus enim, teste Ignatio ad Trallianos, in Ecclesia est sicut Iesus Christus et doctrina Ecclesiae est doctrina Cathedrae a qua docetur Ecclesia, h. e. doctrina Pastoris et Episcopi. Unde si Ecclesia Romana infallibilis est, oportet ut propter Episcopum suum sit infallibilis, ideoque necesse est ipsum Pontificem a se esse infallibilem.

Corollarium. Ergo sibi misere illudunt qui arbitrantur se posse adhaerere Romanae Sedi Romanaeque Ecclesiae, cum Pontifici resistunt.

IV. Nunc 2° alterum probandum est, singulos nempe Pontifices esse infallibiles. Bossuet (*Defens.* l. 10. c. 5.) docet quod quamvis quidam Pontifices non praedicent veram fidem, sed errent in ipsa: fides tamen Romanae Sedis invariabilis manet. Nam defectum unius vel ipse idem vel successor eius reparabit. Considerari ergo vult *totam successionem Romanorum Pontificum* veluti simul constituentem personam Petri, cuius fides nunquam ex toto deficiet. Haec fides nutare potest et identidem in aliquo deficere, quemadmodum, ut ipse ait, defecit in Petro negante Christum; sed paulo post redintegrabitur, ita ut error in hac successione radices agere non possit. Itaque tota series est indefectibilis in fide, non vero quisque ex successoribus. *Infallibilis auctoritas* (ait Card. de Luzerne parte 2. c. 2.) ea est quae nunquam, vel uno momento errare potest in decisionibus fidei. Indefectibilitas fidei in eo consistit, quod fides ex toto perire non possit; sed si aliquo tempore deficit, prompte restituatur: ita ut si aliquis Papa profiteatur aut doceat errorem, paulo post vel ab ipso vel a suo successore error corrigatur. Verum cuiusmodi est haec indefectibilitas? est ne proprie infallibilitas? qui infallibilitatis privilegium soli universitati vel Concilio vindicant, ut Bossuet, docere quoque debent indefectibilitatem huiusmodi Romanae Sedis in eo esse ut fidem indeficienter teneat, quam Ecclesia docet; non docendo proinde, sed discendo: infallibilitatem nempe eius esse passivam tantum non activam, ut ait Tournely loco citato. Verum quidam videntur indefectibilitatem activam intelligere et qui, ut modo dicebamus, concedunt infallibilem Sedem, non Seden-

tem alieni forte non erunt ab hac interpretatione (cf. Mourray *de Ecclesia* disp. 20. sect. 3. §. 3.). Recolendum est enim huiusmodi distinctiones ex causa polemica profectas esse ac fuisse excogitatas ab his omnibus, ut Romanorum argumentis occurrerent et idcirco iuxta necessitatem fuisse temperatas.

Atqui Romanae Sedi non sola indefectibilitas, qualem a Gallicanis conceptam modo descripsimus, sed infallibilitas eaque a se asserenda est, et non soli seriei universae, sed singulis ex aequo Romanis Pontificibus. Porro hoc unum tantum probandum restat: primum enim iam abunde probatum est. Iam vero hypothesis haec gallicana nullo Scripturae aut Traditionis fundamento innititur; imo iisdem aperte adversatur. Sane ex Scriptura et Traditione docemur Primatum Petri perpetuum esse, iura proinde Petri et praerogativas perpetuas esse; perpetuum vero esse Primatum Petri per continuos successores suos, quemlibet autem Romanum Pontificem esse successorem Petri: atqui indoles propria successoris in eo est, ut omnia iura omnes praerogativas eius dignitatis in qua succedit, quae decessor habebat, et ipse obtineat: ergo quilibet Romanus Pontifex est sicut Petrus; ergo quilibet infallibilis. Hinc Patres occasione data de quolibet Pontifice affirmant quod sit Petrus, quod in eo Petrus loquatur et vivat. In professione fidei Hormisdae et Adriani II. affirmatur quod in Sede Apostolica *semper immaculata est servata religio et sancta celebrata doctrina;* idque quia in ea est soliditas Christianae religionis. Quare id connexum esse necessario cum dignitate eius Sedis affirmatur, ideoque perpetuum fore creditur. At si semper in ea Sede celebratur sancta doctrina, quomodo identidem error subrepit?

Quod si gallicana hypothesis obversata fuisset mentibus Patrum, inexplicabilia essent pene omnia, quae Romanae Sedi attributa sunt. Quomodo enim praxis perpetua exstitit ad Romanam Sedem quaestiones fidei deferre, ut eius iudicio finirentur? quomodo sententia eius causas finitas esse creditum est? Patres omnes secuti semper sunt Apostolicae Sedis decreta? et huiusmodi. In hypothesi gallicana haec nonnisi sub conditione affirmata fuissent et praxis conditionata fuisset, nempe si hic Pontifex veram teneat fidem; quod quidem effecisset, ut ea praxis nunquam haberet locum. Et re quidem vera si singuli errare possunt, dubitari semper poterit ac debebit, an hic aut ille cum definit, cum confirmat concilia, erret; et idcirco ad normam alterius iudicii exigenda erit sententia Pontificis: huiusmodi autem iudicium nequit esse ipsius Pontificis aut successoris, quia et ipse errare potest: sed erit iudicium Ecclesiae, h. e. non Petrus confirmat fratres, sed confirmatur a fra-

tribus, non pascit sed pascitur, non fundamentum est Ecclesiae, sed fundatur in ea.

Hinc institutio Primatus fuisset in hypothesi gallicana prorsus inepta et indigna Deo. Ad nihil enim confert nullique usui esse potest, si hic et ille potest desinere esse Petra, confirmator et pastor Ecclesiae. Et sane vel praerogativae Primatus nexae sunt cum dignitate successoris Petri, vel pendent a qualitate personae: si primum, eae debent ex aequo competere omnibus et singulis successoribus: si alterum, nihil est ineptius hac institutione, ut potestas necessaria in Ecclesia fiat dependens a qualitatibus personalibus hominis potestate instructi.

Itaque indefectibilis est Romana Sedes, quia Primatus Petri perpetuus esse debet: indefectibilis est in fide, quia est Petra fidei: indefectibilis in fide infallibilitate propria a se, quia fides eius est fides Petrae, Confirmatoris, Pastoris et Doctoris: huiusmodi autem indefectibilitas in fide seu infallibilitas a se est propria cuiusque Romani Pontificis, quia unusquisque est successor Petri, Petra Ecclesiae et secus perverteretur prorsus institutio Christi vanaque redderetur.

THESIS XXXI.

Inepti sunt qui post vaticanam definitionem infallibilitatis Romani Pontificis postulant aliam conciliarem definitionem, qua doceamur modum quo decreta fidei a Romano Pontifice edi debent, ut habeantur ab omnibus tanquam ex sese irrefragabilia. Falsumque est prorsus quod quidam supponunt, certitudinem fidelium de infallibili definitione Romani Pontificis pendere, veluti ex conditione, a notitia, quam iidem antecedenter habeant mediorum, quibus Romanus Pontifex usus ad actum definitionis se praeparavit.

I. Non omnis voluntas illius qui rex est, vim habet obligandi subditos, sed ea quae ab ipso procedit ut rex est, quae est nempe exercitium regiae auctoritatis. Ut ergo subditi alicui decreto parere teneantur, debet eis constare primo quidem, quod ille qui decretum edit, auctoritatem habeat iubendi, secundo autem quod decretum illud auctoritate regia feratur: ideoque praeter ipsam auctoritatem exercitam quae vim confert decreto, debet haberi quoque criterium aliquod, quo notum fiat subditis exercitium auctoritatis. Criterium autem huiusmodi non est opus ut sit aliquid distinctum ab ipso exercitio auctoritatis, quod cum per media sensibilia fiat, se ipsum societati manifestat, quemadmodum ceteri actus hominum manifesti esse possunt; sed ratione distinguitur,

quatenus est ipsa obiectiva manifestatio exercitii auctoritatis. Quia vero multiplex est sensibile medium, quo potest auctoritas in actu se manifestare, si ob bonum societatis opus sit ut aliquis specialis modus manifestationis determinetur, potestas determinandi eum modum est penes ipsam supremam auctoritatem; actus enim ipsius subesse nequit vi coactivae subditorum.

Iam vero ex definitione vaticana haec habemus: 1° inesse Romano Pontifici auctoritatem edendi definitiones fidei infallibiles et ex sese irrefragabiles: 2° infallibilia esse et ex sese irrefragabilia eius decreta, cum hac sua suprema apostolica auctoritate fretus, vi nempe ipsius agens, non ut persona privata, sed publica, omnium Christianorum Patris et Doctoris munere fungens, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit: quibus in verbis 3° continetur quoque criterium quo notum fiat omnibus exercitium illius supremae auctoritatis, cum nempe Romanus Pontifex tanquam persona publica, ut Pastor et Doctor omnium, definit doctrinam tenendam ab universa Ecclesia. Id enim sensibiliter constare potest et a Romano Pontifice sive explicite sive in ipso auctoritatis exercitio significari, se definitionem edere tanquam Pastorem et Doctorem omnium Christianorum seque definire doctrinam quae ab universa Ecclesia tenenda sit. Habentur ergo omnia quae postulari possunt, ut fidelibus constet decretum editum a Romano Pontifice esse infallibile et irrefragabile. Haec quidem necessaria sunt, ut sciat fidelis sibi esse credendum: quod nempe doctrina ab omnibus credenda proponitur et quod proponitur vi auctoritatis illius quae infallibilis est.

Quid amplius potest desiderari? an ut determinetur specialis modus quo Romanus Pontifex definiat doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, quo adhibito, eius definitio censenda sit infallibilis, quo non adhibito, liceat non talem eam censere? Verum et id necesse per se non est pro certo exercitio cuiusque auctoritatis statuere. Cum enim natura suppeditet omnibus hominibus plures vias et modos significandi cum certitudine ceteris suam voluntatem exercitiumque suae facultatis, nulla est necessitas, cur haec potestas a natura omnibus facta limitetur in Principe: quod enim postulatur hoc est, ut nimirum ipse significet, agere se ut Principem velleque obligare; quocumque autem modo id faciat, dummodo id assequatur, perinde est. 2° Etsi id identidem et per accidens opus foret determinare, quonam modo Romanus Pontifex docens censendus sit docere ex cathedra et definire doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, huius rei determinatio ipsi prorsus relinquenda est; inutilis enim foret quaecumque alia determinatio: si ipse enim nollet eo modo suam auctoritatem exercere, eo ipso actus illo modo

positus non esset exercitium supremae auctoritatis, quae a nemine cogi potest.

II. Nec dicas determinationem huiusmodi certam nobis esse non posse, quia nondum scimus quonam modo quibus in adiunctis edita definitio Pontificis sit infallibilis. Nam ea determinatio 1° non est ulla definitio doctrinalis, sed simpliciter actus iurisdictionis, 2° ea per se potest immediate cognosci: 3° valor autem eius, quod nempe habenda sit ut modus legitimus definitionis pendet ab auctoritate Romani Pontificis, quam iam scimus ipsi inesse independenter prorsus ab ea determinatione.

Frustra ergo sunt qui aliam conciliarem definitionem hac in re praestolantur. Verum qui aliam a Concilio definitionem hac super re exposcunt, ideo eam exposcunt, quia in hac sunt sententia quod 1° Romanus Pontifex nequeat definire nisi prius diligenti inquisitione facta veritatis, quod 2° oporteat nosse fideles, eam inquisitionem adhibitam fuisse, ut teneantur credere. Necesse est ergo ut determinetur sufficiens modus inquisitionis, quo posito certissime constet, definitionem Romani Pontificis esse infallibilem. Id autem nequit decidere Romanus Pontifex; haec enim decisio infallibilis sit oportet, cuius infallibilitas ut nobis constet, iam praesupponendum esset notum quod per eam definiretur.

Atqui 1° etsi opus foret definire modum inquisitionis vel praeparationis, edito super hac re decreto, quo definiretur talem quidem modum sufficientem esse, talem autem minime sufficere, ut Romanus Pontifex actum exerceat infallibilis auctoritatis, huiusmodi tamen definitionem nunc post vaticanam definitionem (ut in hac tantum hypothesi loquamur) vel solus Romanus Pontifex edere posset: nam si ipse eam edat, hic evidentissimus syllogismus fieri potest. Certum de fide est quod cum Romanus Pontifex ut Pastor et Doctor omnium pro sua auctoritate definit doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, errare nequit eiusque decretum est ex se irrefragabile, liquet ex Conc. Vaticano: atqui nunc loquitur ut Pastor et Doctor omnium definitque doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, id porro quidem ex ipsis decreti verbis potest esse immediate evidens: ergo decretum hoc est infallibile et ex se irrefragabile. In quo syllogismo recta est consequentia: ut autem consequens neges, debes negare veritatem Maioris, quae tamen est ipsa definitio vaticana: ergo posita definitione vaticana iam fidelibus potest infallibiliter constare per solius Pontificis decretum, quinam sit sufficiens ille modus inquisitionis. Nec ulla est petitio principii: nam certitudo conclusionis non pendet nisi ab hoc quod Romanus Pontifex loquatur ut Doctor et Pastor omnium edicatque doctrinam tenendam

ab omnibus; qua in re fit abstractio a quovis singulari modo. Dummodo ergo id constet, certa debet esse conclusio.

Et sane si nequit solus Pontifex, nec poterit Concilium. Cur enim dicitur Concilium posse? quia credimus ipsum esse infallibile: at credimus pariter Romanum Pontificem infallibilem esse. Verum nondum constat quam inquisitionem adhibere debeat Romanus Pontifex: esto, sed nec pariter definitum unquam est, qualis sit inquisitio adhibenda a Concilio: ergo vel neutrum sufficit, vel ipse solus Romanus Pontifex satis est.

III. Verum neganda est hypothesis illa cui adversarii innituntur, oportere nempe fideles nosse diligentem inquisitionem adhibitam esse a Romano Pontifice, ut obedientiam fidei praestent, ita ut ea notitia antecedens esse debeat ad actum obedientiae eiusque ratio per modum conditionis; quod quidem negandum esse ex ultima animadversione satis liquet. Nam quamvis Concilia quoque inquisitionem facere debeant, nunquam postulatum est, ut definiretur quinam esset inquisitionis sufficiens modus eaque constaret fidelibus antequam crederent, ut credere tenerentur. Et sane 1° adversarii confundunt duo; nempe id quod necessarium est ut res sit et id quod necessarium est ut res exsistens cognoscatur. Porro ad cognitionem rei exsistentis habendam, necesse non est cognoscere id quod fuit necessarium ut ipsa esset. Cognoscibilitas enim rei est intrinseca ipsi ratione essentiae, independens ab iis quae extrinseca sunt, cuiusmodi sunt causa efficiens aut conditio exsistentiae. Sic ut cognoscam Paulum praesentem mihi, non est opus ut cognoscam eius patrem et matrem. Quare etsi inquisitio ea necessaria sit, ut definitio fidei habeatur, haec tamen per se ipsam h. e. notas suas cognosci potest: si nimirum edatur a Romano Pontifice ut Doctore Ecclesiae et definiatur doctrina fidei vel morum tenenda ab universa Ecclesia. Quocirca necesse non est cognoscere antecedenter, an conditiones exstiterint exsistentiae eius, cum ipsa iam exsistens cognoscatur; sed consequenter conditiones eas exstitisse intelligimus, sicut videntes hominem cognoscimus exstitisse vel exsistere qui eum genuerint.

2° Imo necesse est, ut cum fidelibus constat magisterium infallibile esse locutum, ipsi statim obedientiam fidei praestent, quin eis ius ullum competat instituendi iudicii circa valorem definitionis. Id ex oeconomia institutionis magisterii in Ecclesia a Christo factae manifestum est; ea est enim instituta habitudo inter magistros et discipulos, ut his solum officium obediendi incumbat, non ulla auctoritas in magistros eisque sit sufficiens et adaequatum motivum credendi aliquid esse a Deo revelatum, quia Ecclesia h. e. infallibile

magisterium id docet. Augustin. *de Haeres. ad Quod vult Deum*, versus finem: « Cur contra (haereses) sentiat catholica Ecclesia... superflue quaeritur; cum propterea hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire ». Atqui huiusmodi ordo perverteretur et auctoritas iudicii discipulis in magistros conferretur, si docente magistro per se infallibili puta Concilio oecumenico, vel solo Romano Pontifice, adhuc tamen dubitare liceret, an eorum doctrina vera esset, donec fideles cognoverint, recte se magistros in suo ministerio gessisse; id enim foret ad tribunal fidelium vocare magistros actumque supremae auctoritatis subiicere iudicio eorum qui subditi sunt et quibus solum officium obediendi competit. Ergo ut fidelis sciat esse credendum, non est opus ut antecedenter sciat diligentem inquisitionem adhibitam a magisterio fuisse, sed de hoc constare ei debet ex eo quod magisterium infallibile definit doctrinam credendam.

3° Quare assistentia Spiritus S. prohibens errorem concipienda non est promissa hypothetice magisterio actu docenti, sed *absolute*, ita ut semper ea habeatur quotiescumque magisterium illud, cui promissa est, docet et sic ad providentiam Dei, qui eam assistentiam promisit, spectet efficere, ut actuali magisterio debita inquisitio praecedat, vel si non praecessit, ut aut nihil magister supremus definiat aut, si definit, illud tamen quod verum est definiat, licet humana diligentia inquirendo vel parva vel nulla pro dignitate rei adhibita fuerit. Sane absolutam assistentiae huius promissionem exigit necessaria subordinatio a Christo instituta inter magistros et discipulos, inter illorum magisterium horumque obedientiam. Si enim fide divina credendum est quidquid a magisterio supremo ut credendum proponitur huiusque magisterii supremi fides debet esse fides totius Ecclesiae, necesse est ut quotiescumque magister supremus loquitur sive sit solus Romanus Pontifex sive simul cum eo Synodus oecumenica, sit ab errore immunis. Et re quidem vera nonne promissio divina est quod Ecclesia nunquam deficiet in fide? deficeret vero si quacumque ex causa magisterium supremum, quod sequitur universa Ecclesia, erraret aliquando. Haec autem promissio si non sit absoluta, certiores fieri non possumus quod nunquam Ecclesia defecerit: quis enim iudicabit an conditiones requisitae pro obtinenda ea assistentia exstiterint? an Ecclesia ipsa? sed quaestio redibit de hoc iudicio; nullum aliud vero medium Christus nobis suppeditavit; omnium enim quaestionum finis est Ecclesiae magisterium. Itaque opus est, ut assistentia divina prohibens errorem fuerit Ecclesiae h. e. eius magisterio supremo et universali docendi promissa absolute; porro magisterium hoc est ipsum magisterium Romani Pontificis: ergo.

Non igitur opus est nosse quibus mediis sit usus et an sit usus Romanus Pontifex pro decreto fidei condendo, antequam credamus; ratio enim sufficiens et adaequata cur credamus haec est, quia Pontifex loquitur et Pontificem loquentem assistit Spiritus S. ne erret.

Nihilominus si constet, decretum aliquod fidei vel subscriptionem formulae fidei vi sive physica sive morali extortam esse; eo ipso iam constat definitionem non esse ex cathedra. Nam definitio ex cathedra est actus supremae potestatis, ideoque independens, qui eo motivo ponitur ut homines doceantur et ad credendum obligentur; talis porro non est actus ex coactione positus, vel ad redimendam iniustam vexationem; quia non est actus potestatis, sed physicae subiectionis et quo nec praesumitur superior velle obligare subditos eosque docere.

Dices: quomodo igitur inter ea quae Romani Pontifices praecedentes docuerunt, licebit discernere definitiones fidei ab iis quae tales non sunt? neque enim omnia quae iidem asseruerunt, habentur ut definitiones fidei. Respondeo, normam eam esse, quam suppeditat Synodus Vaticana, cum nempe Romanus Pontifex quilibet Pastoris et Doctoris Ecclesiae munere fungens doctrinam definivit, quae tenenda esset ab universa Ecclesia. Quod si hic modus propter monumentorum defectum lateat, considera sequentem effectum: si enim ea doctrina viguit deinceps in Ecclesia nec aliam repereris definitionem, affirmare poteris illam fuisse definitionem fidei. Si e contrario alia quoque doctrina opposita perseveravit, ipsa sciente et permittente multo magis si probante Romana Sede, affirmare tibi licebit, illam non fuisse definitionem fidei. Haec, statuta certitudine dogmatis de infallibilitate Romani Pontificis, satis clara sunt. Quod si nihil eiusmodi reperias, consequens erit ignorare te an aliquis Pontifex aliquando definiverit ex cathedra, nec ne. Ex qua quidem ignorantia nihil oritur incommodi nisi forte pro historicis; non enim minuitur numerus rerum definitarum et explicite credendarum, sed solum notitia historica eaque certa actuum definientium. Sane vel etiam tum cum edita fuit ea definitio, fuit dubium Ecclesiae an esset necne definitio et eo ipso ob defectum debitae manifestationis illa effectum suum non est assecuta neque auxit numerum rerum definitarum: si autem tunc fuit omnibus certa definitio, creditum est tunc ab universa Ecclesia quod ea proponebatur et quod tunc creditum est non potuit non credi postea: unde et modo ea omnia tamquam infallibili auctoritate proposita credimus quae prius credebantur; licet forte historice ignoremus quis prior definiverit.

THESIS XXXII.

Ut sententia Romani Pontificis habeatur tanquam definitio ex cathedra ideoque infallibilis, censemus non opus esse ut verba Pontificis ad universam Ecclesiam immediate dirigantur.

I. Quaestio haec inter theologos agitari potest nostramque sententiam ut probabiliorem defendimus.

Sane ex definitione Vaticana haec elementa certe sufficiunt, ut definitio Pontificis sit et habeatur infallibilis, 1° quod auctoritate sua Apostolica utatur fungens munere Pastoris et Doctoris omnium Christianorum: 2° quod definiat doctrinam de fide vel moribus: 3° quod definiat doctrinam tenendam ab universa Ecclesia. Atqui haec omnia Pontifex praestare potest, etsi unum Episcopum immediate alloquatur quemadmodum fecit Leo epistola sua dogmatica ad Flavianum. Etenim, ut praecidantur difficultates, advertendum est *a)* quod aliud est sermonem dirigere ad universam Ecclesiam, aliud est sancire doctrinam tenendam ab universa Ecclesia: in priore enim id, quod ad universam Ecclesiam refertur, est sermo, sive subiectum loquens; in posteriore autem est obiectum sive doctrina quam loquens proponit: porro non prius sed posterius a definitione vaticana postulatur. Advertendum est *b)* aliud esse quod quis fungatur munere doctoris omnium Christianorum, et aliud quod quis simul doceat omnes christianos. Sic magister fungitur munere doctoris suae scholae, cum vel unum discipulum corripit et docet: sic rex fungitur munere rectoris totius societatis, cum vel unum civem facinorosum capite damnat. Scilicet auctoritatis, quae se extendit ad omnes, exercitium potest esse multiplex et cum eidem auctoritati subsint omnes et singuli, tum erga omnes simul, tum erga singulos immediate ipsa exerceri potest. Unde cum erga unum Princeps auctoritatem suam exercet, exercet eam auctoritatem, qua praeest omnibus, nempe qua Princeps est totiusque regni caput. Itaque etsi Romanus Pontifex ad unam Ecclesiam litteras suas dirigat, fungi potest munere doctoris omnium suaque apostolica uti auctoritate ac definire doctrinam fidei aut morum, quae tenenda sit ab universa Ecclesia; atqui cum ita se gerit, eius definitio est infallibilis: ergo ut eius definitio et infallibilis sit et habeatur, necesse non est ut ad universam Ecclesiam immediate verba Pontificis dirigantur.

Et sane infallibilis est certe Romanus Pontifex cum fungitur munere Confirmatoris fratrum, hoc enim est munus Doctoris omnium Christianorum: atqui munus ipsi iniunctum a Christo confirmandi fratres

nequit ita accipi, ut exerceri non possit nisi simul omnes indigeant confirmatione; sed confirmare eos debet qui indigent, qui petunt confirmari: quando ergo eos confirmat, infallibilis sit oportet; secus non confirmaret.

Diximus *immediate* dirigi verba Pontificis ad aliquas tantum; mediate enim et virtualiter ad omnes diriguntur: fides enim Ecclesiae una esse debet nec potest esse in ea varietas sicut in disciplina: si ergo decretum fidei aliquod a Romano Pontifice aliquibus proponitur, eo ipso intelligitur quod ipsum spectet ad omnes omnesque credere teneantur. Quare ideo uni vel aliquibus tantum illud decretum enunciantur, quia videntur illi tantum indigere confirmatione, vel quia desciscunt a communi fide, vel quia flagitant ipsi iudicium Romanae Sedis.

Quare ut ea definitione fidei ceteri quoque fideles obligentur, opus erit quidem, ut ipsis authentice innotescat eam esse definitionem cathedrae Romanae, quod et primis, quibus data est, opus fuit; sed non erit opus alia definitione.

II. Quod ex analysi definitionis Vaticanae collegimus, id historia quoque confirmatur. Sane decretum Innocentii in causa Pelagiana ad solos Africanos missum fuit et tamen causam finitam esse dicebat Augustinus. Leo epistolam suam dogmaticam datam ad Flavianum, etiam antequam a ceteris cognosceretur, habebat tanquam normam infallibilem, qua Constantinopoli controversia fidei finiretur; in hunc enim finem missa est. Hormisdas professionem fidei ad solos Orientales Episcopos direxit; continebat quidem fidem universae Ecclesiae, sed non ad universam Ecclesiam ea professio est directa. Proscriptio errorum Baii a Pio V. facta soli universitati Lovaniensi est authentice intimata et nihilominus obedientia fidei a Baio eiusque asseclis tum quoque postulata. Unde et Iustiniano Imperatori satis erat ad certitudinem Fidei responsum sibi Ecclesiisque Orientis directum ab Apostolica Sede. « Illud enim credimus esse catholicam quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum » (epist. ad Agapetum Concc. Mansi tom. 8. p. 846.).

SCHOLION I.

Quaeri solet an Pontifex, ut privata persona est, cum actu non fungitur munere Doctoris Ecclesiae, errare possit in fide. Quaestio propria est de errore circa articulum fidei iam definitum, ita ut, si voluntarius sit, vera sit haeresis. Quidam negant cum Bellarmino (*de Rom. Pont.* l. 4. c. 6.). Verum cum id fieri posse veteres supposuerint ipsique Pontifices idem satis significaverint (cf. Innocentium III.

Serm. 2° de Consecratione sua. « In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de ceteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committerem, possem ab Ecclesia iudicari » et Adrianum II. allocutione 3ª lecta in Syn. 8. act. 7ª) permiserintque in Decreto Dist. 40. c. 6. legi verba Bonifacii Archiepiscopi Moguntini: « Culpas (Rom. Pontificis) istic redarguere praesumit mortalium nullus; quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, *nisi forte deprehendatur a fide devius* »: censemus non oportere nos, plusquam ipsa Romana Sedes, sollicitos esse de hac praerogativa asserenda successoribus Petri. Allata quidem verba accipienda sunt de Pontifice privatim errante in rebus iam definitis aut aequivalenter traditis in Ecclesia (§. 21., n. 7.); nam circa alia nullum iudicium institui posset.

Quaeres, quid de eorum Theologorum et Canonistarum sententia dicendum sit, qui aiunt in casu haeresis Pontificem deponi posse. Respondeo 1° casum esse hypotheticum, qui forte nunquam realis fuit aut erit: 2° admissa hypothesi, ea sententia sic accipienda est, ut Pontifex obstinatus in haeresi (*obstinatum* inquam: si enim ipse Ecclesiae monenti cedit, nihil superest agendum) non ab homine sed ab ipso Deo deponatur, auferente ab eo iurisdictionem datam: Ecclesia vero tantum declaret ipsum esse haereticum, ideoque a Deo iurisdictione spoliatum (Suarez l. c. c. 7. n. 5.).

Quaeres, an probari possit immunitas privata ab errore quoque materiali in rebus nondum definitis ex verbis Christi Lucae XXII. hac ratione. Christus ait: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* porro ibi duo distinguuntur, nempe confirmatio fratrum, quae fit per publicam fidei praedicationem et indeficientia fidei: ea exhibetur velut consequens, haec est antecedens; unde indeficientia fidei exorata et impetrata a Christo praecedit ipsam publicam praedicationem: idcirco non est tantum infallibilis cum Doctoris fungitur munere, sed semper et in iis quae nondum sunt definita et possunt ab eo definiri.

Respondeo, necesse non esse ut fides indeficiens sit re distincta a Fratrum confirmatione, sed satis est quod ratione distinguatur. Nimirum si praedicatio fidei authentica et sollemnis est infallibilis, potest confirmare fratres: unde eadem est fides infallibilis et confirmans, quae propter proprietatem infallibilitatis habet et vim confirmandi. Quare cum indeficientia fidei impetrata sit Pontifici in hunc finem ut confirmet Fratres; ea tantum ex verbis Christi necessario colligi potest, quae illi fini necessaria est et sufficit: huiusmodi porro est infallibilitas authenticae praedicationis.

Ea tamen privata immunitas saltem ab haeresi formali, quae a Bellarmino asseritur Pontifici, non esset privilegium confirmationis in gratia seu iustitia: quia cum fide potest esse peccatum: neque esset quoad effectum privilegium adeo singulare; plurimi enim sunt fideles, qui nunquam in haeresim labuntur.

SCHOLION II.

Quaeritur quoque qualis obedientia debeatur Romano Pontifici aliquid circa doctrinam fidei vel cum ea connexam docenti, quando non ex Cathedra definit qualisque obedientia debeatur sententiis doctrinalibus congregationum Cardinalium. Iam vero posse aliquid docere Romanum Pontificem, quin ex Cathedra definiat, manifestum est. Nam factus Pontifex non amittit qualitates communes omnibus: exercitium autem auctoritatis docendi multiplex esse potest; exercitium vero plenum supremae potestatis liberum est illi qui eam obtinet. Dignosci vero potest Romanum Pontificem non loqui identidem ex cathedra; cum enim docens quidem aliquid, tamen non intendit obligationem imponere credendi illud tanquam aliquid tenendum ab universa Ecclesia, sive id non significat se velle, tunc non dicitur loqui ex cathedra, etsi de doctrina loquatur spectante fidem vel mores. Qua in hypothesi non satis bene dicitur loqui ut *doctor privatus;* licet enim non loquatur ex plenitudine auctoritatis, loquitur tamen ex auctoritate: quocirca Romanus Pontifex sic loquens non est detrudendus in censum quorumque doctorum privatorum nullam habentium auctoritatem.

Respondemus ergo priori quaestioni hoc pacto. Magisterio Romani Pontificis etiam non loquenti ex cathedra debetur 1° obsequium silentii, h. e. publice non est ei contradicendum, vel opposita doctrina defendenda; nisi constet ipsum permittere quod de ea re inter catholicos disputetur, sive ut clarius veritas relucescat sive ad absolvendum stadium inquisitionis pro sollemni definitione sive ex alio motivo. Sane obsequium illud postulat reverentia debita Summo Pastori, quam aperta contradictione violari nemo non sentit.

Debetur ei 2° etiam assensus quidam religiosus, cum nihil est quod suspensionem assensus prudenter suadeat. Explico terminos. Non dicimus deberi assensum fidei catholicae, cum non proponatur doctrina tenenda ab universa Ecclesia, nec dicimus deberi assensum formaliter fidei divinae; hic enim assensus innititur propositioni infallibili quae talis esse constet, in hypothesi vero deest talis propositio. Potest tamen hic assensus ab habitu fidei elici, ut postea explicabitur. Nec dicimus esse assensum metaphysice certum (cf. quae de tali certitudine disputavimus in Critica th. 9.); nam non exsistente certitudine infallibilitatis, hoc ipso videtur quod non est impossibilis error, ideoque vi-

detur quod possit oppositum esse verum: qua cognitione exsistente, nequit habere locum certitudo metaphysica. Dicimus itaque assensum esse moraliter certum et idcirco si motiva appareant, sive vera, sive falsa sed ex errore inculpabili, quae aliter suadeant, cum in his adiunctis voluntas non imprudenter agat suspendendo assensum, non dicimus tunc deberi assensum. Tandem assensum vocamus religiosum tum ratione obiecti circa quod versatur, tum ratione motivi cui innititur, ut modo explicabimus.

Sane cum aliquid omnibus vel pluribus doctis ac peritis videtur, nec tibi occurrit ratio oppositum suadens, temere refragaris et temere dissentis etiam interius. Quod valet vero in pluribus doctis et peritis generatim, id multo magis valet in iis pluribus doctis ac peritis quos Deus speciali institutione constituit magistros et quos certum est speciali providentia regi, ut munere suo rite fungantur. Atqui quod in his valet, valet etiam et potissimum in eo qui licet unus sit, tamen est a Deo constitutus Pastor omnium maiorique auxilio divino fretus ac pluribus humanis praesidiis instructus est pro agnoscenda veritate. Etenim vis consensus plurium, qui moralem certitudinem gignit, in eo est quod probabile maxime sit causas erroris deesse: atqui in his adiunctis, sive ratione praesidiorum quibus est instructus Pontifex sive ratione specialis providentiae divinae, est pariter maxime probabile causas erroris deesse: ergo.

Sane ius docendi quod Romano Pontifici competit non tale est ut exerceri non possit nisi actu sollemni quo universae Ecclesiae obligatio imponitur credendi, sed exerceri etiam potest citra huiusmodi sollemnitatem; nam est ius ordinarium et constans, bonumque fidelium exigere potest ut frequenter exerceatur etiam cum opportunum non sit, sollemnem edere definitionem. Porro huic iuri per se respondet assensus mentis; est enim ius dirigendi mentes (§. 20.): oportet autem ut assensus qui debetur respondeat vi magisterii quod exercetur; igitur debetur in his casibus assensus religiosus, quia magisterium est religiosum et in re religiosa versatur, assensus debetur firmus certitudine morali; quia motiva huius certitudinis comitantur istud magisterium, ut dictum est.

Huc quoque proinde spectare arbitramur quod refert Bellarminus de R. P. l. 4. c. 2. inquiens: « inter catholicos convenit... Pontificem solum, vel cum suo particulari concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit sive non possit, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum ».

Dicimus hunc assensum ab habitu fidei elici posse. Potest enim habitus elicere actus tum secundum suam speciem perfectos, tum imper-

fectos retinentes tamen rationem aliquam communem; eo ipso enim quod potestas habitus est ad aliquid perfectum, est etiam ad id quod in eodem genere est imperfectum et veluti inchoatio perfecti. Iam vero cum Pontifex docet licet nondum peremptorie definiens aliquid tanquam revelatum, assensum elicis in id quod proponitur ex motivo auctoritatis divinae quae tibi moraliter certa est ex magisterio Pontificis; eo quod moraliter certum est ipsum non errare: est quidem assensus imperfectus ex parte firmitatis; retinet tamen rationem communem assensus fidei ex parte obiecti: non est tamen formaliter assensus fidei divinae, quae nequit esse nisi certa. Quod si Pontifex eodem pacto proponat aliquam veritatem connexam cum veritate divina, assensus in eam erit imperfectus actus illius fidei quae magisterio infallibili debetur.

Ita expedita priore quaestione quoad tale magisterium Pontificis, expeditam censemus quoque alteram quoad decreta Congregationum Cardinalium (a), si nimirum perpendatur ratio quam attulimus pro priore, et advertatur Congregationes Romanas organa esse Rom. Pontificis. Idem scilicet de illis censemus esse dicendum.

Quae ex decretali cuiusdam decessoris Innocentii III. in causa dissolutionis matrimonii propter haeresim coniugis, vel ex decreto Inquisitionis in causa Galilaei, aut paucis aliis forte similibus obiici possent, probant solum et exceptionem quam posuimus et non deberi assensum metaphysice certum.

Nota. Ad huiusmodi magisterium Pontificis non sunt referendae litterae illae privatae, quibus nihil reapse intendit docere Pontifex, sed solum exhortari animosque addere studiosis viris ad scientiam catholicam illustrandam fidemque tuendam. Cuiusmodi sunt litterae ss. Pii IX. pro Academia s. Thomae, in quibus certa s. Thomae doctrinae capita recitantur. Idem enim ss. Pontifex declaravit, se huiusmodi litteris nec voluisse imminuere pretium aliorum quorundam systematum quae in scholis catholicis celebrantur, nec voluisse praestituere exclusivam normam cogitandi, quam sapientes sequi debeant, si velint esse catholici. Voluit scilicet commendare simpliciter studium veteris doctrinae scholasticae in iis potissimum quae spectant ad unitatem compositi humani, quae quidem doctrina nec unico systemate olim continebatur, nec excludit scientificos progressus qui et ex penitiore rerum analysi et ex subsidio recentiorum scientiarum nati sunt proficisci. Iis proinde litteris perperam praeter et contra earum scopum quidam abutuntur.

(a) Reapse sola Congr. s. O. decreta edit circa doctrinam: ideoque de ea solum heic est sermo.

THESIS XXXIII.

Frustra sunt qui, ut impugnent dogma de infallibilitate Romani Pontificis, demonstrare contendunt, aliquem ex Romanis Pontificibus loquentem ex cathedra errasse. Speciatim vero falluntur qui in medium producunt oppositas doctrinas tum Hormisdae et Ioannis II. tum Nicolai III. et Ioannis XXII. atque eiusdem Ioannis sententiam de visione beatifica ac subscriptionem Liberii et decretum Nicolai I. de forma baptismi et Stephani VII. sententiam quoad ordinatos a Formoso atque Honorii I. epistolas in causa monotheletica sententiamque Zachariae quoad antipodas ac Sixti V. Bullam in editione Vulgatae sententiamque cuiusdam decessoris Innocentii III. in causa matrimoniali iudiciumque Romanae Inquisitionis in causa Galilaei.

I. Etenim id generatim peremptoria demonstratione efficitur: praerogativa enim infallibilitatis Romani Pontificis credenda de fide vera semper fuit; fieri ergo non potuit ut Romanus Pontifex loquens ex cathedra erraverit. Quare difficultates quidem superesse possunt *criticae* et *historicae*, circa quorundam factorum explicationem, non vero dogmaticae, quae nempe in dubium vocare possint veritatem definitam. Speciminis gratia quasdam ex illis potiores expedimus difficultates.

Hormisdas, aiunt, damnavit monachos Scythas, qui dicebant *unum de Trinitate passum carne:* probavit autem eam propositionem Ioannes II.: alteruter ergo erravit. Atqui res ita se habuit. Cum Hormisdae Pontificis opera res Orientis componerentur, sublatis dissentionibus, pace revocata; monachis quibusdam Scythis in mentem venit, dicendum esse: *unus de Trinitate passus est vel crucifixus carne*, ut Nestorianis efficacius se opponerent idque addendum Trisagio censuerunt. Non probata fuit ea novitas legatis Pontificis: quia videbatur occasio novarum dissensionum, quando adeo aegre veteres sopitae fuerant. Appellarunt Monachi ad Hormisdam, ad quem quosdam ex suis legatis miserunt. Scripserunt ad Hormisdam eius quoque legati, hortantes eum ne morem gereret monachis, non quidem improbantes propositionem in se, sed illius importunitatem ostendentes et quod causa dissidiorum foret et Synodo Chalcedonensi iniuria fieret, quasi eius professio sufficiens non esset. Hormisdas, auditis monachis, nihil definire voluit, nisi postquam sui legati rediissent et cum monachi abire vellent, iussit eos detineri. Sed illi, instante reditu legatorum, clam aufugerunt, postquam non pauca temeritatis, studii partium et superbiae signa dedissent. Tam absurdam agendi rationem improbavit Hormisdas epist.

ad Possessorem, eos vocans « novarum cupidos quaestionum, solum putantes scientiae rectam viam qualibet conceptam facilitate sententiam, eousque tumoris elatos, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse iudicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternae, si suae viderint cedere nolle sententiae ». In tota hac epistola improbantur mores monachorum; de doctrina autem in se nullum iudicium fertur. Sed pervulgata notitia, quod Hormisdas non probaverit (quod negative tantum verum erat) propositionem eam monachorum et quod monachos reprobaverit, imo Ioannes Maxentius patronus monachorum confutaverit epistolam supradictam Hormisdae, eum traducens veluti reprobantem et damnantem eam propositionem; ansa data est faventibus quibusdam Nestorianismo, monachis nempe acoemetis, dicendi professionem fidei sibi adversam improbatam fuisse a Romana Sede ideoque eidem suam doctrinam probari. Tunc tandem Ioannes II., re discussa in Concilio Romano, catholicam esse propositionem asseruit (cf. Natalem Alexand. H. E. Sec. 6. c. 3. a. 2. et c. 9. Diss. 2ª). Nulla fuit ergo oppositio. Felix III. utique in epist. ad Petrum Fullonem illud additamentum argumentis etiam dogmaticis impugnaverat (cf. Petavium *de Incarn.* l. 5. c. 2. n. 4.); sed ea impugnatio potius contra errores erat, quos e mente haeretici latere praesumebat sub ea formula, quam contra ipsam formulam.

II. Nicolaus III. in Constit. *Exiit qui seminat, de Verbor. signif. in* 6° haec tria docet: *a)* separari posse dominium, proprietatem, possessionem, ius utendi a simplici usu facti, dominiumque rerum, quibus utuntur Fratres Minores, reservat Sedi Romanae: *b)* abdicationem proprietatis omnium rerum non tam in speciali quam etiam in communi esse sanctam et meritoriam: *c)* eandem paupertatem verbo et exemplo Christum docuisse, licet non semper.

Ioannes XXII. in decretali *Ad Conditorem*, et alia *Cum inter* (inter Extravv. *De verborum significatione*) docet haec: *a)* repugnare iuri (romano) et obviare rationi affirmationem, quod in rebus usu consumptibilibus possit constitui usus iuris vel facti separatus a proprietate seu dominio nec verisimile esse, quod Nicolaus id voluerit affirmare (cf. Clementem VI. penes Raynaldi an. 1346. n. 70.): *b)* eo quod dominium rerum fratrum Minorum sit penes Romanam Sedem, non fieri Minores perfectiores aliis religiosis habentibus aliqua in communi; quia « cum perfectio vitae Christianae principaliter et essentialiter in caritate consistat, ad quam per contemptum bonorum temporalium et ipsorum expropriationem via disponitur per hoc praecipue, quod sollicitudo, quam temporalia in acquirendo, conservando et dispensando exigunt, quae plerumque ab actu caritatis retrahit, amputetur; restat

quod si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quae ante ipsam inerat, perseveret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio valeat nihil conferre: constat autem quod post ordinationem praedictam non fuerunt in acquirendis ac conservandis bonis praedictis in iudicio et extra minus solliciti, quam antea fuerant, fratres ipsi; quamquam sint religiosi mendicantes alii habentes aliqua in communi »: tum Ioannes illi dominio, quod Romanae Sedi asseruerat Nicolaus, renuntiat: *c)* sancit erroneum esse et haereticum affirmare, quod Christus et Apostoli non habuerint aliqua in speciali nec in communi et quod ipsis non competierit ius utendi iis, quae habebant nec ius ea vendendi aut donandi.

Iam vero quoad primum doctrinae caput exstat profecto oppositio quaedam inter Ioannem aliosque suos praedecessores: verum (ut iam monuimus in *Oper. Theol. Mor.* Ballerini tr. 8. l. 1. n. 493.) huc non spectat decisio, quae est argumentum constitutionis, sed est tantum ratio quaedam decisionis intentae, quae disciplinaris est, statuens nempe non amplius penes Romanam Ecclesiam fore dominium rerum FF. Minorum, quae ipso usu consumuntur. Nullam proinde definitionem tulit Ioannes (cf. Miscellanea Balutii v. 5. p. 279. et 595. seqq. edit. a Mansi).

Quoad secundum caput nulla est oppositio; Nicolaus enim rem secundum se theoretice spectat: Ioannes factum historice considerat. Quoad tertium rursus non est oppositio; non enim negat Ioannes Christum verbo et exemplo docuisse paupertatem, quae proprietate careret; sed negat nunquam Christum et Apostolos, habuisse propria in speciali et in communi omnique iure utendi, vendendi, donandi caruisse sive (ut ait c. 5.) negat Christum expropriationem praedictam omnis iuris in *cuiuscumque rei* proprietate et in eius usu in se servasse et imposuisse Apostolis. Haec autem negatio Ioannis non est contradictoria aut contraria affirmationi Nicolai, qui concedit Christum loculos habuisse. Cf. Natalem Alex. H. E. sec. 14. diss. 11. a. 1.

III. Ioannes XXII. putabat, animas iustorum non visuras Deum ante resurrectionem: quaestio enim erat non simpliciter de beatitudine in caelo, sed de visione, ut aiebant, *faciali* (cf. *Annales* Raynaldi ad an. 1331.) et pro illa sententia Ioannes disputabat. Verum 1° id asserebat, cum nondum exstaret decretum ullum fidei: 2° id non tanquam sibi certum asserebat, sed ad modum disputantis eumque in finem disputabat, ut veritatem investigaret. Haec ipse testatus est paulo ante mortem, addens probabiliorem iam sibi videri sententiam contrariam: profecerat scilicet in inquisitione veritatis (cf. Ioannem Villani hist. l. 11. c. 19.). Nulla ergo haeresis vel materialis. Doctrinam catholicam asseruit eius successor Benedictus XII.

IV. Ad Liberium quod spectat, breviter respondemus: 1° si subscripsit, certe subscripsit coactus ideoque etsi peccaverit, tamen nullum valorem habuit eius actus iuridice spectatus, et idcirco neque potest haberi ut definitio fidei (cf. quae diximus in Th. 30. 3. 3°): 2° si alicui formulae fidei subscripsit, illi subscripsisse dicendus est, quae per se sensum haereticum non fundebat, nempe priori syrmiensi adversus Photinum editae (cf. Notam Mansi in diss. 32ª sec. 4. H. E. Natalis Alexandri): 3° subscriptionem de qua accusatur, certam non esse: imo probabile admodum esse, quod optime prorsus se gesserit. Cf. Theodoretum H. E. l. 2. cc. 15. 17. Socratem H. E. l. 2. c. 37. Rufinum H. E. l. 2. c. 27.; quibus haud repugnat narratio Sozomeni l. 4. c. 15. ex qua liquet non id effecisse Liberium, quod ab eo obtinere nitebatur Imperator, nempe ut profiteretur Filium Patri non esse consubstantialem, sed ab Aetianis sparsos fuisse rumores, quod Liberius *consubstantialis* vocabulum condemnasset et Filium Patri dissimilem confiteretur. Lege FF. Ballerinios *De vi ac ratione Primatus* c. 15. §. 8. et dissertationem 7. inter latinas F. Ant. Zaccaria, unde et valorem disces fragmentorum Hilarianorum.

V. Nicolaus I. in Responsione ad Consulta Bulgarorum c. 104. ait: « A quodam Iudaeo, nescitis utrum a christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos. Sed primum utrum Christianus an paganus ipse Iudaeus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum. Quamvis non praetereundum esse credamus, quid b. Augustinus de baptismo dicat: iam satis, inquit, ostendimus, ad Baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre sive de Filio sive de Spiritu Sancto aliter sentiat quam doctrina caelestis insinuat ». Docuit ergo Nicolaus valere baptismum collatum sola invocatione nominis Christi; docuit autem munere fungens doctoris omnium Christianorum: atqui hoc est erroneum.

Iam vero concedimus, Baptismum administratum cum invocatione solius nominis Christi non valere. Advertere tamen licet cum Bellarmino (*de Rom. Pont.* l. 4. c. 12.) nullam hac super re certam Ecclesiae definitionem exstare atque insignes quosdam Theologos propugnasse valorem illius formulae, saltem pro aetate Apostolorum (cf. August. Orsi in Dissertatione hac super re edita), quippe quae implicite significet Patrem, Filium et Spiritum S.; cum enim Christus

nominatur, significatur et Ungens et Unctus et Unctio. Et Paulinus Aquileiensis probat valere baptismum in nomine Iesu collatum in sua synodica (cf. Mansi Concc. t. 13. pag. 838. et 921.). Imo Toletus in 3. p. q. 66. a. 6. innixus potissimum decreto Nicolai defendit eam sententiam tanquam theoretice probabiliorem.

Respondeo I. probari non posse, quod Nicolaus in ea doctrina tradenda, quae ex eius verbis colligi solet, agat ut doctor omnium Christianorum, sive loquatur ex cathedra: quaestio enim ipsi proposita versabatur circa ministrum, non circa formam : nimirum utrum iudaeus quicumque ille sit, valide baptizet; unde directa responsio Nicolai ad interrogationem Bulgarorum haec est: quicumque sit qui baptizet, dummodo legitima forma utatur, quam certe Bulgari non ignorabant, valide baptizat. Iis enim verbis: *si in nomine S. Trinitatis vel tantum in nomine Christi: unum enim idemque est baptisma ;* continentur haec duo: 1° generale, si legitima forma adhibeatur : 2° utramque (si vere iis verbis forma baptismi a Nicolao significatur) hanc esse legitimam formam. Illud autem primum respondet directe consultationi bulgarorum. Nec habuit in animo Nicolaus omnia necessaria explicare; nam nec mentionem facit intentionis ministri, quae certe necessaria est. Incidenter tamen formam quoque determinate declarat. Verum nihil prohibet in quaestione incidenti loqui Romanum Pontificem e sua privata sententia vel e sententia probabili theologorum, eadem relicta in eo gradu certitudinis vel probabilitatis quam ex se habet.

Et sane nihil de hac re definivisse Nicolaum evidens est a posteriori. Si enim ipse definivisset valere eam formam baptismi, huiusmodi sententia invaluisset certe in Ecclesia Romana ; at constat nullam mutationem in ea factam esse: ergo ea definitio non fuit (cf. Cathechismum Romanum *de Baptismo* n. 16.). Atque haec quidem dicuntur in hypothesi quod Nicolaus per verba, *vel tantum in nomine Christi* voluerit significare invocationem solius nominis Christi ; verum et hanc hypothesim certam non esse liquebit ex responsione sequente. Itaque.

Respondeo II. Cum Nicolaus ait: *In nomine Sanctae Trinitatis,* non significat formam baptismi esse hanc: *ego te baptizo in nomine S. Trinitatis,* sed significat invocationem explicitam trium personarum, quae veniunt sub appellatione Trinitatis. Porro et *baptismus in nomine Christi* significat pariter baptismum collatum sub invocatione explicita trium personarum; hic est enim baptismus a Christo institutus; qui sensus ex Actibus colligitur idque docet cum Basilio (lib. *de Spiritu S.* c. 12.) Ambrosius (*de Spiritu S.* l. 1. c. 3. coll. *de*

Mysteriis c. 4.). Quare Nicolaus non diversas formas exponit, sed eandem formam duplici modo proponit. Cur vero ? non est profecto opus, ut huius rei rationem reddamus; satis est quod hic loquendi modus sit per se conveniens: potuit autem ex adiunctis interrogationis vel aliis causa adesse, cur ita Nicolaus loqueretur, quam tamen nos ignoremus. Quid enim si Bulgari in sua interrogatione utraque appellatione usi fuerint, sed ita ut viderentur arbitrari baptismum, de quo loquitur Lucas in actibus, alia forma administratum fuisse et sic secundum formam alium fuisse baptismum? quem errorem per transennam voluerit Nicolaus notare et corrigere, docens quod in Actibus de uno eodemque baptismo secundum formam sermo est. Difficultatem gignit illa particula *tantum (vel tantum in nomine Christi) :* sed ea dicenda est spectare ad textum Lucae, qui citatur prout iacet et ex quo occasio orta est Bulgaris suspicandi quod alius esset baptismus. Haec hypothesis (nam hypothesim aliquam facere licet, cum desit textus interrogationum bulgarorum) nobis opportunior videtur explicando textui Nicolai et sic nulla est difficultas.

VI. Advertendum est 1° iam pridem a Stephano III. al. 4. contra Antipapam Constantinum, qui fuerat ordinatus Episcopus ab Episcopo Praenestino per vim coacto, decretum fuisse in Concilio Romano an. 769. (ad quod plures Itali et Gallicani, iique eruditi, convenerant) Act. 3° « ut Episcopi, quos consecravit (Constantinus), si quidem presbyteri prius fuerint aut Diaconi, in eodem pristino honore revertantur et postmodum facto decreto electionis eorum, ad Sedem Apostolicam cum plebe atque decreto ad consecrandum eveniant et consecrationem a nostro Apostolico suscipiant ac si prius fuissent minime ordinati. Sed et si alia in sacris officiis iisdem Constantinus peregit, praeter tantummodo baptismum, omnia iterentur ». Cf. et Anastasium in vita eiusdem Stephani. Porro ad auctoritatem Stephani III. eiusque Concilii provocabant ii, qui Stephani VII. acta tuebantur (cf. Auxilium, *Tractatu de Sacris Ordinationibus* l. 2. qui *Infensor et defensor* dicitur c. 4.). Rursus alius Pontifex Ioannes XII. an. 956. in Synodo haec statuit: « Eos, quos Leo (Antipapa qui fuerat iussu Ottonis Imperatoris electus et consecratus Pontifex) neophytus et invasor Sanctae Catholicae Apostolicae Romanae Ecclesiae in quolibet ecclesiastico ordine provexit, apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto in pristinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit ». Atque affertur exemplum et auctoritas Stephani III. « Sicut olim noster praedecessor piae momoriae Stephanus Papa sententiam tulit de iis, qui ordinati fuerant a Constantino quondam neophyto et invasore Sedis Apostolicae et postmodum

quosdam eorum sibi placabiles presbyteros aut diaconos consecravit, statuens ut hi, qui ab eo consecrati erant, nunquam ad superiorem gradum ascenderent, nec ad Pontificatus culmen proveherentur; ne talis impiae novitatis error in Ecclesia pullularet». Contra hos omnes ergo arguere licet, et videri ipsos putasse ordinationem ab illegitimo Episcopo peractam esse nullam quoad effectum sacramentalem et ab eo ordinatos specie tenus tantum, esse denuo ordinandos.

Advertendum 2° incredibile esse, quod Ecclesia Romana seu Romanus Pontifex tanto tempore, etiam post adversariorum, cuiusmodi fuit Auxilius, disputationes ignoraverit quod Gregorius M. docuerat Epist. l. 2. ep. 32. dicens, ridiculum esse, velle iterum ordinare eum qui ordinatus fuisset: ignoraverint doctrinam Augustini probantis contra Donatianos baptismum iterari non posse; quia nec ordinatio iteratur; ignoraverint decretum Concilii Capuani sub Siricio, quo Bonosi haeretici ordinationes probatae sunt: ignoraverint quid hac in re Innocentius I. decreverit, quid de ordinationibus Acacii statuerit Anastasius II. Pontifex epist. 1. ad Anastasium Imperatorem, etc. Cf. dicta in proleg. §. 13.

Advertendum 3° eruditos facile concedere, iterationem decretam a Stephano III. non fuisse iterationem Sacramenti ordinationis, sed sacramentale quoddam ritumque sacrum, quo antiquitus depositi et gradu suo deiecti, Pontificiae reconciliationis beneficio, ad pristinos honores iterum promovebantur: ritum autem illum vocari *consecrationem;* quia cum ordinum insignia reciperent coram altari et benedictione Episcopi reconciliarentur ac potestatem obeundi munia ordinum, quos illegitime susceperant, eius indulgentia consequerentur, videbantur quasi de novo consecrari. Ita Natalis Alexander H. E. sect. 8. c. 1. a. 3. Cur vero ita ipse historiam eam interpretetur, ratio est, quia non est adeo verisimile Stephanum et Episcopos ex Gallia accersitos doctos et eruditos, qui in ea Synodo sedebant, ita fuisse traditionis ignaros.

Et sane haec interpretatio maxima idonea videtur, si decreti verba perpendantur. Non enim dicitur quod consecrandi sint, eo quod prius non fuerint ordinati, sed: *ac si prius fuissent minime ordinati.* Ordinatio scilicet valida quoad characterem supponitur, sed quod dignitatem locumque honoris et iura, nulla eius ratio habebatur; ut iam Innocentius I. docuerat (§. cit.). Non ergo Stephanus III. putavit ordinationis sacramentum ab Antipapa collatum fuisse nullum, sed tantum nullum ius exercendi muneris fuisse collatum, nullam iurisdictionem datam, ideoque, secundum morem loquendi veterum canonum, eos Episcopos non esse, non esse presbyteros aut diaconos: atque

adeo quodam ritu, qui consecratio dici potest, redintegrandos esse. Cf. Conc. Rom. sub. Ioan. IX. in quo Synodus Stephani VII. abrogata est: in quo c. 8. decernitur, ne habeantur inter ecclesiasticos viros et sacerdotes vocentur ii qui ab eodem Concilio sunt canonice depositi. Ita et in oecumenica Synodo Lateranensi 2. cn. 2° sancitum est ut « ordinationes ab haereticis factae sint irritae ».

Atqui eodem modo interpretari licet acta Stephani VII. quod ordinationes a Formoso factas. Nam quod ex historia novimus huc redit: declaratas fuisse irritas ordinationes Formosi, non esse habendos ut Sacerdotes et Episcopos qui ab eo fuerant ordinati, ordinationes (ut quidam loquebantur) iterandas esse. Idque defensores Stephani VII. tuebantur exemplo Stephani III. Eadem ergo fuit sententia utriusque Stephani; quamvis identidem adversarii, inter quos Auxilius (Tractatu citato), eam in deteriore sensu acceperint aestu disputationis abrepti. At si ita res se habuit, quaenam causa fuit disputationis, cum alias quoque in tota antiquitate id factum fuerit? Respondeo: causa duplex fuit 1° quod Formosus Pontifex legitimus fuerat et pius ac sanctus a pluribus habebatur; contra Stephanus male audiebat duaeque factiones exsistebant sibi adversae; unde ordinati a Formoso eiusque causae faventes iniuriam pati non poterant. 2° Usus termini *ordinationis* et *consecrationis*, qui occasionem praebere potuit adversariis liberius impugnandi illud decretum.

Diximus, censuisse *ordinationes iterandas esse*, eo quidem pacto, quo explicavimus; quia adversarii Stephani VII. de iis mentionem faciunt: at praetereundum non est testimonium Sigeberti Gemblacensis (auctoris sec. XI., potius infensi Romanis Pontificibus), qui in *Chronico* ad annum 903. ait: « Theodorus 118[us] Romanae Ecclesiae praesidet. Hic contra Stephanum Papam sentiens, *reconciliavit* ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim, intus Romae et non (?) foris, *exordinaverat nec tamen praesumpserat eos iterum consecrare* ». Atque huc redire dicendus est totius huius historiae nucleus: cetera superinduxerunt declamationes adversariorum.

Nihilominus, data etiam hypothesi quod Stephanus voluerit rursus sacramento ordinationis initiari quos sciebat a Formoso Episcopo fuisse ordinatos, respondemus cum Natali Alex. H. E. sect. 9. c. 1. quod *peccatum* fuit *conversationis* non *error praedicationis*. Nihil enim docuit Stephanus, sed tantum egit et fieri iussit aliquid contra id quod fides docet. Neque id praecepit tanquam regulam servandam semper ab Ecclesia, quemadmodum fit cum doctrinae morum definiuntur a Pontifice, etiamsi aliquos tantum immediate doceat; sed solum praecepit id fieri in speciali causa Formosi. Porro manente etiam fide potest aliquid fieri

ex perversa voluntate quod scimus a fide prohiberi, neque eo actu vere quis dicitur docere aliquid contra fidem. Peccavit ergo Stephanus, sed 1° non ideo dici potest errasse in fide nec 2° dici potest docuisse aliquid contra fidem: multoque minus 3° docuisse aliquid ex cathedra ut tenendum ab universa Ecclesia.

VII. ad Honorium quod spectat duplex quaestio fieri potest: 1° utrum in eius epistolis haeresis contineatur: 2° quî fieri potuit ut is a Concilio tanquam haereticus damnaretur, si infallibilis habebatur Romanus Pontifex? Difficultas est in altera quaestione, quam tamen agemus in thesi sequente. Quoad primam vero, iam satis constat catholicam prorsus esse doctrinam epistolarum Honorii idque his nostris quoque annis a pluribus in luce evidentissima collocatum; quod et nos breviter ostendemus in th. sq. ut omnia simul coniungamus.

VIII. R. P. Zacharias epist. ad s. Bonifacium (Ann. Baronii an. 748.) de cuiusdam Virgilii perversa doctrina hoc fert iudicium: « De perversa autem doctrina, quam contra Dominum et animam suam locutus est, quod scilicet alius mundus et alii homines sub terra sint aliusque sol et luna, si convictus fuerit ita confiteri, hunc, accito Concilio, ex Ecclesia pelle Sacerdotii honore privatum ». Quaerenda est primum intelligentia huius perversi dogmatis Virgilii, nec suppetit tamen aliud documentum praeter haec verba Zachariae. Itaque adverte, fuisse penes non paucos veteres christianos opinionem, quod sola haec nostra terrae facies, quam maria ambiunt, habitata sit: quod sol occidens orbem suum non compleat sub terra rediens ad Orientem, sed cum occiderit, ultra mare gyrans circa septentrionalem plagam, redeat ad locum Orientis et inde ascendat idemque peragere lunam (cf. Cosmam Indicopleustem *Topographiae* l. II. Severianum Episcop. Gabalit. *de Mundi Creatione* Orat. 3.). In hac hypothesi qui alios homines nobis obversos sub terra h. e. antipodas voluisset asserere, is et alium pro ipsis solem aliamque lunam debuisset supponere. Ex quo liquet quomodo aliqua opinio haec duo potuerit copulare, nempe *alios homines sub terra* et *alium solem atque aliam lunam.* Cum ergo haec coniunxerit iste Virgilius, huiusmodi fuisse videtur eius sententia.

Iam vero haec opinio ita repraesentat homines antipodas, ut sint aliud genus hominum ac nostrum, non sint scilicet homines orti ex Adamo: sic certe sonant verba Zachariae, *alius mundus, alii homines, alius sol et luna;* homines nempe qui nihil commune habeant nobiscum. Atqui quod in hac tellure sint alii homines, qui non sint ex Adamo, ad quos proinde nec peccatum Adami nec Christi redemptio spectet, est profecto haeresis. Et haec ratio erat, cur et Augustino (*Civ. Dei* l. 16. c. 9.)

hypothesis antipodum non probaretur; cum enim propter interpositum immensum oceanum crederetur fieri non potuisse, ut nati ex Adamo illuc pervenirent ut etiam ibi humanum genus institueretur, opinio de exsistentia antipodum accipiebatur ab Augustino ut opinio de exsistentia hominum in tellure, qui non essent ex Adamo atque sub hoc respectu reprobabatur. Hic autem respectus se prodebat manifeste in opinione eorum, qui dicebant alium esse mundum, alios homines sub terra, pro quibus alius esset sol et alia luna et idcirco merito a Zacharia decretum est, hominem haec docentem puniendum esse.

IX. Sixtus V. (ait Dr. Langen op. cit. p. 2. §. 2. p. 4. §. 4. p. 93.) in Bulla *Aeternus ille*, quam praemisit suae editioni Vulgatae, fatetur se operam suam posuisse in absolvenda emendatione Vulgatae, perpensis emendationibus propositis a consultoribus iisque electis quae praestantiores videbantur: idque se praestitisse significat vi auctoritatis, quam in Petro accepit, cui indeficientia fidei exorata est a Christo et qui propterea iussus est confirmare fratres. Vulgatam autem ita a se emendatam typis edens decernit ex certa scientia et plenitudine Apostolicae potestatis ipsam sine dubitatione ulla et controversia pro ea latina Vulgata recipiendam, quae tanquam authentica a Tridentina Synodo recepta est, quam nos, ait, prout optime fieri potuit, emendatam evulgamus. Atqui, inquiunt, adeo longe aberat ab emendatione illa editio Sixti V. ut mox a Successore eius omnia exemplaria ipsius cum Bulla *Aeternus ille* revocata ac suppressa fuerint. Quo ergo spectabat appellatio Sixti V., ad verba Christi promittentia infallibilitatem Petro pro hoc opere emendationis a se peracto, si in hoc ipso opere haud bene gessisse dicendus est?

Antequam respondemus, advertimus *a)* ex verbis Christi certe confici 1° penes Rom. Pontificem auctoritatem esse instituendae emendationis Vulgatae ultimumque iudicium de ipsa ferendi: 2° emendationem Vulgatae vi huius auctoritatis editam pro universa Ecclesia immunem fore ab omni errore et cum originali concordare quoad doctrinam fidei et morum et res maioris momenti. Advertimus *b)* emendationem propositam a Sixto V. quoad doctrinam fidei et morum, nullum continuisse errorem nec dissensisse in hac re ab originali. Advertimus *c)* ipsum Sixtum V. non dedisse eam emendationem tanquam perfectam, imo significasse quod adhuc perfici poterat, cum dixit emendatam esse *prout optime fieri potuit*, quod in ipsa quoque editione Clementis VIII. reperimus tandem significatum. His positis patet responsio. Sixtus V. enim ad verba Christi appellavit, ut suam auctoritatem in hoc negotio assereret certioresque fideles faceret, nullum errorem aut dissensum ab originali in doctrina fidei et morum et in rebus maioris momenti in ea

haberi, *conc.*, ut probaret omnibus numeris esse emendationem absolutam, aut perfici adhuc non posse, *neg.*

V. Quidam decessor Innocentii III. (quem quidam putant esse Caelestinum III., alii Urbanum III.) censuisse dicitur quod si coniux haereticus evadat, liceat alteri catholico ad alias nuptias transire, quemadmodum converso e gentilitate ad fidem licet alias inire nuptias, si pars infidelis nolit sine iniuria creatoris cohabitare. Cf. eam decretalem *Laudabilem*, apud Mansi tom. 22. col. 638. Huius rei testis est ipse Innocentius III. (c. *Quanto*, *de Divortiis*), qui aliter quaestionem solvit et quidem recte. Iam vero decisio illa prior olim edita exstabat inter decretales, quae universae Ecclesiae proponuntur; ex quo efficitur saltem, quod auctoritate Gregorii IX. fuerit universae Ecclesiae proposita ut norma in rebus fidei et morum aliqua falsa doctrina (Dr. Langen op. cit. p. 4. pag. 92.). Respondeo negando consequentiam; nam eo ipso quod inter decretales utraque responsio et Innocentii III. et illius alterius Pontificis inserta fuit, evidens est quod vel nihil definire voluit Gregorius IX., vel quod prior responsio solum ut documentum historicum ibi posita fuit ut responsio Innocentii intelligeretur. Responsio vero Caelestini, vel alterius, ad privatum hominem, characteres non habebat certe decreti ex cathedra licebatque Pontifici in privatis his responsis sequi aliquam opinionem, quae ipsi probabilis videretur.

XI. Quod pertinet ad Galilaei causam, haec habe: *a)* anno 1616. sub Paulo V. conditum est a Congregatione Indicis decretum huiusmodi post prohibitionem aliorum librorum: « et quia etiam ad notitiam praefatae sanctae Congregationis pervenit, falsam illam doctrinam Pythagoricorum divinaeque Scripturae prorsus adversantem de mobilitate Terrae et immobilitate Solis, quam Nicolaus Copernicus *De revolutionibus orbium caelestium* et Didacus a Stunica *In Iob* etiam docent, iam divulgari et a multis recipi, sicut videre est in quadam epistola impressa cuiusdam P. Carmelitae, cuius titulus: *Lettera del Rev. Padre Maestro Paolo Antonio Foscarini Carmelitano sull' opinione de Pittagorici* etc. in qua dictus Pater ostendere conatur, praefatam doctrinam de immobilitate Solis in centro mundi et mobilitate terrae consonam esse veritati et non adversari Scripturae. Ideo ne ulterius huiusmodi opinio in perniciem catholicae veritatis serperet, censuit dictum Nicolaum Copernicum *De revolutionibus orbium* et Didacum a Stunica *in Iob* suspendendos esse donec corrigantur: librum vero P. Pauli Foscarini carmelitae omnino prohibendum atque omnes libros pariter idem docentes prohibendos, prout praesenti decreto omnes respective prohibet, damnat atque suspendit. In quorum fidem praesens decretum manu et sigillo illustrissimi et reverendissimi Domini

Cardinalis sanctae Ecclesiae Episcopi Albanensis signatum fuit die 5. Martii 1616. Frater Franciscus Magdalenus Capiferreus Ord. Praed. Secretarius ».

Quid vero tunc Sacra Inquisitio egerit cum Galilaeo, qui doctrinam Copernici tuebatur, refertur in decreto eiusdem Congregationis edito die 2. Iulii 1633. sub Urbano VIII. quod italice scriptum fuit: « Essendo che tu Galileo figliuolo del q. Vincenzo Galilei Fiorentino dell'età tua di anni 70. fosti denunciato del 1615. in questo s. Ufficio, che tenessi come vera la falsa dottrina da molti insegnata che il Sole sia centro del mondo ed immobile e che la terra si mova anco di moto diurno, che avevi alcuni discepoli, ai quali insegnavi la medesima dottrina, che circa l'istessa cosa tenevi corrispondenza con alcuni matematici di Germania, che tu avevi dato alle stampe alcune lettere intitolate *Delle macchie solari*, nelle quali spiegavi l'istessa dottrina come vera, et che alle obbiezioni che alle volte ti venivano fatte, tolte dalla Sacra Scrittura, rispondevi glossando detta Scrittura conforme al tuo senso. E successivamente fu presentata copia d'una scrittura sotto forma di lettera, quale si diceva essere stata scritta da te ad un tale già tuo discepolo, ed in essa seguendo la posizione di Copernico, si contengono varie proposizioni contro il vero senso ed autorità della Sacra Scrittura. Volendo perciò questo Tribunale provvedere al disordine ed al danno, che di qui proveniva et andava crescendosi con pregiudizio della s. Fede; d'ordine di N. Signore e degli Emi Signori Cardinali di questa suprema ed universale Inquisizione, furono dalli qualificatori teologi qualificate le due proposizioni della stabilità del Sole e del moto della terra: cioè Che il Sole sia centro del mondo et immobile di moto locale, è propositione assurda e falsa in filosofia e formalmente eretica, per essere espressamente contraria alla Sacra Scrittura. Che la terra non sia centro del mondo nè immobile, ma che si mova eziandio di di modo diurno, è parimente assurda e falsa nella filosofia e considerata in theologia, *ad minus erronea in fide*. Ma volendosi per allora proceder teco con benignità fu decretato nella s. Congregazione tenuta avanti Nostro Signore ai 25. Febbraio 1616. che l'eminentissimo S. Cardinale Bellarmino ti ordinasse, che tu dovessi onninamente lasciare la detta dottrina falsa e ricusando tu ciò di fare, che dal Commissario del s. Ufficio ti dovesse esser fatto precetto di lasciar la detta dottrina e che non potessi insegnarla ad altri nè difenderla nè trattarne; al qual precetto non acquietandoti, dovessi essere carcerato: et in esecuzione dell'istesso decreto, il giorno seguente nel Palazzo, et alla presenza del suddetto Emin. Signor Cardinale Bellarmino, dopo esser stato dall'istesso Signor Cardinale benignamente avvisato et ammo-

nito, ti fu dal P. Commissario del s. Ufficio di quel tempo fatto precetto, con notaro e testimoni, che onninamente dovessi lasciare la detta falsa opinione e che nell'avvenire tu non la potessi nè difendere, nè insegnare in qual si voglia modo, nè in voce nè in iscritto: et avendo tu promesso d'ubbidire fosti licenziato.

Et acciocchè si togliesse affatto così perniciosa dottrina e non andasse più oltre serpendo in grave pregiudizio della cattolica verità, uscì decreto dalla S. Congregazione dell'Indice, col quale furono proibiti i libri che trattano di tal dottrina et essa dichiarata falsa et onninamente contraria alla Sacra Scrittura ».

At quia Galilaeus post eam monitionem edidit typis librum, cui titulus *Dialogo di Galileo Galilei delli due massimi sistemi del mondo Tolemaico e Copernicano*, in quo doctrinam defendebat, quam iussus fuerat non docere, licet quadam circuitione verborum significare contenderet se illam ut probabilem tueri et indecisam relinquere; iussu Cardinalium Inquisitorum vocatus fuit ad s. Officium: a quo die 2. Iulii 1633. post superius recitata, haec sententia lata fuit: « Invocato dunque il ss. Nome di N. S. G. C. e della sua gloriosissima Madre sempre Vergine Maria, per questa nostra definitiva sentenza, la quale sedendo pro tribunali di consilio e parere de reverendi maestri di sacra teologia e dottori dell'una e l'altra legge nostri consultori, proferiamo in questi scritti, nella causa e cause vertenti avanti di noi tra il Magnifico Carlo Sinceri dell'una e l'altra legge dottore, procuratore fiscale di questo s. Ufficio per una parte, e te Galileo Galilei reo, qui presente processato come sopra dall'altra. Diciamo, pronunciamo, sentenziamo, dichiariamo, che tu Galileo suddetto per le cose dedotte in processo, e da te confessate come sopra, ti sei reso a questo s. Ufficio veementemente sospetto di eresia, cioè d'aver creduto e tenuto dottrina falsa e contraria alle Sacre e divine Sritture, che il Sole sia centro della terra e che non si mova da oriente ad occidente e che la terra si mova e non sia centro del mondo e che possa tenere e difendere per probabile un'opinione dopo d'essere stata dichiarata definita per contraria alla s. Scrittura: e consequentemente sei incorso in tutte le censure e pene da Sacri Canoni ed altre costituzioni generali e particolari contro simili delinquenti imposte e promulgate, dalle quali siamo contenti che sii assoluto, purchè prima con cuor sincero et fede non finta avanti di noi abiuri, maledichi et detesti li suddetti errori et eresie e qualunque altro errore et eresia contraria alla cattolica Romana Chiesa, nel modo che da noi ti sarà dato.

Et acciocchè questo tuo grave e pernicioso errore e trasgressione non resti del tutto impunito e sii più cauto nell'avvenire et esempio

agli altri che s'astenghino da simili delitti. Ordiniamo che per pubblico editto sia proibito il libro de Dialoghi di Galileo Galilei ». Subduntur quaedam poenae et ita absolvitur: *Ita pronunciamus nos Cardinales infrascripti:* sequuntur nomina Cardinalium. Galilaeus autem abiuravit supradictos errores et haereses. Forma vero abiurationis fuit, ut iurando profiteretur se credere quidquid credit Romana Ecclesia et sponderet se abiecturum eam falsam opinionem, abiurans et maledicens et detestans supradictos errores et haereses (Exstat utrumque decretum in opere *Memorie e lettere inedite etc. di Galileo Galilei* per Ioannembaptistam Venturi. 1821. parte 1ª p. 268.: p. 2. p. 170.).

Iam vero correctio facienda in opere Copernici praescripta a Congregatione Indicis in suo decreto eo redibat, si Galilaeo tunc Romae commoranti et cui maxime id nosse intererat, credimus, ut ea pars praefationis (dedicaverat Copernicus opus suum Paulo III.) deleretur, in qua ait: « non moror illos, qui ausi fuerint institutum hoc meum reprehendere ac insectari propter aliquem locum scripturae male ad suum propositum detortum; adeo ut etiam illorum iudicium tanquam temerarium contemnam » ac praeterea deleretur appellatio *Sideris* facta Telluri (ib. p. 1. p. 269. coll. 227.). Romana tandem Sedes expunxit ab Indice librorum prohibitorum Opus Nicolai Copernici et Dialogos Galilaei eademque postea ne dum permisit eam doctrinam publice doceri; sed et eos qui illam excolerent, maxime fovit, ut videre est in hac ipsa Urbe Roma.

His positis 1° advertere licet, *a)* primam partem doctrinae, quae tunc ferebatur, Solem nempe immobilem esse et centrum esse mundi, esse reapse falsam, et physice quoque absurdam: *b)* sententiam modernam non esse certam de fide. Quare si quis adhuc peripateticus esset, qui ex amore vetustatis sententiam Tolomaei et Aristotelis tueri vellet, respondere ei liceret: nullum esse vitium in iis decretis, sed errare philosophos recentiores. Difficultas tamen foret: cur nempe postea tolerarunt Pontifices recentiorem doctrinam eiusque favent auctoribus, expunctis quoque ab Indice libris prius damnatis? Possent autem huiusmodi homines respondere, quod cum res nondum sit definita, permitti aut tolerari potest sententia contraria. Fateri ergo et ipsi debent nullam hactenus hac super re exstare fidei definitionem: non enim impune toleratur doctrina publice tradita, quae sit opposita veritati definitae.

Itaque melius 2° respondemus nullam in iis decretis exstare definitionem Romani Pontificis loquentis ex Cathedra: quod quidem multipliciter probatur, *a)* a posteriori; in hypothesi etiam adversariorum,

quod Romanus Pontifex ex se solo non sit infallibilis. Definitionem Romani Pontificis ex cathedra secutus est semper consensus et obedientia omnium Episcoporum, omnium que fidelium subiectio: porro si quod erat decretum quod nulla difficultate impediri poterat, ne obedientiam fidei ab omnibus consequeretur, istud erat; agebatur enim de re omnibus fere tunc probata: si ergo fuisset definitio Pontificis, fuisset quoque sententia ab universa Ecclesia approbata obtinuissetque locum dogmatum definitorum doctrina de motu solis et stabilitate telluris. At si ita res se habuit, qui fieri potuit, ut deinceps in Ecclesia doctrina opposita invalesceret et scientibus omnibus Episcopis defenderetur? Haec prorsus componi nequeunt. Non ergo exstitit definitio ex cathedra Romana.

Probatur *b)* ex ipsa natura definitionis ex cathedra. Nam ut sit definitio ex cathedra Romani Pontificis, oportet ut sit sententia ab ipso Romano Pontifice prolata vel probata, suoque nomine proposita fidelibus credenda. Etenim definitio huiusmodi est actus proprius Primatus et infallibilitas, quae ei competit, est praerogativa propria Primatus: sicut autem Pontifex nequit alteri communicare plenitudinem suae potestatis seu Primatum, ita nec potest communicare supremum magisterium dotemque infallibilitatis cum eo connexam: quare ut definitio infallibilis Romanae Cathedrae habeatur necesse est ut ipse Pontifex doceat. Potest quidem suam potestatem Romanus Pontifex exercere per alios et quatenus ipse probat quod illi statuunt, habenda sunt decreta ut decreta Romani Pontificis: verum cum de aliis decretis agitur, satis esse potest quod ipse vel in genere probet quod alii suo nomine facturi sunt, dummodo res non sit evidenter mala, auctoritate decernendi collata; quia obligari possunt subditi ad obediendum in iis quae non sunt certe mala, etsi in se sint forte mala: at cum agitur de decretis fidei, cum nequeant fideles obligari ad credendum fide divina id quod potest esse falsum, nequit Romanus Pontifex potestatem aliis facere condendi decreta fidei quae fideles obligent, nisi ipse in specie probet quod definitur suamque approbationem manifestet fidelibus. Hinc aliud est quod Pontifex velit, ut Congregationes a se institutae fungantur suo munere et potestatem eam exerceant quam ipsis participavit, aliud est quod ipse ex cathedra docens, illud idem affirmet quod illae docent. Potest enim Romanus Pontifex partem suae potestatis aliis delegare et velle ut eis a cunctis pareatur, quin tamen sibi adimat ius innatum ultimam definitivam sententiam proferendi et corrigendi errores, qui vitio hominum in sententiam delegatorum obrepserint. Ut ergo definitio ex cathedra Romana habeatur, loqui debet ille qui in cathedra sedet, qui est solus Episcopus Romanus.

Atqui auctor eorum decretorum nullus est Romanus Pontifex, aut Paulus V. aut Urbanus VIII., soli Cardinales decretum condentes apparent: abstinuerunt ergo Pontifices ab ultima definitiva sententia ferenda: ergo.

Dices: cum decreta s. Inq. probantur a Romano Pontifice perinde est, ac si ab ipso profecta essent: porro ea aetate decreta eiusdem S. C., etsi non accederet approbatio Papae, eadem vi potiebantur, ac nunc potiantur, accedente explicito consensu Papae. Ergo decretum s. Inq. contra Galilaeum haberi debet ut decretum ipsius Papae Urbani VIII.

Resp. 1. Aliud est, quod Romanus Pontifex probet decretum cuiuslibet Congregationis Romanae, aliud, quod idem decretum suum faciat tanquam actum magisterii sui infallibilis. Nam probare potest decretum Congregationis simulque illud relinquere in ordine, qui ei competit, ea tantum vi instructum, quam ratione suae institutionis Congregatio habere potest.

Resp. 2. Illud, quod in hoc negotio directe agebatur, erat res disciplinae: scilicet particularis sententia ferenda in Galilaeum, qui in re gravi inobediens fuerat suisque interpretationibus periculum fidei inter Italos creare videbatur. Hanc sententiam probavit profecto Pontifex, qui iusserat animadverti in Galilaeum, propter inobedientiam eumdemque prohiberi, ne amplius eam opinionem doceret, quae stante communi opinione, tanquam aliena a scripturis habebatur. At non propterea opus fuit Romano Pontifici probare omnia Acta illius iudicii et omnes affirmationes Cardinalium, qui, bona quidem fide, modum tamen excesserunt, exhibentes ut doctrinam fidei eam, de qua nulla Ecclesiae definitio exstabat. Nullam ergo habemus definitionem Pontificiam nec recessit Urbanus VIII. a tramite Pauli V., qui quamvis iusserit qualificatores s. Officii qualificare illas duas propositiones, non probavit tamen censuras, sed satis ei fuit, praeceptum fieri Galilaeo, ne amplius eam doctrinam doceret.

THESIS XXXIV.

Frustra quoque sunt, qui ex historia controversiae Trium Capitulorum et damnationis Honorii in Synodo oecumenica VI. atque ex dissensu Episcoporum francorum in quaestione de cultu imaginum, colligere se posse putant, fidem Ecclesiae esse quod Romanus Pontifex fallibilis ex se sit et Conciliorum oecumenicorum auctoritati obnoxius.

I. Ex Concilio V. atque iis, quae ipsum praecesserunt et subsecuta sunt, argui contra Romani Pontificis infallibilitatem potest vel eo quod Vigilius sententiam suam mutaverit, vel eo quod Concilium sine ipso

actum esse et decretum edidisse dicatur, vel eo quod Episcopi quidam Occidentales obedire noluerint sententiae Vigilii et subsequentium Romanorum Pontificum (a).

Iam vero 1° quaestio de tribus capitulis inter ipsos catholicos agebatur et quaestio erat non de fide, sed de personis, ut ait Gregorius M. l. 2. ep. 51. ad Episcopos Istriae. Scilicet conveniebat inter omnes haereticam esse eam doctrinam, quae illis tribus capitulis contineri dicebatur; verum quaestio duplex restabat 1° an iis capitulis h. e. operibus Theodori Mopsuesteni, scriptis quibusdam Theodoreti et epistola Ibae illa haeretica doctrina reapse contineretur: 2° utrum ea capitula essent sollemni iudicio Ecclesiae damnanda.

Quoad primam quaestionem latini graecitatis ignari rem perspectam non habebant (cf. Constitutum Vigilii et epist. Pelagii II. ad Episcopos Istriae). Scientes autem latini, illos auctores a Concilio Chalcedonensi fuisse probatos, negabant opuscula ea haeretica esse, sed catholice explicanda esse affirmabant (cf. Facundum Hermianensem in Libris duodecim pro defensione trium capitulorum, quos ante Concilium scripserat). Graeci e contrario affirmabant, libros illos haereticos esse negabantque Synodum Chalcedonensem eos libros probasse aut de iis tulisse irretractabilem sententiam (cf. Edictum Iustiniani adversus tria capitula), quod et latini deinceps agnoverunt (Pelagius II. l. c.).

Quoad alteram quaestionem adverti primum potest quod eius solutio a prudentia dependebat. Quamvis enim haeretica opera improbanda sint, non exinde tamen consequitur, ea speciatim sollemni iudicio Ecclesiae esse semper damnanda; sufficere enim plerumque potest ea generalis condemnatio, qua reprobata est doctrina illis contenta, eaque certe sufficit, cum huiusmodi opera non videntur afferre posse detrimentum vel quia contemnuntur ab omnibus, vel quia non sunt. Ita actum esse in Conc. Ephesino quoad opera Theodori Mopsuesteni testatur Cyrillus epistola ad Proclum Episc. Constantinop. (Gallandi biblioth. t. 9. p. 696.), quae licet reprobata, tamen δι' οἰκονομίας dimissa sunt sine anathemate, « ne scilicet aliqui magnam viri opinionem spectantes, se ab Ecclesiis separarent ». Subditque Cyrillus quod « in his dispensatione uti optimum ac prudens est consilium ». Cum ergo Ecclesiae bonum sit ratio cur sollemni Ecclesiae iudicio proscribantur quaedam opera, fieri potest in certis adiunctis ut ad vitanda scandala et dissensiones cavendas abstinere debeat Ecclesia ab hac sollemni damnatione: quare videndum est quid prudentia consulat.

(a) Vindiciae Vigilii a calumnia occupatae Sedis vivo Silverio, scriptae a Constantio exstant mss. in Bibliotheca Vaticana: his chartis Constantii inscripsit A. Mai « Magna de Gestis Vigilii Apologia » (Pitra, *Ius Eccl.* t. 2. p. 211.).

Huiusmodi vero erat quaestio tunc temporis. Latini negabant damnanda esse, quia hac damnatione minueretur auctoritas Concilii Chalcedonensis, quod auctores probaverat et epistolam Ibae orthodoxam agnoverat, nihil autem magis Ecclesiae perniciosum quam detrahere auctoritati illius Synodi, quam Eutychiani adeo acriter impugnabant: quapropter perinde esset damnare ea capitula, ac favere haereticis (cf. Vigilii Constitutum versus finem). Graeci e contrario affirmabant damnatione eorum capitulorum, quae nestorianam doctrinam continebant, firmari et in tuto collocari auctoritatem utriusque Synodi oecumenicae, Ephesinae et Chalcedonensis, quae eam haeresim proscripserant: iis vero non damnatis periculum fidei semper exstare; nam iis libris tanquam orthodoxis Nestoriani abutebantur ad suam haeresim disseminandam.

Non agebatur ergo quaestio de fide h. e. de sanciendo aliquo doctrinae capite contra haereticos, sed agebatur tum quaestio de facto dogmatico, quae mixta veluti est de fide et de personis, tum quaestio disciplinaris, an oporteret solliemni Ecclesiae iudicio ea opera proscribere.

Porro Vigilius prudentissime se gessit. Primum Constantinopolim adventans, ubi scivit Episcopos graecos subscripsisse Edicto Iustiniani improbantis tria capitula, eos coarguit, quod sine auctoritate Apostolicae Sedis id ausi fuissent noluitque damnationi consentire (epist. ab Italiae Clericis directa ad Legatos Francorum. Facundus Herm. op. c. l. 4. c. 3.). Tum causa cognita et accepto suffragio aliorum Episcoporum, scripsit ad Mennam Episcopum Constantinop. *Iudicatum*, cuius ipse mentionem facit in epistola sua ad Rusticum et Sebastianum, qua eos excommunicat; quo *Iudicato* probat edictum Iustiniani.

Verum quia hoc decretum oeconomice a Vigilio editum fuerat, non quia id in se arbitraretur esse necessarium, sed ut paci Ecclesiae consuleret, quam Orientales perturbabant expostulantes damnationem Capitulorum, quorum proinde querimonias et contentiones ut sopiret, Vigilius consenserat damnari capitula; hinc cum propter suum Iudicatum exarserint Occidentalium querelae et dissensiones, sensit Vigilius ea ratione finem illum non obtineri, quem unice intendebat, Ecclesiae nempe tranquillitatem; quocirca revocavit suum *Iudicatum* voluitque rem agi in Concilio ab Occidentalibus et Orientalibus simul et interea prohibuit quodcumque proferri iudicium.

Iam vero quoad revocationem *Iudicati*, adverte illud editum fuisse a Vigilio non absolute sed hypothetice, si nempe probaretur omnibus et praesertim Occidentalibus, ita ut concordia et pax obtineretur. Hic enim erat scopus potissimus Vigilii in tota hac quaestione. Quoad Concilii vero celebrationem, non illud pastulavit Vigilius; quia putaret sibi

sufficientem deesse auctoritatem ad finiendam quaestionem, quod quam falsum sit liquet ex decreto confirmationis tandem edito a Vigilio, ut infra ostendemus; sed quia in tanta animorum commotione prudenter arbitratus est, viam componendae pacis absque periculo schismatis (quod licet iniuste fiat, oportet tamen Pastores curare ut istud malum, etsi citra eorum culpam esset futurum, impediatur) eam esse, si omnium suffragiis decretum ederetur.

Cum non secundum regulam a Vigilio praescriptam Synodus coacta fuisset, volebat enim ipse interesse Occidentales quoque parique numero cum Orientalibus, Occidentales autem aberant; noluit ipse interesse Synodo et praeesse, licet rogatus: urgentibus tamen Orientalibus concessit ut ii rem pertractarent, *facto regulari conventu, servata aequitate, mediis Sacrosanctis Evangeliis* (epist. Vigilii ad Eutychium Episc. Constant. Collectio 2. Conc. 5.). Interea, dum Orientales conferrent secum ipsis, Vigilius scripsit ad Imperatorem sententiam suam epistola satis longa, quae *Constitutum* vocatur (cf. Migne P. L. T. 69. p. 67.). In quo Constituto Vigilius sententias Theodori Mopsuesteni damnat, parcendum vero esse dicit personae et nomini; scilicet pluribus allatis rationibus concludit: « eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam damnari concedimus ». Quibus verbis non dicitur absolute, quod non possit aut liceat ipsum damnare; sed quod id expediens non videtur, ideoque et prohibetur; hucque prolatae rationes a Vigilio spectabant, ut non expedire demonstraretur. Tum Vigilius scripta sive Capitula Theodoreti consona erroribus Nestorii anathematizat atque damnat, custodita tamen in omnibus personae eius reverentia, qui fuit probatissimus vir in Synodo Chalcedonensi: ideoque statuit nihil in iniuriam atque obtrectationem illius sub taxatione nominis eius a quoquam fieri vel proferri. Idem tandem statuit circa Ibam eiusque epistolam.

In hoc videtur differre *Constitutum* a *Iudicato*, quod in Iudicato videtur Vigilius consensisse in damnationem quoque personae Theodori; nam in litteris damnationis Rustici et Sebastiani ita Vigilius exponit obiectum *Iudicati*, inquiens « causa capitulorum, idest de dictis Theodori Mopsuesteni eiusque persona, sed et de epistola quam ab Iba ad Marin Persam perhibetur scripta, nec non et dictorum Theodoreti ». Ubi quoad alios duos sola fit mentio scriptorum, quoad primum vero etiam personae. Nimirum quoniam res libera erat ad disciplinam spectans, Occidentales autem significaverant se abhorrere a damnatione personarum, ut se eis Vigilius pro bono pacis accommodaret, censuit et decrevit ut ab hac damnatione abstinendum esset. Constitutum vero Vigilii Iustinianus non communicavit Patribus Concilii.

Tandem absolutis collationibus Patrum Orientalium lataque ab eis sententia, Vigilius post sex menses illud idem, quod ii statuerant, probat suumque facit epistola ad Eutychium, qui praefuerat Concilio; quae epistola, eo quod statuit et decernit quod Synodus decreverat, tanquam Apostolicae Sedis Confirmatio Synodi a Graecis habita est et in Acta Synodi relata. Genuinam esse eam epistolam probat *de Marca* (Migne tom. 69. P. L. pag. 127. seqq.) et Natalis Alexander H. E. sec. 6. diss. 3. a. 3. In qua notandum est, quod Vigilius nullam mentionem Synodi facit, sed sola sua auctoritate interposita, damnat tria capitula quemadmodum damnaverant Graeci. Sententia est: « Condemnamus et anathematizamus Theodorum olim Mopsuestiae Episcopum una cum impiis eius scriptis, nihilominus ea quoque quae contra rectam fidem et duodecim capitula s. Cyrilli et contra Synodum Ephesinam primam et pro defensione Theodori et Nestorii Theodoretus scripsit: praeterea epistolam ad Marin Persam haereticum, quae ab Iba scripta dicitur ». Redit scilicet Vigilius ad sententiam *Iudicati,* damnans etiam personam Theodori. Pari ratione locuti sunt Patres Concilii Collat. 8. « Si quis defendit impium Theodorum et impia eius conscripta (cn. 13.), si quis defendit epistolam quam dicitur Ibas scripsisse (cn. 14.) » etc.

Redit vero Vigilius ad priorem sententiam quoad personam Theodori censuitque sollemni iudicio damnationem trium capitulorum ferendam esse; quia et res in se utilis et a Graecis expostulabatur et dissensionum timor cessaverat, ut ipse testatur in decreto confirmationis: ubi postquam dixerit, exstitisse scandala et perturbationes propter ea capitula, subdit: « Quoniam Christus Deus noster, qui est lux vera, omni confusione a mentibus remota, universum orbem et Ecclesiam ad pacem revocavit etc. ».

At nonne hoc ipso Vigilius adversatur Concilio Chalcedonensi, ubi Patres sollemniter dixerant: « relecta epistola Ibae cognovimus eum esse orthodoxum »; unde patet quod et orthodoxiam epistolae cognoverant, ex qua arguunt orthodoxiam auctoris?

Respondeo 1° Decretum hoc, si quod est, fuit orientalium, non confirmatum a s. Sede, quae saepe protestata est, se non confirmare, nisi quae acta fuerant in causa fidei. Orientales autem errare potuerunt.

2° Ut ex lectione epistolae ipse auctor ortodoxus cognosceretur, satis erat, ut non esset manifeste haeretica, ut ambiguae phrases ad rectum sensum flecti possent et ut ipse auctor praesens eas catholice interpretaretur. Cum non esset tunc proprie quaestio de ortodoxia epistolae, sed de persona Ibae, ea profecto satis erant, ad sententiam ferendam.

Ergo si qua mutatio exstitit in sententia Vigilii, ea prudentissima fuit, nec ad fidei doctrinam, sed ad disciplinae oeconomiam spectabat. Cf. Baronium ad ann. 553. n. 230. seqq.

2° Concilium non fuit vere oecumenicum convocatione; Vigilius enim volebat et Occidentales adesse: quod cum Iustinianus morae impatiens impediverit, permisit quidem Vigilius graecis, ut Synodum agerent sed non ideo effecit, ut Synodum oecumenicam agerent; ideoque haec permissio Vigilii perperam producitur pro tuenda oecumenicitate Synodi. Multo minus fuit oecumenicum celebratione, cum absente Papa eiusque legatis celebratae sint sessiones a solis graecis: quia vero deinceps sententia Vigilii, ut diximus, accessit probantis quod Synodus statuerat, evasit concilium auctoritate oecumenicum. Et ita haec Synodus cum ceteris oecumenicis in honore fuit simulque cum illis suscepta a Romanis Pontificibus et defensa est, ut liquet ex epistola 3ª et 6ª Pelagii I. successoris immediati Vigilii, ex epistola Pelagii II. iam citata et epistola Gregorii M. 25. L. I. ad Ioannem Episcopum Constantinop. ceterosque Patriarchas, atque ex secunda fidei professione, quae exstat in libro diurno Romanorum Pontificum (Migne, tom. 105.).

3° Distinguenda sunt tempora. Ante Vigilii peremptoriam sententiam plures Ecclesiae occidentales abhorrebant a damnatione trium capitulorum, sed post Vigilii confirmationem res aliter se habuit. Satis liquet ex Victoris Tunonensis Chronico, Pelagium l., vix ac Pontifex creatus fuit, approbasse eandem Synodum eiusque exemplo Africanos et Illyricianos Episcopos pene omnes ab defensione pertinaci trium capitulorum cessasse. Schisma quidem fecerunt Episcopi Venetiarum et Istriae; cuius schismatici dissensus causa fuit ignorantia et superbia. Lege epist. Pelagii II. ad eosdem. Verum quid inde consequitur? Rebellio eorum erat non solum adversus Pontificem, sed et adversus Concilium quod auctoritate oecumenicum evaserat: an ergo et Concilia insuper haberi posse dicent? Errarunt ergo illi Episcopi et ideo errarunt, quia Romanae Sedi parere noluerunt.

4° S. Isidorus Hispalensis in *Chronico* n. 115. haud accurate loquitur inquiens de Iustiniano: « Iste acephalorum haeresim suscipiens, omnes in regno suo Episcopos tria Chalcedonensis Concilii capitula damnare compellit ». Idem in *libro de Viris illustribus* n. 5. ex encomiis, quibus a quibusdam catholicis viris honestatus fuerat Mopsuestenus, colligit eum fuisse clarissimum Ecclesiae doctorem eumque dicit ab acephalis in praeiudicio Chalcedonensis Concilii cum Iba et Theodoreto fuisse damnatum. Huiusmodi errorem non brevi tempore Hispanis Episcopis inhaesisse fatetur Natalis Alexander l. c., qui quintam Synodum inter oecumenicas non recensebant: hunc tamen dissensum hispa-

norum (ait idem ibidem) Romani Pontifices non approbarunt, sed oeconomia quadam dissimularunt, donec errorem facti dedocerentur; quia non de fide sed de personis tantummodo actum erat in Concilio V. Episcopos quoque Hibernos dubios hac in re fuisse censet Baronius cum Antonio Pagio ad an. 592. aliisque, ducto potissimum argumento ex quadam epistola Columbani ad Bonifacium IV.; qui idcirco censent legitimum esse titulum epistolae Gregorii M. 51ae ex l. 2. ad Episcopos per *Hiberniam:* licet forte probabilius sit, legendum esse *per Histriam.*

II. Ad causam Honorii quod spectat, haec ex ordine tenenda censemus. 1° Certum est litteras fuisse ab Honorio missas ad Sergium Constantinop. in quibus unam assereret Christi voluntatem, eo quod ab ipso nostra natura assumpta est non culpa (unam scilicet voluntatem humanam eamque rationalem, exclusa *concupiscentia*): huius rei ante Synodum VI. testes sunt Ioannes IV. et Ioannes abbas qui eam epistolam ex iussione Honorii dictaverat et s. Maximus, qui testes eam respiciunt epistolam, quae prior atque integra lecta est in Synodo VI. act. 12°.

2° Certum est Honorium in epistolis suis non haeresim sed doctrinam catholicam docuisse. Sane *a)* in epistola 1a (Conc. VI. Act. 12.) ait: « confitentes Dominum Iesum Christum, mediatorem Dei et hominum *operatum divina*, media humanitate Verbo Dei naturaliter unita eundemque *operatum humana* ineffabiliter atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse et inconvertibiliter ». Altera autem epistola (Act. 13): ait « quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus... *utrasque naturas* in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione *operantes* atque *operatrices* confiteri debemus: et divinam quidem quae Dei sunt operantem et humanam quae carnis sunt exsequentem, non divise neque confuse aut convertibiliter, sed naturarum differentias integras confitentes ».

b) Cum unam voluntatem Christo asseruit, esto quod statum quaestionis non sit assecutus, at de natura tantum humana locutus est negavitque Christo voluntatem peccati, seu concupiscentiam malam vel fomitem peccati: ait enim epist. 1a: « Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa, illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae est post praevaricationem vitiata (quibus verbis, una voluntas naturae humanae significatur) ». Cum igitur in praecedentibus asseruerit perfectam Christi divinitatem inconfuse et impermixte unitam humanitati, ideoque et divinam voluntatem; satis aperte duplicem voluntatem duplicemque operationem docuit: cf. epist. s. Maximi ad Marinum presbyterum. Pergit: « Non est itaque assumpta,

sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis eius... Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatoris; quia super legem natus est humanae conditionis ». Cf. Ioannis IV. epistolam ad Constantinum Imperat. pro defensione Honorii, tum s. Maximi citatam in Collectaneis Anastasii bibliothecarii inter Opera Sirmondi tom. 3.

Ad rationem tamen loquendi quod spectat, Honorius nullam fraudem suspicatus, in eam sententiam cum haereticis concessit, quod nihil referret unam aut geminam operationem Christi dicere, epist. 1ª: « Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una aut geminae operationes debeant dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis... Nos enim non unam operationem, vel duas operationes D. N. I. C. sacris litteris percipimus sed multiformiter cognovimus operatum ». His verbis (nisi ea sint, ad quae referendum est quod reprehendebat in textu graeco epistolae Honorii Ioannes Abbas, qui per iussionem Honorii eam latinis dictionibus dictaverat nimirum « quod nullo modo in ea mentionem per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis; licet hoc nunc sit fictum ab his qui hanc in graecam vocem interpretati sunt », ut refert s. Maximus epist. citata) his, inquam, verbis videtur Honorius *unam vel duas* accepisse distinctione numerica, cum e contrario distinctione specifica accipienda essent. Probavit proinde oeconomiam a Sergio propositam ut unius vel geminae operationis vocabulum noviter introductum ex praedicatione fidei eximeretur et scriberetur ad communes fratres Cyrum et Sophronium antistites, « ne novae vocis idest unius vel geminae operationis vocabulo iusistere vel immorari videantur, sed abrasa huiusmodi novae vocis appellatione unum Christum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana praedicent operantem »: ipseque Honorius instruxit Sophronium « ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur » (epist. 2). Oeconomia scilicet silentii usus arbitratus est Honorius, se consulere paci Ecclesiae in quaestione quam non de re sed de verbis esse putabat.

Verum probabile satis est, Honorium actus praeterea edidisse, quibus, semota oeconomia silentii, positive se opposuit Monotheletis. Nam satis probabile est, ipsum approbasse Synodalem sententiam latam a Sophronio contra Monotheletas in Synodo Hierosolymis habita, cuius acta transmissa de more fuisse Romam testantur Georgius et Ioannes Zonaras (H. Byz, tom. 9. et 14.) Romaeque fuisse bene suscepta et probata, ita ut propter assensum praestitum Romae actis Sophronii, Heraclius ira excandescens Ecthesim suam promulgaverit. Porro licet illi Scriptores appellent Romanum Pontificem, qui acta suscepit, Ioan-

nem successorem Honorii; quia tamen Sophronius sub Honorio decessit qui illi supervixit, facile liquet legendum esse Honorium; praesertim cum Ecthesis scripta sit eo anno quo Honorius defunctus est missaque ad Severinum eius immediatum successorem, antequam ordinaretur, ut ei subscriberet. (Lege Baronium et Antonium Pagi ad an. 639.).

2° A nobis adhuc impetrare non potuimus, ut censeremus acta Synodi VI. ubi Honorii damnatio occurrit, fuisse interpolata; at dubitare licet, an Leo II. ea susceperit cum damnatione Honorii, licet quadantenus temperata, quemadmodum exstat in literis Leonis et inferius referimus. Quoad primum, satis est conferre quae Garnerius disputat in Appendice Libri diurni a se editi ad notas Capitis 2. §. 6. et Natalis Alexander H. E. sec. 7° ac Franc. Antonius Cavalcanti in Vindiciis Romanorum Pontificum lib. 8. aliique passim.

Quoad secundum ratio dubitandi esse potest multiplex. Nam 1° ratio sufficiens huius damnationis ex parte Romanae Sedis defuisse videtur; cum praesertim Agatho normam suis legatis in VI. Synodo praescribens agendorum, eorumque defunctorum mentionem faciens, quos ipse noverat damnandos esse, nullam Honorii mentionem fecerit (Epistolae Agathonis lectae Act. 4ª): unde consequens esset, Legatos et Orientales modum sibi constitutum excessisse, ideoque potius improbandos fuisse a Romana Sede quam probandos. 2° Huiusmodi sententia Leonis haud satis congruebat cum professione praedecessoris sui Agathonis publice lecta in Synodo, quod nimirum « Apostolica Petri Ecclesia nunquam a via veritatis in quamlibet erroris partem deflexa est, cuius auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt ». Etsi enim Honorius non traducatur ut doctor haeresis vel eius approbator a Leone, tamen ipsa connumeratio vel subnumeratio Honorii haereticis eiusque sollemnis proscriptio haud congrue tunc fit, cum editur et confirmatur sollemnis professio immunitatis ab errore omnium praecedentium Pontificum. Nam cum illa damnatio incautis posset esse occasio arbitrandi Romanum quoque Pontificem errare posse: qui dignitatem et auctoritatem Romanae Sedis tueri vult ex lege quadam morali eo ipso impeditur, ne id affirmet quod illi adversum esse videri queat. 3° Adrianus II. in Concilio Romano (quod refertur in Act. 7ª Synodi VIII.) ait ut videtur, data opera Honorio dictum fuisse anathema *ab orientalibus,* scilicet non dicit *a Synodo* quae utrosque complecteretur et Patres et Romanum Pontificem, sed dicit tantum *ab orientalibus.* 4° Anastasius bibliothecarius in praefatione ad Collectanea pro defensione Honorii comparat eam damnationem Honorii cum iis canonibus Synodisve graecorum, quae non

fuerunt recepta a Romana Sede, minime id facturus, si novisset illam a Romana quoque Sede fuisse probatam. Nec vim argumenti tertii infringunt verba Adriani quae subsequuntur: « quamvis et ibi nec Patriarcharum nec ceterorum praesulum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi *eiusdem primae Sedis Pontificis* consensus praecessisset auctoritas » ; nam respondere licet, ipsum hypothetice solum loqui.

Verum ecce tibi epistolae Leonis II. tum ad Constantinum Pogonatum, tum ad Episcopos Hispaniae, in quibus Synodus VI. suscipitur ratioque redditur, cur Honorius quoque damnatus sit; eas spurias esse argumentis criticis non probas: qui vero Graeci litteras latinas ad Hispanos missas interpolare potuerint, divinare non licet: sed rursus ecce secunda professio fidei in libro diurno Romanorum Pontificum, quam electus Pontifex edebat, in qua cum haereticis reiicitur quoque *Honorius qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit.* Porro intelligere non licet, quomodo in libellum privatum Romanae Curiae et secretum manus haereticorum interpolatorum irrepere potuerit. Ecce praeterea lectio quarta, quae olim in Breviario Romano in festo Leonis secundi legebatur, quae cum haereticis ab eo proscriptis connumerabat quoque Honorium.

Quid ergo ? etsi liceat nobis quaestionem historicam in medio relinquere, superest tamen difficultas dogmatica, quae ad nos spectat. Nam negari nequit, creditum olim fuisse quod Honorius fuerit damnatus probante quoque Romana Sede, atque ea saltem ratione damnatus quam Leo II. in suis epistolis et liber diurnus exhibent. Sive ergo vere fuerit sive secus Honorius a Synodo damnatus et sive Synodus errore facti decepta fuerit sive non, instaurari potest ab adversariis argumentum hoc pacto: censuit universa Synodus sive post ipsam universa Ecclesia, posse Romanum Pontificem damnari tanquam haereticum ; ergo non est habitus Romanus Pontifex ut infallibilis.

3° Ut ergo respondeamus, advertimus opus non esse, ut laboremus in explicandis formulis adhibitis ab Orientalibus in damnatione Honorii earumque vi emollienda, quod quidem difficile esse arbitramur. Cf. tamen Garnerium l. c. Contendimus id non requiri: nam 1° robur sententiae conciliaris pendet a consensu Romanae Sedis: 2° si creditum est olim fuisse Honorium damnatum ac potuisse damnari, id de ea ratione damnationis acceptum est, quae a Leone II. dicebatur profecta. Nec si Patres orientales putarunt damnari posse ut haereticum Romanum Pontificem, consequens est id esse tenendum. Nam 1° eorum sententia citra consensum Romanae Sedis non est infallibilis: 2° cum

graecos Episcopos ab aliquot seculis occupavisset quaedam species aversionis a Romana Sede iidemque tunc aegre satis ferrent tot suos Patriarchas damnari, haud temere censebimus, ipsos occasionem nactos vices reddendi Romanae Sedi, eam avide arripientes modum praetergressos esse in pronuncianda sententia. Ne vero unio Ecclesiarum periclitaretur, Leo II. damnationem quidem permisit, sed tolerabili quodam sensu temperavit, qui veritati non repugnaret (cf. vindicias citatas l. 8. diss. 3ª). Sane Leo II. in epistola ad eundem Constantinum, qua confirmat Concilium ait: « Anathematizamus novi erroris inventores Theodorum Pharanitanum, Cyrum etc. nec non et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicae Traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari *permisit.* » Macula scilicet inusta Romanae Sedi est profana proditio, quae qualis fuerit explicatur ab eodem Leone in epist. ad Episcopos Hispaniae: « Qui adversus Apostolicae doctrinae puritatem perduelles exstiterant, abeuntes quidem aeterna damnatione multati sunt, idest Theodorus, Cyrus etc. cum Honorio, *qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Id porro non est in fide errare, multoque minus errorem ex cathedra docere, sed peccatum est negligentiae ideoque imprudentiae et conversationis.

4° Advertendum est tandem, quod non fuit necessaria quidem ea damnatio; haereticus enim non fuerat Honorius eumque Martinus I. in Concilio Lateranensi praetermiserat: verum nec iniusta fuit. Nam anathema illud defunctis dictum, quo ab Ecclesia proiiciebantur, eo spectabat ut eorum nomina e sacris diptychis delerentur et in Ecclesia non appellarentur aut non sine dedecore, eorumque scripta exterminarentur (Art. 14.). Iam vero ut huiusmodi poena Pontifici defuncto iuste inferri posset, requirebatur ex parte iudicis auctoritas, ex parte rei dignitas h. e. quod vel culpabili negligentia (quae sine ullo affectu ad haeresim haberi potuit) confoverit haeresim, vel praesumi iure potuerit quod vere negligens fuerit. Atqui hoc alterum, praesumptio saltem quod negligens fuerit, aetate Concilii VI. certe aderat, ut ex eius epistolis et omissione debitae oppositionis, atque incremento haeresis Monotheleticae satis colligi posse videbatur. Auctoritas autem Romano Pontifici certe non deerat: non enim agebatur de sententia ferenda directe in Romanum Pontificem, qui amplius non erat, sed tantum indirecte, quatenus eius memoria penes fideles infamis reddebatur, directe vero ipsos fideles sententia obligabat, ut nomen damnati a diptychis tollerent, scripta abolerent eiusque memoriam execrarentur: ergo.

Attamen quia praesumptio veritati cedit, factum fuisse deinceps videtur ut, re melius perpensa, cognosceretur, negligentiam Honorii aut vere non fuisse aut non fuisse formalem h. e. culpabilem, sed solum materialem et idcirco ea poena dignum non esse. Sane in Ecclesia Romana viguit postea memoria Honorii cum laude, cuius rei sufficiens testimonium sit quod Anastasius narrat in vita Adriani I., qui Pontificatum iniit anno 772. Ait enim Bibliothecarius: « Hic ter beatissimus et apostolicus vir, dum diligentissima exquisitione sua reperisset monasterium Honorii Papae in nimiam desolationem per quandam negligentiam venire, divina inspiratione motus, noviter aedificavit atque ditavit et Abbatem cum ceteris monachis regulariter ibidem vitam degentibus ordinavit et constituit eos, ut in basilica Salvatoris, quae et Constantiniana dicta est iuxta Lateranense patriarchium posita, officia celebrarent h. e. matutinam horam, primam, tertiam, sextam, sed et nonam etiam et vespertinam, ab uno choro quidem, qui dudum singulariter in utroque psallebant, monachi ex monasterio S. Pancratii ibidem posito, et ab altero choro monachi iam fati monasterii S. Andreae et Bartolomaei, Honorii Papae; quatenus piis laudibus pariter psallentes hymniferis choris laeti resonent cantus reddentes Domino gloriosos melos, *persaepius memorantes venerandi Pontificis nomen, scilicet in secula memoriale eius pangentes carminibus.* » Pontifex iste venerandus, quem persaepe memorabant monachi ex institutione Adriani est ille, cuius paulo ante mentionem facit Anastasius h. e. Honorius Papa conditor monasterii s. Andreae et Bartolomaei. Ergo.

Itaque ad difficultatem: Honorius damnatus est ab oecumenica Synodo vel a Romana Sede ut haereticus: ergo 1° Romanus Pontifex non est infallibilis: ergo 2° est obnoxius Concilio: respondendum est 1° damnatus est ut fautor et quidem negative, per negligentiam, *conc.*, ut doctor haeresis, *subd.:* ab orientalibus, *trans.*, a Romana Sede vel a Concilio, *neg.* Unde negatur primum consequens. 2° Damnatus est ille qui actu est Romanus Pontifex, *neg.*, damnata est memoria eius, qui fuit Romanus Pontifex, *subd.:* auctoritate tantum orientalium *neg.*, auctoritate Romanae Sedis, *conc.* Unde rursus negatur aliud consequens, quod quidem de Pontifice exsistente loquitur. Cf. dicta sub. n. 4.

Adverte obiter, quod in Memoriali oblato nobilibus Galliarum Clementi V. pro damnatione Bonifacii VIII. an. 1305. aiebant ii: « Cum de Bonifacii mortui haeresi quaeritur, non debet Congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, qui claves Regni caelestis habetis. Nec congregatum totum generale Concilium sine vobis et nisi

per vos posset cognoscere de negotio supradicto, iuxta Patrum sancita sententiamque doctorum iuris et Ecclesiae sanctae Dei ». Nondum Gallias occupaverat Gallicanismus.

III. Quod attinet ad sententiam Episcoporum Francorum repugnantem decreto Synodi Nicaenae II. latam tum in Synodo Francofordiensi, tum praecipue in subsequenti Parisiensi, advertendum est primum, quod non multos ante annos in Concilio Romae habito a Stephano III. Episcopi plures Franci qui eo convenerant, decreverunt simul cum aliis Act. 4. imagines sanctorum venerandas esse: « si quis sanctas imagines D. N. I. C. et eius Genitricis atque omnium Sanctorum secundum sanctorum Patrum statuta venerari noluerit, anathema sit » (Conc. Lateranense Stephani III. an. 769. opera et studio Caietani Cenni). Attamen anno 794. in Synodo Francofordiensi, in qua praecipue actum est de exstirpanda haeresi adoptianismi, etiam de cultu imaginum disputatum est et improbatum est ac reiectum decretum Synodi Nicaenae tunc temporis actae. Non exstant quidem acta huius secundae partis Synodi Francofordiensis; reliquus est tamen canon, qui est secundus inter 56. et sic habet: « Allata est in medium quaestio de nova graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli (corrige Nicaeae) fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum ita ut deificae Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem et servitutem renuentes contempserunt atque consentientes condemnaverunt ».

Iam vero haec advertere licet. 1° Supponunt Patres Francofordienses assertam esse a graecis adorationem eam imaginibus, quae SS. Trinitati debetur. Porro constat in hoc turpiter errasse: imo mirari subit, quî fieri potuerit ut tam abnormiter fallerentur; cum in graeca Synodo adeo clare res definiatur, sibique persuadere potuerint, graecos Episcopos adeo fuisse ineptos, ut tam crassum et putidum errorem sancirent. Hic stupor tamen minuitur, etsi non eximatur, si perpendas primum cum Baronio (in dissertatione de Concilio Francofordiensi ad ann. 794.): « His temporibus res graecorum Francis pessime oluisse, ex eo quod Constantinus imp. Irenae matris suae impulsu recusarit pollicitas nuptias diu exspectatas filiae Caroli Magni, ob idque quamlibet oblatam occasionem arripuisse rebus ab eo gestis pietatem licet praeseferentibus detrahendi pariter et insultandi... homines sumus, et quandiu in hac vita degimus, hisce interdum privatis pulsari affectibus inviti cogimur ». Deinde stuporem remittes magis, si advertas decipi potuisse Francofordienses vel ex nomine *adoratio,* vel praecipue

ex sententia Constantini Episcopi Cypri, quae perperam reddita latine sic legebatur in actis oblatis Patribus Francofordiensibus: « Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali et vivificatrici Trinitati emitto et qui sic non sentiunt neque glorificant, a sancta catholica atque apostolica Ecclesia segrego et anathemati submitto ». Sed prorsus alia est in actis originalibus.

Advertere 2° licet, Patres Francofordienses censuisse Romanum Pontificem nondum probasse Concilium illud Nicaenum. Id evidens fit ex ipsis libris Carolinis, qui sunt collectio indigesta satis argumentorum, quibus apud Francos ea Synodus Graeca impugnabatur, quae argumenta a pluribus profecta collegit vel colligi iussit post Francofordiensem Synodum Carolus Magnus et ad Pontificem Adrianum, vel eorum synopsim vel omnia integra misit (Cf. Baronii dissert. cit.). Iam vero in l. 1. c. 6. statuitur, quod in definiendis controversiis fidei « Romana Ecclesia ceteris Ecclesiis a Domino praelata a fidelibus consulenda sit, praesertim cum non ab aliis Scripturis nisi ab his, quas illa inter canonicas recipit, testimonia sint sumenda;... omnesque sancti et eruditi viri ob fidei corroborationem a Romana Ecclesia adiutorium implorarunt; quod regulariter omnes catholicae debent observare Ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant, quae non habens maculam neque rugam et portentosa haeresum capita calcat et fidelium mentes in fide corroborat ». Se vero velle in consortio Ecclesiae a Petro fundatae perseverare ibid. Carolus profitetur. Atqui qui haec ad ipsum Romanum Pontificem scribit, non censet certe quod sententia quam ipse impugnat, fuerit ab eodem Pontifice ex cathedra definita. Et sane Francofordienses Nicaenam Synodum non appellant Synodum oecumenicam, sed *Synodum graecorum*. Hincmarus autem Remensis, qui ante medium seculi sequentis floruit quique volumen illud librorum carolinorum in palatio adolescentulus legit, pro certo habebat quod « ea septima Synodus apud graecos vocata universalis, pseudosynodus de imaginibus... sine auctoritate Apostolicae Sedis habita est Constantinopoli et Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit ». Errarunt quidem hac in re Episcopi Franci, sed hoc errore exsistente liquet, ipsos nulla ratione vocasse in dubium Pontificis infallibilitatem.

Verum super hac re rursus Synodus Parisiensis habita est anno 825. eademque sententiam tulerunt Episcopi Gallicani, nimirum imagines quidem retinendas esse, non vero cultum iis esse exhibendum, ludentes semper in aequivoco, ac si nullus alius cultus esset ac adoratio latriae quae soli Deo debetur. Qua duplici sententia se adversari arbitrabantur

tum iconomachis qui imagines reiiciebant et destruebant, tum Patribus Synodi Nicaenae II. qui eas venerandas esse decreverant. Innitebantur autem praecipue epistolae Gregorii Magni ad Severum; in qua suam doctrinam contineri pro certo habebant. Porro Parisienses Patres noverant, Romanum Pontificem Adrianum defendisse sententiam Nicaenam, cum respondit argumentis quae ipsi a Carolo Magno proposita fuerant contra illam Synodum. Aiunt enim in initio expositionis suae doctrinae Parisienses Patres (Mansi Concc. 14. pag. 422.), Adrianum conatum esse respondere illis capitulis ea quae voluit, non tamen quae decuit. Talia quippe, aiunt, quaedam sunt quae in illorum obiectionem opposuit, quae, remota pontificali auctoritate, et veritati et auctoritati refragantur et aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehensione digna testimonia defensionis gratia proferre nisus est. An ita de infallibilis auctoritatis sententia locutos esse Patres putandum est? non habebatur ergo infallibilis ea aetate Romanus Pontifex (a).

Respondeo 1° Transmitto vel concedo totum et nego consequentiam. Etsi enim censuerint ii Episcopi, Romanum Pontificem ex cathedra definientem errare posse, non exinde consequitur id ea aetate creditum esse. Nam praeter exceptionem petitam ex textu librorum Carolinorum mox citato, aliae duae exceptiones fieri possunt ad eius consequentiae vim diluendam. Prima est, quod pauci hi Patres sensum catholicae Ecclesiae non repraesentabant: « Quae super venerabilium imaginum adoratione praesens synodus docet, Nicaena scilicet, haec et Apostolica Sedes vestra antiquitus tenuit, et universalis Ecclesia semper venerata est et hactenus veneratur, *quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis* », ait Anastasius bibliothecarius in praefatione, quam eidem Synodo a se in latinum translatae praemisit, ad Ioannem VIII. Altera est, quod perperam sententia Ecclesiae circa infallibilitatem Romani Pontificis, sicut et circa quodvis aliud dogma, requiritur ab iis qui propter errorem mente conceptum quo se exui non patiuntur, inepti redduntur ad iudicium ferendum de aliqua veritate. Cum enim hi adorationem imaginum aliam non conciperent quam latreuticam atque hanc evi-

---

(a) Christianus Lupus in *Dissert.* de 7ª Syn. c. 15. advertit quod Episcopi Galli non solum tenebantur errore facti, ac si cultus latreuticus fuisset a Graecis decretus imaginibus, sed et errabant in notitia dogmatis, quatenus nolebant sacras imagines *relative* ad prototypa esse venerandas: sed solum ad fidelium instructionem proponendas esse, quod ex Gregorii epistola probabant. Illud scilicet censebant superstitionem quandam redolere.

Notat idem Lupus, ex Chronico Thegani; Episcopos Galliarum fuisse tunc imperitos homines, rusticos, inquietos, servili genere natos, superbissimos, intolerabiles.

dentissime nossent soli Deo competere, aliunde vero historice scirent Papam cultum imaginum admittere: in his angustiis constituti, cum ageretur de alterutra veritate neganda, nimirum vel quod latria soli Deo debeatur, vel quod Papa sit infallibilis; cum illa prior sit evidentior, coacti sunt alteri nuncium mittere. Huiusmodi vero conclusio, quae ex anormali statu quarundam mentium dependet, potestne esse testis sententiae communis vel communioris Ecclesiae? Verum gratis concessimus antecedens, ideoque

Respondeo 2° Nego suppositum, quod scilicet Patres Parisienses censuerint, Papam voluisse quaestionem dirimere ex auctoritate Apostolica ac definitiva sententia proponere quid esset in Ecclesia credendum. Non enim loquuntur de confirmatione Synodi, sed de quadam responsione ad capitula sibi obiecta, quae tamquam privata et adhuc spectans ad stadium inquisitionis potuit a Parisiensibus censeri. Atque ut talem eos habuisse hanc responsionem Pontificis ostendunt, cum postquam dixerint eum non satis fecisse argumentis sibi obiectis, subdunt quod « in fine tamen eiusdem apologiae sic sentire et tenere et praedicare et praecipere de his quae agebantur professus est, sicut a b. Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquido colligitur quod non tantum scienter quantum ignoranter in eodem facto et recto tramite deviaverit ». Atqui haec ratio disserendi de aliqua re ut prius quis nitatur argumentis contrariis facere satis ac tandem sententiam quam impugnavit admittat, propria est inquirentis et privato studio aliquid statuentis, non iudicis ex auctoritate aliquid decidentis: ergo in ea responsione Adriani Patres Parisienses non viderunt nisi privatum aliquod opus ad stadium inquisitionis spectans: ergo. Non opus est autem monere in iudicio ferendo de inepta responsione Adriani, eiusque contradictione falsos esse eos Episcopos; sed nunc quid ipsi cogitaverint quaerimus.

THESIS XXXV.

Historia quoque controversiae Cypriani cum s. Stephano abutuntur, qui ex ea probare contendunt, creditum fuisse ea aetate Romanum Pontificem ex cathedra docentem esse fallibilem: abutuntur quoque Augustini auctoritate qui ex epist. eius 43. evidenter inferri contendunt, licere a iudicio Romanae Sedis ad iudicium plenarii universae Ecclesiae Concilii provocare illiusque sententiam per huius iudicium solvi posse. Perperam tandem ad quoddam responsum Gregorii III. provocatur.

I. Quoad Cypriani cum Stephano controversiam non una est sententia Catholicorum. Prima huc redit: concessa veritate historica omnium eorum actorum quae ad eam controversiam referuntur, respondetur, Cyprianum nedum errasse cum nullum censuit baptismum haereticorum, sed et peccasse, cum Stephano restitit atque egisse tunc contra id quod ipse iam docuerat et certissimum erat, parendum nempe esse ab Episcopis tum Patriarchae suo, tum praecipue Successori Petri Primatum habenti in universam Ecclesiam.

Dices: ergo non credebat Cyprianus Romanum Pontificem esse infallibilem. Respondeo: dato etiam quod tunc a Cypriano haberetur ea quaestio tanquam quaestio fidei, negatur 1° consequens: non enim Stephanus rem definire voluit. Sed licet proposuerit doctrinam Ecclesiae Romanae, abstinuit tamen, pro bono pacis, a ferenda sententia definitiva, qua praeciperetur quid credendum esset, permittens interea ut, donec res sollemniter definiretur, unusquisque in sua sententia maneret (cf. Th. 28.). 2ª quod si Cyprianus dicatur putasse, Stephanum peremptoriam sententiam tulisse ex cathedra, distinguimus consequens: nunquam credidit Cyprianus Romanum Pontificem esse infallibilem, negamus: non credidit tunc cum propriae opinionis amore adductus maluit obedientiae debitae Pontifici quam suae opinioni renunciare; transmittimus. Transmittimus inquam, quia neque hoc necessario consequitur; nam potest quis agere contra id quod credit. Se gessisset itaque in hac hypothesi Cyprianus, quemadmodum tot alii, qui postquam plurimo tempore Ecclesiae magisterium reveriti sunt, volunt potius obedientiae debitae Ecclesiae quam suae opinioni renuntiare. Actus enim fidei tandem liber est et mutabilis.

Verum quid inde consequitur? Ecclesiamne ea aetate credidisse, Romanum Pontificem ex cathedra definientem esse fallibilem? Ut huiusmodi consequens probaretur, oporteret demonstrare Ecclesiam tunc et

putasse Romanum Pontificem ex cathedra esse locutum et probasse resistentiam Cypriani: atqui neque haec probata est, si Augustino et Hieronymo credimus, neque similem in Orientalibus probavit Dionysius Alexandrinus: neque primum admitti potest; cum omnes scirent; Stephanum, non negasse communionem suam aliter sentientibus. Restat ergo tantum inobedientia Cypriani. Ita adversariis contendentibus Cyprianum restitisse in re dogmatica Romano Pontifici, admissa eorum hypothesi, respondendum est: quod si quaerant, cur ergo ut sanctus colitur Cyprianus ab Ecclesia, respondendum erit, id probare quod vel falsa est hypothesis adversariorum, vel a sua opinione discessit tandem Cyprianus et, prout par erat, se subiecit, vel Ecclesia putavit inobedientiam Cypriani falce martyrii purgatam fuisse.

II. Altera responsio (cf. Natalem Alexand. H. E. sec. 3. d. 12. a. 4. et Auctorem anonymum Dissert. *De auctoritate Pontificis vindicata* etc. part. 1. apud Migne vol. 3. p. 1325. seqq.) ait Cyprianum non existimasse quaestionem de baptismo haereticorum esse quaestionem fidei, sed solum disciplinae: nempe non esse immutabile dogma, sed mutabilem praxim. Non dicimus, quod existimatio sua recta fuerit, sed quod talem habuit existimationem: quod quidem nemo ex eo inficiari poterit quod falsa esset opinio; dandum est enim, Cyprianum errasse. Itaque ut haec responsio probetur, non est opus afferre argumenta *intrinseca*, quibus demonstretur potuisse vere haberi eam quaestionem ut quaestionem disciplinae: sed satis est afferre argumenta *extrinseca* quibus demonstretur Cyprianum ita sensisse; agitur enim de facto subiectivo Cypriani: quod si argumenta intrinseca rei repugnent opinioni Cypriani, consequens erit quidem ipsum errasse, non autem ipsum alienum fuisse ab ea opinione, nisi supponas ipsum non potuisse errare.

Iam vero advertantur haec. 1° Cyprianus praxis suae originem repetit solum a decessore suo Agrippino (hic vero videtur auctore Tertulliano hanc invexisse disciplinam, ut omnes baptizati a quibuslibet haereticis rursus baptizarentur) qui sub finem secundi seculi, vel sub initium tertii rexit Ecclesiam Chartaginiensem eumque se sequi dicit: dum simul sciret Cyprianus consuetudinem sibi oppositam universaliorem esse et antiquitus viguisse (Epistola eius ad Iubaianum, et ad Quintum, Augustinus *de Baptismo* l. 2. c. 7.; l. 4. c. 6.: Hieronymus Dialog. adv. Luciferianos c. 9.): atqui nequit vindicari ut dogma fidei id, cuius traditio seculo tertio incepit et universitati simul et antiquitati adversatur: at nihil prohibet legem disciplinarem novam statui eandemque servari, quia iam a pluribus annis est in usu. Habebatur ergo a Cypriano res disciplinae.

2° Cyprianus concedit liberum esse Episcopis singulis in sua Ec-

clesia statuere de hac re quod sibi magis probaretur (epist. eius ad Stephanum. cf. Hieronymum l. c. c. 9.): atqui id quidem asseri potest cum res concipitur veluti ad disciplinam spectans, non vero cum censetur res spectans ad fidem: ergo. Dices id permisisse Cyprianum, quia res nondum erat definita. Respondeo, quod responsio haec plus habet speciei quam soliditatis. Neque enim Cyprianus ullam mentionem facit defectus huius definitionis, ex cuius defectu rationem repetat eius libertatis neque ita se gessit cum de rebus fidei ageretur, puta cum Novatianis: neque potuit ita simpliciter respondere, si de re fidei agi arbitrabatur; in fide enim, iuxta sua principia quoque, unitas est quaerenda; quare si veritas ignoratur et de re agitur quotidiana praxi credenda, qualis erat valor baptismi, consulendum est prius Ecclesiae magisterium et tunc si nihil certi obtineri possit, libertas permittenda.

3° Cyprianus significat doctrinam suam ex iis esse, quae singulis solent a Deo in melius revelari, quaeque proinde, cum meliora et utiliora exstiterint, amplectenda sunt: idemque contendit contra sententiam suam non esse consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum (epist. ad Quintum et ad Iubaianum): atqui haec affirmari possunt, cum lex aliqua disciplinaris cogitatur, non vero cum dogma fidei agitur, nisi ab eo qui sit homo in re dogmatica hospes prorsus et rudis.

4° Basilius quoque (epist. canonica 1ª ad Amphilochium) quaestionem de baptismo haereticorum tanquam disciplinarem pertractat et cum negat sibi videri baptismum quorundam haereticorum valere, concedit tamen recipi posse, si abrogatio illius baptismi sit universali oeconomiae impedimento futurum et cum rationes attulerit Cypriani quibus probatur haereticorum baptismum non valere, subdit: « Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum oeconomiam, eorum baptisma suscipi, suscipiatur ». Haec porro sunt loquentis de re disciplinari, non de dogmate. Si autem ita censuit Basilius, mirum esse non debet, quod et Cyprianus in eadem fuerit opinione.

Porro advertendum, quod Cyprianus provocat quidem pro sententia sua ad Scripturas; verum nunquam affirmat eam formaliter, ut ita dicamus, in Scripturis contineri, sed solum ex Scripturis argumentatur, probare volens praxim suam consentaneam esse doctrinae Scripturarum et fidei, imo magis consentaneam quam consuetudo opposita: hoc autem et in disciplina tuenda fieri potest. Qua in disputatione si quis modum in loquendo excedat phrasibusque iis utatur, quae dogmaticam doctrinam indicare videantur, eas ex mente auctoris aliunde perspecta explicare et temperare licebit. Simili ratione loquendi utitur Cyprianus in hac quaestione ac cum agit de modo electionis Episcoporum. Morem eligendi, qui tunc vigebat, ait *de divina auctoritate descendere*, (ep. 68):

legem baptizandi baptizatos ab haereticis ait *de divinae dispositionis ordinatione venire* (epist. 72. ad Stephanum).

Idem Cyprianus interrogatus a Magno de clynicis, an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sunt, sed perfusi; responsionem suam affirmantem in epist. ad eundem sic emollit « qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praeiudicat, quominus unusquisque quod putat sentiat et quod senserit faciat ». Non ergo putabat hanc quaestionem ad fidem pertinere, seu super hac re doctrinam Apostolicam haberi. Iam vero ex ea responsione videtur fuisse in ea opinione Cyprianus, ut in potestate esset Episcopi quasdam conditiones statuere, vel quaedam impedimenta, ut nunc loquimur, apponere, quibus ipsa exsistentia Sacramenti impediretur. Ita explicari posse putat auctor anonymus citatus, qua ratione Cyprianus censuerit quaestionem de baptismo haereticorum disciplinarem esse ac licere singulis Episcopis in ea re propriam sententiam sequi; ipse vero propter rationes quas affert putaverit, merito Agrippinum abrogasse baptismum haereticorum, quem proinde sequi maluit.

Haec responsio non sua caret probabilitate; nobis nihilominus fatemur difficilem videri.

Nota quod etsi putaverit Cyprianus rem esse disciplinae, peccavit tamen non obediendo Romano Pontifici: verum cum Stephanus eum in sua retinuerit communione, cessavit forte inobedientia, cessante praecepto et quidquid peccati olim admissum fuit, falce martyrii purgatum est.

III. Responsio tertia. Sunt qui historiam controversiae Cyprianicae de valore baptismi, vel ex toto vel ex parte inter fabulas amandant: ut Raymundus Missorius Franciscanus in opere: *Disputationes criticae in duas epistolas Firmiliani et Cypriani adversus decretum s. Stephani* etc. Marcellinus Molkenbuhr eiusdem Ordinis in *Dissertatione de epistola Firmiliani ad Cyprianum*: Vincentius Tizzani Episcopus Nisibensis in opere: *La celebre contesa tra s. Stefano e s. Cipriano*. Roma 1862. Nos non negamus, Cyprianum in ea olim fuisse opinione ut tincti ab haereticis essent baptizandi atque ita sensisse eum ante decretum Stephani concedimus, vel transmittimus. Quamvis advertere liceat, Augustino nihil fuisse certum. Nam *contra Cresconium* l. 2. c. 31. loquitur hypothetice: « Si scripta eius esse constat, quae pro vobis proferenda arbitramini » et c. 35. « si autem putatis et Cyprianum vobis in hac sententia (baptismum haereticorum non valere) favere iactatis » et rursus c. 32. « vel quicumque illam scripsit epistolam (ad Iubaianum nempe) ». Cf. et Augustini verba ex epist. 93. paulo infra recitanda. Hypothetice nimirum semper loquitur Augustinus. Verum nobis satis

est, quaestionem instituere circa sententiam Cypriani contra decretum Stephani, ideoque de iis quae facta vel dicta feruntur post notitiam acceptam eius decreti, nempe de epistola Cypriani ad Pompeium, de Concilio III. ac de epistola Firmiliani ad Cyprianum.

Decretum s. Stephani integrum non exstat, scripsisse vero ipsum et decrevisse aliquid in hac quaestione tum ad Africanos tum ad Orientales, testantur Dionysius Alexandrinus (penes Eusebium H. E. l. 7. c. 5.) Eusebius ibid. c. 3. Augustinus *de Baptismo* l. 5. c. 25. Hieronymus adv. Luciferianos: nec fieri certe potuit, ut ad Synodalem Epistolam ad eum missam a Cypriano circa eam quaestionem Stephanus responderet nihil. Partes illius decreti, prout ex epistola Cypriani ad Pompeium et Firmiliani ad Cyprianum colligere licet, hae forent: « Quaerendum non est, quis sit ille qui baptizat; eo quod qui baptizatus est, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, Filii et Spiritus S. (Firm. c. 7.)... In multum proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi (ibid. c. 11.)... his, qui apud haereticos baptizantur, adest praesentia et sanctimonia Christi (ibid. c. 8.)... qui in nomine Christi ubicumque et quandocumque baptizantur, innovati et sanctificati iudicentur (ad Pompeium c. 3.)... Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam; cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum ». Vides quam perfide calumnientur haeretici recentiores Stephanum ac si quemcumque baptismum quacumque forma collatum probaverit, cum disserte vim baptismi tribuat invocationi Trinitatis nominum et loquatur de iis qui baptizantur in nomine Christi, nempe baptismo ab ipso instituto, in quo nomen quoque eius profertur, sive cum dicitur Filius, sive cum huic explicite additur *Iesu Christi* nomen. Et sane controversia omnis tunc ea tantum erat, an baptismus collatus ab haeretico, eo quod a tali collatus, esset invalidus: id unum propugnabat cum suis Cyprianus, ipsum non valere; quia haereticus dare nequit quod non habet, quia baptismum, qui unus est, sola Ecclesia possidet.

Iam vero decreto his vel similibus verbis expresso paruit ne Cyprianus, an restitit? Duplex quaestio fieri potest: 1° an statim se subiecerit, ideoque nunquam restiterit: 2° an quamvis ab initio restiterit, tamen deinceps ab obedientiam redierit. Nobis quidem satis est huius alterius veritas vel probabilitas; ex inobedientia enim, quam ipse Cyprianus damnaverit, quid contra auctoritatem Romani Pontificis colligi ex Cypriano potest? Qui utrumque negat, his potissimum argumentis

innititur: *a)* epistola Cypriani ad Pompeium, Concilium III. Chartaginiense in causa baptismatis, et Firmiliani litterae resistentiam Cypriani manifestam faciunt: *b)* nulla antiquorum testificatio exstat quae doceat, Cyprianum cessisse auctoritati Romanae Sedis: *c)* Concilium Arelatense I. manifeste indicat, sua aetate adhuc Africanos uti lege propria rebaptizandi (cn. 8.); at si Cyprianus mutasset sententiam, propter eius auctoritatem lex illa, quae ab Agrippino inceperat, desiisset. *d)* Atque per tot secula sequentia retentum est, Cyprianum maculam suam solo martyrio purgasse.

E contrario haec sunt argumenta quibus certe suadetur Cyprianum vel nunquam restitisse auctoritati Romani Pontificis, vel ad obedientiam tandem rediisse. Sane 1° Augustinus epist. 93. ad Vincentium Rogatistam haec habet: « Cyprianus autem aliter sensisse de baptismo quam forma et consuetudo habebat Ecclesiae, non in canonicis, sed in suis et in Concilii litteris invenitur. Correxisse autem istam sententiam non invenitur; *non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit* et fortasse suppressum sit ab iis, qui hoc errore nimium delectati sunt et tanto velut patrocinio carere noluerunt: quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub eius nomine a praesumptoribus atque mendacibus fuisse confictum... Porro autem Cyprianus aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi naevum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem Ecclesiae toto orbe crescentis et copiosissime defendit et perseverantissime retinuit vinculum pacis. Accessit huc etiam quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis ».

Ex his constat 1° aetate Augustini nullum exstitisse certum testimonium perseverantiae Cypriani in suo errore suaque inobedientia neque ad id probandum fuisse Augustino sufficiens argumentum epistolas, quae exstant, Cypriani: 2° Augustinum, qui Donatianos noverat, arbitratum esse, fieri potuisse ut ii suppresserint quaedam Cypriani scripta: 3° ipsumque Augustinum probabile putasse, quod Cyprianus suam sententiam correxerit; huiusmodi est enim quod non incongruenter existimatur. Quod vero probabile Augustino tunc erat, cur non erit probabile modo? Augustinus quidem inter recitata verba ait se « ob duas res non negare, illud sensisse Cyprianum, quod et stylus eius habet quandam propriam faciem, qua possit agnosci, et quod ibi magis contra vos nostra causa monstratur invictior ». Verum aliud est quod Cyprianus id senserit, aliud quod non correxerit: praeterea argumentum secundum allatum ab Augustino probat tantum, necesse non esse

id Catholicis negare, ut suam causam contra Donatianos defenderent: prius vero argumentum probaret quidem epistolam quoque ad Pompeium esse genuinum Cypriani opus: sed per se solum non est argumentum demonstrativum; quia non est improbabile quod aliquis donatianorum sit stylum Cypriani imitatus, cum praesertim de ea re scribendum esset, de qua iam Cyprianus scripserat, ex cuius praecedentibus epistolis ratio scribendi et formulae poterant derivari.

Concilium tertium in causa baptismi haereticorum, quod habitum dicitur post sententiam Stephani, merito suspectum est. Nam iam in praecedente Concilio, cuius litterae synodales missae fuerant ad Romanum Pontificem, res plenissimis suffragiis acta erat; cur ergo rursus convocantur, ut tanquam de re dubia deliberent iidem Episcopi. Unica haec ratio esse potuit, vel ut responsio Stephani acciperetur synodaliter vel ut oppositio, quae eidem fiebat, probaretur. Atqui evidens est quod haec non fuit ratio cur concilium haberetur. Nam si prior ratio exstitisset, lectae certe fuissent litterae Stephani in concilio; atqui licet enumerentur singillatim aliae litterae, quae lectae sunt, nulla mentio fit in actis litterarum Stephani. Id porro ostendit, quod nec tunc exstabat altera ratio; nam pariter lectae fuissent litterae Stephani earumque saltem mentio facta fuisset et fieri non potuisset ut tot Episcopi suffragium suum singillatim ferentes et suam sententiam argumentis confirmantes, ut se Stephano opponerent, nihil unquam afferrent quo auctoritas Stephani minueretur, seu quo demonstraretur, non esse necesse obedire Stephano legitimo superiori. Atqui nihil huiusmodi apparet in eo Concilio. Quod si aliqua allusio in quadam sententia alicuius Episcopi fit ad decretum Stephani, ea fingi utique potuit ab eo qui synodum supposuit.

Praeterea quid sibi volunt haec verba Cypriani in praefatione: « Habet omnis Episcopus, pro licentia libertatis et potestatis suae, arbitrium proprium, *tamque iudicari ab alio non potest, quam nec ipse iudicare.* Sed exspectemus universi iudicium D. N. I. C. qui *unus et solus* habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi » ? Sensus necessarius horum verborum est plane haereticus et schismaticus et etiamsi intelligatur Cyprianus loqui de solis Episcopis praesentibus, nonne ipse Cyprianus habebat potestatem cum sua Synodo iudicandi singulos Episcopos Africae? nonne in canonibus Africanis erat statutum, ut in prima instantia Episcopi iudicarentur in Africa? quomodo ergo dici potuit, unum et solum Christum habere potestatem iudicandi singulos Episcopos, ita ut eius iudicium sit exspectandum, quo excluditur potestas, quam Christus per suos ministros exerceat? Haec non solum falsissima sunt,

sed adeo adversantur elementaribus notionibus societatis ecclesiasticae, ut absurdum sit cogitare, ea dicta esse a Cypriano sollemniter in Concilio. Adest ergo ratio cur dubitemus an Synodus haec qualis modo legitur, habita fuerit.

Ceterum satis constat in causa baptismi ea aetate habitam fuisse aliam Synodum, qua prior sententia est emendata. Huius enim Concilii memoriam reliquit nobis s. Hieronymus adv. Luciferianos inquiens: « Cyprianus haereticorum baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanae Urbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus eius frustra fuit. Denique *illi ipsi* Episcopi, qui rebaptizandos haereticos *cum eo* statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, *novum emisere decretum* ». Hic est sermo de iisdem numero Episcopis, qui baptizandos baptizatos in haeresi censuerant. Dubitare vero licet, an e sententia Hieronymi ipse Cyprianus novo decreto consenserit: eum enim Hieronymus non recenset inter illos qui novum emisere decretum, sed potius ab eis separare videtur. Verum si illud decretum emissum est vivente adhuc Cypriano, non est dubitandum quod ille huic accesserit, at aetatem illius decreti nos Hieronymus non docet. Ceterum liquet istud concilium, de quo loquimur habitum esse, cui forte substitutum fuit a Donatianis illud tertium in causa baptismi haereticorum, ut huius memoria deleretur, confictum ex sententiis secundi Concilii et ex quibusdam Cypriani sententiis hinc inde e suis operibus coacervatis aliisque secundum eius stylum coloratis, alienis tamen ab eius mente.

Nullum est validum argumentum quo vis auctoritatis Hieronymi in hac re infringatur. Obiicitur quidem canon 8° Conc. Arelatensis I. (De Afris, qui propria lege utuntur ut rebaptizent, placuit etc.) qui testatur sua aetate h. e. sub initium 4ⁱ seculi perseverare in Africa morem rebaptizandi. Verum 1° non est opus, illum canonem intelligere de omnibus Afris, sed de iis tantum qui rebaptizabant, cuiusmodi erant Donatiani: 2° imo nequit intelligi universim de Afris; nam constat, sub Melchiade, cum causa Donati et Caeciliani ageretur in Concilio Romano damnatum fuisse Donatum « quod confessus sit rebaptizasse... quod ab Ecclesia alienum est », ut refert Optatus adv. Parmen. l. 1. c. 24.: ergo consuetudo rebaptizandi non erat Caeciliani et catholicorum, sed haereticorum; secus et Caecilianus damnatus fuisset, vel si communis et tolerata erat consuetudo, non fuisset damnatus. Ex quo rursus patet, labente seculo tertio non exstitisse penes catholicos in Africa consuetudinem rebaptizandi; quod argumento est circa medium eiusdem seculi h. e. sub Cypriano, seu paulo post abolitum fuisse decretum baptizandi baptizatos ab haereticis. Licet ergo nobis in hac re fidem Hieronymo

testi adhibere, qui cum Romae iam commoratus fuerit ibique baptizatus, potuit hanc notitiam accipere a clero Romano.

Pariter merito suspicione laborat Epistola Cypriani ad Pompeium. Nam si spectes quae in ea contra Stephanum effunduntur, Stephanus dicitur « haereticorum causam contra Christianos et Ecclesiam Dei asserere »: dicitur « superba, ad rem non pertinentia, sibi ipsi contraria, imperite et improvide scripsisse ». Interrogamus non haereticos quibus haec placere debent, sed viros historiam ecclesiasticam callentes, an probabile sit, Romanum Pontificem, qui ceteroquin ab omnibus ut assertor fidei laudatur, in decreto edito pro causa fidei tuenda, nedum superba, sed quae ad rem non pertinent, quae sibi contradicant scripsisse, et imperite et improvide scripsisse? An ullum aliud huiusmodi responsum Romanae Sedis exhiberi potest? et tamen credendus est id Stephanus fecisse, cum pro ipso evidens ratio stabat. Mentitur ergo auctor huius epistolae, sicut haeretici mentiri solent; at nobis credibile non est, mentitum adeo turpiter fuisse Cyprianum. Si spectes argumenta, quibus auctor epistolae decretum Stephani impugnat, ea non solum nihil probant, sed praeterea malitiam manifestant arguentis, qui data opera decreti verba sanissima in alienum sensum detorquet, ut ea confutet. Dixerat Stephanus valere baptismum a quacumque haeresi venientium propter invocatam Trinitatem nominum Patris et Filii et Spiritus S., qua ratione excludebatur baptismus alia forma collatus: infert Cyprianus: « Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini et Apelletis et ceterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Dei nasci ». Dixerat Stephanus non esse baptizandos haereticos, cum et ipsi ad se venientes non baptizent, confirmans nempe traditionis veritatem ex ipso consensu haereticorum; at auctor epistolae ita ea enarrat: « ad hoc enim molorum devoluta est Ecclesia Dei et Sponsa Christi, ut haereticorum exempla sectetur, ut id faciant Christiani quod antichristi faciunt ». Ita ne pius et doctus Episcopus in re tanti momenti ludebat?

Confirmatur suspicio. Qui epistolam Firmiliani (cuius exemplar graecum nemo legit) ut genuinam habent, eo quod in viginti sex codicibus inventa sit, volunt quoque ipsam latine redditam fuisse a Cypriano, propter styli similitudinem, non est enim ovum ovo similius, et ab eo in Africam divulgatam (cf. notam Baluzii ad hanc epistolam inter Cyprianicas 75[m]); in publicum nimirum protulisset (Cyprianus ea turpissima vituperia in Romanum Pontificem, quae nec Doellingherianus auderet. Porro satis aperta sunt argumenta, quibus Molkenbuhr citatus vel persuadet, vel certe suadet eam epistolam suppositam fuisse Firmi-

liano: conferatur dissertatio citata. At si probabile est, eam epistolam confictam fuisse, ruit vis argumenti illius, quo probatur Cyprianus auctor epistolae ad Pompeium propter styli similitudinem; qui enim unam effigere potuit, potuit et aliam.

Augustinus pro certo habet, Cyprianum pacem servasse cum Stephano: atqui fieri id non potuit, si perrexit Cyprianus impugnare doctrinam Stephani: permisit ergo Cyprianus, ut alii doctrinam Stephani sequerentur et abstinuit ab eius impugnatione. Scilicet Cyprianus non amplius sententiam suam ut certam sicut prius defendit. Ergo aliqua mutatio in eo admittenda est. Porro si id concedi debet, neque est improbabile quod penitus cesserit Stephano.

Ecclesia Romana ab antiquissima aetate s. Cyprianum coluit eumque speciali in honore habuit, ut in Canone Missae, quod paucissimis concessum, eius quoque nomen recitaret. At probabile nobis non est, Ecclesiam Romanam Episcopum contumacem, decreto Romanae Sedis usque ad mortem refragantem, non solum inter Sanctos propter martyrium, sed inter eos, quos speciali honore prosequeretur, collocare voluisse. Credant id qui putant Romanam Ecclesiam tunc temporis aliam de sua auctoritate habuisse existimationem quam nunc habet; sed nobis, quibus persuasum est, Ecclesiam Romanam de se semper idem sensisse, illud nequit adeo facile probari.

Argumenta adversae sententiae superius relata non sunt demonstrativa. Primo iam factum est satis. Alterum est negativum nec simpliciter verum, si Hieronymus non flocci fiat. Ad tertium iam respondimus n. 2. Ad quartum negamus, quod semper creditum sit Cyprianum a sua sententia nunquam discessisse; quod autem plures critici catholici opera omnia controversa ut genuina admiserint, putamus id factum esse potius ratione quadam oeconomica, ne scilicet crederent haeretici Catholicos de sua causa desperare, si ea omnia vera forent; maluerunt scilicet catholici Scriptores uti methodo Augustini.

Qui ergo ex auctoritate Cypriani contra Primatum Romani Pontificis eiusque infallibilitatem vult argumentari, demonstret prius certis argumentis (quod tamen etsi demonstraverit, efficiet nihil) ipsum restitisse Stephano nec unquam cessisse; si enim aliquando cessit, ipse errorem suum fassus est suamque priorem inobedientiam improbavit. Quoad controversiam de baptismo haereticorum lege Emmanuelis Schelstrate in *Antiquitate Ecclesiae illustrata* dissert. 1. c. 5. et Augustini Orsi *Dissert. de Baptismo in nomine Iesu Christi* part. 2[m].

IV. Augustinus epist. 43. ad Glorium aliosque Donatianos, ut ostendat Donatianos immerito conqueri de sententia adversus se lata Romae a

Romano Pontifice Melchiade cum aliis Episcopis, tanquam iniusta, haec inter alia habet n. 19. « Quasi non eis ad hoc dici posset et iustissime dici: ecce putemus, illos Episcopos qui Romae iudicarunt non bonos iudices fuisse; restabat adhuc plenarium Ecclesiae universae Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententiae solverentur ». « Equidem (ait Gilbert Doctor Belga in Tractatu citato disp. 2. §. 5.) nihil in universa antiquitate fortius, efficacius et veritatis quam docemus (fallibilitatis scilicet R. P.) magis decisivum inveniri potest ». Patet enim a iudicio Romanae Sedis appellari posse ad iudicium Synodi universalis et hanc superiorem esse Romano Pontifice, cuius sententias rescindere possit et quidem etiam in causis fidei, nam talis erat causa iudicata a Melchiade inter Donatianos et Caecilianum.

Respondeo: Concesso Antec. h. e. Augustini testimonio, nego consequentiam, scilicet ex Augustini sententia vel Romanum Pontificem ex cathedra loquentem non esse infallibilem, vel concilium universale superius eo esse, ut vim coactivam in ipsum habeat. Ratio negatae consequentiae, haec est, quia etiam admissa infallibilitate et superioritate Romani Pontificis, potuerunt haec recte dici ab Augustino. Sane 1° tenendum est quaestionem, in qua sententiam tulit Melchiades fuisse quaestionem facti, an nimirum vera essent crimina, quae Donatiani Caeciliano eiusque ordinatoribus obiiciebant. Porro 2° nemo dixerit, in huiusmodi sententiis ferendis esse infallibiles Pontifices. 3° Si quis non acquiescat tali sententiae, potest rogare ut idem iudex cum aliis assessoribus ampliorique Synodo causam cognoscat: in qua Synodo si prioris sententiae iniustitia appareat, solvi ipsa certe potest auctoritate potissimum eiusdem Pontificis. Haec nullo modo adversantur infallibilitati Pontificis eiusque prae Synodis oecumenicis superioritati. Porro haec sunt quae Augustinum affirmare certo constat; neque enim de appellatione loquitur, neque clarum est, ipsum negare priorem iudicem, h. e. Romanum Pontificem iudicem quoque esse debere in Synodo oecumenica. Licet enim formulas adhibeat, quae proprie de reis non de iudicibus usurpantur (*cum ipsis causam agitari, si convicti essent;* ii namque, quibuscum causa agitur et qui convincuntur, rei sunt, vel actores), attamen improprie eas adhibere potuit Augustinus, quatenus, cum prius iudicium retractaretur, priores iudices personam veluti reorum sub quadam ratione induebant.

Et sane an ignorabat Augustinus id quod eadem aetate Zosimus affirmabat Patribus carthaginiensibus epist. X.: « Patrum traditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuit (h. e. agnovit et asseruit) ut de eius iudicio disceptare nullus auderet... tantum nobis esse auctori-

tatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia ». « Cuncta quippe per mundum novit Ecclesia (ait sub finem eiusdem seculi Gelasius (epist. 13.) ad Episcopos Dardaniae) quoniam Sedes b. Petri de omni Ecclesia fas habet iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio ». Cf. quae dedimus in Th. 17.

V. Quoniam heic de controversia baptismi actum est, afferamus et verba Gregorii III., quae falsum censentur docere. In prima enim epist. ad Bonifacium haec inter alia decernit primo loco, eidem Bonifacio respondens: « Eosdem, quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine s. Trinitatis, mandamus». Idque relatum est a Gratiano in suum Decretum *de Consecr.* d. 4. cp. 52.

An negabat Gregorius valere baptismum a pagano collatum? Cum interrogatio non constet Bonifacii, ex qua sententia responsionis clarius perciperetur, divinare quodammodo oportet: sed non puto difficilem esse divinationem. Quod enim mandat Pontifex, est ut denuo baptizentur *in nomine s. Trinitatis;* non ergo hoc pacto antea baptizati fuerant. Simile quid occurrit ibid. in responso 4°. « Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel *qui a presbytero Iovi mactante et carnes immolatitias vescente baptizati sunt,* ut rebaptizentur praecipimus ». Non enim erat credibile, eos rite fuisse baptizatos. In dubio autem baptismatis suscepti, rursus is conferendus est *sub conditione;* sed veteres collationem iterandam praecipientes, mentionem explicitam non faciebant huius limitationis *sub conditione.* Cf. epist. 11^{am} Zachariae Papae ad Bonifacium, ubi loquitur de baptizatis ab haereticis.

THESIS XXXVI.

Neque ex eo, quod Romanus Pontifex ipse credere teneatur quod definit, consequitur ipsum unum definire non posse.

I. Ut quis *fide divina* credere teneatur, satis est, ut ei certo constet Deum revelasse; ut autem quis credat *fide catholica*, satis est ut ei certo constet, ope magisterii Ecclesiae divinitus instituti Deum revelasse; hoc enim posito ipsa lex naturalis et divina obligat ad credendum. Atqui cum Romanus Pontifex ex cathedra est locutus, hoc posito facto, quemadmodum ceteris, ita ipsi constat per magisterium a Deo institutum quid Deus revelaverit. Poterat quidem ipse nolle definire, sed facta definitione, cui adfuit divina assistentia (quae non adfuisset si ille non definisset), iam infallibilis certitudo revelationis est independens ab eius voluntate. Ergo haec duo in uno subiecto componi possunt, ut definiat et credere teneatur.

Et sane Concilium ipsum definiens debet credere quod definivit nec singuli tantum, sed universa Synodus, si universalem fidei professionem edere velit, debet et ea comprehendere, quae ipsa iam definiverat. Et re quidem vera si idem qui definit non teneretur credere, nec teneretur qui eidem succedens haberet eandem auctoritatem: unde Synodus sequens non teneretur decretis fidei Synodi praecedentis: hoc vero est falsum. Ergo nulla est repugnantia quod eadem persona (sive moralis sit sive physica) et definiat et credere debeat quod definivit, sive quod per suum ministerium Deus ipse definivit.

II. Difficultas esse potest: Romanus Pontifex non tenetur legibus a se latis ex potestate suae iurisdictionis, saltem coactive; quia nemo in se ipsum potestatem habet coactivam: si ergo auctoritas docendi est potestas iurisdictionis, decretum fidei editum a Romano Pontifice erit actus suae iurisdictionis: non ergo eo decreto tenebitur Pontifex. Vel igitur dicendum, Pontificem non teneri ad credendum quod definivit, et falsum est quod dictum est prius: vel negandum, auctoritatem docendi esse partem potestatis iurisdictionis, quod tamen catholici doctores communiter docent.

Respondeo. Potestas iurisdictionis magisterii extenditur in subditos: Romanus autem Pontifex nulli iurisdictioni in terris est obnoxius. Itaque credere ipse debet, quia credendum est Deo revelanti cum certa est revelatio, non tantum quia Ecclesia id praecipit, sed quia lex naturalis id exigit et ipse Deus positive praecipit; at concedimus Romanum Pontificem non teneri vi coactiva magisterii Ecclesiae, quemadmodum nulla poena sive excommunicationis sive alia quavis obligari potest. Si tamen prout privatus homo teneret doctrinam oppositam dogmati definito, deformis esset a magisterio Ecclesiae et vere haereticus, quia repugnaret veritati revelatae manifestatae per magisterium Ecclesiae: non esset tamen proprie inobediens Ecclesiae; quia non est inobediens qui superiorem non habet.

Igitur auctoritas docendi est potestas iurisdictionis, sed respectu subditorum: quare deficit quoad ipsum Romanum Pontificem eumque solum. Unde ad argumentum: vel Romanus Pontifex credere non tenetur quod ipse definit, vel actus docendi non est actus iurisdictionis, quam nemo in se ipsum exercet, respondendum est, quod tenetur credere, sed non propter obedientiam debitam iurisdictioni Ecclesiae, at propter obedientiam debitam Deo et quod actus eius docendi est quidem actus iurisdictionis, sed erga capaces h. e. subditos, non erga se ipsum.

APPENDIX

Absolvimus tractationem de Romano Pontifice, cuius Primatus demonstratio si teneatur, non opus est alia nota, ad discernendam veram Christi Ecclesiam. Verum quia catholici tractatores solent in controversia cum Protestantibus ab hac speciali nota praescindere et in quaestionem adducere, an Ecclesia Romana quae nempe Romano Pontifici obedit, sit vera Ecclesia; quoniam de Ecclesia egimus in prolegomeno, ne huius rei tractatio manca videatur, subiiciemus breviter tractationem de notis Ecclesiae, ut exinde quoque pateat quod toto tractatu praecedenti effecimus, Ecclesiam Romanam esse unicam veram Ecclesiam.

§. I.

Necesse est, Ecclesiam veram Christi aliquas habere notas, propter quas cognoscatur et discernatur a falsis sectis. Inepte vero Protestantes notas Ecclesiae esse constituunt veritatem doctrinae et legitimam Sacramentorum administrationem. Sed unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quae sunt ontologice *proprietates Ecclesiae, sunt* logice *eiusdem quoque notae eaeque necessariae omnes sunt, ut aliquis coetus vera Christi Eccclesia existimetur atque sufficientes tum simul omnes, tum quaedam quoque ex illis seorsim, ad demonstrandam veram Christi Ecclesiam.*

I. *Nota* proprie ad subiectum pertinet quod ipsa manifestat ideoque minorem habet extensionem ac *signum:* nota igitur id est quod cognitum cum sit ad certam notitiam subiecti conducit. Potest esse nota tum intelligibilis tum sensibilis, iuxta indolem subiecti: cum vero subiectum, cuiusmodi est Ecclesia, sensibile est, nota debet esse et ipsa sensibilis non quidem ita, ut sit aliquid tantum immediate visibile; subiectum enim cognoscens, pro quo necessariae sunt notae, non est sensus sed intellectus et obiectum cognoscibile non est solum id quod sensibus subest; sed ita debet nota esse sensibilis, ut quod est

intelligibiliter visibile, contineatur in eo quod sensibiliter visibile est, quemadmodum diximus (§. X.) de Ecclesiae visibilitate. Cum subiecti notitia investigatur per notas, nota debet esse, non quidem in se, sed *quoad nos* notior eo, in cuius notitiam adducit. Subiectum manifestandum a notis Ecclesiae, non est simpliciter Ecclesia aliqua visibilis sed est *Ecclesia visibilis vera*, habens veram fidem, legitimam administrationem Sacramentorum, legitimam auctoritatem regendi; hoc enim est quod quaeritur: videntur quidem plures coetus qui se iactant esse Ecclesiam Christi; quaeritur autem quis ex his sit *vera Ecclesia*. Ecclesia autem visibilis esse debet etiam prout est vera Ecclesia ut probabimus §. X.; fit autem visibilis per notas. Cum enim Ecclesia debet esse in se ipsa visibilis, oportet ut visibilis fiat per id quod ipsi inhaeret; quod autem ipsi inhaerens eam manifestat, est proprie nota eius. Quare necesse est Ecclesiam veram aliquas habere notas, quibus a falsis certe discernatur. Oportet enim eam esse perspicuam infidelibus, ut ad eam accedant; oportet ut fideles eam certe discernant a falsis sectis, ut possint ab earum communione se cavere. Id porro sine certis signis sive notis obtineri nequit. Unde patet quaestionem de notis necessariam esse.

Cum per notas inquiritur vera Ecclesia, non supponitur deesse notitiam verae Ecclesiae in abstracto h. e. notitiam quid et qualis debeat esse Ecclesia, quam notitiam ex Scripturis haurire licet. Sed supponitur deesse notitiam verae Ecclesiae in concreto, h. e. notitiam quod hic coetus sit reapse ea vera Ecclesia, cuius notionem in abstracto gerimus. Quam quidem notitiam in concreto obtinemus, quatenus alicui coetui applicamus notionem abstractam videmusque illum huic optime respondere, sicut cum applicantes alicui individuo notionem hominis videmus ipsum esse hominem.

Cum nota sit aliquid subiecto manifestando inhaerens illudque certe manifestans, illud tantum potest esse nota quod sit eiusdem proprietas, ita ut tanquam proprium competat subiecto vel aliquid unum, si una est tantum nota, vel saltem tota collectio plurium, si plures inveniuntur notae. Proprium autem sive proprietatem dicimus id quod subiecto essentialiter aut necessario competit ipsique soli. Huiusmodi debere esse Ecclesiae notas evidens est. Si namque non necessario insunt, sed possunt et abesse, ipsis deficientibus non cognoscetur Ecclesia vera; si autem sint communes etiam Ecclesiae falsae, vera Ecclesia per eas non discernetur a falsis.

Nota potest esse positiva, et negativa; sive functio notae duplex esse potest, affirmans aut negans. Nota positiva est, seu functionem habet affirmantem ea, qua exsistente in aliquo coetus, cognoscitur eo

ipso illum esse Ecclesiam veram, quemadmodum posito miraculo in testificationem alicuius doctrinae, cognoscitur hanc esse doctrinam veram. Nota negativa, sive functionem habens negativam ea est, qua deficiente in aliquo coetu cognoscitur eo ipso illum coetum non esse Ecclesiam veram: ut si desit Apostolicitas alicui coetui, iure statim infertur ipsum non esse Ecclesiam Christi.

II. Quandoquidem ea res, quae est nota, debet esse aliquid proprium Ecclesiae et debet manifestare omnibus cum certitudine veram Ecclesiam, nequeunt notae ex arbitrio cuiusque confingi, sed opus est ut sit aliqua norma obiectiva, iuxta quam notae constituantur. Haec autem norma ex duplici fonte hauriri potest, nempe a ratione vel a revelatione. Scilicet Ecclesia spectari potest tum sub conceptu generico societatis religiosae divinae, tum sub conceptu specifico, eo nimirum qui in revelatione Christiana continetur. Rursus Ecclesia vera debet esse manifeste discernibilis a falsis sectis non tantum pro fidelibus, sed et pro infidelibus, qui ad eam accedere debent, quique nondum fidem adhibent divinae revelationi. Iam vero 1° potest ratio ex parte saltem determinare quid necessario inesse debeat societati divinitus institutae, quae se ut talem et nomine Dei docentem et iubentem sistit hominibus; vel determinare potest quodnam sit certissimum indicium huiusmodi societatis; nempe testimonium divinum per miracula: 2° opus est ut ratio ante fidem haec cognoscere valeat, ut fidei assensus sit rationalis. Quia vero 3° revelatio characteres specificos Ecclesiae a Christo institutae exhibet iique certe reperiri in vera Ecclesia debent et frequenter cum iis agendum est, qui revelationem saltem Scripturis contentam recipiunt; ideo quando cum his disputatur, ex Scriptura quoque petendae sunt verae Ecclesiae notae, neque eas adversarii recusare possunt; debet enim Ecclesia esse specifice talis, qualem Christus instituit.

III. Evidentia quam notae gignere possunt, est evidentia tum veritatis tum credibilitatis. Illud dicitur evidens evidentia veritatis, cuius veritas videtur in se ipsa, h. e. per eiusdem rei analysim sive immediatam sive mediatam ope ratiocinii: illud dicitur evidens evidentia credibilitatis, cuius veritas non in se sed in testimonio, quod evidens est dignum esse fide, videtur. Porro cum notae sint proprietates rei cuius sunt notae, illis in concreto cognitis cognoscis per intrinsecum medium rem ipsam, h. e. notitiam eius accipis ex analysi eiusdem rei ideoque obtines evidentiam veritatis. At per notas praesto est quoque evidentia credibilitatis; cum enim notas adhibes tanquam signum divinae testificationis quod haec sit vera Ecclesia, cum id tenes, ideo tenes quia inniteris divinae auctoritati; talis porro actus est fides.

Utraque evidentia tum credibilitatis, tum veritatis quoque, supposita, ut diximus, fide, gigni per se potest a notis: non tamen affirmamus necesse esse, ut omnibus evidentia perfecta affulgeat; satis est enim quod hominibus evidens sit se prudenter agere, si huic Ecclesiae nomen dent, quod rustici quoque et pueri modo sibi proportionato assequi valent, ad quod et interiore lumine divino adiuvari possunt piaque motione Dei: quae duo non habent locum cum sub iisdem exterioribus motivis falsitas aliqua proponatur.

IV. Iam vero his positis liquet reiiciendas esse eas duas notas, quas Protestantes proponunt, nempe veritatem doctrinae et legitimam Sacramentorum administrationem. Hoc est enim quod quaeritur: quinam sit coetus qui habeat veram doctrinam, qui vere interpretetur Scripturas, qui legitime Sacramenta administret: veritas autem doctrinae revelatae ex magisterio doctorum accipienda est, qui proinde prius cognosci debent. « Quid Christus Apostolis revelaverit, et hîc praescribam, non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt » (Tertull. *Praescrip.* 31.). Perinde vero dicendum de usu legitimo Sacramentorum, qui esse non potest, ut Protestantes ipsi concedunt, nisi in ea Ecclesia, quae habeat veram doctrinam. In summa *veritas doctrinae,* quae testificatione constat et *recta administratio* Sacramentorum sunt res per se immediate invisibiles, quae per aliud manifestari debent; non sunt ergo notae, sed id quod per notas notum fieri debet.

Si tamen quaestio sit cum iis qui Scripturas recipiunt, tum 1° possunt, ut diximus, colligi ex iis verae notae, quibus definiatur quaenam sit Ecclesia vera habeaturque eius conceptus in abstracto: tum 2° si praeterea ii, qui veram Ecclesiam quaerunt, admittant certa dogmata in Scripturis contineri, puta Primatum Romani Pontificis, assumpta veritate huius doctrinae demonstrari potest tum negative falsas esse eas omnes Ecclesias, quae hoc dogma negant: tum positive quoque hanc esse veram Ecclesiam, si id quod assumitur tale sit ut coetus qui illud obtinet sit necessario vera Ecclesia. Universim autem ut ex veritate doctrinae vera Ecclesia demonstraretur, oporteret assumere omnem veram doctrinam; nam partem et haeretici retinere possunt: ea vero integra nunquam notior erit ipsa Ecclesia.

Itaque duae quaestiones sunt accurate secernendae: 1° utrum seiungi unquam possit ab Ecclesia Christi vera doctrina ususque legitimus Sacramentorum: 2° utrum per veritatem doctrinae rectumque usum Sacramentorum discernatur vera Ecclesia a falsis: haec autem quaestio rursus duplex esse potest: h. e. *a)* utrum discernatur *ontologice*, *b)* utrum *logice*. Primae quaestioni negative respondendum, ut patet:

et ideo ad alteram *a)* respondendum affirmative: quia per id, quo aliquid constituitur, etiam ontologice discernitur ab aliis. Sed ad alteram *b)* negative respondendum est, ut probavimus. Ex quibus patet non quidquid constituit et discernit *ontologice,* discernere quoque *logice;* oportet enim praeterea ut sit nobis immediate notum vel notius subiecto discernibili.

Quae autem Protestantes proferunt ex Matth. XVIII. 20.; Ioan. X. 27. XV. 3. Eph. V. 25. 26. probant quidem, in Ecclesia vera esse ea, quae ibi affirmantur; sed non probant quod per eadem Ecclesia discernatur. Aiunt tamen: Patres in controversia praesertim donatiana provocarunt ad Scripturas, cum quaestio inter eos et haereticos versaretur « ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, utrum apud illos » (August. *de Unit. Eccl.* c. 2.): ergo ex Scriptura seu ex veritate doctrinae dirimenda est quaestio de vera Ecclesia. Resp. D. A. Provocarunt ad Scripturas, ut eruta ex iis summa omnium veritatum revelatarum ostenderent Ecclesiam catholicam esse veram, quia habet veram doctrinam, quae Scripturis continetur, *nego,* ut ex Scripturarum, quas et adversarii recipiebant, perspicuis testimoniis colligerent notas, quibus deinceps uterentur ad discernendam veram Ecclesiam, *subd.:* et proinde ut quaestio de veritate doctrinae et speciatim de valore baptismi decideretur per notitiam verae Ecclesiae, *concedo,* ut quaestio de vera Ecclesia solveretur per veritatem doctrinae, *nego.* Dist. Cons. Ergo ex Scripturis et quidem contra eos, qui illas recipiunt, derivari possunt notae quibus dirimatur quaestio de vera Ecclesia, *concedo,* ex Scripturis potest veritas doctrinae colligi, secundum quam iudicetur quaenam sit vera Ecclesia, *subdisting.:* potest omnis revelata veritas eaque cum certitudine colligi ante cognitam Ecclesiam, *nego,* potest colligi aliqua veritas et per eam, dummodo ab iis, quibuscum est quaestio, Scriptura admittatur, potest solvi quaestio de vera Ecclesia; quemadmodum nos facimus adhibentes notas, *conc.* Quare liquet perperam haec ut aequivalentia haberi, probari veram Ecclesiam *ex Scriptura et ex veritate doctrinae.*

V. Quaenam ergo sunt notae? Re absolute spectata, si supponantur ea, quae in praecedente Tractatu demonstrata sunt de Primatu Romani Pontificis, potest hac unica nota determinari vera Ecclesia. Nota nempe est dependentia et communio cum Romano Pontifice, quae visibilis per se est: ut illa dicatur vera Christi Ecclesia quae Romano Pontifici adhaeret; falsa quaevis, quae ab eo discedit. Huc redit argumentatio Optati l. 2. ubi se suosque probat contra donatianum Parmenianum, esse in vera Ecclesia, quia ipsi communicant cum cathedra Petri, quae est, inquit, *prima de dotibus* Ecclesiae. Ac propterea colligit ceteras

dotes Ecclesiae ad coetum suum pertinere; quia « ita connexae et individuae sunt, ut intelligatur una ab altera separari non posse » et « per cathedram Petri, quae nostra est, ceteras dotes apud nos esse probatum est », inquit. Dotes appellat Optatus quas nos dicimus notas, et ita quoque a Parmeniano appellatae fuerant; quia ad sponsam pertinent: inter quas dotes numeratur fons unus, et angelus h. e. Episcopus, nempe societas cum angelis ecclesiarum.

Habita tamen ratione cuiusdam methodi initae a catholicis in disputationibus cum protestantibus, in qua disputatione illi ad abundantiam, sepositis parumper propriis argumentis quibus Primatus ostenditur, permiserunt de ipsa Ecclesia Romana disputari, comparatione eius facta cum aliis ad normam Scripturarum; si hanc methodum sequi velimus, oportet abstractione facta a demonstratione Primatus, rursus congredi cum Protestantibus: quod quidem nunc sumus praestituri.

VI. Itaque Catholici quatuor notas statuunt quas et professio symbolica continet et ad quas si quae aliae sunt, possunt revocari: *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* Sane constat 1° eas posse esse notas sive eas esse id quod requiritur primo, ut aliquid sit nota Ecclesiae, nempe ad factum sensibile revocari et esse notius subiecto manifestando. Etenim in primis eae sunt proprietates Ecclesiae; quae differunt quidem formaliter secundum diversas rationes, sed materialiter possunt esse una eademque res: porro, ut iam vidimus, notae debent esse aliquid proprium subiecti. Proprietates autem non quidem omnes possunt esse notae, sed si quae sunt proprietates quae ad factum sensibile revocentur, eae et simul rem ontologice constituent et logice discernent. Adverte non prorsus idem significari cum dicitur *aliquid facto sensibili contineri*, ac cum dicitur *aliquid ad factum sensibile revocari.* Illud enim requirit ut omnia elementa eius, si plura habet, sint factum aliquid per se sensibile: alterum vero id non requirit, sed postulat ut aliqua quidem elementa sint per se sensibilia et si qua elementa per se insensibilia habet, nectantur necessario cum illis et ab iis repraesententur; quo fiat ut totum tum sensibiliter tum intelligibiliter videatur. Revocanda autem huc sunt ea, quae in §. X. diximus de visibilitate intelligibili eiusqne gradibus diversis.

Iam vero in supradictis proprietatibus distinguenda est primum necessitas earum et earundem actualis exsistentia, illa ad ius spectat, haec ad factum. Huismodi vero exsistentia actualis ad factum sensibile et per se omnibus obvium revocatur. Sane spectetur unitas: ea triplex est: unitas professionis fidei, unitas socialis seu subordinationis omnium

uni regimini, unitas ritualis seu communicationis omnium iisdem Sacramentis; atqui professio eadem, subordinatio eidem regimini, communicatio eorundem Sacramentorum res sunt in facto positae et visibiles visibilitate intelligibili: unitas vero interioris fidei ad factum visibile revocatur, quia per professionem communem omnium certe repraesentatur; nequit enim deesse in eo coetu ubi est ea professio. Quare satis est professionem fidei tanquam notam adhibere. Quamvis autem fides, quam Ecclesia profitetur, debeat esse fides vera, sicut sacramenta, quibus omnes communicant, debent esse vera et regimen quoque verum, nempe debeant esse id quod Christus instituit: tamen quia ipsa unitas professionis fidei, unitas socialis, unitas ritualis etiam per se spectatae sunt proprietates Ecclesiae; hinc, praecisione facta a veritate, si eae sensibiles sint, possunt certe esse notae. Talis autem est unitas, quam Christus voluit esse in Ecclesia sua, ut sit eadem in Ecclesia principium efficax et stabile eiusdem unitatis, ministerium nempe auctoritate praeditum, quod omnes audiant, cui omnes obediant; ideoque ministerium sensibile, cuius exsistentia et cui praestita obedientia ad factum sensibile revocatur. Quodnam autem sit verum ministerium, h. e. vera auctoritate praeditum, id est quod quaeritur; attamen certa forma regiminis, abstractione nunc facta ab eius legitimitate, quam constat requiri ut una sit Ecclesia, visibilis est eaque sufficit ad notam. Itaque unitas triplex cum suo principio continetur facto sensibili, vel ad factum sensibile revocatur.

Spectetur sanctitas. Sanctitas quidem interior non est immediate visibilis, sed exterior cultura virtutum est factum sensui et intellectui simul visibile et per eam sanctitas quoque interior, si non in hoc aut illo determinato, in universitate tamen plurimorum videtur; cognoscitur enim fieri non posse, ut plures ex illis non sint vere sancti. Rursus charismata e. g. miracula facto sensibili et intelligibili constant ac per ea videtur sanctitas eorum vel illius coetus, pro quorum sanctitate comprobanda prodigia a Deo fiunt. Sanctitas legis, cuius propositio sensibiliter fit, est intellectui naturaliter quoque cognoscibilis; ideoque factum hoc quod hic coetus habeat legem sanctam, est factum visibile visibilitate intelligibili. Eius quoque principium obnoxium quod est ministerium a Christo institutum est visibile per se. Ergo et proprietas sanctitatis facto sensibili continetur vel ad factum sensibile revocatur.

Spectetur catholicitas: ipsa facto externo continetur, in quo intellectus videt unum eundemque coetum ubique catholicitate materiali et formali diffusum, eiusque catholicitatis principium h. e. auctoritatem.

Spectetur Apostolicitas; ea triplex distinguitur, originis, doctrinae,

regiminis; distinximus autem superius apostolicitatem successionis Pastorum in materialem et formalem. Non possumus quidem modo considerare apostolicitatem doctrinae et formalem successionis; quia haec pertinent ad id quod per notas quaeritur: attamen quia proprietas est quoque simplex origo apostolica et apostolica successio materialis, nempe Ecclesiam ab Apostolis et per Apostolos incepisse et continuata serie eorum Pastorum regi qui tandem in Apostolos desinat: id nobis modo satis est. Istud vero est factum quod monumentis publicis et tabulis continetur, quod proinde ab homine videri visibilitate intelligibili potest, quemadmodum videri possunt facta praeterita, visis nempe monumentis vel auditis testibus ea referentibus. Ergo omnes hae proprietates facto sensibili constant vel ad factum sensibile revocantur.

Restat ut demonstremus eas esse notiores subiecto. Cum notae dicuntur notiores Ecclesia, termini duo qui comparantur sunt ex una parte ipsae notae, ex altera est Ecclesia vera Christi: non separantur re isti duo termini nec concipiuntur separati, sed ratione distinguuntur, quatenus spectatur ex una parte subiectum in confuso, ex altera eius proprietates sive notae distincte cognitae considerantur asseriturque subiectum sine notis spectatum esse adhuc saltem in concreto ignotum, cognitis vero notis, quae sunt eius proprietates, ipsum in concreto manifestari. Iam vero illud est potius altero quod immediate magis videtur quam alterum et per quod ipsum alterum discursu quodam mentis videtur. Atqui hae notae, cum ad factum sensibile revocentur immediate videntur prae Ecclesia praecise spectata et positis iis intellectus statim videt Unitatem, Sanctitatem, Catholicitatem et Apostolicitatem coetus alicuius: his autem visis, quoniam ratio vel revelatio eum docet, haec omnia non nisi Ecclesiae verae competere posse, concludit: ergo hic coetus, sive hoc subiectum harum proprietatum est vera Ecclesia. Ergo.

Diximus rationem vel revelationem id docere: nam revelatio quidem notas omnes docet et si quis revelationem admittit, id ab ea discere potest: verum et sola ratio docet miracula, eximiam sanctitatem, qualis e. g. in tot martyribus fulget, catholicitatem quae in aliquo determinato coetu potest et debet spectari ut miraculum, certissima esse signa quod divina sit ea religio, divinus ille coetus, qui illis honestatur eaque, aliqua saltem, necessario inesse debere illi coetui, qui se Dei nomine loquentem sistit hominibus, fidem et obedientiam exigens.

Constat 2° has quatuor supradictas notas esse *necessarias*. Non dicimus eas solas esse notas; id minime opus est. Neque dicimus eas omnes necessario cognoscendas esse, ut vera Ecclesia cognoscatur; hoc enim

falsum est, ut videbimus: sed dicimus necesse esse ut omnes insint Ecclesiae verae, ita ut si una desit, inferri statim possit, eum coetum non esse veram Christi Ecclesiam. Ratio est quia, ut probavimus, sunt omnes proprietates necessariae et quia hae ad factum sensibile revocantur, opus est, ut etiam sub ratione notae insint: ideoque omnes quatuor notae necessariae sunt. Hinc unaquaeque est nota negativa seu functionem negantem habens.

Constat 3° has quatuor notas esse *sufficientes* et quidem *a)* tum omnes simul, *b)* tum etiam aliquas ex his tantum. Quamvis enim quaedam ex his seorsim non sit sola sufficiens ad logice discernendum positive veram Ecclesiam ab sectis haereticis et schismaticis: tamen aliquae seorsim quoque positive sufficiunt; nam sanctitas e. g. et catholicitas Ecclesiae Christi non possunt non haberi ut testimonium Dei. Hinc multo magis omnes simul sumptae sufficientes erunt ad positive demonstrandum veram Ecclesiam. Et sane in monumentis symbolicis per eas quatuor notas designatur vera Ecclesia eaeque omnes simul sumptae eam societatem sistunt, qua nulla praestantior aut divinior excogitari potest.

Quod intrinseco argumento hactenus probavimus, confirmatur quoque extrinseco ducto ab auctoritate Maiorum, qui his notis usi sunt ad veram Ecclesiam demonstrandam. Nam *sanctitate* usi sunt Apologetae contra Infideles, *Apostolicitate* contra haereticos et schismaticos Tertullianus *de Praescript.* et Optatus l. 2. contra eosdem, *unitate* Cyprianus *de Unit. Eccl.*, *catholicitate* Augustinus *de Unit. Ecclesiae* et Optatus ibid.

§. II.

Praeter coetum illum qui romana communione continetur, nullus est Christianus coetus, cui omnes notae necessariae et sufficientes competant. Imo quamvis quaedam ex quatuor proprietatibus memoratis possint alicui coetui, qui non sit vera Ecclesia, apparenter competere; facile tamen demonstrari potest, nullam sectam orientalem vel occidentalem a romana communione distinctam merito sibi vindicare vel unam ex his proprietatibus. Unus autem coetus romana communione contentus is est cui omnes notae competant: ideoque appellatio Romana *facta Ecclesiae nota est, qua vera Ecclesia a falsis sectis secernitur.*

I. Duplex quaestio distinguenda est: 1ª an aliqua proprietas Ecclesiae Christi spectata secundum omnia propria elementa ideoque integre, possit *vere* competere alteri coetui Christiano, qui non sit vera Ecclesia:

2ª an quaedam proprietates, aut omnes, possint *apparenter* competere alteri Christiano coetui. Primae quaestioni respondendum est negative. Sane ut *vere* competat alicui coetui proprietas Ecclesiae, debet esse proprietas *vera*, h. e. constituta suis propriis et specificis elementis; si enim unum ex his deest, non amplius adest eius essentia, licet apparenter videri possit talis. Elementa autem cuiusque proprietatis Ecclesiae sunt ea quae vel in ipso conceptu rei continentur, vel a Deo determinata sunt.

Iam vero ad sanctitatem quod attinet, si spectes sanctitatem fidei, quae non potest esse nisi vera, sanctitatem legum quae verae fidei innituntur, perfectam et eximiam culturam virtutum, quae veram fidem debitamque subiectionem iis quos Christus instituit supponunt ac miracula et cetera charismata, quibus Deus sanctitatem Fidei, legum hominumque constituentium coetum testatur; manifestum est quod sanctitas nonnisi uni coetui, qui sit vera Ecclesia, competere potest. Item catholicitas, quoniam in eo est posita ut non solum Ecclesia sit simpliciter ampla, sed et comparative amplior sit quovis alio coetu, qui usurpat sibi immerito nomen Ecclesiae, non potest nisi uni verae Ecclesiae convenire. Unitas autem, ut vera sit unitas, postulat non solum aliquod principium unitatis, sed illud idem principium quod Christus determinate instituit; hoc vero non est nisi unicum et in unico coetu, qui sit vera Ecclesia, esse potest: si enim alii huic principio adhaerent, iam non sunt coetus separati sed sunt pars verae Ecclesiae. Tandem Apostolicitas integre spectata requirit formalem successionem; haec autem necessario nexa est cum principio unitatis eo quod Christus determinate instituit: ergo et ipsa non nisi in vera Ecclesia esse potest. Ergo.

Alteri vero quaestioni quoad primam partem respondendum est affirmative. Ut enim apparenter aliqua proprietas alicui coetui competat, satis est quod aliquod elementum ipsius illudque quod est primo visibile, in coetu videatur. Atqui liquet quod materialis successio ab Apostolis potest et in coetu reperiri, qui deinceps haeresim amplectatur vel schisma faciat: item non repugnat quod aliquis coetus avulsus ab eo principio unitatis, quod Christus determinavit, tamen retineat unitatem doctrinae, regiminis et sacramentorum retineatque aliquod principium unitatis in auctoritate positum cui omnes subsint, et quidem secundum ideam genericam institutionis Christi, nempe in auctoritate Episcoporum vel etiam unius Episcopi. Ergo.

Negative autem respondendum est eidem secundae quaestioni, si altera pars spectetur. Nam evidens est, quod neque apparenter catholicitas potest inesse alteri coetui, qui non sit vera Ecclesia; ut enim

apparenter insit, debet ille coetus videri ideoque esse amplior quovis alio coetu Christiano: atqui id non nisi verae Ecclesiae competere potest. Rursus evidens est quod sanctitas virtutum secundum leges proprias alicuius coetus probata miraculis in sola vera Ecclesia esse potest. Deus enim nequit testari falsum. Imo et si sola spectetur cultura virtutum, est moraliter impossibile, ut haec perfecta et eximia cultura virtutum Christianarum, non in uno aut altero, sed in pluribus eademque continua, sine vera interiore fide ac gratia sanctificante usuque legitimo Sacramentorum habeatur; ista autem in sola Ecclesia obtinent: ergo in falsis coetibus nequit ea cultura virtutum se manifestare, cum non sit; hypocrisis autem in magna multitudine et continua est moraliter impossibilis.

II. Iam vero cum proprietates assumuntur ut notae ad discernendam veram Ecclesiam, non possunt, ut iam monuimus, omnes considerari integre secundum omnia elementa essentiae suae: sed satis est eas sub quadam vera quidem, sed imperfecta ratione considerare, abstrahendo nempe a quibusdam elementis specificis, quae eas vere constituunt. Si enim deberent omnes notae considerari integre secundum omnia elementa essentiae suae specificae, tunc quoad aliquas certe esset supponendum quod est in quaestione. Nam cum e. g. comparas invicem coetum Romanum, qui Romano Pontifici successori Petri adhaeret, coetum Graecorum et coetum Protestantium et adhibitis notis quaeris, quaenam ex his sit Ecclesia Christi vera, supponis te ignorare vel praescindis saltem ab hac notitia, si eam habes, quod nempe Ecclesia vera sit ibique tantum, ubi est Petrus: ideoque praescindis ab hac quoque notitia, quod principium unitatis a Christo determinatum sit Petrus eiusque successor et idcirco praescindis etiam ab hac notitia, quod successio formalis Pastorum non nisi per Petrum eiusque successores haberi potest. Scilicet praescindis ab hac notitia, quodnam sit specifice determinatum a Christo principium unitatis et quae ratio formalis successionis. At facta hac praecisione non potes spectare integre secundum omnia sua elementa unitatem et apostolicitatem. Ceterum si citra petitionem ullam principii demonstrare potes, notas quasdam non nisi specie tenus et materialiter tantum cuidam coetui inesse, hoc argumento bene probas, illum coetum non esse veram Ecclesiam; constat enim debere proprietates formaliter et secundum rei veritatem Ecclesiae inesse.

Quamvis proinde in huiusmodi disputatione opus non sit, proprietates omnes assumere secundum completam suam essentiam: necesse est tamen, ut postquam per notas probaveris aliquem coetum esse veram Ecclesiam demonstrare possis, demonstratione quadam regressiva, quod

nulli alii coetui ulla proprietas *vere* competit; hoc enim verum est, ut probavimus in responsione ad primam quaestionem idque est accurate notandum.

III. Iam vero coetus, de quibus quaestio institui potest, tres sunt h. e. coetus Romana communione contentus, coetus Graecorum, qui schismatici dicuntur et coetus Protestantium. Atqui 1° evidens est coetui Protestantium deesse omnes notas. Deest unitas fidei et regiminis; cum plurimae sint professiones fidei (confer opus Benigni Bossuet *Les variations*) et plurimae sectae invicem independentes; deest principium unitatis; quoniam singuli privato spiritu ducuntur nec est in eorum coetibus auctoritas quae revocet omnes ad unitatem, neque auctoritas quae ibi reperitur ea est quam Christus instituit, quae est auctoritas episcopalis neque est eo modo quem Christus instituit, non enim ordinatione et institutione Episcoporum, sed electione et auctoritate populi aut regis mittuntur ministri. Deest sanctitas; nulla enim ibi miracula, nulla divina charismata, nulla perfecta et eximia cultura virtutum Christianarum: quamvis virtutes, ut aiunt, civiles, quales et ante Christum inter gentes exstiterunt, ibi sint vel esse videantur. Imo et quaedam dogmata e. g. circa liberum arbitrium atque operum bonorum necessitatem repugnant evidenter sanctitati coetus. Deest catholicitas; nam nulla est secta ex tot independentibus (singulae enim seorsim considerandae sunt, cum sint diversae) universalis; sed unaquaeque certo Regno certaeque provinciae est alligata. Imo omnes quoque simul Protestantium coetus non ante multos annos dicebantur non excedere numerum 80,000,000; nunc vero propter defectionem satis communem ad rationalismum certe imminuti sunt: Romana vero communio plura certe continet capita. Praeterea deest Protestantibus character proprius catholicitatis, h. e. foecunditas per praedicationem Verbi, ut ex eorum missionibus liquet. Deest tandem Apostolicitas, cum vel a simplicibus presbyteris, vel a laicis inceperit et laica potestate regantur: principium vero unitatis ea auctoritas esse debet, quam Christus in Ecclesia instituit, quae est auctoritas Episcopalis.

Nunc de Ecclesia graeca eaque Russiaca; nam de aliis orientalibus sectis, quae fragmenta quaedam sunt veteris Ecclesiae, non est cur solliciti simus. Porro Ecclesiae russiacae deesse sanctitatem opus non est demonstrare. Catholicitas deest; quia ecclesia est uni imperio vel nationi alligata et quia principio fecunditatis caret; armis enim et vi, non praedicatione et persuasione propagatur. Et si penitus spectetur, manifestum est quoque deesse ei alias duas notas. Nam 1° ecclesia russiaca, quae prius pars Ecclesiae Constantinopolitanae erat, deinde sub finem sec. XVII. desiit ei adhaerere, cum Patriarcha Russorum

Nicon se subduxit ab auctoritate Episcopi Constantinop. Paulo post autem Petrus cognomento magnus, auctoritate patriarchali exstincta, detulit supremam potestatem Synodo, cuius ipse Monarcha caput esset et praeses. Ergo in Ecclesia russiaca deest principium unitatis; hoc enim non laica potestas, sed auctoritas episcopalis esse debet, eorum nempe quibus Christus munus commisit regendae Ecclesiae. Praeterea vel ante separationem ab Ecclesia Constantinop. fruebatur Ecclesia russiaca principio unitatis vel non fruebatur: si non fruebatur, neque modo frui potest; non enim tunc erat Ecclesia Christi et si tunc non erat, neque modo est, cum a se ipsa incipere non potuerit. Si vero fruebatur, huiusmodi principium erat auctoritas Episcopi Constantinop. cui suberat; huic ergo subesse semper deberet: cum igitur modo non subsit, caret principio unitatis. 2° Ipsa Ecclesia Graeca quae per Michaelem Caerularium se separavit a communione Romana, subdita erat prius Episcopo Romano eumque ut supremum caput et unitatis principium reverebatur (cf. subscriptiones graecorum libello ab Hormisda et Adriano proposito). Iam vero vel Ecclesia graeca potiebatur ante separationem principio unitatis, vel non; si potiebatur, ergo principium unitatis, secundum ipsam Ecclesiam graecam, omissa quaestione an iure id censeretur, erat Romanus Pontifex: principium vero unitatis, eadem perseverante Ecclesia, idem semper manere debet; igitur modo caret Ecclesia graeca principio unitatis. Si vero tunc non potiebatur hoc principio, neque tunc erat vera Ecclesia Christi neque modo est. Constat ergo Ecclesiam graecam russiacam carere principio unitatis.

Idcirco caret etiam vera apostolicitate. Eius enim Episcopi a laica potestate tandem mittuntur, quae non est potestas in Apostolis a Christo instituta. Praeterea prius ab Ecclesia Constantinopolitana pendebat a qua auctoritatem mutuabatur, nunc non pendet: si ergo prius erat apostolica, nunc non est: si autem prius non erat, neque nunc est; cum a se ipsa incipere non potuerit.

IV. E contrario coetus romana communione contentus est evidenter *unus* unitate fidei, regiminis et sacramentorum habetque in se principium unitatis h. e. auctoritatem Romani Pontificis, cui omnes subsunt, cuius decreta fidei omnes reverentur, cuius legibus omnes obediunt. Est *sanctus* perfecta et eximia cultura Christianarum virtutum, miraculis ceterisque charismatis, cuius rei testes sunt tot profitentes consilia evangelica, tot viri curae animarum intenti et in conversione infidelium occupati, tot stabiles in fide contra omnia adversa et iniquissimas persecutiones, tot meriti honores sanctorum etc. Est *catholicus*. Sane amplissima est Romana communio: sive enim ratio habeatur non qui-

dem politicarum societatum, quae nomen eius sibi vindicent; hoc enim impertinens est, sed Ecclesiarum Romae adhaerentium tum in vetere tum in novo orbe, sive fidelium multitudinis ubique terrarum dispersae etiam inter haereticos, schismaticos et infideles, quae fidem Romanam profitetur, amplissima est. Et quidem paucis ante annis censebantur eius capita circiter 200,000,000: dices tamen, nunc imminutum numerum. Verum advertendum 1° peccata etiam publica non excludere per se ab Ecclesia: 2° defectionem credentium suppleri continua accessione novorum fidelium ope missionum: 3° cum boni et honesti libentius lateant, mali autem dominatum assecuti rumoribus et turbis omnia compleant, perperam ex multis malis Ecclesiaeque hostibus, qui nunc apparent, iudicium fertur comparativum de multitudine credentium et non credentium: 4° ceterum etsi imminutus esset numerus ille sociorum Ecclesiae Romanae, neque enim est quid immutabile: tanta adhuc certe superest multitudo eorum, ut sine dubio comparative maior sit ceteris sectis, in quibus et multo magis incredulitas stragem plurimam fecit. Praeterea obtinet Romanus coetus principium catholicae diffusionis seu fecunditatis, per praedicationem verbi quemadmodum ipsa historia et continna experientia demonstrat. Est tandem Romanus coetus *apostolicus:* ad hoc enim non requiritur ut singuli Episcopi reducantur ad aliquem antecessorem vel institutorem Apostolum, quod et fieri non potuisset, sed sufficit ut prima cathedra cui omnis coetus subest et a qua omnis auctoritas derivatur, sit Apostolica, qualis certe est cathedra Romana. Quare Patribus, ut Irenaeo, Optato, Augustino, ad probandam apostolicitatem suae Ecclesiae satis fuit probare apostolicitatem cathedrae Romanae. Ergo.

Romana igitur Ecclesia est unice vera Ecclesia Christi. Ex quo licet colligere, principium unitatis et rationem formalis successionis esse illud quod tale est in Ecclesia Romana, quod non est aliud quam Primatus Romani Pontificis.

Dices: magis diffusa est et ampla secta Buddistarum, cui 500,000,000 capita tribuuntur.

Resp. 1. Tantam amplitudinem esse apparentem et nomine tenus: cum tot sint inter eos sectae.

Resp. 2. Collatione notarum discerni veram Ecclesiam a ceteris sectis christianis et ostendi Romanam Ecclesiam esse prae aliis christianis sectis veram Christi Ecclesiam. At si agatur de aliis seu religionibus non christianis, alia sunt praesto argumenta, quibus eorum falsitas demonstratur. Nec iis suffragatur ulla amplitudo, quae tamen specie tenus tantum est; nam reapse tot sunt quot nationes. Speciatim Bud-

dismus ab initio atheus nunc polytheismo et idololatriae permixtus simulacrum tantummodo est cuiusdam religionis.

Constat autem quod expedita hoc modo quaestione, facile est demonstrare, nullam proprietatem vere competere cuique alii coetui, qui Christiani nomen sibi vindicet ac vi solius Romani Primatus eas omnes proprietates in Ecclesia haberi. Sane, ut iam vidimus, eae non habentur nisi mediante auctoritate ministerii a Christo instituti; atqui nullum est ministerium sine Petro omnisque eius auctoritatis plenitudo est in Petro suisque successoribus: ergo. Et re quidem vera si sermo sit de unitate, iam ex alibi demonstratis constat eam a Primatu Petri originem ducere. Si sermo sit de Apostolicitate, tenendum est Apostolicitatem necessariam Ecclesiae esse primum et per se Apostolicitatem Petri, quae quidem integra perseverat in Ecclesia Romana. Catholicitas autem unius societatis haberi non potest nisi per eam efficacem auctoritatem, cui totius Regni caelorum in universum mundum propagandi potestas suprema data est et cui proinde, ut Ecclesia loquitur, omnia regna mundi tradita sunt. Sanctitas pariter, quae sanctitatem fidei supponit, sancta administratio sacramentorum sanctaeque leges, per eum oportet obtineantur in Ecclesia qui est magister infallibilis fidei, cui tanquam supremo et universali Pastori legitima administratio sacramentorum concredita est atque universalis et plena potestas ligandi et solvendi collata; ergo.

Corollarium. Ergo appositum *Romana* factum Ecclesiae nota est, qua Ecclesia vera a falsis coetibus discernitur; hac enim appellatione repraesentatur ille coetus, qui est vera Ecclesia, cui iure divino praeest Episcopus Romanus.

O. A. M. D. G.

INDEX

LECTORI BENEVOLO . . . . . Pag. III

PROLEGOMENON
DE ECCLESIA

Adumbratio Ecclesiae.

§. I. Definitione petita ex ipso nomine, quae definitio realis quidem est licet inadaequata, definiri sic potest Ecclesia ut dicatur: coetus divinitus evocatorum ad colendum Deum . . . . . » 1
§. II. Christus instituens ministerium apostolicum instituit eo ipso Ecclesiam suam eique certam formam tribuit societatis. . . . . » 2
§. III. Etsi Ecclesia Christi certa quadam veraque ratione exstiterit semper specialem tamen constitutionem et formam Christo auctore abtinuit; qua factum est, ut post Christum nemo ad Ecclesiam veram spectet, qui non spectat ad hanc Ecclesiam Christo auctore institutam. . . . . » 9
§. IV. Finis institutae a Christo Ecclesiae est ut homines per eam et in ea sanctitatem et salutem consequantur; quocirca distinguendum est in ipsa Ecclesia id quod habet rationem medii et id quod habet rationem finis. . » 12
§ V. Ecclesia Christi est coetus supernaturalis. . . . . » 13
§. VI. Ecclesia Christi est coetus distinctus a Synagoga. . . . . » 14
§. VII. Ecclesia Christi est necessaria ex divina institutione omnibus hominibus necessitate medii et praecepti; ideoque qui huic divinae institutioni non fecerint satis, salvi esse non possunt . . . . . » 15
§. VIII. Ecclesiam suam ita Christus instituit, ut peremniter usque ad consummationem seculi absque ulla substantiali mutatione sit necessario exstitura. » 22
§. IX. Ecclesia idcirco definiri realiter potest: regnum Christi in terris auctoritate apostolica regendum. . . . . » 25
§. X. Ecclesia Christi est societas hominum ex essentia sua visibilis: quocirca non duplex est Ecclesiae forma, altera invisibilis, visibilis altera, ita ut priore essentia Ecclesiae contineatur; sed una est Ecclesia essentialiter visibilis, verbumque Dei pervertunt Protestantes cum duplicem formam Ecclesiae secernentes, soli Ecclesiae sub forma invisibili exsistenti praerogativas verae Ecclesiae competere contendunt. . . . . » 27

§ XI. Cum Ecclesia sit corpus Christi vivens, duplicem primo putamus distingui posse in eo vitam, alteram externam et socialem, cuiusmodi competere potest cuique bene istitutae societati, alteram interiorem, quae singula membra immediate afficit vel afficere potest. Ratione huius alterius vitae duplex distingui solet elementum in Ecclesia, interius et exterius, anima et corpus. Corpus iis elementis constituitur quibus forma socialis Ecclesiae continetur, nempe ministerio Pastorum oviumque subordinatione, professione fidei, sacramentorumque participatione. Anima sunt dona interiora fidei et caritatis, gratiae sanctificantis ceterarumque virtutum. Duplex ergo principium formale distinguendum est in Ecclesia; alterum PRINCIPIUM FORMALE SOCIETATIS, alterum PRINCIPIUM FORMALE VITAE SUPERNATURALIS IN MEMBRIS. Illud essentiale est Ecclesiae ut ea sit societas, mediumque idoneum hominibus pro consequenda iustitia et salute; hoc necessarium est membris ut illud assequantur et sint propter quod ad Ecclesiam sunt vocati. Porro sicut iustitia necessaria non est ut quis membrum Ecclesiae censeatur, ita cum Bellarmino arbitramur occultam haeresim non impedire quominus adhuc aliquis sit Ecclesiae membrum. . . . . Pag. 40

Penitior Ecclesiae notio ex eius potestate. De subiecto potestatis.

§. XII. Christus potestatem instituens Ecclesiae suae, non eam universo fidelium coetui communicavit, ut ab hoc certis ministris delegaretur, sed certis personis immediate contulit propagandam perpetuo ab illis in alios, qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur: quocirca ex Christi institutione ac iure divino repetendum est discrimen quod inter clericos laicosque intercedit. . . . . » 58

§. XIII. Ritus impositionis manuum quo Christo auctore in ordinem hierarchicum adleguntur homines, est sacramentum proprie dictum, quod et imprimit characterem. . . . . » 70

§. XIV. Traditione autem christiana certum est, duplicem iure divino ordinem esse Episcoporum et Presbyterorum atque his esse illos iure divino superiores: ritus autem sacer, quo initiatur Episcopus, sacramentum est distinctum ab eo sacramento quo initiatur Presbiter. . . . . » 79

§. XV. Ad ordinem hierarchicum pertinent quoque diaconi, inferiores presbiteris et episcopis eorumque ordinatio sacramentum esse censenda est. . . . » 91

SCHOLION. . . . . » 94

De natura huius potestatis.

§. XVI. Origo huius potestatis proprio et speciali sensu est divina. . . . » 104

§. XVII. Potestatem iurisdictionis in Ecclesia praeter Petri successores obtinere debent ex Christi institutione Episcopi, qui singulis Ecclesiis ordinaria et immediata iurisdictione praesint. . . . . » 105

SCHOLION. . . . . » 110

§. XVIII. Ratione habita finis Ecclesiae et originis potestatis qua Ecclesia regitur, liquet Ecclesiam esse societatem perfectam et a civili prorsus independentem. . . . . » 113

§. XIX. Potestas ecclesiastica est iure divino potestas iurisdictionis vere coattiva. » 121

§. XX. Voluit Christus Ecclesiam suam infallibilem esse circa omnes veritates revelatas. . . . . Pag. 152

De Magisterio Ecclesiae.

§. XXI. Controversia Protestantes inter et Catholicos sec. XVI. etsi primum circa dogmata specialia versata fuerit, facile tamen ad hoc caput praecipuum dilapsa est, quod est de Magisterio Ecclesiastico. . . . . » 161

§. XXII. Christus instituit Magisterium vivum, personale, auctoritate instructum docendi suo nomine, obligatione ceteris imposita ipsum audiendi et credendi quae ipsum doceret. . . . . » 162

§. XXIII. Duplex in Apostolorum Magisterio distinguenda est formalitas, nimirum formalitas *testis* et formalitas *doctoris:* illa prior est, haec universalior. . . . . » 165

§. XXIV. Actus huius Magisterii ecclesiastici in Apostolis instituti, tum viva voce tum scripto exerceri poterat. . . . . » 168

§. XXV. Christus Apostolos suos instituens Magistros, non eos exemit ab omni norma at normam praestituit ipsum Verbum Dei sive iam scriptum sive a se vel Spiritu S. revelatum: sed una simul effecit ut Apostoli infallibiliter sequerentur hanc normam, ut propterea eorum infallibile magisterium norma esset certa et sufficiens hominibus pro cognoscendo illo ipso Verbo Dei » 169

§. XXVI. Ex ista Christi institutione proinde erat Magisterium Apostolicum supremus et irrefragabilis iudex in omnibus quaestionibus Fidei authenticus et necessarius interpres Scripturarum, quas ab Apostolis accipere fideles oportebat. . . . . » 173

§. XXVII. Magisterium istud Apostolicum ita a Christo institutum fuit, ut continua successione esset perpetuum in Ecclesia. . . . . » 176

§. XXVIII. Ex allatis porro argumentis consequitur successores Apostolorum in perenni Ecclesiae Magisterio esse eos, qui in monumentis ecclesiasticis veniunt, nomine Episcoporum. . . . . » 181

§. XXIX. Magisterium successorum Apostolorum non eo spectat, ut aliquid recens revelatum subinde proponat praeter id quod Apostoli tradiderunt, sed tantum ut conservet in Ecclesia et propaget apostolicam doctrinam, ut idcirco successio apostolica, in magisterio rei revelatae credendae, sit series continuata testium eiusque actus proprius testimonium veritatis. . . . » 182

§. XXX. Dum immobilitate apostolicae doctrinae cohaeret scientificus progressus, quo doctrina ab initio tradita evolvatur et explicetur in dies, distinctius scilicet apprehendatur et plenius intelligatur. . . . . » 190

§. XXXI. Cum authenticis Magistris, successoribus Apostolorum, coniungendi sunt secundo loco ii quoque, qui licet non Episcopi, in unitate tamen Ecclesiae docentes, suffragium tulerunt ecclesiastici Magisterii: tum speciatim Martyres. . . . . » 193

§. XXXII. In memoratis Magistris primi ordinis et secundi duplex, sicut in Apostolis, distinguendum est munus, testis et doctoris. Tum duplex propterea praerogativa distinguenda, antiquitas et sapientia: propter priorem vocantur Patres, propter alteram pressiore sensu Doctores, et pro diversitate quaestionum nunc horum, nunc illorum auctoritas praevalet. . . . . » 194

§. XXXIII. Cum successores Apostolorum in authentico Magisterio sint omnes Episcopi, voluit Christus, ut hi Magistri, non secus ac primi a se missi, in

unitate docerent principiumque inter eos constituit efficiens unitatis, ut idcirco tunc ius haberent illi docendi, cum huic principio unitatis adhaererent. Pag. 198
§. XXXIV. Hoc magisterium ex pluribus unum, auctum est a Christo perpetua praerogativa infallibilitatis. . . . . » 199
§. XXXV. Universalis consensus Magistrorum una cum suo capite docentium est infallibilis, sive una simul sint collecti sive singuli in suis cathedris sedeant . . . . . » 203
§. XXXVI. Si dissensus sit inter Magistros, nequit pro regula statui, ut maior pars praevaleat: sed haec est regula, ut doctrina eius, qui primas inter eos tenet, sit sequenda, sive cum eo maior sive minor pars ante definitionem consentiat . . . . . » 204
§. XXXVII. Corollaria . . . . . » ibi
§. XXXVIII. Necessitas huius Magisterii, quod ab Apostolis inceptum in eorum successores perenniter continuatur, cum ex iam probatis manifesta sit, tum ex eo confirmatur, quod perperam Protestantes obtendant sufficientiam Scripturarum, vel vindicent sibi interius magisterium Spiritus S. docentis singulos verum sensum s. Scripturae . . . . . » 206
§. XXXIX. Non bene contra institutionem Magisterii authentici producuntur testimonia Scripturae *Ierem.* XXXI. 33. 34. *Isaiae* LIV. 13. *coll. Ioan.* VI. 45. *Matth.* XXIII. 8. 11. 1. *Ioan.* V. 10. II. 20. 27. IV. 1. 1. *Thess.* V. 21.; haec enim aut huc non spectant aut cum prioribus a nobis allatis componenda sunt, ita ut haec testimonia vel actus suadeant quorum exterius magisterium sit norma, vel interiorem gratiam significent, qua salutariter efficax evadit magisterium. . . . . » 213
§. XL. Hactenus asserta infallibilitas Magisterii et Ecclesiae ad alia se porrigit, quam meras veritates revelatas. . . . . » 218
§. XLI. Si cum authentico Magisterio Scripturae Sacrae comparentur, illud primo tenendum est: etiamsi verum foret omne verbum revelatum Scripturis fuisse consignatum, vim et necessitatem Magisterii integram manere ac decipi Protestantes, cum omnem quaestionem revocant ad exsistentiam quarumdam traditionum non scriptarum. . . . . » 226
§. XLII. Pressius comparatis invicem Magisterio et Scripturis et primo ratione habita rei contentae, haec est eorum habitudo: utrumque continet Verbum Dei at non eodem pacto; quoad modum enim origines huius Verbi a Deo, praestant Scripturae, quoad plenitudinem eiusdem Verbi, si sermo sit de Verbo *propter se* revelato, praestat Magisterium; si autem consideretur etiam Verbum, quod *propter aliud* Deus est locutus, praestant rursus Scripturae . . . . . » 227
§. XLIII. Ratione deinde habita auctoritatis, absolute quidem pares sunt Scriptura et Magisterium: relative vero quoad nos, *a)* prius est Magisterium, quod Scripturas tradere debet. *b)* Scripturae sunt quidem authenticum instrumentum, at Magisterium est earum authenticus interpres, qui *c)* et quaestiones de eo exortas sua auctoritate finire debet. Tandem *d)* Magisterium, non Scriptura, necessarium est pro Evangelii propagatione et fundatione Ecclesiarum. . . . . » 231
§. XLIV. In demonstratione hactenus allata institutiones Magisterii eiusque auctoritatis et infallibilitatis nulla est petitio principii, nullus circulus . . » 235
§. XLV. Ipsa auctoritas in Ecclesia docendi, quam consequitur in fidelibus obligatio credendi id quod a magisterio proponitur, pars est potestatis iurisdictionis. . . . . » 237

§. XLVI. Demonstrata institutione divina ecclesiastici Magisterii, restat, ut breviter dicamus, quomodo fideles oporteat erga illud se gerere et qualis usus esse debeat veterum traditionum ac doctrinae praecedentium Patrum Pag. 240

§. XLVII. Quod de testificatione traditionis dictum est, idem valet in interpretatione dogmatica ss. Scripturarum. In exegesi vero pure historica et philologica Scripturarum ratio quidem habenda est praecedentium PP^m^ praesertim si quidam in his excellentes fuerunt ac probati et si plurium consensus exsistat: attamen in hac re non eadem valet ratio pro urgenda auctoritate PP. ac cum agitur de textibus dogmaticis. . . . . » 246

Scholion. . . . . » 247

De Proprietatibus Ecclesiae.

§. XLVIII. Verae Christi Ecclesiae proprium est ut sit una et quidem unitate triplici, nempe unitate communionis sive sociali, propter quam unica quoque sit Ecclesia, unitate symbolica h. e. professionis fidei tum materiali tum formali atque unitate rituali, eademque pariter tum materiali tum formali. » ibi

§. XLIX. Ex demonstratis colligitur haereticos, schimaticos, excommunicatos, atque etiam catechumenos non esse actu membra Ecclesiae . . . . . » 258

§. L. Altera proprietas Ecclesiae est Sanctitas eaque tum ipsi Ecclesiae essentialis, tum quae ex divina promissione semper erit in Ecclesia, quae quidem sanctitas cum potestate a Christo instituta veluti obnoxio principio sui est necessario connexa. . . . . » 270

§. LI. Ecclesiae Christi proprium rursus est, ut non iure tantum, sed et facto sit catholica h. e. ea communione contineatur, quae absolute amplia sit, relative vero amplior sit quovis coetu qui Christiani nomen sibi immerito usurpat. Cum autem in Catholicitate elementum materiale et formale distinguatur, principium formalis catholicitatis esse debet Ecclesiastica potestas a Christo instituta. . . . . » 276

§. LII. Proprietatibus Ecclesiae ea connumeranda est, ut sit Apostolica h. e. ab Apostolis instituta, ab Apostolorum successoribus, qui nedum materialiter sed formaliter tales sint, ita regatur ut ad Apostolos rursus, interrupta nunquam Pastorum successione, eius auctoritas revocetur. . . . . » 282

DE ECCLESIAE CAPITE

SEU

DE ROMANO PONTIFICE

PROOEMIUM . . . . . Pag. 289

PARS I.

DE PRIMATU B. PETRI

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE PRIMATUS B. PETRI

THESIS I. Tenendum est « iuxta Evangelii (Matth. XVI. 16.-19) testimonium, Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum a Christo Domino fuisse » (*Conc. Vatic. Sess. IV. c. 1*). . . . . » 292

THESIS II. Verbis Christi Luc. XXII. 31. 32. divina promissio continetur infallibilis magisterii Petri eidemque divinitus commissi muneris confirmandi fratres . . . . . » 346

THESIS III. Fidem datam Matthaei XVI. et Luc. XXII. Christus post resurrectionem suam liberavit Ioannis XXI. 15. seqq., unique Petro primatum iurisdictionis contulit in universam Ecclesiam . . . . . » 359

THESIS IV. Cum testimoniis allatis cohaerent tum speciales formulae ab Evangelistis adhibitae quum loquuntur de Petro, ex quibus patet illum Apostolis ceteris nobiliorem ac potiorem ipsos credidisse; tum quae in primis Actuum capitibus narrantur, quibus exercitium Primatus non obscure significatur. » 366

THESIS V. Petri Primatum non excludit vel enumeratio instituta a Paulo I. Cor. XII. 28. Ephes. IV. 11. charismatum munerumque quae in Ecclesia obtinent vel reprehensio ea, qua Paulus restitit in faciem Petro Gal. II. 11. seq.: imo huius reprehensionis historia accurate perpensa Petri Primatum manifestissime probat. . . . . » 370

THESIS VI. Dignitate Apostolatus breviter adumbrata, docemus extraordinariam potestatem singulis Apostolis communem non prohibuisse quominus Petrus inter Apostolos excelleret primatuque iurisdictionis in ipsos quoque gauderet » 375

CAPUT II.

DE SUCCESSIONE IN PRIMATU B. PETRI

THESIS VII. « Quod autem in b. Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super

petram ad finem seculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. *(Conc. Vatic. Sess. IV. c. 2)* . . . . . Pag. 387
NOTA IN SEQUENTES THESES. . . . . » 391
THESIS VIII. Distinguenda est *lex successionis* a *conditione successionis* in Primatu. Lex successionis est ipsa divina institutio Primatus eiusque perennitatis: conditio est titulus quo efficitur ut hic potius quam alius succedat. Huiusmodi porro conditio determinata est a facto originali Petri quo Romanam Sedem evexit ad dignitatem Primatus. Romanus ergo Episcopus, qui solus debitae conditioni facit satis, obtinet iure divino vi legis successionis Primatum in universam Ecclesiam. Quocirca cum quaeritur quo iure Romanus Episcopus succedat Petro, si intelligatur non comparative sed absolute quo iure potiatur eadem auctoritate ac Petrus; respondendum prorsus est ipsum iure divino succedere Petro . . . . . » 394
THESIS IX. Quod prae ceteris Romanus Pontifex is sit qui Petro in Primatu succedit, veritas est immutabilis in Ecclesia nihilque obstat, quominus haec veritas revelata censeatur . . . . . » 404
THESIS X. Quocirca cum Petrus Romanum Episcopatum suscepit ut in eo perpetuos successores in Primato haberet, Deus ratam specialiter habuit hanc Petri electionem: ideoque de *iure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, praevertente autem factum successionis* est quod Romanus Episcopus succedat Petro in Primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scilicet antecente Dei iussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere nimirum per episcopalem Sedem et inter Sedes eligere Romanam. . . . . » 411
SCHOLION . . . . . » 414
THESIS XI. Verba ergo Christi ad Petrum *(Matth. XVI.; Luc. XXII; Ioan. XXI.)* spectant aequo iure ad singulos Romanos Episcopos, qui universi Primatus iurisdictionem ab ipso Deo immediate consequuntur. » 419
SCHOLION. . . . . » 422

PARS II.

DE VI AC RATIONE PRIMATUS ROMANI

CAPUT I.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS UNIVERSIM SUMPTA

ARTICULUS I.

DE HAC POTESTATE ROMANI PONTIFICIS ERGA ECCLESIAM

THESIS XII. Ex ipsa natura primatus a Christo instituti manifestum est, ipsum ideo institutum esse, ut unitas universae Christi Ecclesiae ac singularum etiam quoad se ipsas Ecclesiarum per unius capitis iurisdictionem efficienter obtineatur. . . . . » 426
THESIS XIII. Cum hac Primatus dignitate consertum est ut iurisdictio Romani Pontificis in omnes Christi fideles tam seorsim singulos quam simul omnes sit ordinaria et immediata. . . . . » 436

THESIS XIV. Quocirca habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam plenitudinem potestatis, non solum quatenus omnia possit, sed quatenus omnis iurisdictionis potestas, qua fideles reguntur, ab ipso sit; ideoque Episcopi iurisdictionem ordinariam in suis Ecclesiis non a Christo immediate habent sed immediate a Vicario Christi, cui praeterea iure divino potestas competit eligendi Episcopos modumque electionis eorum determinandi. . . . Pag. 445

THESIS XV. Proprium est proinde Potestatis Primatus, ut nullis ecclesiasticis canonibus sit coactive circumscripta aut limitata . . . . . » 456

THESIS XVI. Perperam Gallicani ad suam tuendam doctrinam circa potestatem Romani Pontificis ad decreta Concilii Constantiensis aliorumque conciliorum sententias provocabant. . . . . » 466

THESIS XVII. Propria est quoque Primatus Romani Pontificis potestas recipiendi ex toto orbe appellationes a quocunque iudicio Episcoporum sententiamque ultimam ferendi super causis ab Episcopis iudicatis, non solum per iudices delegatos eo ubi causa exorta est, sed per se ipsum Romae. Proprium quoque ipsius ius est legatos suos mittendi in omnes orbis christiani partes. » 484

THESIS XVIII. Forma proinde regiminis Ecclesiae iure divino est monarchica » 507

THESIS XIX. Perperam contra hactenus statuta de iurisdictione Romani Pontificis argumenta petuntur vel ex dignitate Christi, vel ex defectu continuitatis Romanorum Episcoporum, vel ex reiecto a s. Gregorio M. titulo *Episcopi oecumenici*, vel ex hierarchica subordinatione, vel ex aliquorum Patrum quibusdam sententiis . . . . . » 514

THESIS XX. In Primatum Romani Pontificis insane furentes aut in ecclesiastica antiquitate prorsus hospites se produnt, qui contendunt plurima iura, quibus nunc fruitur Romana Sedes, ab Isidoriana Decretalium collectione ortum habuisse, aut antiquitus Romani Pontificis curam ad solum Occidentem iure patriarchico spectasse. . . . . » 524

ARTICULUS II.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS ERGA SOCIETATES AB ECCLESIA DISTINCTAS

THESIS XXI. Inter auctoritatem religiosam, quae propria est Romani Pontificis, et potestatem politicam christiani Principis ea exsistit ex ipsis rerum naturis habitudo, ut haec sit illi nedum negative sed et positive subordinata licet indirecte. . . . . » 542

THESIS XXII. Etsi dicantur concordata, a Romanis Pontificibus inita cum Principibus secularibus, contractus bilateralis rationem habere; non minuitur exinde potestas Primatus. . . . . » 551

THESIS XXIII. Exigit quoque ius Primatus ut nulla auctoritas humana impedire licite possit communicationem Romani Pontificis cum quovis fideli; ut nullum sid ius illud quod Principes sibi arrogarunt atque exercere se dicunt *per Regium placet* seu *exsequatur:* atque absurda sit appellatio quae dicitur *ab abusu.* . . . . . » 561

THESIS XXIV. Iure divino Romanus Pontifex plena gaudet immunitate personali a laica iurisdictione. Cuius immunitatis ius quidem est essentiale Primatui a Christo instituto, exercitium vero non absolute necessarium est, ut Ecclesia sit, sed ut ea bene sit vitamque eam socialem perfecte vivat ad quam ius habet. Perfecta porro actuatio huius immunitatis est Principatus civilis, qui

providente Deo institutus est, ut Romanus Pontifex ad Ecclesiam regendam eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quae ad supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur. . . . . Pag. 570
COROLLARIA. . . . . » 585

CAPUT II.

DE INFALLIBILI MAGISTERIO ROMANI PONTIFICIS

PRAENOTIONES . . . . . » 586
THESIS XXV. Romanus Pontifex ex cathedra loquens, id est cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, est ex sese infallibilis, ideoque eius definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles sunt. *(Ex Conc. Vat. Sess. IV. c. 4.).*» 592
THESIS XXVI. Ut certam conclusionem theologicam defendimus, quod, seposito magisterio Romani Pontificis, magisterium reliqui coetus etiam universi Pastorum nequit sibi vindicare praerogativam divinitus promissae infallibilitatis in docendo : unum proinde est in Ecclesia subiectum immediatum auctoritatis infallibilis. . . . . » 629
THESIS XXVII. Distinguere oportet inter supremum doctorem vel iudicem controversiarum fidei, et normam quam sequi debet ipse iudex in iudicando, quam quidem in sequendo ne erret, assistit Spiritus S. Haec duo vero confundunt qui ut probent auctoritatem supremam in rebus fidei definiendis esse penes universitatem, provocant ad canonem Lirinensis ipsorumque Pontificum testificationem, qui in suis decretis fidei docent sequendam esse universitatem et consensionem in antiquitate. Porro ipsa universitas Patrum et Doctorum praecedentium verae fidei nobis certum testimonium reddit, quatenus Patres omnes et Doctores cum magisterio Cathedrae Apostolicae consentiebant et ab ipsa probati sunt. . . . . » 651

(DE CONCILIIS 1ª)

THESIS XXVIII. Singuli Episcopi catholici, h. e. communione fruentes Romanae Sedis, id habent proprium prae ceteris fidelibus, ut sint magistri authentici verique iudices etsi non supremi in causis fidei, et cum singuli in suis sedibus docent, praesumendum est iuridice doctrinam eorum esse catholicam, h. e. doctrinam cathedrae Petri. Eos vero in Synodum oecumenicam convocandi potestas coactiva est solum penes Romanum Pontificem, isque solus ius habet iisdem praesidendi auctoritate iurisdictionis. Coacti proinde in Synodum oecumenicam Episcopi obtinent a Romano Pontifice auctoritatem docendi cum ipso universam Ecclesiam ibique sunt ex sese veri iudices fidei, quorum tamen iudicialis auctoritas vim suam erga fideles exerit. Et cum definitio ex cathedra praevertit, habent ipsi convocati in Synodum ius et officium instituendi de eo examen non quidem dubitativum sed comprobativum. Comprobantes autem suo suffragio debito doctrinam a Pontifice propositam, eam sua quoque auctoritate iudicant simulque cum ipso Romano Pontifice definiunt et confirmant. Sententia tamen Episcoporum ideo peremptoria est et infallibilis, quia Romanus Pontifex simul cum ipsis rem definit » 658

(DE CONCILIIS 2ª)

THESIS XXIX. Nullum est proinde essentiale discrimen inter definitionem editam a solo Romano Pontifice et definitionem conciliarem, sed tantum accidentale. Quare Concilium oecumenicum nunquam est simpliciter necessarium; utile tamen et secundum quid necessarium non raro esse potest. . . . . Pag. 683
Scholion I. . . . . » 693
Scholion II. . . . . » 695
THESIS XXX. Praerogativa omnis Romanae Sedis est in ipsa persona Romani Pontificis tanquam in subiecto; ideoque eae verissime dicuntur personales, eaedem singulis ex aequo successoribus Petri competunt. Quare licet non uno ex capite fas sit distinguere inter *sedem* et *sedentem*, attamen reiicienda est prorsus ut falsa et absurda distinctio huiusmodi eo spectans ut praerogativae et iura sedis alia sint a praerogativis et iuribus sedentium, atque gaudeat quidem Sedes Romana sive tota series successionis privilegio indefectibilitatis, vel infallibilitatis in fide, non autem singillatim quilibet successor Petri. . . . . » 696
THESIS XXXI. Inepti sunt qui post vaticanam definitionem infallibilitatis Romani Pontificis postulant aliam conciliarem definitionem, qua doceamur modum quo decreta fidei a Romano Pontifice edi debent, ut habeantur ab omnibus tamquam ex sese irrefragabilia. Falsumque est prorsus quod quidam suppo nunt, certitudinem fidelium de infallibili definitione Romani Pontificis pendere, veluti ex conditione, a notitia, quam iidem antecedenter habeant mediorum, quibus Romanus Pontifex usus ad actum definitionis se praeparavit. . » 701
THESIS XXXII. Ut sententia Romani Pontificis habeatur tanquam definitio ex cathedra, ideoque infallibilis, censemus non opus esse ut verba Pontificis ad universam Ecclesiam immediate dirigantur. . . . . » 707
Scholion I. . . . . » 708
Scholion II. . . . . » 710
THESIS XXXIII. Frustra sunt qui ut impugnent dogma de infallibilitate Romani Pontificis, demonstrare contendunt, aliquem ex Romanis Pontificibus loquentem ex cathedra errasse. Speciatim vero falluntur qui in medium producunt oppositas doctrinas tum Hormisdae et Ioannis II. tum Nicolai III. et Ioannis XXII. atque eiusdem Ioannis sententiam de visione beatifica ac subscriptionem Liberii et decretum Nicolai I. de forma baptismi et Stephani VI. sententiam quoad ordinatos a Formoso atque Honorii I. epistolas in causa monotheletica sententiamque Zachariae quoad antipodas ac Sixti V. Bullam in editione Vulgatae, sententiamque cuiusdam decessoris Innocenti III. in causa matrimoniali iudiciumque Romanae Inquisitionis in causa Galilaei. » 723
THESIS XXXIV. Frustra quoque sunt, qui ex historia controversiae Trium Capitulorum et damnationis Honorii in Synodo oecumenica VI. atque ex dissensu Episcoporum francorum in quaestione de cultu imaginum, colligere se posse putant, fidem Ecclesiae esse quod Romanus Pontifex fallibilis ex se sit et Conciliorum oecumenicorum auctoritati obnoxius . . . . . » 728
THESIS XXXV. Historia quoque controversiae Cypriani cum S. Stephano abutuntur qui ex ea probare contendunt, creditum fuisse ea aetate Romanum Pontificem ex cathedra docentem esse fallibilem. Abutuntur quoque Augustini auctoritate qui ex epist. eius XLIII. evidenter inferri contendunt licere

a iudicio Romanae Sedis ad iudicium plenarii universae Ecclesiae Concilii provocare illiusque sententiam per huius iudicium solvi posse. Perperam tandem ad quoddam responsum Gregorii III. provocatur . . . . . Pag. 744
THESIS XXXVI. Neque ex eo, quod Romanus Pontifex ipse credere teneatur quod definit, consequitur ipsum unum definire non posse. . . . . » 755

APPENDIX

DE ECCLESIAE NOTIS

§. I. Necesse est Ecclesiam veram Christi aliquas habere notas, propter quas cognoscatur et discernatur a falsis sectis. Inepte vero Protestantes notas Ecclesiae esse constituunt veritatem doctrinae et legitimam Sacramentorum administrationem. Sed unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quae sunt *ontologice* proprietates Ecclesiae, sunt *logice* eiusdem quoque notae eaeque necessariae omnes sunt, ut aliquis coetus vera Christi Ecclesia existimetur atque sufficientes tum simul omnes, tum quaedam quoque ex illis seorsim, ad demonstrandam veram Christi Ecclesiam. . . . . » 757
§. II. Praeter coetum illum, qui romana communione continetur, nullus est Christianus coetus, cui omnes notae necessariae et sufficientes competant. Imo quamvis quaedam ex quatuor proprietatibus memoratis possint alicui coetui, qui non sit vera Ecclesia, apparenter competere ; facile tamen demonstrari potest nullam sectam orientalem vel occidentalem a romana communione distinctam merito sibi vindicare vel unam ex his proprietatibus. Unus autem coetus romana communione contentus is est cui omnes notae competant : ideoque appellatio *Romana* facta Ecclesiae nota est, qua vera Ecclesia a falsis sectis secernitur. . . . . » 765

213.
P.185
4011
PALMIERI-DOMINIC
AUTHOR
De Romani Pontificis - Ed 3a
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Kelleher MAY	1

4011